BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
E
23
NAPOLI

XVII
E 23-
19

Digitized by Google

Digitized by Google

HUGO GROTIUS
DE JURE
BELLI AC PACIS
CUM NOTIS VARIORUM,

E T

COMMENTARIIS
HENRICI DE COCCEII

NEC NON

INTRODUCTIONE SAM. DE COCCEII

HENRICI FILII.

OPUS QUINQUE VOLUMINIBUS
abſolutum.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

M D C C L I.

Digitized by Google

Digitized by Google

SAMUELIS L. B. DE
COCCEII,

SUMMI REGNI BORUSSICI CANCELLARII, Miniſtri Status intimi, & Aquilæ Boruſſicæ Equitis, Hæreditarii in Wuſſeken, Repko, Kleiſt, Laas, cet.

INTRODUCTIO
AD
HENRICI L.B. DE COCCEII
GROTIUM
ILLUSTRATUM;

CONTINENS

DISSERTATIONES PROOEMIALES XII.

In quibus Principia Grotiana circa Jus Naturæ, per totum Opus diſperſa, ad juſtam methodum revocantur, mens GROTII, obſcura ſæpius, ex ipſo GROTIO illuſtratur, & defectus circa ejus Principia notantur.

DUODECIMA DISSERTATIO exhibet Auctoris
NOVUM SYSTEMA
Juſtitiæ Naturalis & Romanæ; in quo univerſum Jus Romanum nova methodo ad artem redigitur.

LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET, & Sociorum.

MDCCLI.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ANTEQUAM *Commentarium ipſum in ſummi Viri* HUGONIS GROTII *libros* de Jure Belli, & Pacis *aggrediar, & Animadverſiones tum* B. PARENTIS, *tum* meas, *in divinum illud opus in publicum producam, operæ pretium eſſe, duxi,* Diſſertationibus *quibuſdam* procœmialibus *Principia* GROTII *clara, & perſpicua legentibus reddere, ejuſque mentem, obſcuram ſæpius, illuſtratam ob oculos ponere.*

§. 2. *Fateri enim neceſſe eſt, difficillimum intellectu hoc opus, nec hactenus ab ullo interpretum ſatis illuſtratum fuiſſe. Cauſas hujus difficultatis duas deprehendi:* 1. *quod* GROTIUS *plures* Juris univerſalis *ſpecies effinxerit, atque his ſpeciebus nova nomina impoſuerit, ſimulque definitiones excogitaverit, quæ ante Grotium vel plane cognitæ non fuerunt, vel non eo, quo ipſe intellexit, ſenſu:* 2. *quod*

ſpecies illas, illaque principia Juris univerſalis, *nullibi ſatis explicaverit, ſed obiter ſaltem ea tetigerit; in proceſſu autem demum vel rationes, vel exceptiones, vel limitationes præmiſſorum principiorum expoſuerit.*

§. 3. *Id igitur incredibili opera, & labore egi, ut ſingulas jurium ſpecies, a Grotio propoſitas, collectis undique ex toto opere concluſionibus, limitationibus, & exceptionibus, uno obtutu tibi exhiberem; & Grotium ex ipſo Grotio explicarem.*

§. 4. *Duplicem autem uſum hujus operæ exſtiturum, confido: 1. quod opus hoc difficillimum, explicatis ita principiis, facillima ratione, etiam a tyronibus juris, intelligi poterit: 2. quod opus non erit in ipſo commentario ſingulis locis, adeoque repetitis vicibus, Auctoris ſenſum, aut ſyſtema exponere; cum jam ſufficiat, lectorem ad* Diſſertationes *has* procemiales *remittere.*

§. 5. *Ut vero appareat, quid in ſingulis Diſſertationibus præſtiterim, id jam per indicem indigitabo.*

Præmittendum autem eſt, 1. *quatuor* juris univerſalis *ſpecies, quibus ſyſtema Grotianum nititur*, quatuor diſſertationibus *prioribus exponi:* 2. *me Principia Grotii juxta tria objecta juris Romani* totidem diſſertationibus *explicaſſe. Quibus* 3. *ſubjeci* duas diſſertationes *de mediis defendendi illa jura; nimirum, vel per judicia, vel per repreſſalias, & per bellum. Tandem* 4. *recentiorum doctorum principia circa jus naturæ tribus* poſterioribus diſſertationibus *illuſtravi.*

§. 6.

§. 6. *Primo igitur in* Diſſertatione I. *expoſui* JUS NATURÆ SOCIALE, *ſeu jus proprie, & ſtricte ſic dictum, quod Grotius ex principiis internis, nimirum, ex appetitu ſociali deducit; & quod obtinere, ait, etſi detur, Deum non eſſe: ſimulque demonſtravi, tale Jus Sociale non exiſtere. Sed & porro explicavi, quid Grotius intelligat per* Jus naturæ pro certo rerum ſtatu.

§. 7. *Deinde in* Diſſertatione II. *explicavi* JUS NATURÆ LAXIORI SENSU SUMTUM, *ſeu jus humanæ naturæ (quod Grotius non ex appetitu ſociali, ſed ex judicio recte conformato ad eligendum ea, quæ utilia, vel noxia ſunt, deducit; quodque itidem exiſtere, ait, etſi detur, Deum non eſſe): ac dubia, quæ circa hanc juris ſpeciem occurrunt, propoſui, ſimulque vera principia diſciplinæ moralis expoſui.*

§. 8. *Porro in* Diſſertatione III. *illuſtravi* JUS DIVINUM UNIVERSALE VOLUNTARIUM; *quod Grotius triplex eſſe ait:* Adamiticum, Noachicum, & Legem Evangelii. *Quæ jura non ex principiis internis, ſed ex libera Dei voluntate deducit; adeoque non niſi a Deo originem habere, & ideo ab eo mutari poſſe, tradit.*

At tale Jus divinum, *diſtinctum a jure naturæ, non dari, ibidem probavi, ſimulque auctoritatem præceptorum a Servatore expoſitorum, eorumque rationem expoſui.*

§. 9. *Denique in* Diſſertatione IV. *expoſui monſtrum illud* JURIS GENTIUM VOLUNTARII, *quod a Doctoribus* Jus Gentium ſecundarium *vocari ſolet, quodque*

que ex libera Gentium voluntate ortum eſſe, aiunt; unde Grotius præcipua jura belli, & pacis deducit.

Tale autem jus non exiſtere, rationibus demonſtravi, illudque ex errore Triboniani ortum eſſe, probavi.

§. 10. *Præmiſſis his Juris univerſalis ſpeciebus pertractavi ipſa juſtitiæ objecta, & in* Diſſertatione V. *propoſui ſententiam Grotii circa* JUS PERSONARUM, *i. e. circa jus, quod cuique competit* EX STATU HOMINUM: *nimirum, vel ex* libertate, *vel ex* familia, *vel ex* civitate. *Ubi monita quædam ſubjeci.*

§. 11. *Porro in* Diſſertatione VI. *examinavi* JUS RERUM, *ſeu modos acquirendi dominii naturales, ubi doctrinam Grotii* de primæva rerum communione *refutavi, variaque circa ſyſtema Grotii notavi.*

§. 12. *Tandem in* Diſſertatione VII. *expoſui principia Grotii de* ACTIONIBUS, QUÆ EX OBLIGATIONE PERSONÆ *deſcendunt; vel quia perſona* contraxit, *vel quia* deliquit, *vel quia* ex variis cauſarum figuris *obligatur. Quod ſyſtema itidem monitis quibuſdam illuſtravi.*

§. 13. *Cum vero omnia hæc jura fruſtra hominibus ex voluntate Dei conceſſa eſſent, niſi facultas quoque competeret ea tum contra concives, tum contra extraneos defendendi, alioſque cogendi ut jura hæc tribuant eis, quibus naturali ratione quæſita ſunt; ideo in* Diſſertatione VIII. *Grotii ſyſtema de* JUDICIIS, *eorumque origine, & auctoritate, examinavi; ubi ſimul ſyſtema* EPICURI, & HOBBESII *expoſui.*

§. 14.

§. 14. *Deinde in* Diſſertatione IX. *de* BELLO, EJUSQUE JURE *egi; ubi Juſtitiam bellorum ex principiis Grotii, nec non ejus diſtinctionem in* Bella ſolemnia, & minus ſolemnia, *hujuſque diſtinctionis effectus, late explicavi, ſimulque monita quædam generalia adjeci.*

§. 15. *Cæterum, cum notæ, & obſervationes* B. PARENTIS *præcipuam Commentarii Grotiani partem abſolvant, is autem ſingulis fere paginis ad poſitiones ſuas (quas, pro explicatione juris Gentium, publici juris fecit, & lectionibus Grotianis præmittere ſolitus fuit) provocet, rem non ingratam me B. L. facturum exiſtimo, ſi ipſas has poſitiones, earumque explicationem ex ſchedis B. Viri deſumptam, ei communicavero. Hinc in* Diſſertatione X. *expoſui* PRINCIPIA HENRICI DE COCCEII juxta ejus poſitiones, *ex quibus apparebit, quam belle Jus Romanum cum Jure naturæ conveniat. Cæterum, hic quoque monita quædam ſubjicere neceſſarium duxi.*

§. 16. *Præterea cum ad illuſtrationem juſtitiæ naturalis maxime inſerviat, aliorum doctorum hypotheſes noſſe, in* Diſſertatione XI. *egi de* VARIIS DOCTORUM, *præcipue recentiorum,* PRINCIPIIS: *ſpeciatim autem* HEMMINGII, WINCKLERI, HOBBESII, WACHTERI, BODINI, & THOMASII, *qui novi aliquid ſtatuiſſe creduntur, ſyſtemata expoſui.*

§. 17. *Denique, cum ego quoque meas animadverſiones paſſim commentario inſeruerim, quæ novum ſyſtema, hactenus ineditum, ſupponunt, eoque ſe referunt, in* Diſſertatione XII. *ſyſtema de* JUSTITIA NATURALI, &

ROMANA *tibi B. L. exhibeo, ex quo ad oculum pateſcet, Jus Romanum vere ex principiis Juris naturalis fluere; noſque ſepoſitis quoque legibus ſcriptis, (paucis, quæ ad ſtatum civilem pertinent, exceptis) facillima methodo, ex ſola ratione, illud addiſcere poſſe.*

§. 18. *Monita, quæ circa principia Grotii ſparſim inſerui, pauca ſunt, & generalia plerumque (cum non tam refutare in hoc opere ſyſtema Grotii, quam mentem ejus explicare, propoſitum mihi ſit): reliqua autem monenda ipſi Commentario reſervavi.*

§. 19. *Cæterum, quid in ipſo Commentario præſtiturus ſim, & quænam ſit inſtituti ratio, exponam in præfatione operi ipſi præfigenda. Id unum ſaltem addo, publicato hoc opere nihil amplius, quod ad inſtruendam nobiliſſimam hanc* de Juſtitia naturali *diſciplinam pertineat, deſiderari poſſe.*

PRIVI.

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

NOS FRANCISCUS, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, & Hieroſolimarum Rex, Dux Lotharingiæ, & Barri, Magnus Hetruriæ Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckenſteinei &c.

Agnoſcimus, & notum facimus, tenore præſentium, univerſis, quod cum Nobis Marcus Michael Bouſquet ejuſque Socii humillimè exponi curarint, quem in modùm *Hugonis Grotii de Jure Belli ac Pacis libros tres cum annotatis auctoris, nec non J. F. Gronovii notis, & J. Barbeyracii animadverſionibus; Commentariis inſuper locupletiſſimis Henr. L. B. De Cocceii ſub titulo Grotii illuſtrati antea editis, nunc ad calcem cujuſque Capitis adjectis; inſertis quoque Sam. L. B. De Cocceii Henrici filii obſervationibus &c. & ipſius Grotii Diſſertatione de mari libero ac Libello de æquitate &c. &c. in quinque voluminibus in quarto* prælo committere reſolverint, vereantur autem ne, æmulorum invidia hanc editionem imitantium, impendii & laboris ſui fructu fruſtrentur; ideoque Nobis demiſsè ſupplicarint, quatenus eorum indemnitati, Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſimè dignaremur; Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ eorum petitioni annuendum cenſuerimus: Ac proinde Authoritate Noſtra Cæſarea, omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuſcunque rem Librariam ſeu negociationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, ne quis ſupra nominatum Opus, ſub hoc aliove titulo, aut hac aliave forma, ſeu, ut aiunt, formato, per quinque annorum ſpatium, ab hodierno die computandum, intra ſacri Romani Imperii Fines, recudere, vel aliis recudendum dare, alioſumve impreſſum apportare, vendere & diſtrahere, citra præfatorum impetrantium eorumdemque hæredum ac ſucceſſorum voluntatem & aſſenſum, in ſcriptis obtentum, auſit vel præſumat. Si quis vero ſecus faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu Interdictum violare, contemnereque præſumpſerit, eum, non ſolum ejuſmodi exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam recuſis ſeu apportatis, quæ dictus Marcus Michaël Bouſquet ejuſque Socii, ſive propria au-

Digitized by Google

thoritate, ſive Magiſtratus illius loci auxilio, ſibi vindicare poterunt, de facto privandum, ſed & decem marcarum auri puri pœna ærario ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo & Parti læſæ ex æquo pendenda, omni ſpe veniæ ſublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte libri impreſſus reperiatur & conſueta quinque exemplaria Conſilio noſtro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtri ſacri Romani Imperii ſubditis & fidelibus dilectis tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, cujuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis aut ordinis fuerint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu exiſtentes, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine Jus Juſtitiamque adminiſtrant, ne quemquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum violare, ſpernere aut tranſgredi patiantur: ſed ſi quos contumaces compererint, conſtituta a Nobis mulcta eos puniri, & quibuſcunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram Indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum teſtimonio Literarum, Manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur, Viennæ die undecima Auguſti, Anno milleſimo, ſeptingenteſimo quinquageſimo Regni Noſtri quinto.

FRANCISCUS. (L. S.)

Ut A. Comes Coloredo.

Ad Mandatum ſacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium

J. J. Hayeck de Waldſtæten.

CONSPE-

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS.

DISSERTATIO I. *De Jure Naturæ ſociali*, ubi Syſtema GROTII ſub examen revocatur, nullumque illud in Diſciplina juris naturalis uſum habere oſtenditur. *Pag.* 1

CAPUT I. Ubi Jus Naturæ ſociale ex hypotheſi GROTII, ejuſque Commentatorum, explicatur. 4

CAPUT II. Ubi refutatur Doctrina de Jure Naturæ ſociali. 8

Sectio I. Ubi demonſtratur, Doctrinam de Societate humana ex impiis Philoſophorum gentilium principiis ortam eſſe. 9

Sectio II. Ubi demonſtratur, Societatem univerſalem inter homines non dari. 11

Sectio III. Ubi demonſtratur, cuſtodiam Societatis humanæ, ſi talis Societas dari poſſet, non eſſe principium Juris naturæ eſſendi, nec concipi jus naturæ ſemoto Deo poſſe. 16

Sectio IV. Ubi demonſtratur, cuſtodiam Societatis humanæ improprie conſtitui principium cognoſcendi, ſeu modum probandi univerſalem. 24

CAPUT III. De Jure Naturæ pro certo rerum ſtatu. 35

DISSERTATIO II. *De Jure Naturæ laxiori:* ubi GROTII de hoc jure ſententia prolixius explicatur ac refutatur, ſimulque verum & adæquatum virtutum & perfectionum principium exponitur. 39

CAPUT I. Ubi examinatur, quid GROTIUS intelligat per Jus Naturæ laxius. 40

CAPUT II. Ubi monita quædam circa Jus Naturæ laxius proponuntur. 46

Sectio I. Ubi demonſtratur, GROTIUM per Jus naturæ laxius intelligere virtutum præcepta. *ibid.*

Sectio II. Ubi demonſtratur, judicium recte conformatum ad æſtimanda ea, quæ delectant, aut nocent, non eſſe verum principium virtutum, nec perfectionum regulam. 49

Sectio III. De unico, vero, & adæquato virtutum principio, ejuſque in vita civili utilitate. 50

DISSERTATIO III. *De Jure Divino univerſali voluntario:* Nimirum, de Jure Adamitico, Noachico, & de Lege Evangelii, ſeu de vera præceptorum Servatoris ratione. *Pag.* 55

CAPUT I. Quod Syſtema *Grotianum* de *Jure Divino voluntario* exhibet, & refutat. 56

Sectio I. De Jure Adamitico. 60

Sectio II. De Jure Noachico. 62

Sectio III. De Lege Evangelii 66

DISSERTATIO IV. *De Jure Gentium voluntario*, ubi ſimul probatur tale Jus non exiſtere, & monſtrum hoc ex errore Triboniani ortum eſſe, exponitur. 77

CAPUT I. De origine Juris Gentium voluntarii. 78

Sectio I. De Jure gentium voluntario ex hypotheſi *Grotiana*, ejuſque cauſa, ſubjecto, & objecto. 79

Sectio II. De diviſione Juris Gentium voluntarii in latius patens, & arctius. 81

Sectio III. De uſu Juris Gentium voluntarii latius patentis. 82

Sectio IV. De diſcrimine ejus, quod in Jure Gentium latius patente ex omni parte juſtum eſt, & ejus, quod effectum ſaltem externum juris habet. 85

Sectio V. De Jure Gentium voluntario arctiori. 89

CAPUT II. Ubi demonſtratur, Jus Gentium voluntarium, ſeu ſecundarium, non dari: adeoque diſtinctionem in Jus Gentium primævum, & ſecundarium, merum eſſe figmentum. 90

DISSERTATIO V. *De Jure Perſonarum:* ſeu de Jure, quod cuique competit ex ſtatu hominum naturali: ubi monita quædam generalia circa Syſtema GROTII ſuppeditantur. 101

CAPUT I. Ubi totius Syſtematis *Grotiani* ordo proponitur, & cum ordine, ac methodo Juris Romani comparatur. 102

CAPUT II. De Jure Perſonarum ex hypotheſi GROTII. 103

CAPUT III. Continens monita quædam generalia circa methodum GROTII, tum quoad objecta Juris in genere, tum in ſpecie quoad Jus perſonarum, ſeu ſtatum hominum. 107

DISSERTATIO VI. *De Jure rerum:* ubi Syſtema GROTII de origine dominiorum exponitur, & dubia quædam circa hæc principia proponuntur. 109

CAPUT I. De origine Dominiorum. 111

CAPUT II. De his, quæ hominibus communiter competunt. 113

CAPUT III. De eo, quod ſingulari jure nobis competit originarie, id eſt per occupationem. 117

Sectio Unica. De derelictione præſumta, ſeu de jure præſcriptionis inter gentes. 119

CAPUT

Caput IV. De Jure Rerum, quod ſingulari jure cuique competit derivative. *Pag.* 121
Sectio I. De acquiſitione derivativa, quæ fit lege naturæ, ubi de ſucceſſione tum in bonis privatis, tum in regnis agitur. 122
Sectio II. De modis acquirendi ex jure gentium voluntario proprie ſic dicto. 128
Sectio III. De modis acquirendi Juris gentium improprie ſic dicti, & Juris civilis. 129
Caput V. Ubi Grotii Syſtema de Poſſeſſione explicatur. 130
Caput VI. Ubi ſententia *Grotii* de Pignore, & de Servitutibus explicatur. 131
Caput VII. De modis amittendi Dominium. *ibid.*
Caput VIII. Monita quædam generalia circa hypotheſin *Grotii* de Juribus in Re. 132
DISSERTATIO VII. *De Obligatione Perſonarum, & de actionibus quæ inde deſcendunt.* 141
Caput I. De Obligatione Perſonarum ex pacto, & contractu, juxta hypotheſin *Grotii.* 143
Sectio I. De differentia Pactorum, & Contractuum naturali ex hypotheſi *Grotii.* 150
Sectio II. De Jurejurando. 152
Sectio III. De Interpretatione Conventionis, quæ dubia eſt. 154
Sectio IV. Monita circa Syſtema *Grotii* de obligatione Perſonarum ex Promiſſione. 155
Caput II. De origine Obligationum ex Delicto: item de Pœnis. Ubi monita quædam generalia ſubjiciuntur. 158
Sectio I. De Pœnis. 159
Sectio II. Ubi circa Syſtema *Grotii* de Delictis, & Pœnis, quædam monentur. 163
Caput III. De eo, quod nobis debetur ex quaſi Contractu, vel quaſi Delicto. 164
Caput IV. De obligatione, quæ oritur ex Jure Gentium voluntario. 166
Sectio I. De Jure Legatorum. *ibid.*
Sectio II. De Jure ſepulturæ. 167
Sectio III. De aliis Juribus, quæ Perſonæ debentur, ex Jure Gentium voluntario. 168
Sectio IV. Ubi monita circa Obligationes, quæ ex Jure Gentium oriuntur, continentur. *ibid.*
DISSERTATIO VIII. *De Defenſione Jurium natura cuique hominum quæſitorum per Judicia:* ubi origo Judiciorum ex mente Epicuri, Hobbeſii & aliorum explicatur. 171
Caput I. Ubi examinatur Syſtema eorum, qui nullum Jus Naturæ admittunt, adeoque nec ejus Executorem, id eſt, Judicem naturalem, ſtatuunt. 173

Caput II. Ubi examinatur Syſtema eorum, qui toti humano generi imperium delegatum eſſe, ſtatuunt. *Pag.* 180
Caput III. Ubi Syſtema eorum proponitur, qui ſingulis facultatem jura ſua defendendi, & vindicandi natura conceſſam eſſe, tradunt. 182
Sectio Unica. Quæ monita quædam generalia circa hypotheſin Grotii de origine Poteſtatis civilis exhibet. 187
DISSERTATIO IX. *De Defenſione Jurium naturali ratione nobis quæſitorum contra extraneos, per Repreſſalias, & per Bellum.* 189
Caput I. Quid ſit Bellum, & an bellare licitum ſit? 191
Caput II. De Bellorum Diviſione. 192
Caput III. De Bello minus pleno (ſeu Repreſſaliis,) & quid in eo liceat? 193
Caput IV. De Bello privato, & quid in eo liceat. 195
Caput V. De Bello publico, inter quos geratur, & quid in eo liceat. 197
Sectio I. Quid Jure naturæ in Bello publico, & juſto liceat. 198
Sectio II. De Bello publico, Jure Gentium ſolenni, & minus ſolenni. 204
Sectio III. De Bello minus ſolenni. 216
Caput VI. De jure interficiendi hoſtes. 217
Caput VII. De jure vaſtandi res hoſtium. 218
Caput VIII. De jure capiendi res hoſtis. 219
Caput IX. De jure in captivos. 221
Caput X. De imperio in victos. 223
Caput XI. De Poſt'iminio. 224
Caput XII. De fide hoſti data. 225
Sectio I. De fide hoſti data in genere. *ibid.*
Sectio II. De fide publica, qua bellum finitur; ubi de Pacis pactione, de ſorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obſidibus, & pignoribus agitur. 226
Sectio III. De fide manente bello; ubi de induciis, commeatu, & captivorum redemtione. 231
Sectio IV. De fide minorum poteſtatum in bello. 234
Sectio V. De fide privata in bello. 235
Sectio VI. De fide tacita. *ibid.*
Caput XIII. De his, qui in bello medii ſunt. 236
Caput XIV. Ubi monita quædam generalia circa Syſtema *Grotii* exhibentur. 237
DISSERTATIO X. *De Principiis & Syſtemate* Henrici de Coccei *juxta ejus Poſitiones pro explicando* Grotio *editas.* 245
Caput I. Exhibens *Henrici de Coccei* Poſitiones Juris Gentium, & ſuccinctas in eas annotationes. 247
Caput II. Ubi dubia quædam circa principia *B. Parentis* tum proponuntur, tum ſolvuntur. 272

DISSER.

DISSERTATIO XI. *De variis recentiorum Doctorum principiis; ubi ſpeciatim* Hobbeſii, Hemmingii, Winckleri, Seldeni, Yvonis, Bodini, Wachteri, & Thomaſii *Syſtemata explicantur.* 277

Caput I. De Principiis Juris Naturalis juxta Syſtema *Hobbeſii.* 279

Caput II. De Principiis Juris Naturalis ex Hypotheſi *Hemmingii*, & *Winckleri.* 285

Caput III. De Principiis *Seldeni*, & *Yvonis* Pariſienſis. 292

Caput IV. De Principiis Juris Naturalis recentiorum, & celebriorum quorundam Doctorum. 294

DISSERTATIO XII. *Novum* Auctoris *Syſtema de Juſtitia Naturali*, & *Romana.* 301

LIB. I. *De Juſtitia & Jure Naturali in genere.* 306

Caput I. De neceſſitate, utilitate, & præſtantia Juris Naturalis. 307

Caput II. De Præcognitis Juris Naturæ. 309

Caput III. De variis Juris Naturæ ſignificationibus; & quo ſenſu a nobis accipiatur. 310

Caput IV. Ubi variæ de Exiſtentia Juris naturalis opiniones recenſentur, & modi naturales, ex quibus exiſtentia illa probari poteſt, proponuntur. 312

Caput V. Ubi exiſtentia Legis naturalis demonſtratur, & regula generalis, ſeu præceptum univerſale Juſtitiæ naturalis proponitur. 317

Caput VI. De definitione, cauſa, ſubjecto, objecto, & effectu Juris naturalis. 320

LIB. II. *De Jure Dei in homines.* 328

Caput I. De Juribus, quæ Deo propria ſunt, & in Cultu conſiſtunt. *ibid.*

Caput II. De Cultus Divini partibus. 330

Caput III. De Jure, quod Deo competit in corpus, & vitam hominum, nec non in res terræ. 332

LIB. III. *De Jure Perſonarum, ſeu de Jure, quod cuique competit ex hominum ſtatu.* 334

Caput I. De ſtatu hominum in genere. 335

Caput II. De Perſonarum differentia quoad effectum Juris. 336

Caput III. De ſtatu Libertatis, & modis illum finiendi. 337

Caput IV. De ſtatu Familiæ. 343

Sectio I. De Juribus, quæ Patrifamilias ex ſtatu familiæ competunt in uxorem. 346

Sectio II. De Juribus, quæ Patrifamilias ex ſtatu familiæ competunt in liberos; ubi de patria poteſtate agitur. 349

Sectio III. De Juribus, quæ Matrifamilias ex ſtatu familiæ competunt, tum intuitu mariti, tum intuitu liberorum. 357

Digitized by Google

Sectio IV. De Juribus, quæ Liberis ex ſtatu familiæ competunt. 358
Sectio V. De Juribus, quæ Agnatis ex ſtatu familiæ competunt. 359
Sectio VI. De Sponſaliis, & de Nuptiis. 360
Sectio VII. De Tutela. 374
CAPUT V. De ſtatu Civitatis. 376
LIB. IV. *De Jure Rerum, ſeu de Jure, quod cuique hominum naturali ratione in res competit.* 378
CAPUT I. De rerum diviſione. 379
CAPUT II. De differentia inter Imperium, & Dominium. 391
CAPUT III. De Jure, quod nobis competit in Res terræ Jure Dominii; ubi de origine Dominii, & de modis ejus acquirendi, agitur. 393
Sectio I. De acquiſitione dominii ex Facto noſtro. 397
Sectio II. De acquiſitione dominii Jure Rei noſtræ. 408
Sectio III. De acquiſitione dominii ex Jure familiæ. 421
Sectio IV. Teſtamento non acquiri dominium jure naturali. 430
Sectio V. Præſcriptionem immemorialem non eſſe modum acquirendi naturalem. 433
Sectio VI. Servitutes naturali ratione non pertinere ad jura in re. 435
Sectio VII. Per Pignus naturali ratione non conſtitui jus in re. 437
Sectio VIII. Dominia utilia non eſſe a natura, ſed ex Jure civili. 438
Sectio IX. An Jus in res alterius nobis competat ex neceſſitate, vel innoxia utilitate. 441
Sectio X. De modis amittendi Dominii. *ibid.*
LIB. V. *De Jure, quod cuique competit ex obligatione Perſonæ.* 445
CAPUT I. De obligatione Perſonæ in genere, ejuſque cauſa. 447
Sectio I. De Fructibus. 457
Sect. II. De Uſuris. 458
Sect. III. De Cauſa. 459
Sect. IV. De Impenſis. 460
Sect. V. De Acceſſionibus, ſeu de Eo, quod Intereſt. ibid.
Sect. VI. De præſtatione Doli, & Culpæ; item de caſu, ejuſque periculo. 461
Sect. VII. De Mora. 467
CAPUT II. De vera origine Juris, quod ex Perſonæ promiſſione, ſeu Pacto, ac Contractu oritur. 468
Sect. I. De Pactis legitimis. 483
Sect. II. De origine differentiæ inter pacta, & contractus. 485
Sect. III. De Contractibus nominatis. 487
Sect. IV. De Contractibus innominatis. 498
CAPUT III. De Acceſſionibus conventionum: ubi de Jurejurando, de Pignoribus, de Correis, de Fidejuſſoribus, de Obſidi-

Digitized by Google

Obſidibus, item de Conditione, Modo, & Die, agitur. 500
Sect. I. De Jurejurando. 501
Sect. II. De Pignoribus. 503
Sect. III. De Correis. *ibid.*
Sect. IV. De Fidejuſſoribus. 504
Sect. V. De Obſidibus. 505
Sect. VI. De Conditione, modo, & die. 506
CAPUT IV. De Interpretatione Pactorum, ubi vera Interpretationum principia exponuntur. 507
CAPUT V. De Jure, quod hominibus competit ex delicto alterius. 510
Sect. I. De Delictis Publicis. 513
Sect. II. De Delictis Privatis. 516
Sect. III. De Delictis extraordinariis. 520
CAPUT VI. De Pœnis. 521
CAPUT VII. De Obligationibus, quæ proprio quodam Jure ex variis cauſarum figuris oriuntur. 534
Sect. I. De obligatione Perſonæ ex quaſi contractu. 535
Sect. II. De obligatione Perſonæ, quæ quaſi ex delicto oritur. 540
Sect. III. De obligatione Perſonæ, quæ proprio quodam Jure ex variis cauſarum figuris deſcendit; lege nimirum, & Jure honorario. 543
Sect. IV. De obligatione, quæ ex neceſſitate oritur. 551
Lib. VI. *De Defenſione Jurium Naturali ratione cuique hominum quæſitorum contra concives, ubi de origine ſummæ Poteſtatis, ejuſque Juribus agitur.* 552
CAPUT I. De Imperio Patribusfamilias in membra familiæ naturali Jure competente: ubi de origine civitatum. 553
CAPUT II. De ſumma Poteſtate ex delatione populi quæſita, ejuſque Jure. 558
CAPUT III. De Natura Regnorum bello quæſitorum. 565
Sect. I. De tyrannis acquiſitione. *ibid.*
Sect. II. De ſucceſſione naturali in Regnis. 573
CAPUT IV. De Proceſſu naturali inter privatos. 575
Lib. VII. *De Defenſione Jurium Naturali Ratione Hominibus quæſitorum, contra extraneos.* 586
CAPUT I. De vera Juris Repreſſaliarum origine, & ratione. 587
CAPUT II. De Bello in genere, ejuſque Definitione ac Diviſione. 588
Sect. I. An Bella publica Jure Naturæ licita ſint? ubi de requiſitis Belli publici agitur. 590
Sect. II. Qui Bellum gerere poſſint, & in quos Bellum gerere liceat? 594
Sect. III. Quid liceat in hoſtem? 595

Sect. IV. De Imperio Jure Belli quæſito. 603
CAPUT III. De Captis, ac receptis, & reverſis poſt'iminio. 606
CAPUT IV. De ſociis Belli. 613
CAPUT V. De his, qui in Bello medii ſunt. 617
CAPUT VI. De Fide hoſti data. 620
Sect. I. De Fide hoſti data in genere, indeque ſequenti obligatione. *ibid.*
Sect. II. De Fide hoſti data ab ipſa ſumma Poteſtate. 625
Sect. III. De Fide hoſti data à Ducibus Belli. *ibid.*
Sect. IV. De Fide hoſti a Privatis data. 633
Sect. V. De his, qui fidei hoſti datæ accedunt, ubi de Guarantis, & de obſidibus. 634
CAPUT VII. De modis finiendi Bellum. 638
CAPUT VIII. De Legatis, eorumque Jure. 643
Sect. I. De Legatis, qui ad Hoſtem mittuntur. 644
Sect. II. De Legatis, qui ad amicos mittuntur. 647
CAPUT IX. De Mediatoribus. 648

DISSERTA-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS I.
DE JURE NATURÆ SOCIALI,
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS,

Præcipuè

Ad Prolegomena §. VI. VII. VIII. *& ſeq.*

Item

Ad Lib. I. Cap. I. §. III. IV. V. VI. X. *& ſeq.*

Ubi Syſtema GROTII *de Jure Naturali* proprie, & ſtricte ſic dicto explicatur, dubia, quæ circa hoc Syſtema occurrunt, proponuntur, ſimulque demonſtratur: Doctrinam GROTII *de Jure Naturæ pro certo Rerum ſtatu* nullum in diſciplina Juris Naturalis uſum habere.

Digitized by Google

SUMMARIA.

Ordo Diſſertationis.
§. I. *Dari Jus Naturæ.*
II. *Doctores in modo demonſtrandi diſſerre.*
III. GROTIUS *ſupponit, dari a natura ſocietatem humani generis;* §. ſeq.
V. *Indeque concludit jus quoque a natura exiſtere, idque vocat* JUS SOCIALE; §. ſeq.
VII. *Ea fuit ſententia veterum Philoſophorum.*
VIII. *Recentiores Philoſophi idem principium adoptarunt.*
IX. *Sententia* GROTII: *jus naturæ exiſtere, etſi detur, Deum non eſſe.*
X. *Definitio juris naturalis ſocialis.*
XI. *Modi probandi jus naturæ ſociale.*
XII. *Quæ jura eo pertineant.*
XIII. *Venit facultatis, & ſui, nomine, atque in ea obtinet proportio arithmetica.*
XIV. *Cauſa efficiens juris ſocialis, ejuſque objectum, ſubjectum, & effectus.*
XV. *Differentia juris ſocialis a jure naturæ laxiori, a jure divino univerſali, & a jure gentium;* §§. ſeqq.
XVIII. *Refutatur jus ſociale: illudque non eſſe principium juris eſſendi, demonſtratur;* §§. ſeqq.
LXI. *Cuſtodia ſocietatis non eſt principium cognoſcendi;* §§. ſeqq.
LXXV. *Examinatur jus naturæ* PRO CERTO RERUM STATU; §§. ſeqq.

PROOEMIUM.

SYSTEMA GROTII expoſituri initium facimus a ***Jure ſociali***, quod ſolum vere, & proprie Jus Naturæ ei dicitur.

I°. autem explicabimus quid GROTIUS per ***Jus Sociale*** intelligat. *Vid. Cap. I.*

II°. Refutabimus illud ſyſtema; & demonſtrabimus, nec dari ſocietatem humanam, nec Jus inde aliquod oriri, ejuſque cuſtodiam non eſſe principium Juris naturalis, nec modum aliquem probandi, nedum generalem. *Vid. Cap. II.*

III°. Exponemus, quid GROTIUS per ***Jus Naturæ pro certo rerum ſtatu*** intelligat; ſimulque probabimus, nullum ejus in diſciplina juris naturalis eſſe uſum. *Vide Cap. III.*

CAPUT I.

Ubi Jus Naturæ ſociale ex hypotheſi GROTII, *ejuſque Commentatorum, explicatur.*

§. I. DARI aliquod jus naturæ, i. e. exiſtere aliquod vinculum generis humani, quod neceſſitatem ſingulis imponit quædam agendi, vel non agendi, tum ex ratione, tum ex conſenſu omnium gentium eluceſcit: idque ex profeſſo alibi demonſtrabimus. [a]

§. II. Mirum autem eſt, quantopere Philophi circa modum demonſtrandi exiſtentiam hujus juris, nobis innati, varient; de quibus ſigillatim infra agemus. [b]

§. III. GROTIUS veteres Gentilium Philoſophos ſecutus, exiſtentiam juris naturalis proprie ſic dicti deducit *ex appetitu ſocietatis rationalis cum his, qui ſui ſunt generis.* [c]

§. IV. Supponit enim, *hominem præ aliis animantibus a natura ferri ad ſocietatem*, adeoque exiſtere inter homines appetitum [d], ac affectum ſocialem [e], i.e. communionem [f], & conjunctionem [g] quandam. *Ferri autem*, ait, *hominem ratione præditum non ad quamlibet ſocietatem, ſed ad communitatem tranquillam, & rationalem* [h], *etiam ſpreta utilitate propria, & licet nulla re indigeat* [i]; addit tamen, *naturam nos ſingulos, & infirmos naſci voluiſſe, & multarum rerum ad vitam recte ducendam egentes, quo magis ad colendam ſocietatem raperemur.* [k]

§. V. Poſita tali *ſocietate humana* rationi humanæ conveniente, GROTIUS inde concludit, *dari jus aliquod naturæ*, cum ſine jure nulla ſocietas, adeoque nec humana, ſubſiſtere poſſit. [l]

§. VI. Principium igitur juris naturalis GROTIUS ponit *in cuſtodia ſocietatis humanæ, & rationalis*; omnia enim ea *juſta* eſſe, ait, quæ appetitui ſocietatis rationalis congruunt [m]: e contrario autem *injuſta* ea, quæ naturæ ſocietatis ratione utentium repugnant. [n] Atque hoc jus naturæ in ſpecie vocat *jus naturæ ſociale* [o], quia facultatem agendi in ſolo ſocietatis reſpectu indigitat. [p]

§. VII. Hæc principia Grotius ex veterum philoſophorum libris hauſit. Plerique enim ſocietatem aliquam univerſalem, eoque communionem, ac conjunctionem quandam inter omnes homines ſtatuerunt, uti ex libris M. ANTONINI [q], SENECÆ [r], ARISTOTELIS [s], CICERONIS, & aliorum, videre licet. Hinc neceſſario jus aliquod oriri, docuerunt, quum ſocietas humana ſine jure ſubſiſtere non poſſit; ſimulque fundamentum omnis juſtitiæ in cuſtodia ſocietatis humanæ poſuerunt.

CICERO in ſingulis fere operum partibus demonſtrat, juſtitiam naturalem ex ſocietate hominum naturali ortam eſſe; ſocietatem humanam ſine jure ſubſiſtere

(*a*) Vid. differt. proœm. XII. (*b*) vid. differt. proœm. X. & XI. (*c*) Proleg. §. 6. ſeq. (*d*) Prol. §. 6. & §. 7. (*e*) Prol. §. 14. (*f*) L. I. C. V. §. 2. n. 2. Prol. §. 6. (*g*) L. II. C. XXV. §. 6. (*h*) Prol. §. 6. & 7. (*i*) Prol. §. 16.

(*k*) Prol. §. 16. L. II. C. XX. §. 19. n. 1. (*l*) Grot. Prol. §. 8. (*m*) Prol. §. 7. (*n*) L. I. C. I. §. 3. & C. II. §. 1. n. 3. (*o*) Prol. §. 12. (*p*) L. III. C. I. §. 2. (*q*) Vid. infr. §. 19. (*r*) infr. §. 21. (*s*) infr. §. 19.

Digitized by Google

ſiſtere non poſſe: & omnem juſtitiam humanam abſolvi ſtudio ſocietatem illam tuendi, & cuſtodiendi [t]. SENECA [u], ARISTOTELES [x], APHRODISIENSIS [y], & alii perpetuo hoc principium ponunt: *ubi ſocietas eſt, ibi eſt jus.* CAMILLUS noluit in pueros Faliſcorum, qui ſcelere magiſtri ipſi tradebantur, hoſtium jure uti, quod juſta arma non eſſent adverſus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur: atque hoc jus ex ea ſocietate deducebat, quam natura omnibus ingeneravit [z]. FLORENTINUS JCtus ideo nefas, ait, hominem homini inſidiari, quia natura cognationem quandam naturalem inter nos conſtituit. [a]

§. VIII. Sed & ante GROTII tempora hoc principio in demonſtrando naturæ jure noviores Doctores uſi ſunt. BESOLDUS totum fere jus naturæ in *diſſertationibus politicis* hoc modo demonſtravit. Idem fecit WINCKLERUS [b], qui Syſtema juris naturæ, & gentium, ex eodem fonte compoſuit. Sic FRANCISCUS VICTORIA, COVARRUVIAS, MOLINÆUS, ALPHONSUS DE CASTRO, aliique, perpetuo ad hoc principium provocant.

§. IX. Exiſtere autem hoc jus naturæ ſociale, GROTIUS ait, *etſi detur, Deum non eſſe* [c]. Cum enim ſupponat, illud ex principiis internis fluere [d], inde concludit, hominem vim ſocialem, i. e. affectum illum vivendi in communitate cum aliis ſui generis percepturum, licet Deus non exiſtat [e]; adeoque hominem cuſtoditurum ſocietatem humanam etiam remoto Deo [f]. Ex his præmiſſis infert, actibus humanis ineſſe moralem aliquam turpitudinem, aut neceſſitatem: non quia Deus eam determinavit; ſed quia aut convenit, aut non convenit cum natura ſociali. [g]

Cujus rei effectum inſignem hunc eſſe, ait, quod jus naturæ nec a Deo mutari poſſit, quia non ex ejus voluntate, ſed, uti dictum, ex principiis internis, nimirum ex appetitu ſocietatis humanæ, fluit. [h]

Ceterum concedit, Deum approbaſſe hoc jus naturæ, dum voluit ut talis affectus ſocialis, adeoque talia principia intrinſeca, in nobis exſtarent [i]. Atque hoc ſenſu jus hoc naturæ etiam divinum vocari poſſe, ait. [k]

§. X. Juxta hæc principia GROTIUS definit jus naturale: *Dictamen rectæ rationis, indicans alicui actui, ex ejus convenientia, aut diſconvenientia cum natura rationali* (i. e. cum appetitu ſocietatis humano intellectui conveniente [l]) *ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem* [m]: i. e. actum talem natura vel juſtum eſſe, vel injuſtum [n]. Atque has notiones adeo certas eſſe, exiſtimat, ut nemo eas negare poſſit, niſi ſibi vim inferre velit [o]; eiſque indicatis, facile ea, quæ omiſſa ſunt, definiri poſſe, ait. [p]

[t] Cic. d. off. L. I. C. VII. C. XVI. C. XLIII. & C. XLIV. vid. not. ad prol §. 8. [u] L. II. de ira C. LXI. vid. infr. §. 19. [x] de morib. L. VIII C. XI. *Videtur autem circa eadem, & in iiſdem amicitia eſſe, & jus; in omni enim ſocietate eſſe quoddam jus videtur.* [y] L. II. de anima C. XLII: *Si ſociabiles natura ſumus, impoſſibile eſt ſocietatem durare ſine juſtitia.* [z] Liv. L. V. C. XXVII. *Nobis cum Faliſcis, quæ pacto fit, humana ſocietas non eſt; quam ingeneravit natura, utrinſque eſt, & erit; ſunt & belli jura &c.* [a] L. III. ff. de juſt. & jur. [b] vid. Diſſert. procem. XI. C. II. [c] Prol. §. 11. [d] Prol. §. 18. in fin. & §. 12. L. I. C. I. §. 10. n. 1. & 5. [e] Prol. §. 12. [f] Prol. §. 11. & 12. [g] L. I. C. I. §. 10. n. 1. [h] L. I. C. I §. 10. n. 1. & 5. [i] Prol. §. 12. [k] L. I. C. I. §. 15. n. 1. Prol. §. 12. & 13. [l] vid. ſup. §. 3. & 4. [m] L. I. C. I. §. 10. n. 1. [n] Vid. ſupra §. 6. [o] Prol. §. 39. in fine. [p] d. §. 39. pr.

§. XI. Aliquid autem eſſe juris naturalis, duobus modis GROTIUS probat; tum a *priori*, tum a *poſteriori*. [q]

A *priori* probari jus naturæ, ait, per rationem, & juſtas inde deductas concluſiones. Adeoque omne id juris naturalis, i. e. *juſtum* eſſe, ſtatuit, quicquid neceſſario convenit cum natura ſociali, i. e. cum appetitu illo ſocietatis humanæ excellenti, & humano intellectui convenienti [r]: id vero *injuſtum* eſſe, quicquid natutæ ſociali repugnat. [s]

A *poſteriori* probari, aliquid eſſe juris naturalis, ait, ſi quid apud omnes, vel moratiores ſaltem gentes vel vetitum, vel præceptum eſſe creditur [t]; quia univetſalis effectus univerſalem requirit cauſam: talem autem exiſtimationis cauſam vix ullam videri poſſe præter ſenſum ipſum, communis qui dicitur. [u]

§. XII. Ex hoc jure ſociali GROTIUS deducit abſtinentiam ab alieno [x]; ſocietatem enim eo tendere, ait, ut ſuum cuique ſalvum ſit, [y]; ejuſque naturam in eo poſitum eſſe, ut ea, quæ alterius ſunt, ei tribuantur [z]. *In ſpecie* autem ex ea deducit poteſtatem tam in ſe (quam libertatem vocat), quam in alios, quo refert poteſtatem patriam, dominicam, item dominium, ſive plenum, ſive minus plenum, nimirum, uſumfructum, jus pignoris, & creditum, (cui ex adverſo reſpondere, ait, debitum [a]) jura conventionum, & pactorum [b], commercia [c], mendaciorum prohibitionem, [d] &c.

Ex eodem jure ſociali concludit, unumquemque poſſe humanæ ſocietatis negotia utiliter gerere, [e] ejuſque curam gentibus, & præcipue Regibus, [f] incumbere [g]; indeque peccata in humanam ſocietatem commiſſa a qualibet gente, quin a quolibet privato puniri [h], & dominium ideo reis auferri poſſe [i]. Inprimis autem in humana ſocietate religionis inſignem eſſe effectum [k]; indeque violantem capita religionis naturalia puniri poſſe nomine ſocietatis humanæ [l]; nec aſyla proficere contra delicta in humanam ſocietatem commiſſa [m]. Denique jura ſocietatis humanæ etiam cum tyrannis, cum piratis [n], cum hoſte [o], cum ſervis [p], manere, ait.

§. XIII. Atque hoc *jus naturæ ſociale* GROTIUS [q] vocat jus naturæ *proprie, & ſtricte ſic dictum* [r]; cujus naturam in eo ponit, *ut circa aliena verſetur*, i. e. ut ea, quæ jam ſunt alterius, alteri permittat ut impleantur. [s]

Speciali quoque nomine hoc jus naturæ *facultatem moralem* appellat [t], quia facultatem agendi in ſolo ſocietatis reſpectu indigitat [u], eamque ideo definit *qualitatem moralem perfectam perſonæ competentem, ad habendum, vel agendum id, quod juſtum eſt, i. e. quod naturæ ſocietatis ratione utentium convenit.* [x]

Hanc

[q] L. I. C. I. §. 12. [r] L. I. C. I. §. 12. [s] vid. ſup. §. 6. [t] Grot. d. §. 12. n. 1. Prol. §. 40. [u] Grot. d. §. 12. n. 1. [x] Prol. §. 8. & §. 10. L. I. C. II. §. 1. n. 5. [y] L. I. C. II. §. 1. n. 5. [z] Prol. §. 10. & 44. [a] L. I. C. I. §. 5. [b] L. III. C. XIX. §. 2. n. 2. L. II. C. IV. §. 3. L. II. C. XVIII. §. 18. [c] L. II. C. II. §. 13. n. 5. [d] L. III. C. XIX. §. 1. n. 3. [e] L. II. C. XXI. §. 5. n. 5. [f] Prol. §. 24. [g] L. II. C. XX. §. 44. [h] L. II. C. XX. §. 3. §. 20. §. 4. L. II. C. XXI. §. 3. [i] L. II. C. XXII. §. 10. n. 2. [k] L. II. C. XX. §. 44. n. 3. 4. 6. [l] L. II. C. XX. §. 44. n. 6. §. 46. n. 4. [m] L. II. C. XXI. §. 5. n. 1. [n] L. III. C. XIX. §. 2. [o] L. III. C. XIX. §. 1. n. 3. [p] L. III. C. XIV. §. 2. n. 3. [q] vid. ſup. §. 6. [r] L. I. C. II. §. 4. n. 2. L. I. C. I. §. 5. & Prol. §. 10. L. II. C. XXIII. §. 13. n. 1. & 2. L. III. C. X. §. 1. n. 1. L. III. C. I. §. 2. n. 1. & §. 4. n. 2. & C. IV. §. 2. L. II. C. XX. & XXII. [s] prol. §. 10. §. 44. & L. I. C. II. §. 1. n. 5. [t] L. I. C. I. §. 4. & §. 8. n. 1. L. II. C. V. & 10. n. 1. & §. 11. [u] L. III. C. I. §. 2. [x] L. I. C. I. §. 3. 4. 5.

Digitized by Google

Hanc facultatem nomine *ſui* JCtis venire, ait [y]; quia ex hoc jure conſtat, quid cuique *ſuum* ſit, tum ex jure in perſonas, tum ex jure in res, tum ex obligatione perſonæ. [z]

Denique in hoc jure obtinere, ait, juſtitiam expletricem [a]; in hac vero juſtitia proportionem arithmeticam. [b]

§. XIV. *Cauſa* igitur *efficiens* juris naturalis ſocialis GROTIO eſt *appetitus ſocietatis rationi conveniens*; & conſequenter ſaltem Deus, ejuſque voluntas.

Subjectum hujus juris eidem eſt univerſum humanum genus: adeo ut Principes tum inter ſe, tum ſubditis ſuis ex eo obligentur. [c]

Ad *Objectum* juris naturæ ſocialis GROTIUS refert omnes actus humanos, quatenus ſocietati conveniunt, vel repugnant: quorum catalogum exhibui ſupra §. *XII.*

Effectus illius juris GROTIO eſt, quod homines ex hoc jure ſociali facultatem moralem habeant agendi omnia, quæ ſocietati humanæ conveniunt. Unde ait, ex hoc ſolo jure alicui jus oriri, & quæri [d], & ex eo conſtare, quid cuique ſuum ſit [e]. Si proinde alii tale jus tenent, id reſtituere, & præſtare teneri [f]; & ſi nolint, cogi ad id poſſe, etiam armis [g]; quin puniri ideo poſſe à quovis homine [h]: & in genere omnia irrita eſſe, quæ contra jus ſociale fiunt. [i]

§. XV. Hinc jam facile conſtat, quo modo jus naturæ ſociale ex hypotheſi GROTII differat a reliquis jurium ſpeciebus, quibus humanum genus obligari, fingit.

Differt, inquit, PRIMO a *jure naturæ laxiori*, 1. *cauſa. Jus* enim *ſociale* oritur ex affectu ſociali, i. e. ex appetitu ſocietatis rationalis, humano generi communi; cui quæ conveniunt, juſta, quæ non conveniunt, injuſta dicuntur [k]. *Jus laxius* autem oritur citra ſocialitatis reſpectum ex judicio recte conformato ad æſtimandum ea, quæ delectant, aut nocent; cui judicio, quæ conveniunt, *laxiori* ſenſu *juſta*, quæ ei repugnant, *injuſta* dicuntur. [l]

Atque hinc GROTIUS *prius* vocat *jus proprie*, *& ſtricte ſic dictum* [m], quia obligat ſaltem ad id, quod *juſtum*, i. e. ſocialitati conveniens eſt [n]; *poſterius* vero *jus laxius* [o], quia obligat praeterea ad id, quod *rectum*, i. e. judicio recte conformato ad æſtimandum ea, quæ utilia, aut noxia ſunt, conveniens eſt. [p]

Differt 2. *Objecto.* Objectum enim *juris naturæ ſocialis* GROTIO eſt *jus alterius*, quod ei, cujus eſt, ideo tribui debere, ait, quia ſocietas humana aliter conſervari nequit [q]. Objectum autem *juris laxioris* verſari, ait, circa *id, quod noſtrum eſt*: adeoque ubi nullum jus tertio competit, ſive exigendi, ſive peten-

(y) L. I. C. I. §. 5. (z) d. L. I. C. I. §. 5. (a) L. I. C. I. §. 8. L. II. C. XVII. §. 9. L. II. C. VII. §. 4. n. 1. §. 2. n. 1. L. II. C. XX. §. 2. n. 3. (b) L. I. C. I. §. 8. (c) Prol. §. 1. (d) L. II. C. V. §. 10. & 11. L. II. C. XXV. §. 3. n. 4. Prol. §. 10. & 41. L. II. C. XII. §. 16. C. XVII. §. 9. L. II. C. XX. § 2. n. 2. L. II. C. I. §. 2. n. 1. L. III. C. I. §. 2. n. 1. (e) L. I. C. I. §. 5. (f) L. II. C. XVII. §. 2. §. 9. Prol. §. 10. L. II. C. XXV. §. 3. n. 4. L. III. C. I. §. 2. n. 1. (g) L. II. C. XXII. §. 3. n. 4. & §. 16. L. II. C. XIII. §. 17. L. II. C. I. §. 9. n. 1. (h) L. II. C. XXI. §. 1. n. 2. C. XXVI. §. 4. n. 7. (i) L. II. C. V. §. 3. & 10. L. II. C. XI. §. 9. (k) Prol. §. 6. & 7. §. 8. L. I. C. I. §. 3. L. I. C. II. §. 1. n. 3. (l) Prol. §. 9. L. I. C. II. §. 1. n. 3. Conf. Diſſert. ſeq. (m) Prol. §. 41. & præced. §. (n) L. II. C. XXIII. §. 13. n. 1. & 2. L. I. C. I. §. 5. (o) L. I. C. I. §. 9. n. 1. 2. 3. C. V. §. 10. C. VII. 4. C. XIII. §. 7. §. 13. n. 1. & 4. C. XXV. §. 3. n. 3. L. III. C. III. §. 6. n. 1. C. XIII. § 4. n. 1. & 4. L. II. C. XVII. §. 9. C. XXIII. §. 13. n. 1. (p) Prol. §. 12. L. I. C. I. §. 9. (q) Proleg. §. 10.

petendi; ſed ubi nos ſoli obligamur in conſcientia, i. e. in foro poli. Vide *Diſſertationem ſequentem.*

Atque hinc ex hypotheſi GROTII in *priori* jure obtinet juſtitia expletrix, in qua obſervatur proportio arithmetica, quia præciſe expleri debet id, quod alteri debetur: *jus naturæ laxius* autem reſpicit juſtitiam attributricem, ubi obtinet proportio geometrica, quia ſecundum meritum, & aptitudinem, jus hoc alteri aſſignari debet.

Differt 3. *Effectu.* Etſi enim ex utroque jure naturæ GROTIUS neceſſitatem moralem, i. e. obligationem, oriri ſtatuat; toto tamen cœlo differunt effectus hujus obligationis.

Ex *jure* enim *ſociali*, juxta mentem GROTII, tertio verum jus quæritur; is facultatem habet ex eo jure debitum a me armis quoque exigendi, vel me in jus ſociale committentem puniendi: immo quidquid contra jus ſociale fit, irritum eſſe, ait. [s]

Omnia ſecus ſe habere in *jure laxiori*, ſtatuit; ibi enim tertio nullum jus quæri, adeoque ei facultatem non competere debitum ex *jure laxiori* a me armis exigendi, vel me in jus illud committentem puniendi; denique & id, quod contra jus naturæ laxius fit, irritum non eſſe. [t]

Si quæris ex GROTIO, quænam ſit utilitas hujus obligationis? Reſpondet, quod contra jus naturæ laxius agens non tutus ſit in conſcientia, ſed Deo pœnam ideo debeat. [u]

§. XVI. Jus naturæ ſociale differt SECUNDO a jure divino voluntario: 1. quia ex hypotheſi GROTII jus *ſociale* ex principiis internis fluit, nimirum, ex appetitu ſocietatis; *jus divinum voluntarium* ex libera Dei voluntate [x]: adeoque 2. *illud* intrinſece bonum eſt, citra Dei voluntatem, quin & remoto Deo; *hoc* demum juſtum fit ex Dei præcepto, adeoque extra Deum concipi non poteſt [y]: hinc 3. *illud* mutari nec a Deo poteſt, *hoc* poteſt. [z]

§. XVII. Jus naturæ ſociale differt TERTIO a *jure gentium voluntario*, quod juxta ſyſtema GROTII 1. nec ex principiis internis fluit, nec a Deo; ſed a magna illa ſocietate humana, ob varias ejus utilitates, ac neceſſitates, ſtatutum eſt [zz]. Atque hinc 2. non omnes homines obligat, ſed eos ſaltem, inter quos receptum eſt. Unde 3. mutari poteſt conſenſu eorum, qui jus illud ſtatuerunt. [a]

CAPUT II.

Ubi refutatur doctrina de Jure Naturæ Sociali.

§. XVIII. PRæmiſſis fundamentis Grotianis hoc capite demonſtrabimus, I. doctrinam de ſocietate humana ex impiis Theologiæ gentilis principiis ortam eſſe. II. Societatem univerſalem humani generis naturali rationi cognitam non eſſe. III. Etſi talis daretur, eam non eſſe principium eſſendi. IV. Nedum ei ineſſe bonitatem intrinſecam. Sed & V. ſocialitatem nec prin-

(r) L. I. C. I. §. 4. 7. & 8. n. 6. (s) prol. §. 41. (t) d. Prol. §. 41. (u) Diſſert. procem. ſeq. C. I. §. 10. ſeq. (x) L. I. C. I. §. 10. n. 2. (y) L. I. C. I. §. 10. n. 2. §. 15. n. 1. Prol. §. 12. (z) Diſſert. proœm. III. (zz) Prol. §. 17. (a) Diſſert. proœm. IV.

principium cognoſcendi, ſeu modum probandi univerſalem, dici poſſe. Quæ ſingula totidem ſectionibus nunc illuſtrabimus.

SECTIO I.

Ubi demonſtratur, doctrinam de Societate humana ex impiis Philoſophorum gentilium principiis ortam eſſe.

§. XIX. Philoſophi gentilium ſocietatem univerſalem inter homines natura exiſtere, ſtatuunt; at diverſo modo. Alii enim communionem *materialem*, ſeu corporum inter eos exiſtere, ajunt: alii ſocietatem *rationis* tantum.

Priori ſenſu GROTIUS, cum Stoicis, aliiſque Philoſophis, ſocietatem aliquam inter homines intercedere, exiſtimat: i. e. affectum, ſeu inſtinctum in ſocietate, & in communione vivendi, eamque conſervandi. Atque hæc ſocietas *materialis* dici poteſt, quia etſi per rationem dirigatur, corpori tamen inhæret, & ei connata eſt.

Poſteriori ſenſu quidam Philoſophi ſocietatem inter homines eſſe, ajunt, non corporum, ſed rationis, teſte M. ANTONINO L. XII. 18. εἰς ἑαυτόν. Verba ejus hæc ſunt: *Quæ homini cuivis cum toto humano genere intercedat cognatio; neque enim tam ſanguinis, aut ſeminis, quam mentis exiſtit communio. Et* LACTANTIUS *ait: ſi ab uno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud, quam fratres ſumus? & quidem conjunctiores qui animis, quam qui corporibus.* [b]

Cicero nos ad juſtitiam natos eſſe vel ex eo patere, ait, ſi hominum inter ipſos ſocietas, conjunctioque perſpiciatur [c]; idque ex communione rationis probat. *Inter quos eſt communio legis,* (ſunt verba CICERONIS [d]) *inter eos quoque communio juris: at omnibus ratio* (quam legem vocat); *igitur omnibus quoque jus datum eſt* [e]. Atque his præſuppoſitis ita concludit: *Quibus ex rebus, cum omne genus humanum ſocietatem inter ſe eſſe intelligat, illud extremum eſt, quod recte vivendi ratio meliores efficiat. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, juſtos eſſe factos* [f]. Idque porro ita declarat: *Muneribus Deorum inſtructi, & ornati, unam hominum inter ipſos eſſe vivendi rationem, homines inter ſe naturali quadam indulgentia, & benevolentia, tum etiam ſocietate juris teneri; quæ cum vera eſſe conceſſerimus, qui jam licet nobis a natura leges, & jura ſejungere?*

§. XX. *Utraque hæc ſocietas* humani generis ex falſis, erroneis, quin impiis principiis gentilium originem ducit.

§. XXI. Societas enim illa *materialis* ſequitur ex impio illo ſyſtemate, quod univerſum pro Deo habet, & cum SPINOSA unam ſubſtantiam ſupponit. Conſtat enim, & alio quoque loco probavi, Philoſophos gentiles circa exiſtentiam rerum duas in genere conſtituiſſe ſcholas, quarum *altera* aſſerebat, omnia, quæ exiſtunt, unum eſſe; adeoque Deum, & materiam, eſſe unam ſubſtantiam, ſub univerſo comprehenſam: *altera*, univerſum illud ex duobus conſiſtere, docebat, ex materia, nimirum, & ſpiritu, qui in materia operatur; atque hi Deum a materia ſeparabant.

Prior ſchola confundebat creatorem, & creaturam, moventem & motum, & utrumque in uno univeſo quærebat: *poſterior* ſtatuebat, Deum aliud quid eſſe a materia, eum ad materiam acceſſiſſe, primum motum materiæ dediſſe, ac omnia, quæ videmus, creaſſe, & potentia ſua produxiſſe.

[b] Inſt. *L. VI. C. X.* [c] de Leg. L. I. p. m. 428. [d] ibid. p. 429. [e] ibid. f. 427. & 429.

Cum igitur, juxta hypotheſin *prioris* ſcholæ, homines nihil aliud ſint, quam membra, i. e. veræ portiones unius univerſi, cum non ſint ſubſtantiæ propriæ, ſed modificationes univerſi, figuræ ſaltem, quas univerſum extenſione ſui formavit, & quæ ſtatim, ac deſinunt, in univerſum redeunt, ac cum eo redintegrantur; originem inde cepit doctrina *de ſocietate humani generis*, & de *cognatione quadam univerſali*: quia juxta hæc principia ſingulæ creaturæ, tanquam totidem extenſiones univerſi, ex eadem cauſa, & ex eadem materia, originem ducunt, adeoque membra ſunt ejusdem univerſi. Idque in terminis ita exponit SENECA *ep. XCV. Omne hoc, quod vides, quo divina, & humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & ex eadem gigneret: hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.* Idem quoque diſerte tradit ARISTOTELES [g] & ex eo STANLEJUS: [h] *Eſt ergo manifeſtum quod, naturalis nobis erga omnes inſit benevolentia, eamque per ſe eſſe expetendam, & cum ratione conſentaneam; unum ſiquidem Deorum, atque hominum eſt genus, deque uno naturæ ventre omnes proficiſcimur.* CICERO [i] Stoicorum doctrinam explicans, ait: *Mundum autem cenſent regi numine Deorum, eumque eſſe quaſi communem orbem, & civitatem hominum, & Deorum, & unumquemque noſtrum ejus mundi eſſe partem, ex quo illud natura conſequitur ut communem utilitatem noſtræ anteponamus quodque nemo in ſolitudine vitam agere velit, facile intelligitur nos ad conjunctam congregationem hominum, & ad naturalem communitatem natos eſſe.* Atque hoc eſt, quod SENECA [k] ait: *Omnes ſi ad primam originem revocentur, a diis eſſe.* Sed & PYTHAGORAS ex eo principio cognationem inter homines deducit; *omnium* enim *inter omnia cognationem eſſe*, ajebat, *& aliorum commercium in alias, atque alias formas tranſeuntium*, apud *Sen. Ep. CVIII.*

Poſita tali ſocietate, porro concludebant illi Philoſophi, jus aliquod inter homines exſtare, quum abſque juſtitia ſocietas exiſtere non poſſit [l]. Unde SENECA [m]: *Hæc ſocietas diligenter, & ſancte obſervanda eſt, quæ nos omnes omnibus miſcet, & indicat, aliquod eſſe jus commune humani generis.*

At impiam hanc ſententiam eſſe, & quæ jura naturæ, quin omnem religionem penitus evertit, alibi demonſtrabimus.

§. XXII. Societas autem *rationis* nititur erroneo illo principio, quod ratio ſit particula auræ divinæ, ſeu portio mentis divinæ. Cum enim Deus, poſita hac hypotheſi, ſingulis hominibus animam indiderit, eoque portionem divinitatis ſuæ communicaverit, inde concludunt gentilium philoſophi, ſocietatem, ſeu communionem aliquam rationis, eoque & juris non tantum inter homines, ſed & inter Deum, & homines oriri. [n]

At negamus, animam noſtram eſſe veram portionem mentis, ſeu eſſentiæ divinæ; eſt aliquid rationi divinæ ſimile, ſed non ejus portio. Quæ, quæſo, abſurda inde ſequerentur? Cum enim animam præcipue peccatorum cauſam eſſe, omnes fateantur, & illa pœnis ideo obnoxia ſit; neceſſario ſequeretur, particulam auræ divinæ, portionem

[f] ibid. p. 429. [g] in Eclog. Eth. p. m. 184. ſeq. [h] in hiſt. philoſ. vet. fol. m. 476. [i] L. III. de finib. pag. m. 117. ſeq. [k] Epiſt. XLIV. [l] Conf. ſupr. §. 7. [m] in Ep. XLVIII. [n] Vid. Cic. de legib. Lib. I. p. m. 127.

Digitized by Google

nem mentis divinæ, & ſubſtantiam divinitatis, peccare, aut pœnis ſubjici poſſe.

§. XXIII. Cum igitur certum ſit, opinionem de *ſocietate humana* ex falſis gentilium philoſophiæ principiis originem ducere, tutius eſſe videtur ab iis abſtrahere; cum certum ſit, ſocialitatem hoc ſenſu ſine impietate admitti, aut pro juris ſanctiſſimi fonte haberi non poſſe.

SECTIO II.

Ubi demonſtratur, ſocietatem univerſalem inter homines non dari.

§. XXIV. His ita præmiſſis, tuto aſſerimus, non dari aliquam ſocietatem univerſalem inter homines, quia *I.* ex præcedentibus apparet, figmentum illud, de *ſocietate aliqua humana*, ortum eſſe ex falſis principiis.

§. XXV. Sed & *II.* quis, quæſo, appetitus nobis eſt vivendi in ſocietate cum illis populis, cum quibus nullum nobis commercium eſt, & qui vix nomine nobis cogniti ſunt? Adeo feræ hæ gentes ſunt, ut potius omnem cum illis communionem non tantum evitemus, ſed & abhorreamus. Sane, ipſa experientia nos docet, gentes novi orbis a nobis non ſociorum jure haberi, neque commercium cum iis eſſe ex affectu quodam ſociali; ſed ut res eorum, & imperium in ipſos adipiſcamur.

§. XXVI. Neque *III.* ulla ratio allegari poteſt, unde appareat Deum voluiſſe præciſe homines eſſe ſociales, & injunxiſſe humano generi ut in communitate vivant.

§. XXVII. Contrarium *IV.* apparet ex ipſo inſtinctu naturæ, ſi is rite examinetur. Homines enim in ſtatu naturæ poſiti feruntur ad ſolam domeſticam ſocietatem, nimirum, ad conjunctionem maris, & fœminæ, ad procreationem ſobolis, & ad ſui, ſuorumque defenſionem: adeoque natura hæc ſola ſocietas cognita eſt.

§. XXVIII. Atque hæc ſocietas *V.* ſufficit ad conſervationem generis humani, nec opus eſt ad univerſalem aliquam ſocietatem confugere: omnia enim, quæ ad conſervationem hominum pertinent, familia ſuppeditat; maritus, & uxor omnem fortunam invicem communicant; liberos natura ipſa, absque ope aliorum, in lucem protrudit. Eadem natura quoque providet huic partui per alimenta matris; toti autem familiæ victum ſuppeditat absque humani generis auxilio, cum neceſſaria omnibus natura præbeat, quin & media defendendi jura familiæ ſingulis membris familiæ conceſſerit. In quem finem ergo, & ad quem uſum, communitas cum reliquo humano genere citra ullam neceſſitatem fingenda ſit, non video.

§. XXIX. Equidem *VI.* negari nequit, in præſenti rerum ſtatu latius patere domeſticæ ſocietatis neceſſitatem, ubi a naturali illo ſtatu receſſum eſt; ubi homines non contenti victu neceſſario, omnia, etiam citra neceſſitatem, occupant, ſui ſimiles, in quos natura jus non habent, ſibi ſubjiciunt, vicinis vim faciunt, & imperia armis quærunt.

§. XXX. At hæc neceſſitas *VII.* non eſt a natura, ſed a vitio hominum; indeque ſocietas, quæ exinde oritur, vel eſt ex vi, vel ex pacto, non ex inſtinctu. Ut taceam, eam non eſſe univerſalem totius humani generis, ſed intra fines cujusque reipublicæ contineri.

§. XXXI. Denique & *VIII.* ſocietas hæc humana merum figmentum eſt veterum

Digitized by Google

terum Philoſophorum, in eum finem effictum, ut jus aliquod inter homines inde inferrent; quod abſque ſocietate fieri non poſſe, exiſtimabant. At ex infra dicendis apparebit, jus naturæ extiturum fuiſſe, etſi nulla inter homines ſocietas exiſteret. Cum ergo unica ſocietatis univerſalis ratio ceſſet, facile conſtat, ipſam ſocietatem nullam eſſe.

§. XXXII. Idque *IX.* bene obſervat HOBBESIUS, dicens: [o] *cauſas, quibus homines congregantur, & ſocietate mutua gaudent, penitus inſpectantibus, facile conſtabit, non ideo id fieri, quod aliter natura fieri non poſſit, ſed ex accidente.*

§. XXXIII. Equidem afferri rationes ſolent, ex quibus conſtare, quidam exiſtimant, homines ad univerſalem quandam ſocietatem cum humano genere naturaliter duci: adeoque Deum homines ſociales eſſe voluiſſe. *I.* Quia homo ad ſui conſervationem natura fertur; quod cum propter imbecillitatem humanam, & naturalem indigentiam abſque auxilio per alios homines accedente fieri nequeat, inde concludunt, hominem ſeſe natura amantem, adeoque in ſui conſervationem maxime intentum, per ſe vero egenum, ſine ſui ſimilium auxilio ſervari ineptum, ut ſalvus ſit, neceſſario ſocialem eſſe debere, ad eum effectum, ut conjungi cum ſui ſimilibus velit, & adverſus eos ſe ita gerat, ne iſti anſam accipiant eum lædendi [p]; eamque neceſſitatem naturalem confirmant teſtimonio Senecæ [q]: *Quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis? hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos: quid ſumus? præda animalium, & victimæ, ac viliſſimus, & facillimus ſanguis..... Hominem imbecillitas cingit.... nudum, & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris validiſſimum facerent, rationem, & ſocietatem. Itaque qui par eſſe nulli poſſet ſi diduceretur, rerum potitur. Societas terris genitum in aliena naturæ tranſmiſit imperium, & dominari etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit. Hanc tolle: & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes.* Eamque neceſſitatem *II.* præcipue in infantibus ſeſe prodere autumant, utpote quibus abſque aliorum aſſiſtentia intereundum eſſet. Quin *III.* ſublata ſocietate homines ſe invicem deſtructuros eſſe, contendunt. Sed & *IV.* ſermonem tanquam indubitatum ſocietatis humanæ indicium afferunt, utpote cum extra ſocietatem nullus ejus uſus eſſe videatur. Nec non *V.* a fine conditæ rationis ſocialitatem probant, utpote cujus præcipuus uſus in ſocietate, eaque cuſtodienda, appareat. *VI.* Provocant ad auctoritatem ſacræ paginæ, quæ nos non tantum ab uno communi ſtipite deſcendere [r], ſed & ideo invicem cognatos eſſe, doceat [s]. Cum qua ſententia *VII.* conſpirare videtur unanimis moratiorum gentium conſenſus. FLORENTINUS [t] ex eo, quod natura inter nos cognationem quandam conſtituit, concludit, hominem homini inſidiari, nefas eſſe. PHILO in decalogo ait: *Quod animantium eſſe debeat manſuetiſſimum, idem natura fecit gregale, & cætus appetens, & ad concordiam, ſocietatemque*

(o) De Cive c. 1. §. 2. (p) PUFEND. J. N. L. II. C. 3. §. 14. & 15. GROT. proleg. §. 6. (q) De Benef. L. IV. C. XVIII.

(r) Gen. I. & II. (s) Vid. Act. Apoſt. c. XVIII. ✝. 28. & 29. (t) in leg. III. ff. de Juſt. & Jur.

temque vocavit, ſermonem etiam præbens, qui ingenia attemperando, & ad concentum perducendo conciliaret. SENECA [u] idem teſtatur: *Natura*, ait, *nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & fecit ſociabiles. Illa æquum, juſtumque compoſuit; ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi; ex illius imperio paratæ ſunt juvantis manus.* Et alibi [x]: *Societatem tolle, & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes.* CICERO [y] tradit, ſocietatem inter homines a Diis eſſe conſtitutam; & alibi ait [yy]: *ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt, ut omnis charitas, aut inter duos, aut inter paucos jungeretur.* SENECA [z] hominem homini natura conciliari, ait, & tunc addit: *ad amicitiam fert illum nulla utilitas ſua, ſed naturalis irritatio*; & mox: *quomodo hominem homini natura conciliat, ſic ineſt huic quoque rei ſtimulus, qui nos amicitiarum appetentes facit.* CAMILLUS apud Livium [a]: *nobis cum Faliſcis, quæ pacto fit humano, ſocietas non eſt: quam ingeneravit natura utriuſque, eſt, eritque.* JUVENALIS [b] hac de re ita canit,

—— —— —— —— *Mundi*
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas; nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet. &c.

QUINTILIANUS [c] ita rem explicat: *Nam primum præter cætera animalia induit* (de amicitia loquitur) *noſtris pectoribus quandam ſocietatem, quæ mutuo gaudere congreſſu, contrahere populos, condere urbes edocuit.* CICERO [d] ait: *Et ſi luce naturæ congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum urbium præſidia quærebant.*

Quæ ſententia inter Chriſtianos quoque communiter recepta eſt. Societatem enim univerſi humani generis ſtatuunt LACTANTIUS, [e] CHRYSOSTOMUS &c. [f] Sed & cognatos nos invicem eſſe, tradit LACTANTIUS [g], cujus loca congeſſit TESMARUS [h].

§. XXXIV. At hæ rationes tanti non ſunt, ut ſocietatem aliquam, ſeu communitatem univerſi humani generis probent. Nam quod *primam* rationem attinet, ex ea non neceſſario infertur ſocietas humani generis, quia ipſe GROTIUS eam exiſtere ſtatuit, etſi nulla re indigeremus [i]. Sed etiamſi concedamus, hominem ferri ad ſui conſervationem, negamus tamen, inde inferri ſocietatem humanam, ſeu communitatem inter omnes homines. Verum enim omnino eſt, homines ſine ſui ſimilium auxilio ſalvos eſſe non poſſe; at nec opus, nec neceſſe eſt ad ſublevandam illam imbecillitatem, & ad ſupplendam illam indigentiam, ad communem inter homines ſocietatem confugere. Sane, natura ſatis eis proſpexit citra talem ſocietatem per familias. Conjunctio enim, per quam familia conſtituitur, infert officia quædam inter conjuges, liberos, & agnatos; hæc officia ſalva reddunt membra illius familiæ, & plenarie indigentiæ humanæ

 proſpi-

(u) Ep. 95. (x) L. IV. C. XVIII. de Benef. (y) L. III. off. VI. (yy) de amicit. (z) Ep. 9. (a) Lib. V. C. XXVII. (b) Satyr. XV. v. 147. (c) declam. IX. (d) L. II. off. XXI. (e) de falſ. ſap. C. XXII. (f) ad Roman. Homil. XXXI. ibi: *habemus natura homines cum hominibus ſocietatem; quidni cum tale quid & inter ſe feræ habeant?* (g) de vero Cultu C. X. de ira C. XIV. de juſt. C. VI. (h) ad Grot. prol. §. 6. & 14. (i) prol. §. 16.

proſpiciunt: neceſſitatis autem rationes, quas SENECA affert, non ſunt tales, ut iis neglectis generi humano pereundum eſſet.

Equidem negari nequit, ſocietatem inſtructiorem reddere vitam, & munitiorem contra incurſiones repentinas; verum quoque eſt, quod ea morborum impetus arceat, ſenectuti proſpiciat, & ſolatium contra dolores det. At de his quoque ſua quæque familia proſpicit. Sane, omnes Aſiæ, Africæ, vel Americæ gentes nec inſtructiorem reddere vitam, niſi ad luxum, nec repellere incurſiones repentinas, nec arcere morborum impetus, nec ſenectuti proſpicere poſſunt. Fruſtra autem SENECA metuit, ne homines ſublata univerſali ſocietate ſint præda, & victimæ animalium. Quæ enim, quæſo, contra ferarum furorem ab Americanis exſpectare poſſumus auxilia? Primi parentes ſoli fuere, neque tamen præda fuere animantium. Tot exempla exſtant Eremitarum, qui ab inſidiis animalium tuti ſunt: immo & hodie exſtant familiæ, quæ abſque ſocietate ſolæ habitant, vel in antris, & ſpeluncis, vel in arboribus concavatis, & nihil ab animalibus metuunt. Quin ideo ratione prædití ſunt homines, & ratio eos armorum uſum docuit, ut ſibi contra animalia præcavere poſſint. Denique per ſocietatem quoque domeſticam ſatis eorum ſecuritati contra animalia proſpectum eſt.

§. XXXV. Atque hoc ipſo jam ſatisfactum eſt *ſecundo* argumento, ab infantum educatione deſumto. Nam verum quidem eſt, infantes aliorum ope indigere; at ſufficit ad id auxilium parentum, non vero totius humani generis adſiſtentia opus eſt. Natura ipſa id ſatis indicavit, dum ſolis parentibus motum, & inſtinctum ad conſervationem, & educationem liberorum neceſſarium indidit, & alendi media ſuppeditavit.

§. XXXVI. *Tertium* argumentum *oppido* falſum eſt. Nam *I.* provida natura huic metui ſatis proſpexit, dum omnibus animantibus motum aliquem indidit, qui ea a violatione congeneris deterreat. Unde proverbium: *Canis caninam non eſt.* SENECA [k] ait: *feræ inter ſe placidæ ſunt, morſuque ſimilium abſtinent.* HORATIUS de ſævitia mutua hominum ita canit: [kk]

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar genus.

PLINIUS [l] id confirmat; *Leonum,* ait, *feritas inter ſe non dimicat; ſerpentium morſus non petit ſerpentem; nec maris quidem belluæ, ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt.* QUINTILIANUS [m] ait: *Nulla eſt ſuper tellus adeo rabioſa bellua, cui non imago ſua ſancta eſt.* SENECA [n] motum illum naturalem ita exprimit: *Illa rationis expertia, & a nobis immanitatis crimine damnata, abſtinent ſuis, & tuta eſt etiam inter feras ſimilitudo.* Certiſſimo indicio, homines citra omnem ſocietatem, ſolo naturæ ductu, ſui congeneres nunquam violaturos eſſe. Inprimis *II.* cum ratio ipſis dictet, jus a Deo ſingulis hominibus conceſſum interverti nec poſſe, nec debere; quæ ratio obtinet ſepoſita quoque ſocietate humana. Adeoque homo hominem non lædit, non quia appetit ſocietatem, ſed quia ratio id dictat, i. e. quia Deus id prohibuit, etſi homo non appeteret ſocietatem; quæ prohibitio non tantum ex actione Creatoris, qua jura

(*k*) de ira c. II §. 8. (*kk*) Epod. VII. (*l*) Hiſt. L. 7. (*m*) Declam. XII. (*n*) de clement. L. I. c. XXVI.

Digitized by Google

jura quædam ſingulis conceſſit, ſed & ex illo ipſo inſtinctu communi omnium animantium ſatis apparet.

§. XXXVII. *Quartum* argumentum maximi ponderis videtur GROTIO [o]. Sermonem enim peculiare ſocietatis inſtrumentum vocat. At quis, quæſo, uſus ſermonis inter omnes homines concipi poteſt? poſito ſcil. ſtatu naturæ, ubi omnia omnibus ſufficiebant, adeoque ubi commercia non exercebantur, nec neceſſaria erant. Immo quis uſus ſermonis hodieque eſt cum pleriſque gentibus, quorum ſermonem non intelligimus? Sane, ſigna æque, ac verba ſunt modi declarandi voluntatem, & experientia docet, primos Americæ inventores ſignis voluntatem ſuam declaraſſe; adeoque ſermo ad cuſtodiam ſocietatis humanæ præciſe neceſſarius non eſt. Si quoque quædam neceſſitas ſermonis natura exiſteret, locum illa habitura ſaltem eſſet in familia, ſeu ſocietate domeſtica; ibi enim quodammodo neceſſitatis eſt, ut conjuges, item parentes, & liberi, qui neceſſario cohabitant, invicem voluntatem ſuam declarent, quæ ratio extra familiam ceſſat. Sed & verum non eſt, uſum ſermonis non eſſe extra ſocietatem humani generis. Nam precari Deum, eumque encomiis ornare, præcipuum hominis officium eſt. Quin inter bruta quoque ſermonem cuique generi animantium proprium eſſe, conſtat; neque tamen ſocietatem inter feras exiſtere quiſpiam aſſeret. LACTANTIUS [p] ait: *dignoſcunt* (de brutis loquitur) *invicem ſe vocibus, & cum iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem, & quum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant.* Et tunc addit: *nobis quidem voces eorum videntur incognitæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ: ſed ipſis, qui ſe intelligunt, verba ſunt; denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant.* [q]

§. XXXVIII. *Quintum* argumentum nihil probat. Neque enim ulla ratio ſequelæ dari poteſt: *hominibus ratio indita eſt, ergo neceſſario inter omnes homines eſt quædam ſocietas.* Eſt enim, & manet rationis pleniſſimus uſus, etſi nulla ſocietas, nullaque inter homines exiſtat univerſalis conjunctio. Cum enim ex juſtis rationis concluſionibus ſequatur, Deum colendum eſſe, & jus mihi non competere in alios homines, adeoque eos lædi non poſſe, &c; hæ concluſiones cum effectu inter homines locum habituræ eſſent, ſepoſito omni ſocietatis reſpectu. Nam etſi homines ſeparati ab invicem viverent, & unuſquiſque ſeorſim habitaret, ſinguli tamen Creatorem ſuum colere, & a violatione congenerum abſtinere deberent. Egregie hæc confirmantur exemplo ADAMI, qui cum ſolus adhuc in orbe exiſteret, legem a Deo accepit, Deum coluit &c.

§. XXXIX. *Sextum* argumentum itidem non infert ſocietatem univerſalem. Non enim ideo, quod omnes homines ab uno ſtipite deſcendunt, ſequitur, eos teneri neceſſario in communitate vivere. Contrarium apparet ex eo, quod familiæ ab origine mundi adeo ſe dilataverint, ut pleræque nunc nec nomine nobis cognitæ ſint: quis ergo cum iis nobis foret ſocietatis uſus? Quod vero hi cognati ſe invicem deſtruere non poſſunt, id non eſt ex ſocietate,

(o) proleg. §. 7. (p) *de ira c. VII.* Adde PUFEND. L. II. c.III. (q) Plura de ea re vide apud VOSS. *de Idol. pag.* 961. GALLÆUM *pag.* 777. & WALCHIUM ad *Lact. de ira c. VII.* adde VALLESIUM *de ſacra Philoſophia: c. LV.*

cietate, ſed ex voluntate divina, tum per rationem naturalem, tum per inſtinctum omnibus animantibus inditum, declarata, quæ locum haberet, etſi ſinguli homines a ſocietate, & hominum communione abhorrerent. [r]

§. XL. *Septimum* argumentum jam ſupra a nobis exploſum eſt. Diximus enim 1. philoſophos gentilium ſocietatem humanam ex principio religionis, ſed impio, & nefando, effinxiſſe: 2. illoſque ideo effinxiſſe illam ſocietatem, ut inde neceſſitatem aliquam juris probarent; quaſi extra ſocietatem nullum jus exiſtere poſſit. At in Diſſertatione proœmiali XII. demonſtrabo, non opus eſſe ad ſocietatem humanam confugere, & neminem jus alii quæſitum auferre, eoque alium lædere poſſe, etiam omni ſocietate humana ſublata.

SECTIO III.

Ubi demonſtratur, cuſtodiam ſocietatis humanæ, ſi talis ſocietas dari poſſet, non eſſe principium Juris naturæ eſſendi, nec concipi jus naturæ ſemoto Deo poſſe.

§. XLI. GROTIUS *cuſtodiam ſocietatis humanæ intellectui convenientem*, fontem juris naturalis proprie ſic dicti conſtituit [s]; & appetitum illum ſocietatis, id eſt communitatis tranquillæ, & pro ſui intellectus modo ordinatæ, cum his, qui ſunt ſui generis, [t] cauſam omnis obligationis eſſe, afferit. [tt]

Præterea jus hoc non ex libera Dei voluntate, (quia Deus ex hypotheſi GROTII abeſſe poteſt,) ſed ex principiis internis venire [v], indeque intrinſecam habere bonitatem [x], eoque immutabile eſſe, ait, ita ut nec a Deo mutari poſſit [y]: Deum igitur conſequenter ſaltem actus ſocialitati convenientes præcipere, eique contrarios vetare; & hactenus poſſe jus hoc Deo quoque adſcribi, quia, ut talia principia in nobis exiſterent, ipſe voluit. [z]

§. XLII. Duo ergo ſupponit GROTIUS 1. cuſtodiam ſocietatis humanæ eſſe cauſam omnium obligationum, atque humanum genus ad eam obligari, etiamſi detur, Deum non eſſe: 2. juri naturæ ineſſe intrinſecam bonitatem, illudque adeo eſſe immutabile, ut nec a Deo mutari poſſit. At neutrum admittere poſſumus.

§. XLIII. Nam 1. præcedente *Sectione* demonſtravimus, ſocialitatem, i. e. appetitum communitatis univerſalis, inter homines natura cognitum non eſſe. Non ergo principium juris naturæ deducere poſſumus ex fonte, qui non exiſtit.

§. XLIV. Sed & 2. ſi talis ſocietas exiſteret, & homines natura ducerentur ad univerſalem aliquam communitatem, nulla tamen inde ſequeretur obligatio, quia omnis obligatio ſupponit juſſum ſuperioris. At *ſocialitas*, ex hypotheſi GROTII, neminem ponit ſuperiorem: non Deum, quia hunc excludit, vel ſaltem abeſſe eum poſſe, aſſerit [a]: nec alium, quia extra Deum nihil humano generi ſuperius exiſtit.

§. XLV. *Socialitas* 3. obligationem imponeret humano generi, *vel* jure proprio, vel ex jure ab alio conceſſo.

Si ſocialitas obligat humanum genus *ex jure ab alio conceſſo*, illa non eſt cauſa obligationis, adeoque nec principium

(r) Vide *Diſſert. proœm. XII.* (s) GROT. prol. §. 8. (t) GROT. prol. §. 6. (tt) Vid. 8. (v) GROT. prol. §. 12. (x) GROT. L. I. c. XI. §. 10. n. 1. & 2. (y) GROT. *d. c. XI.* §. 10. [z] GROT. prol. §. 12. [a] GROT. prol. §. 11.

pium eſſendi juris naturalis, ſed is, qui poteſtatem illam ſocialitati conceſſit, i. e. Deus, cui ſoli jus in ſuam creaturam competit, & qui ſolus legem ei dicere poteſt.

Proprio jure autem ſocialitas hominibus neceſſitatem imponere nequit, quia ipſe ille appetitus ſocietatis à Deo originem habet, adeoque obligatio, quæ inde oritur, neceſſario a Deo eſt.

§. XLVI. Quæ non monſtra 4. ex hac hypotheſi ſequerentur? Supponi enim deberet, ſocialitatem eſſe ens a ſe, quod a nulla alia cauſa pendet; adeoque aliquid eſſe extra Deum, quod non tantum humano generi, ſed & ipſi Deo neceſſitatem imponere poſſet, quia jus mutandi, vel tollendi officia, quæ ex ſocialitate ſequuntur, Deo negantur.

§. XLVII. Poſito hoc principio 6. illud abſurdum ſequeretur, quod ſocietas humana, eaque diviſa ſingulæ Reſpublicæ, juri naturæ renunciare, eoque mutare legem naturæ poſſent; cum econtrario Deo jura, quæ ex ſocialitate ſequuntur, nec mutare, nec tollere liceret.

§. XLVIII. Nam 7. cuſtodia humanæ ſocietatis per ſe nihil continet, niſi communem hominum utilitatem, & quidem duraturam; atque ita omne jus naturæ unice conſtitutum eſſet ad hominum commune, & conſtans commodum. Conſtat autem inter omnes, cuique licitum eſſe ſuis commodis renunciare, eaque deſerere, quia de ſuo favore, & de ſua utilitate diſponit.

Hæc aut concedas oportet, aut dicendum erit quæ vis homines in id conſentientes impediat, eoſque ita obliget? Si Deum dixeris, hoc ipſo agnoſces, principium obligationis in ſolo Deo eſſe, non in cuſtodia ſocietatis.

§. XLIX. E contrario 8. Deus ipſe nunquam mutare *jus* hoc *ſociale* poſſet; quia juxta hypotheſin GROTII ex internis fluit principiis, quæ obligarent homines, etſi detur, Deum non eſſe. [b] Deus igitur non eſt cauſa horum principiorum; & actus ſociales ejus arbitrio non ſubſunt; dependent enim ab alia cauſa.

Sequeretur ergo 9. ex hac hypotheſi, Deum non potuiſſe concubitum inter fratres, & ſorores, & ablationem rerum Ægyptiis propriarum permittere, nec jubere immolationem ISAACI, &c.; quia hæc principiis internis, quæ obligant etiam ſemoto Deo, repugnant.

§. L. Præterea 10. negari nequit, quod uti cujuſque civitatis, ita & totius humanæ ſocietatis, commoda, & utilitates temporibus variare, & alio ſeculo alia eſſe poſſint. Sic igitur jus naturæ, quod ad rationes ſocietatis humanæ exigitur, non eſſet jus conſtans, æternum, & immutabile, ſed pro temporibus, & ratione utilitatum varium, & mutabile.

Neque 11. tantum hac ratione temporibus, ſed & locis variaret jus naturæ. Cum enim eodem tempore, alia quoque in orbis parte, aliæ rationes ſint, & eſſe poſſint ſocietatis humanæ, non minus ſingulis applicandum eſſet proprium jus naturæ, ac ſingulis civitatibus jus civile.

Quin 12. etſi ſocietatis cuſtodia, ejuſque ratio temporibus, & locis non variaret, ſed & ſemper, & ubique eadem eſſet; adhuc tamen jus, quod ab illa cuſtodia ducitur, incertum, indefinitumque penitus eſſet, quoniam cuſtodia variis modis, remediis, ac legibus fieri, ac defendi poteſt. Quemadmodum civitatum quoque cuſtodiam illi populi, inter quos eſt eadem utilitatis, & ſecuritatis ratio,

[b] *Proleg.* §. 11. & *Lib. I. c. I.* §. 10.

ratio, diverſis legibus regere, ac tueri poſſunt, & ſolent. Atque ita nihil certi, ac perpetui juris ex hac cuſtodia humanæ ſocietatis inferri poteſt.

§. LI. Porro, & 13. ſocialitatem non eſſe principium oſtendi, ex ipſa GROTII doctrina apparet. Is enim fatetur, Deum ea lege homines creaſſe, ut ſociales ſint, eumque voluiſſe, ut tales motus in nobis exſtent [c]. Quo modo ergo Deus, qui cauſa eſt unica illius motus, a jure, quod ex hoc motu ſequitur, ſuppoſitione ſaltem excludi poteſt [d]? Anne hic vera ſubeſt contradictio?

§. LII. Quod ſi 14. Rex aliquis viribus ſuis ſatis potens, nihilque potentiæ humanæ veritus, injuriam paret, & uti ALEXANDER victo DARIO jam vincendo orbi terrarum par, nihil in terris timeat, quam, quæſo, obligationem pariet cogitatio ſocietatis humanæ? Quid, amabo! eum deterrebit ab injuria, ab invaſionibus, ſævitia &c? Sane, idea illa alicujus cuſtodiæ ſocietatis nihil ipſum movebit, nec hæc illum nomina terrebunt. Sed ſi audierit, ſe non impediri niſi propter cuſtodiam, ſeu utilitatem communis humanæ ſocietatis, eam nihil ad ſe pertinere putabit, quum ea non indigeat, omnique illius ſocietatis præſidio, ac utilitati renunciet: quod egregie demonſtrant CICERO & SENECA [e].

Etſi autem GROTIUS [f] aſſerat, *potentiſſimos reges aliorum ſocietatem appetere*; tamen non quærimus, quid actu agant, ſed quid poſito hoc principio tuto, & ſalva conſcientia agere poſſint.

§. LIII. Adeoque 15. poſito jure ſociali ſemoto Deo, nihil amplius ſacri humano generi ſupereſſet. Quem homo enim vereatur? non Deum; ſupponitur enim, eum abeſſe: non humanam ſocietatem; vel enim clam crimina committet, vel ſuis viribus confiſus tuto, & abſque metu pœnæ injurias inferet. Fruſtra ergo jus naturæ ſtatueretur, utpote omni effectu deſtitutum.

§. LIV. Sed & 16. plane non opus eſt ad talem ſocialitatem provocare, tum exiſtentia juris naturalis ex aliis certis, & indubitatis principiis conſtare poſſit. Non poteſt ergo ſocialitas pro principio *juris* unico, & ultimo venditari, ſi jus exiſtit ſublata quoque ſocietate. Sane, nihilo minus verum maneret, quod jura, quæ creator cuique hominum conceſſit, ab aliis hominibus auferri non poſſint, ſed cuique tribui debeant. Proinde ſublata omni inter homines ſocietate, exiſteret quædam regula obligationis univerſalis, i. e. lex, & præceptum *ſuum cuique tribuendi*; id quod alibi plenius probavi [g]. Optime ARISTOTELES: [h] *Eſt quoddam, quod augurantur omnes juſtum, & injuſtum, etſi nulla ſocietas invicem ſit.*

§. LV. Ipſi gentilium Philoſophi 17. nullum aliud jus naturæ agnoverunt, quam quod Deum auctorem habet, quam in rem auctoritates alibi cumulavimus [i]. Inſtar omnium ſit effatum ANAXARCHI, qui licet indiſtincte nimis, aſſeruit, *non ideo Deum quid velle, quia juſtum eſt; ſed juſtum eſſe, i. e. jure debitum, quia jura Deus voluit* [k]. Omnium minime autem ſocialitatem, ſemoto Deo, principium obligationum dixere, quia omnes in eo conſen-

(c) Proleg. §. 12. (d) Vid. infr. §. 56. (e) CICERO Lib. II. de leg. n. 42. & SENECA Lib. IV. de benef. C. II. (f) in proleg. §. 22. (g) *Vid.* diſſert. procem. XII. & §. 31. 32. (h) 1. Rhet. 13. (i) in notis ad prol. §. 3. (k) apud GROT. Lib. I. C. I, §. 10.

ſentiunt, ipſam ſocialitatem a Deo originem cepiſſe [l].

§. LVI. Atque hinc 18. recentiores GROTII interpretes communiter hanc GROTII doctrinam improbant, & Deum, ejusque liberam voluntatem, primum, unicum, & adæquatum juris naturæ principium ſtatuunt [m], etſi ſocialitatem pro principio cognoſcendi, ſeu pro modo probandi unico vero, & adæquato agnoſcant. *De quo ſect. ſeq.*

§. LVII. Equidem 19. ſunt, qui ut durum GROTII ſententiam excuſent, allegant, eum non per modum theſeos poſuiſſe, jus naturæ dari poſſe absque Deo, ſed per modum fictionis; quia expreſſis verbis ſtatim ſubjicit, *id ſine ſummo ſcelere dari non poſſe*: adeoque remanere hic fictionem per impoſſibile, indeque impium hoc dogma non eſſe. Nam in illa theſi, quam GROTIUS defendit, *quod etiam negato Deo, homines jure naturæ obligentur*, duo diſtincta ſunt: 1. Deum non eſſe: 2. ſine Deo quoque jus naturæ eſſe, & homines obligari. Illud non ponit GROTIUS, ſed fingit per impoſſibile, atque ita ſtatuere ſummum ſcelus eſſe, ait: at alterum ponit, & concludit, nec illud ſtatuere pro ſcelere habet.

B. THOMASIUS alio modo doctrinam GROTII defendit, nimirum, intentionem ejus ſaltem fuiſſe, demonſtrare, quod jus naturæ obliget omnes homines, quamcunque etiam ſententiam de Deo habeant, ſive ſint vere pii, ſive ſuperſtitioſi, ſive athei; ſufficere autem ad obligationem juris naturæ internam, & ad ejus vim conſulendi ſtultis, demonſtrationem neceſſariæ, & naturalis connexionis damnorum infinitorum cum vita ſtulta, & infinitorum bonorum cum vita ſapiente, etiamſi erroneam habeant opinionem de auctore naturæ, Deo [n].

At ipſe B. THOMASIUS fatetur, doctrinam de intrinſeca bonitate rejiciendam eſſe, ſi jus naturæ doceatur eſſe ſpecies legis proprie ſic dictæ. Hæc autem 1. eſt doctrina GROTII: is conſtituit jus ſociale ſpeciem legis ſtricte ſic dictæ, quia & internam, & externam obligationem inde oriri, ait. [o] Non ergo excuſatur GROTIUS, ſed accuſatur [p]. 2. Alibi demonſtravimus, per obligationem ſua natura intelligi talem neceſſitatem agendi, vel non agendi, quæ ſimul infert pœnam a legis auctore inferendam. Si vero violantibus jus naturæ nihil aliud metuendum eſſet præter damna, quæ ex vita ſtulta in hac vita ſequi aliquando ſolent, non vero neceſſario ſequuntur, nihil ſupereſſet quod impios a violatione juris naturalis deterreret. [q]

Adeoque 3. poſita ſola ſocialitate, quæ obligationem inferat etiam remoto Deo; nulla ratione homines obligarentur jure naturæ; non intuitu *Dei*, quem auctorem juris naturæ non eſſe, per modum theſeos ponitur; non intuitu *ſocialitatis*, quam homo non metuit, nec, cum ſine viribus ſit, metuere opus habet.

§. LVIII. Ex his jam *Secundo* conſtat, verum non eſſe, *juri naturali intrinſecam ineſſe bonitatem, & Deum conſequenter ſaltem actus illos approbare, vel vetare*: i. e. aliquid bonum, vel ma-

(*l*) SEN. ep. 95. CICER. Lib. III. off. C. VI. (*m*) PUFEND. de jur. nat. L. II. C. III. §. 19. ZIEGLER ad GROT. prol. §. 7. KULPIS. in colleg. GROT. procem. §. 3. OPALENIUS de offic. prol. §. 1. Vide tamen infr. §. 42. (*n*) THOM. fund. juris nat. Lib. I. C. VI. §. 7. & 8. (*o*) Vid. ſupr. §. 13. 14. & 15. (*p*) THOM. d. Lib §. 5. & 6 (*q*) Vid. Diſſ. procem. XI. C. I. §. 16.

lum eſſe antecedenter ad voluntatem divinam [r], Deoque ſemoto [s].

Repetendum enim ex præcedentibus eſt, poſita hac theſi, poni aliquid extra Deum, quod humano generi neceſſitatem imponere poſſit; quin poni cauſam aliquam extra Deum, quæ actus hominum juſtos, vel injuſtos efficit, ita ut nec Deus aliud ſtatuere poſſit. *Vid.* §. 45. *ſeq.*

Cum vero ipſa ratio nos doceat, exiſtere Deum, unum, & creatorem univerſi, qui ſolus legem ſuæ creaturæ dicere poteſt, ſponte ſequitur, extra Deum nihil concipi poſſe, quod facultatem habeat humano generi legem dicendi.

Quin cum ipſa illa ſocialitas, ſi quæ exiſtit, a Deo creata, i. e. homini indita ſit, fatente ipſo G R O T I O, res autem creata nihil a ſe, ſed omnia ſua, imprimis agendi facultatem, a ſuo creatore habeat; porro ſequitur, quod nullæ res creatæ facultatem actionibus hominum legem dicendi habeant, niſi a creatore illa conceſſa ſit. Ergo in ſolo creatore principium eſt leges actionibus hominum dandi, non in eo, cui a creatore id conceſſum eſt.

§. L I X. Neque obſtat, *jus naturæ eſſe immutabile*, id autem afferi non poſſe ſi a libera Dei voluntate ortum haberet, quia pro arbitrio divino mutari omnino poſſet. Unde neceſſario inferri videtur, juri naturæ intrinſecam ineſſe bonitatem, & nec a Deo mutari poſſe. Antequam ad ſolutionem dubii hujus, quod hactenus luculenter ſatis remotum mihi non videtur, me accingam, præmittendum eſt:

I. Voluntatem Dei, utut liberrimam, duo complecti neceſſaria: [a] ut non poſſit velle, niſi quod perfectiſſimum eſt: [b] ut non poſſit mutare, quod ſemel voluit. Non, quod cauſa quædam extra voluntatem Dei ſit, quæ ei neceſſitatem hanc injiciat; ſed quia ea neceſſitas intrinſeca eſt ipſi voluntati, propter ſummam Dei perfectionem: ita ut voluntas non poſſit velle, niſi quod perfectiſſimum eſt; non quod aliunde ad id adſtringatur, ſed quod ipſa voluntas in ſe perfectiſſima ſit. Atque ita Deus, quod optimum eſt, neceſſario facit, non quia non poteſt aliter facere, ſed quia non poteſt aliter velle.

II. Deum pleniſſimum, & abſolutum dominium in vitam, & res hominum ſibi reſervaſſe, quod ſingulis fere paginis inculcat G R O T I U S [t].

III. Deum hoc jus dominii ſibi reſervatum etiam per homines exercere poſſe, cum nihil interſit, ipſe utrum, an per alium jure ſuo utatur.

§. L X. His ita præmiſſis, dicimus,

I. Deum non poſſe mutare *jura, quæ inter Deum, & homines obtinent.* Deus ergo non poteſt permittere ne colatur, quia contradictionem involveret ſi Deus vellet ſe pro Deo non haberi. Fieret autem hoc ſi vellet ne coleretur, cum cultus ille ſit perfectionis æſtimatio. At hæc neceſſitas non eſt extra Deum, nec cauſa quædam extranea ei hanc neceſſitatem injicit; ſed ea ſequitur ex ipſa perfectione divina.

Dicimus *II. jura inter homines ipſos ſemel per rationem* conſtituta itidem a Deo mutari non poſſe, quia voluntas Dei ſemel explicata perfectiſſima, eoque immutabilis eſt: mutatio enim pœnitentiam, eoque imperfectionem inferret, & ignorationem pariter futuri, quæ in Deum non cadunt.

(r) Vid. ſupr. §. 9. (s) Proleg. §. 2. (t) Lib. II. C. II. §. 17. n. I. L. I. C. III. §. 8. Lib. II. C. XX. §. 4. n. 2. Lib. III. C. I. §. 4. n. 3. & §. 9. Lib. I. C. IV. §. 1. Lib. I. C. I. §. 10. n. 6. Lib. II. C. XXI. §. 14. n. 1. & n. 3. Proleg. §. 48.

Si proinde *III.* quæritur: An Deus permittere poſſit, ut homines *ſuo jure* id agere poſſint, quod per rationem eis inditam ſemel prohibuit? adeoque an facultatem humano generi concedere poſſit, ſpoliandi, rapiendique aliena, in ſeſe invicem ſæviendi, &c? omnino id negandum eſt, quia per juſtas rationis concluſiones hominibus ſemel voluntatem ſuam explicavit, & actus hos fini creationis eſſe contrarios, declaravit. Sane, cum communem creator humano generi indiderit rationem, ex qua per juſtas, & neceſſarias concluſiones innoteſcit, Deum hæc omnia, utpote rationi contraria, fieri noluiſſe, contradictio eſt, Deum poſſe velle quod ſemel noluit; & pugnat cum perfectione divina, mutationis omnis ignara, hominibus permittere id, quod ſemel prohibuit.

Jus ergo naturæ *IV.* immutabile eſt, non quia cauſa aliqua extra Deum, bonitas ſcilicet quædam intrinſeca, & appetitus aliquis ſocialis id impedit; ſed quia ex natura entis perfectiſſimi ſequitur, eum id, quod ſemel voluit, mutare non poſſe.

Verum alia quæſtio *V.* eſt, an Deus *ſuo jure* injungere uni, vel alteri hominum poſſit, ut faciat aliquid, quod hominibus, ne inter ſe facerent, prohibuit? Quod omnino affirmandum eſt.

Certum enim *VI.* eſt, Deum legem dediſſe ſolis creaturis inter ſe, non autem ſe quoque ei legi ſubjeciſſe; nemo enim ſanæ mentis afferet, Deum hoc ipſo quod hominibus prohibuit, ne vitam aliis adimant, ne bona alterius auferant, ſibi quoque facultatem ademiſſe homines pro lubitu vita, & bonis privandi (u). Eodem modo uti Princeps, qui legem fert inter ſubditos, ne vina, aliasque merces extraneas emant, ſibi non adimit facultatem eas res emendi, quia jus civile ſubditos quidem inter ſe obligat, non autem Principem.

Hoc poſito porro, & *VII.* negari nequit, Deum, vi ſupremi illius dominii in homines, uni hominum mandare poſſe ut alium occidat. Cum enim is arbiter ſit vitæ, & necis, cum homines certa lege mortalitatis creaverit, ex arbitrio ejus dependet, quando, quo modo, & per quod inſtrumentum vitam eis adimere velit.

Neque homo ille peccat, quia id non *ſuo jure* agit, nec ſuo nomine, nec ſua voluntate, ſed juſſu creatoris, cui parendo nihil injuſti agit.

Neque jus naturæ mutatur, utpote quod ſaltem prohibet, ne homines ſuo jure, ſuaque auctoritate, ſeſe mutuo cædant.

Homo igitur, qui juſſu divino alteri vitam, vel bona aufert, executor ſaltem eſt voluntatis divinæ; nec hæc actio eſt agentis, ſed mandantis.

Manet ergo jus naturæ ſartum, tectum, & integrum; eadem lex humanum genus obligat: in caſu autem hoc ſpeciali non homo homini aliquid aufert, ſed Deus ex juſta cauſa jus alii aufert per hominem.

Deus ergo *VIII.* præcipiendo nuptias cum patrui vidua, non tollit legem naturæ; ſed ea in toto genere humano ſubſiſtit: ita ut ſuo jure, ſuaque auctoritate, nemo hominum tales nuptias contrahere poſſit; Iſraëlitæ vero, qui certis caſibus inter ſe tales nuptias celebrabant, non ſuo jure, ſed ex juſſu divino id fecere.

Si Deus parentum impietatem in poſteris ſe vindicaturum minatur, ipſe jure dominii, quod pleniſſime in vitam, & res poſterorum noſtrorum habet, id

(u) Vid. pr. h. §.

id agit: at hominibus facta hæc divina imitari non licet [v].

Si Deus populos damnatos promiſcue cum fœminis, & infantibus occidi juſſit, id quoque præceptum non evertit jus naturæ quoad reliquos homines: juſſus autem juſtus eſt [x], propter pleniſſimum illud dominii jus, quod ille in nos habet.

Deus ſuo jure permittere primis hominibus potuit, ut fratres, & ſorores invicem nuberent, & actu permiſit, quia voluit multiplicari genus humanum; quod fieri abſque nuptiis fratrum, & ſororum non poterat. Hæc vero permiſſio nullum jus dat reliquis hominibus, ſed in illis manet prohibitio naturalis.

Deus juſſit, ut Iſraelitæ vaſa Ægyptiis auferrent; id vero crimen non eſt, nec contrectatio fraudulenta rei alienæ. Sed jure res illas Iſraelitæ abſtulerunt, jubente nimirum Deo ſupremo rerum domino.

Si Deus ſine cauſa occidi præcipit ISAACUM, ideo non licite homicidium inter homines committi poteſt. At hoc ſpeciali caſu id crimen non eſt, quod vitæ ſupremo domino autore fit [y]. Indeque recte ait GROTIUS, hic non jus mutari, ſed rem, de qua jus naturæ conſtituit [z].

Sed anne *IX.* his principiis poſitis, Deus jubere poſſit, ut aliquis, ſolius voluptatis ſuæ cauſa, alios homines innocentes cruciet, quod olim B. LEIBNITZIUS nobis objecit? Reſp. finguntur circumſtantiæ, quæ aliam ſpeciem faciant, & abſurda, vel pugnantia implicant. Si Deo, uti ponitur, nulla alia permittendi cauſa eſt, quam ut peſſimi nebulonis voluptati gratificetur, pugnat id cum Dei perfectione, & bonitate. Alias vero hoc Deum poſſe, exemplo JOBI diſcimus, quem cum innocentem cruciare volupe eſſet Satanæ, Deus ei cruciandum expreſſe bis permittit [a]. At ejus cauſa non fuit voluptas Satanæ, nec pugnabat id cum bonitate Dei, ut eventus docuit.

Sane, cum nemo coram Deo innocens ſit, creator noſter pro lubitu, & jure, per morbos, cruciatus &c, vitam nobis auferre poteſt. Longe enim omnes illi cruciatus infra id ſunt, quod meriti ſumus; & ſatis ampla adhuc peccatorum ſeges ſupereſt in hominibus, in quibus miſericordiæ Dei infinitæ locus eſſe poteſt: perfecta enim demum meritorum penſatio alteri vitæ reſervata eſt, nec ante plenarie fieri poteſt, quam homines actionum, quibus merentur, finem morte fecerint, earumque adeo menſuram impleverint. Tunc enim demum modo perfectiſſimo Deus compenſare cujusque merita, & pœnas diſtribuere, ac præmia poteſt, quæ ex perfectione divina bonis, vel malis debentur [b].

At *X.* bene obſervavit GROTIUS, Deum hoc jure ſuo, ſeu dominio, quod in homines habet, ſupremo non ſemper uti [c]. Sane, ex exemplis, quæ ex ſacra hiſtoria afferri ſolent, apparet, eum non ſine graviſſima cauſa quædam, quæ juribus hominum inter ſe contraria videntur, ſtatuiſſe. De exemplo JOBI id jam probavimus.

Ægyptiis vaſa auferri juſſit, tum in pœnam, quod populum Dei tantis cumulaverant injuriis, & quod contra mandatum divinum, tot miraculis com-

pro-

(v) GROT. Lib. II. C. XXI. §. 14. n. 1. & 3. (x) Lib. III. C. I. §. 4. n. 3. & 9. (y) GROT. Lib. I. C. I. §. 10. n. 6. (z) GROT. d. §. n. 6. (a) JOB. C. I. v. 12. & C. II. v. 6. (b) Vid. Tract. meum de principio jur. nat. Part. 1. qu. 4. §. 13. (c) GROT. Lib. II. C. XXI. §. 14. n. 3.

probatum, exitum ſacrificandi cauſa petitum denegaverant: tum in compenſationem mercedis, dum operas ſerviles tot annos a populo libero injuria exegerunt.

Sed & porro, dum cædem ISAACI ABRAHAMO patri injunxit, cauſa fuit exploratio fidei ABRAHAMI, quæ ei, ejusque poſteris in ſummam ceſſit utilitatem.

Denique nuptias cum patrui vidua, ſub pœna infamiæ Iſraëlitis injunxit, ne ſtirpes confunderentur, & ut certitudo prophetiarum ſubſiſteret, quia e tribu Judæ, & ex interpoſitis ejusmodi nuptiis, naſci mediator debuit.

§. LXI. Obſtat porro, & 20. *quod rerum veritates ſint æternæ, ita ut nec Deus efficere poſſit, ne bis duo ſint quatuor, & paria* [d]; adeoque his rebus intrinſeca bonitas, & neceſſitas ineſſe videtur. Reſp. Hic non quæritur, an *actibus humanis* inſit bonitas intrinſeca; ſed quæritur *de facto*, *de re*, *de numero*, an dici poſſit non factum, non res, & non numerus? Sane, Deus hoc aſſerere non poteſt, nec falſum nomen rei affingere, vel rem facto contrariam allegare; hæc autem neceſſitas non eſt intrinſeca actibus, ſed fluit ex ipſa perfectione divina, quæ Deum mendacii reddit incapacem.

Totum ergo arcanum, *cur bis bina ſint quatuor, ita ut nec Deus aliud efficere poſſit*, hoc eſt, quia bis bina, & quatuor idem plane ſignificant, eundemque numerum, ſcilicet quatuor unitates. Perinde ergo eſt, ac ſi quæreretur, cur quatuor ſint quatuor? & cur nec Deus aliter facere poſſit? hæc enim vox impoſita eſt, ut hanc rem ſignificet. Si ergo res mutatur, non manet id, quod hoc nomine inter homines ſignificatur, ſed falſum ei nomen datur.

§. LXII. Etiamſi vero 21. non adſtipulari poſſimus ſententiæ ſcholaſticorum, qui juri naturæ intrinſecam bonitatem ineſſe ſtatuunt, & qui jus naturæ exſtiturum, aſſerunt, etſi detur, Deum non eſſe: abſit tamen ut defenſores hujus ſententiæ pro atheis, aut pro talibus, qui ad atheiſmum ducentia tradunt, habeamus. Omnes enim Deum agnoſcunt; omnes, excepto HOBBESIO, legem naturæ ſtatuunt; omnes denique tranſgreſſores hujus legis pœnis tum temporariis, tum æternis obnoxios eſſe, tradunt: etſi Deum conſequenter ſaltem legem hanc naturæ approbaſſe, & pœnas, ac præmia ſtatuiſſe, exiſtiment.

Sane, pia potius intentione dogma hoc inventum eſſe, perſuaſum mihi habeo. Dogma enim illud ſupponit veros atheos, qui nec Deum, nec legem divinam agnoſcunt, indeque juri alicui naturæ ſe obnoxios eſſe negant. Pii quidam theologi hanc audaciam atheorum reprimere volentes, conſequentiam illam non admittebant; ſed ſuſtinebant, nec atheos omnia licite agere poſſe, & officia quædam jure naturæ hominibus injuncta eſſe, etiamſi detur, Deum non eſſe. Eaque officia GROTIUS ex *ſocialitate* deducit. Ille enim communem aliquam inter homines eſſe ſocietatem ſupponit, eoque jus naturæ infert, quia ſocietas ſine legibus ſubſiſtere nequit. Indeque concludit, etiam atheos ad conſervationem illius ſocietatis obligari. (§ 3. 4. 5. 9.)

Etſi autem negari nequeat, piam hic ſubeſſe intentionem; tamen vix mihi perſuadere poſſum, atheum, qui vel talem communem ſocietatem negat, vel

(*d*) GROT. Lib. I. C. I. §. 10. n. 5.

vel executorem legum ſocialium non agnoſcit, hac ratione convinci poſſe. Quid, quæſo, atheum deterreret, ſi jura ſocietatis violare, i. e. crimina perpetrare vellet, inprimis ſi inſciis omnibus perpetrare poſſet? nihil ipſi a ſuperiore metuendum eſſet, quia vindicem non agnoſcit.

Equidem allegant doctores præfati, ſatis eos deterreri per mala, quæ ex actibus vitioſis ſequuntur, & crimina comitantur; ita enim in adulterio, & homicidio vindictam, tum mariti, tum familiæ; in ſcortatione morbos &c. metuenda: atque hæc mala *pœnæ* loco eſſe, ajunt. At ſi præter illa mala phyſica nihil aliud metuendum eſſet atheo, fragile admodum frenum hoc erit continendi ejus furores. Quid enim metueret adulter, ſi clam, vel volente marito thorum violaret? quid prædonem, quid rebellem deterreret, ſi viatorem, ſi principem occultis armis tollere poſſet, &c. Sane, nullus hic metus pœnæ, nec ab hominibus, nec a Deo; non ab illis, quia crimen eos latet; nec a Deo, quia talem dari negant. Hoc negari nequit, mala illa non ſemper, nedum neceſſario, actus vitioſos ſequi, uti nec præmia actus virtuoſos ſemper, aut neceſſario comitantur;

Tutius igitur proceditur cum hujusmodi hominum genere, ſi rationibus convincuntur, Deum exiſtere, eumque humano generi legem dediſſe.

Sectio IV.

Ubi demonſtratur, cuſtodiam ſocietatis humanæ improprie conſtitui principium cognoſcendi, ſeu modum probandi univerſalem.

§. LXIII. Hactenus demonſtravimus, Custodiam societatis non eſſe cauſam efficientem Juris naturalis, & extra Deum nullam aliam obligationis cauſam concipi poſſe. Noviores juris naturalis doctores veritatem hujus aſſerti agnovere, indeque Deum, ejusque voluntatem tamquam cauſam primam juris naturalis admittunt, illamque *Principium eſſendi* vocant. Cum vero hoc principium nimis generale ipſis viſum fuerit, quod inde non appareret quidnam Deus voluerit, aliud *Principium cognoſcendi voluntatem divinam* quæſivere, quod plerique in Socialitate inveniſſe ſibi perſuadent, indeque eam principium cognoſcendi conſtituunt.

Cum enim ſupponant, Deum homines ſociales creaſſe, inde concludunt, Deum præciſe injunxiſſe hominibus, ut ea, quæ ad cuſtodiam ſocietatis pertinent, agant, ea vero, quæ ſocialitati repugnant, omittant: atque hoc *principium cognoſcendi* juris naturalis non genuinum ſolum, & manifeſtum, ſed & ſufficiens, atque adæquatum eſſe, ajunt, hactenus ut non ſit ullum præceptum juris naturalis, alios homines ſpectans, cujus ratio non ultimo inde petatur *e*.

§. LXIV. Equidem in præſenti animus non eſt diſcutiendi, an Dei voluntas proprie dici poſſit principium eſſendi? Sufficit enim, quod doctores declarent, ſe per principium eſſendi intelligere cauſam efficientem juris naturalis, cum revera aliud ſit cauſa efficiens, aliud principium diſciplinæ *f*.

§. LXV. Quid vero per *principium cognoſcen-*

(*e*) Pufend. de J. N. Lib. II. C. III. §. 19. & 20. & Elem. jur. univ. Lib. II. axiom. 2. §. 1. Ludovici in delin. hiſt. jur. divini §. 102. & §. 106. & plenius in dubiis circa hypoth. de princ. J. N. §. 3. ſeq. (*f*) Vid. reſol Dub. circa hypotheſin noſtram de princ. Jur. Nat. Dub. 7. n. III.

Digitized by Google

cognoſcendi doctores intelligant, non ſatis explicant: *vel* enim intelligunt medium probandi, & demonſtrandi voluntatem divinam; *vel* intelligunt regulam quandam generalem, ſeu propoſitionem quandam univerſalem, ſub qua omnes, & ſingulæ leges naturæ continentur, adeoque hac poſita ſingulæ naturæ leges neceſſario ſequuntur.

§. LXVI. *Priori* ſenſu media demonſtrandi, & cognoſcendi, improprie *principium juris naturalis* vocantur, quia media probandi neque ſunt primum principium diſciplinæ, neque hujus diſciplinæ propria; immo non hujus, ſed alterius diſciplinæ, ſc. logicæ, quæ non modo artificialis, ſed & naturalis, adeoque aliena ſunt a noſtra diſciplina: ſed & ex aliis diſciplinis petuntur media probandi, item ex natura hominis, animæ, rerum, atque adeo ex Phyſica, Pneumatologia, &c. Hæc vero, quis *principia juris naturalis* dixerit?

§. LXVII. Verius ergo eſt, *poſteriori* ſenſu principium cognoſcendi a doctoribus intelligi. Sane, B. THOMASIUS *g* diſerte ait, per primum principium juris naturalis intelligi, vel certe intelligi debere, propoſitionem aliquam, ſub qua reliqua præcepta omnia tamquam ſub axiomate communi comprehendantur. *b*

§. LXVIII. Quæritur igitur, an ſocialitas, ſeu appetitus ille vivendi in ſocietate univerſali, ſit talis regula univerſalis, ſub qua omnia præcepta, & leges naturæ continentur: adeoque an Deus præter ſocialitatem, & inde ſequentia jura, nihil aut juſſerit, aut prohibuerit?

§. LXIX. Equidem jam in præcedentibus probavi, talem ſocietatem univerſalem non dari (*Vid.* §. 24. *ſeq.*) Probavi porro, ſingula voluntatis decreta ſubſiſtere, etſi nulla exſtet ſocietas humana, eaque decreta magis ex perfectione divina, fine creationis, aliisque probandi modis demonſtrari poſſe. (*Vid. ſupr.* §. 36.)

§. LXX. Supereſt ut jam probemus, ex ſocialitate (ponamus enim talem exiſtere) [a] pauciſſima jura ſequi: imo [b] quædam præcepta juris naturæ pugnare cum ſocialitate: [c] quædam eſſe præcepta, quæ ſocialitati conveniunt, at legibus naturæ ſunt contraria: [d] quosdam actus ſocialitati convenientes legibus civilibus prohiberi, quod jure fieri non poſſet: denique, & [e] GROTIUM ipſum pleraque jura naturæ non ex ſocialitate, ſed vel ex jure divino voluntario, vel ex jure Gentium voluntario, vel ex neceſſitate, vel ex innoxia utilitate, vel ſi omnia deficiunt, ex conjecturis voluntatis deducere: adeoque [f] verum non eſſe, ſocialitatem eſſe regulam generalem, ex qua omnia naturæ præcepta ultimo, & per neceſſariam ſequelam, fluant.

§. LXXI. Nam *I.* pauciſſima ſaltem jura ex ſocietate, ſi talis inter homines eſſet, deduci poſſe, certum eſt. Ex toto enim hoc theoremate, quod natura, ſeu creator ſocietatem inter omnes homines voluerit, nihil amplius rite concludi poteſt, quam ea, quæ deſtruunt, aut tollunt hanc ſocietatem, prohibita eſſe: hæc vero quantulacumque pars eſt juris naturalis, & ad homicidia, latroci-

(*g*) Inſt. Jur. divin. Lib. I. C. IV. (*b*) Conf. FLEISCHER de Jur. Nat. & Gent. C. 6. §. 4. pag. 167. Joh. Jac. à RISSEL de Jur. Nat. & Gent. C. 4. §. 1. pag. 21. PHILIPPI in Diſ. quam inſcribit: primum falſum communiter hactenus receptum. LUDOVICI Dub. circa Jus Nat. GRIBNER de Princ. Jur. Nat. proleg. C. I V. §. 1. & 2.

trocinia, & pauca ſimilia pertinet. Quod vero præter cuſtodiam ſocietatis nihil voluerit Deus, quod nulla alia jura conſtituerit, uti dictu facile, ita probatu impoſſibile eſt. Nam ſi præterea quid ad certum finem fecit, ac condidit, ex illis quoque factis inferri voluntas Dei præcipiens poteſt, cum ex factis æque, ac ex verbis apparere poſſit voluntas facientis *i*. Unde Apoſtolus cum oſtendere vellet, jus naturæ gentibus cognitum fuiſſe, provocat ad univerſam creationem, non ad ſocietatem humanam; & ex illa, non ex hac, oſtendit voluntatem creatoris *k*. Non debuit igitur tam temere dici, non eſſe alia juris naturalis præcepta, quam quæ ex ſocietate humana inferri poſſunt, ex qua pauciſſima rite poſſunt deduci.

§. LXXII. Sane, plurima eſſe juris naturæ capita, quæ ex ſocialitate non ſequuntur, nunc demonſtrandum eſt. Ita enim 1. *cultus Dei* prima juris naturæ lex eſt; neque tamen ea fluit ex cuſtodia ſocietatis, quia ſocietas humana jus tantum inter ſocios efficit: non ergo cum creatore. Neque regeri poteſt, jus colendi Deum non deduci ex jure naturæ, ſed antea jam ſupponi; nam contradictio videtur, principium juris univerſale & adæquatum eſſe, & tamen quædam extra illud ſupponi. Illud enim demum verum principium eſt, in quod omnia jura reſolvuntur. JCti Romani poſtquam jus naturæ definierunt, *quod ratio naturalis*, (i. e. Deus) *inter omnes homines conſtituit l*, hæc conſectaria faciunt in lege ſequenti: *velut erga Deum religio &c.*

2. *Idololatria, & Polytheiſmus* crimina ſunt, ob quæ ſanctiſſimum numen præcipue ſeptem populos damnavit; neque tamen iis turbatur ſocietas humana, quin potius pleræque gentes ſalva ſocietate crimina ea profitebantur, hodieque profitentur.

3. Jus aliquod datur inter *homines*, & *angelos*; neque tamen inter eos eſt ſocietas. Sane, nec hominibus licitum eſt in angelos injurias, v. g. convitia evomere, nec angelis jura hominum ipſis auferre.

Neque *obſtat*, jure naturæ ignorari officia inter homines, & angelos, quia ratio exſtare angelos neſcit *m*. Reſp. Unde apparet, rationem ignorare angelos? Quod ſi enim conſideret, hominem a Deo conditum rem ex ſpiritu, & corpore compoſitam eſſe; facile colliget, reſpiciendo ad infinitam Dei potentiam, & majeſtatem, conditos quoque eſſe ſpiritus corpori non mixtos, qui & longe præſtantiores ſunt, ac potentiores. Equidem gentilium Philoſophi unanimiter prope potentias inter Deum, & homines medias ſtatuerunt, & pro Diis coluerunt; quæ & idololatriæ cauſa præcipua fuit. Neque vero adeo remoti ſunt angeli a conſortio hominum, ut non experimento aliquando homines intelligere potuerint, eſſe potentias creatas inviſibiles, & ſpiritus etiam bonos, & malos. Neque enim credendum eſt, conſenſum omnium gentium in diverſis orbis partibus abſque ratione in hanc ſententiam conſpiraſſe *n*. inprimis cum ſacra ſcriptura nobis hujus rei fidem faciat, adeoque id, quod ratio nobis ſuppeditat, confirmet.

4. *Sodomiæ* crimen juri naturæ repugnat, neque tamen illa ſocietas vel turbatur, vel evertitur. Sane, omnes gentes,

(*i*.) Leg. 5. ff. rem rat. hab. Leg. fin. §. fin. ff. de divort. Leg. 95. ff. de acq. hæred. Leg. 23. §. 1. ff. de legibus. (*k*) Rom. 1. ℣. 19. & 20. (*l*) Leg. 1. §. 4. de Juſt. & Jur. (*m*) Ludovici delin. hiſt. §. 105. (*n*) Conf. reſol. dub. §. 21. n. 1. ſeq.

tes, modo non ſint plane feræ, aut barbaræ naturæ, hoc crimen repugnare ſtatuunt; unde & Apoſtolus ſodomiæ prohibitionem juri naturæ tribuit, & ideo gentes in id committentes graviſſime coarguit [o]. Quin ideo gentes exſtirpatas legimus [p], & urbes quarundam gentium igne cœleſti ideo conflagraſſe creduntur.

Neque *obſtat*, prohibitionem ſodomiæ ex ratione demonſtrari non poſſe, ſed eam ex jure poſitivo univerſali demum ſequi [q]. At prætetrea quod tale jus divinum voluntarium univerſale non exiſtat, (cum gentes lumen revelationis non habuerint. *Vid. Diſſ. proœm. III.*) non niſi ex lumine rationis, ad quod Apoſtolus expreſſe provocat, cognoſcere potuere, crimen id eſſe. Sed & in ipſo tractatu *Grotiano* rationibus demonſtrabimus, ſodomiam juri naturæ repugnare.

5. *Inceſtus* non contrariatur ſocialitati, quin potius ad multiplicanda amoris vincula conduceret, & tamen jure naturæ prohibetur.

Equidem B. Ludovici, negat, prohibitionem inceſtus ex jure naturæ deduci poſſe. Sed cum inter præcipua crimina, propter quæ totæ gentes exciſæ ſunt, inceſtus referatur [s], cum Apoſtolus inceſtum, etiam inter affines, gentibus interdictum teſtetur [t], omnesque gentes moratiores in id conſentiant; neceſſario ſequitur, ex lumine rationis id ipſis cognitum fuiſſe, quia revelationis lumen illis nullum fuit. Sed & evidentiſſime criminis hujus atrocitas ex ipſo lumine naturæ ſuo loco demonſtrabitur. [u]

Inſtat B. Ludovici, nullam eſſe conſequentiam, *gentiles, qui S. ſcripturam non habuerunt, hoc vel illud factum pro turpi reputaſſe, ergo hoc ex ſolo rationis ſibi relictæ dictamine cognoverunt;* hauſiſſe enim multa ex traditionibus. Sed & probari non poſſe, apud omnes gentes quaſcunque inceſtus ſpecies, quæ in S. S. prohibentur, pro turpibus habitas fuiſſe; unde concludit, leges, quibus inceſtus prohibebantur, inter gentes fuiſſe poſitivas univerſales, & ideo aſſeri in ſacra hiſtoria, Deum gentes puniviſſe. At 1. neceſſario ſequitur, *gentes ſi quid communiter pro turpi habent, ex ſolo lumine rationis id hauſiſſe*, quia aliud lumen non habent, neque revelationem eis factam eſſe, conſtat. Nec morari nos debet, quod gentes quædam etiam nuptias cum perſonis in ſacra hiſtoria prohibitis permiſerint: ſufficit enim, apud pleraſque gradus in S. S. nominatos prohiberi, & Deum vicinas gentes ob tales nuptias puniviſſe. Ceterum prohibendi rationem obſcuriorem eſſe, & non niſi remotis argumentis adſtrui poſſe, non diffitemur. Quod vero 2. de legibus divinis poſitivis univerſalibus tradit, infra refutabimus, nec tales leges dari, probabimus.

6. *Promiſcui concubitus* illiciti ſunt natura, non tamen contrariantur ſocialitati; nam e contrario illi ad augendam, propagandamque ſocietatem plurimum conducerent, inque eum finem olim Spartanæ mulieres eos admiſere [v]. Sane, rationi ſocietatis, uti omnium, ita & uxorum inter ſocios communio, quam maxime congrueret.

(o) Rom. 1. v. 25 & 27. (p) Lev. 18. v. 24. ſeq. (q) Vid. Ludov. delin. hiſt. n. 103. & in dubiis §. 16. (r) B. Ludovici d. l. n. 103. (s) Lev. 28. v. 24. ſeq. (t) 1. Cor. 5. v. 1. ſeq. (u) Conf. tract. meus de princ. J. N. p. 2. §. 2. pag. 64. & 65. & Reſol. dubior. pag. 41. (v) Juſtin. Lib. III. C. IV.

Equidem hic quoque prohibitionis rationem in jure aliquo poſitivo univerſali gentibus per traditionem revelato, ponunt. At conſenſus communis gentium, quæ lumen revelationis a Deo non habent, tamdiu pro jure naturæ habetur, donec probetur actum illum licitum eſſe: *nam univerſalis effectus univerſalem requirit cauſam* [x]*; talis autem exiſtimationis cauſa ulla vix videtur eſſe poſſe, præter ſenſum ipſum, communis qui dicitur.* (*Vid.* §. 2.). Sed & verum, & naturale crimen hic ſubeſſe, alibi demonſtrabo.

7. *Adulteria*, poſita ſocialitate, nulla ratione prohibita apparent. Adeoque ex eo principio probari non poteſt obligatio conjugum, & lex matrimonii, ut fœmina non niſi uni viro cohabitet. Quin potius cohabitatio cum pluribus viris amplificat ſocietatem, inprimis ſi conjugium eſt ſterile.

Inſtas: dolores, & inimicitias adverſus adulteros inde oriri, adeoque pacem externam turbari. Reſpondeo 1. injuria inciperet a marito, qui quod ex lege ſocialitatis prohibitum non eſt, alii negat. 2. Quid, ſi maritus, de cujus jure agitur, conſentiat? Sane, hoc caſu non turbatur pax externa, adeoque adulterium hoc ſaltem caſu ex ſententia adverſariorum crimen non erit. Quid ſi 3. lex adulteria permitteret, vel ſaltem non puniret, nec marito facultatem vindictæ concederet? Nam hoc quoque caſu pax externa non turbaretur.

Prohibitio igitur hæc ex alio principio deduci debet, nimirum, ex natura ipſa conjugii: uxor enim amorem, & conſuetudinem ſoli marito promittit, & debet (ex qua ſibi liberos, & a ſe alendos, ſibi ſuos hæredes, ſibi nominis, familiæ, omniumque fortunarum ſucceſſores procreari putat, & ſperat); hanc ſpem, fidemque uxor fallit, amorem illum in alios transfert, & hoc cum adultero agit, ut ea omnia alienis, ſpuriis, & adulterinis liberis concedantur, illique nefanda fraude, ac impoſtura mariti familiæ, cum ipſius, totiuſque poſteritatis legitimæ injuria, & detrimento maximo, perpetuo inferantur.

8. *Autocheiria* non evertit ſocietatem, immo nec inde verenda multum eſt ejus turbatio, quia qui ſe ipſum interficit, in ſe, non in ſocietatem ſævit, & cum vivendi cupido naturalis ſit hominibus, pauciſſimi invenientur hujus criminis rei; hinc illa licentia ex alio fonte reſtringatur neceſſe eſt.

Equidem objici ſolet, hominem, quicunque ſit, non propter ſe ſolum, ſed propter alios creatum eſſe, ut & aliorum utilitatem promoveat, re, conſilio &c. Hoc enim eſſe ſocialiter vivere [y]. Reſp. [a] ponamus hominem adeo inhabilem, ut nulla penitus ab eo in ſocietatem utilitas redundare poſſit, & qui nonniſi oneri aliis ſit; non tamen ei ſe occidere licet. [b] Quin ponamus hominem habitu tam vitioſo, ut nemini bene, omnibus male agere ſatagat, autocheiria tamen ipſius crimen eſt, etſi his caſibus totus ille prætextus utilitatis aliorum ceſſet. [c] Inde ſequeretur, Adamum, cum ſolus fuit, occidere ſe potuiſſe: non enim peccaturus fuiſſet in ſocietatem, quæ tunc non exſtitit; adeoque beneficia illi conferre, vel re, aut conſiliis prodeſſe, non potuit. [d] Quæcunque autem officia fingamus, quæ homo debeat ſocietati, non ultra debet, quam ſocius eſt, & manet: uti civis, qui ad munera

(x) Grot. Lib. I. C. I. §. 12. n. 1.

(y) Ludov. in dub. circa hypoth. §. 19.

Digitized by Google

munera civitatis ex inſtituto tenetur, libere tamen e civitate migrare poteſt, JCto quoque docente [z]; qua migratione facta, ceſſat omnis illa obligatio ad munera. Nihil autem intereſt hactenus, diſcedendo, an decedendo deſinat eſſe ſocius, ſeu civis. Ex alio igitur principio derivanda eſt hæc prohibitio, & tali quod vim habeat probandi, ſublata quoque omni ſocialitate.

9. *Cultus quoque parentum* nullo modo ex hoc principio ſequitur: non enim eo cultu neglecto ſocietatem everti neceſſe eſt. Regerit B. LUDOVICI, omiſſionem hanc cultus turbare ſocietatem; filios enim non obedientes eſſe auctores rixæ, & cauſam dare parentibus vi eos juſte corrigendi [a]. Verum hæc iterum principium petunt, & gratis aſſumitur, quaſi ex ſocialitate ſit, quod filii non parendo ſint auctores rixæ, non vero parentes jubendo; quod parentibus jus vi cogendi competat, idque juſtum ſit. Nam e contrario ex ratione ſocietatis potius æquales ſunt homines, eoque jus quoddam fraternitatis inter eos obtinet [b]; par autem parem cogere nequit. Ex ſocialitate igitur diſcerni, & conſtitui nequit, quis auctor rixæ habendus. Non magis, quam ſi alii duo viri in ſocietate eſſent, & alter aliquid exigeret, alter negaret; tunc enim ex ſocialitate utique decidi non poſſet, cujus jus eſſet. Neceſſario igitur ex alio principio decidendum erit, cujus jus ſit; quo definito, id ipſi præſtandum erit, etſi nulla inter eos eſſet ſocietas. Male igitur *cuſtodia ſocietatis* unicum principium hujus juris cognoſcendi conſtituitur, cum æque, & magis ex modis demonſtrandi communibus probetur, voluiſſe Deum parentes coli. Et cum ex natura ſocietatis potius æqualitas inter utrumque ſequatur, tota ceſſat ſequela: *Deus homines ſociales fecit, ergo liberi parentes colere tenentur*; & e contrario ita argumentandum eſſet: *Deus homines æquales, & ſocios fecit, ergo alter alteri parere non debet.*

10. Non ſequitur ex hoc principio, *pacta, & promiſſiones ſervandas eſſe.* Neque enim cum B. LUDOVICI [c] aſſerere poſſumus, *pacta ſervanda eſſe per remedia compulſiva, quia alias violaretur ſocietas, & pax inter contrahentes.* Nam [a] inde ſequeretur, quod ſi pax inter contrahentes non turbaretur, promiſſis ſtandum non ſit; nunquam ergo ſumma poteſtas, quæ ſubditorum alicui fidem dedit, ex hoc pacto obligaretur, quia nulla vis compulſiva in eam obtinet, adeoque nullus metus turbandi ſocietatem hic ſubeſt. [b] Hoc ipſum quæritur: an ex ſocietate humana ſequatur, alterum ſtare promiſſis debere, et ſi non ſtet, an adigi poſſit per remedia compulſiva? & hoc eſt quod nego, & quod probari prius ex aliis principiis debebat. Quamdiu id non ſit, non turbatur ſocietas ab eo, qui non ſtat promiſſis, ſed ab eo, qui vim adhibet. Sed & [c] falſum eſt, turbari ſocietatem humanam lite inter duos orta. Quid enim intereſt gentium Ameticanarum, an cives Brandenburgenſes inter ſe litigent, & alter alterum ad ſervanda pacta compellat? Denique [d] ponamus, ex eo, quod Deus homines voluerit ſociales, ſequi, pacta ſervanda eſſe: hic tamen modus probandi non eſt unicus, ſed magis ex noſtris principiis hæc obligatio deduci poteſt. Licet enim nulla ſocietas inter homines

 exi-

(z Leg. 12. §. 9. ff. de Capt. & poſtl. revers. (a) In reſolut. dub. §. 22. (b) Leg. 63, pr. ff. pro ſoc. (c) In reſolut. dubiorum ad dub. 18.

exiſtat, certum eſt, me alteri jus, quod voluntate mea in eum transfero, tribuere debere; idque vi facultatis, quam creator mihi de jure meo diſponendi conceſſit.

11. *Jura ſucceſſionum* (quæ omnino a natura ſunt) non ſequuntur ex ſocietate. Non enim turbatur, nedum evertitur ſocietas humana, ſi bona defuncti fierent nullius; quia liberi ipſi facultatem occupandi res alias habent, & natura omnia omnibus ſufficiunt.

12. *Condictiones* quoque dicuntur eſſe juris gentium [d]; cujus rei fons fruſtra in ſocialitate quæritur, utpote cui potius repugnat, ipſis quoque dominis res ipſorum proprias (res enim condicitur tantum ab eo, qui mea voluntate dominus factus eſt) auferre. Unde nec jure civili regulariter tales editæ fuere actiones [e]: *at* ex æquitate naturali, citra omnem ſocialitatis rationem, condictiones jure Romano datæ ſunt, quibus condicitur quod in alterum ſive ex errore &c, eſt translatum; quia dominus ille locupletior fieret cum alterius jactura; cujus rei principia alibi explicabimus.

13. *Falſum teſtimonium dicere* repugnat naturæ, non vero ſocietati: neque enim turbatur humana ſocietas ſi alter mentitur, eoque jus forte mihi quæſitum aufert, jus unius læditur, non vero aliorum, nedum jus totius humani generis.

§. LXXIII. Porro, & *II.* ſocialitatem non eſſe probandi modum, nedum modum probandi univerſalem, vel exinde patet, quia quædam jure naturæ licita ſunt, quæ tamen directe cum ſocietate pugnant. Quo pertinent

1. *Jura bellorum.* Nam licentia, quæ in bello obtinet, interficiendi, vaſtandi, & prædandi, quam & ſacrarum litterarum auctoritas permittit, adeo a ſocietatis cuſtodia definiri nequit, ut potius deſtructio ſocietatis inde inferatur.

Equidem B. LUDOVICI [f] regerit, bella offenſiva non eſſe licita, bella autem defenſiva ſtare poſſe cum ſocialitate, quia nemo ſe ſocialem ultra gerere tenetur, quam alter talem ſe gerit: & defenſionem licitam eſſe, quoties offenſio injuſta eſt; nec eum de rupta ſocialitate queri poſſe, qui prior eam rupit. Sed reſp. [a] generaliter aſſeri nequit, bella offenſiva licita non eſſe. Nam ea, quæ tendunt ad recuperandum jus ablatum, etſi turbent pacem externam, non tantum licita, ſed & neceſſaria eſſe, ſacræ litteræ quoque, & communis conſenſus omnium gentium probat: & ſic conceditur, quædam bella (quæ licita tamen natura ſunt) ſocietati repugnare. Quæ vero [b] de bello defenſivo dicuntur, principium petunt. Etenim princeps, qui levem forte injuriam principi vicino intulit, non violat ſocietatem humanam, nedum eam evertit; ſed ille potius, qui ad vindicandam illam injuriam arma ſumit, turbat pacem publicam: adeoque ex aliis principiis probari debet, etiam levem injuriam, quæ ſocietatem humanam non turbat, armis vindicari poſſe, etſi non ſocietas, ſed ſinguli læduntur. Sed & ponamus, [c] eum, qui injuriam infert, ſocietatem humanam lædere; negari tamen nequit, magis pacem affligi per vindictam. Utraque igitur pars belligerantium quod vi facit, omnino contra pacem externam, & ſic contra ſocialitatem agit: adeoque poſito principio ſocialitatis, utriuſque factum prohibitum eſſet

(*d*) Leg. 25. ff. d. act. rer. amot. leg. 64. leg. 66. ff. d. cond. ind. arg. leg. 1. §. f. ff Cond. ſin. cauſ. & leg. 32. ff. d. reb. cred. (*e*) propter leg. 11. ff. de R. J. (*f*) In dub. 14.

Digitized by Google

eſſet; quod tamen plane falſum eſt. Ut igitur [d] appareat, quis eorum jure fecerit, non ex ſocialitate, vel pace externa, quæ utrinque ſublata eſt, ſed ex aliis principiis diſcendum eſt; & tum unus jure, alter injuria ageret, etſi nulla inter homines ſocietas eſſet. Quæ omnia ex noſtro principio accurate definiuntur, ex ſocialitate nentiquam.

Experitur hoc ipſe B. LUDOVICI *g*; unde alias regulas aſſumere cogitur ut hoc definiat, ſcilicet, *quod non tenear me ſocialem exhibere, niſi & alter ſe talem gerat: quod defenſio juſta ſit, ſi offenſio injuſta: quod de ſe queri debeat, qui prior rupit.* Igitur ex aliis regulis, quam ſocialitate, hoc decernitur. At hæ regulæ gratis ſupponuntur, nec ex ſocialitate demonſtrantur. Sed nec generaliter veræ, nec indiſtincte ex jure naturæ ſunt; quin ex ſocialitate ne quidem jus tuum, vel meum ſecerni, ac definiri rite poteſt. Cum enim a natura homines facultatem in omnia habeant, ſocietatis ratio eam non minuit, ſed auget. Demonſtrandum igitur inprimis aliunde eſt jus unius partis præ altera, & hoc qui violat, is demum offendit, rumpit, & de ſe queri debet, etſi nulla eſſet ſocietas. Neque adeo poteſt hæc diſciplina cum tali principio non in infinitum vagari, aut ullibi pedem figere.

2. *Matrimoniorum omiſſio* poſita ſocialitate eſſet crimen, cum tamen quilibet jure naturæ matrimonio abſtinere poſſit: quod vero omiſſio illa crimen in ſocietatem ſit, vel ex eo apparet, quia neceſſaria ſunt matrimonia ad cuſtodiendam, & augendam ſocietatem.

Equidem regerit B. LUDOVICI *b*, *homines omnino ad matrimonia obligari, ſed ita, ut obligatio ſingula individua non ſtringat ſi alii ſufficiant procreandæ proli, aut non poſſint uxorem alere; quia præcepta affirmativa ad ſui impletionem commodam occaſionem requirant.* Reſp. [a] Si ſocietas eſt principium adæquatum juris naturæ, ſequitur, omnes homines eo æqualiter obligari. [b] Quid vero inanius fingi poteſt, aut magis ſecum pugnans, quam hæc ſententia, homines obligari ad matrimonia, non tamen ſingulos, ſi ſat multi operam liberis dant. Quis enim hoc definiet? Et ſi nulli, aut pauci operam iis darent, quis diſcernet qui cogendi ſint, qui non ſint? Et quis umquam talia finxit? [c] Obligatio per naturam fingi nequit, niſi definitæ ſint perſonæ, quæ obligentur; igitur aut omnes, aut nulli erunt obligati ad matrimonia, alioquin numerus obligatorum definiri nequit. [d] Sed nec exitum res habere poſſet, ſi quis cogendus eſſet ad nuptias, & fœmina, quam eligit, nubere ei nollet; aut ſi nulla vellet, fœmina quoque quædam cogenda eſſet, non modo ut nuberet, ſed ut huic nuberet; quod naturæ matrimonii, quod libero conſenſu contrahitur, repugnat. [e] Omnium minime autem ex ſocialitate id ſtatui potuit; ex quo principio promiſcui concubitus magis, quam matrimonia defenduntur: nihilque magis illi obeſſet, quam coacta matrimonia, & triſtes ſæpe, ſocietatemque valde læſuri, eorum exitus. [f] Sed etſi cogerentur homines ad matrimonia ineunda, an & cogendi eſſent ut coirent, & liberos procrearent? quæ hæc ſententia? [g] Quis bruta obligat, & cogit ad conjunctionem maris, & fœminæ? Neque tamen inde ab orbe condito ulla eorum ſpecies defe-

(*g*) Vid reſolut. dub. pag. 38. & ſeq. (*b*) In reſolut. dub. 20.

deficit, aut exſtincta eſt, ſed omnia genera hucusque ubertim propagata ſunt. Scilicet, ſapientiſſima natura, ſeu creatoris providentia, tantum conjunctionis corporum ſtudium indidit utrique ſexui, ut nihil minus verendum ſit, quam ut defitura umquam ſit procreatio hominum; idque res docet: etſi enim per univerſum orbem libera ſunt matrimonia, nondum tamen uſque ceſſavit procreatio prolis.

3. *Pœna* quoque *mortis* tantum abeſt ut firmiter inferri ex ſocietatis ſtudio poſſint, ut rationibus ejus magis adverſentur; nam aliis modis, v. g. operibus publicis, magis ſocietas promoveretur. Regerit B. LUDOVICI [i], *quamvis hæ ex præcepto juris naturæ non poſſent inferri, nihilo minus tamen ſtudium ſocialitatis non prohibet, quo minus talis pæna ſtatui in republica poſſit contra illum, qui vincula ſocietatis rupit.* Reſp. [a] Pœnas mortis omnino ex præcepto naturæ quoque in quibuſdam criminibus inferri, uti in homicidiis [k]. Sane, lex naturalis eſt, ut qui ſanguinem effundit, ejus ſanguis effundi debeat; quod ex lumine rationis agnovit Cainus parricida [l], & conſenſus gentium probat: idque more ſuo ſolide demonſtravit B. PARENS [m]. Nulla autem ratione pœna mortis ſequitur ex ſocialitate, ut conceditur. Ea igitur non eſt adæquatus modus cognoſcendi jura naturæ. Reſp. [b] Quin nec potuit ſalvo iſto principio ſtatui, pœnas mortis permitti poſſe; quia conſervationi ſocietatis repugnat ſocios occidi; & contra ei valde conducit, ut puniantur operis præſtandis ad communem utilitatem.

§. LXXIV. Qua, quæſo *III.* ratione afferi poteſt, omnia juris naturæ præcepta neceſſario ex ſocialitate inferri, cum 1. multa ſint capita juris naturæ, quæ augent ſocietatem, eamque conſervant, & tamen jure naturæ tamquam turpia prohibentur? Idque in præcedentibus demonſtravimus exemplis *promiſcui concubitus adulteriorum*, ſi ſcilicet ſterile ſit conjugium, &c. 2. Multa jure naturæ permittantur, quæ ſocietati, ejuſque utilitati repugnant; quo *pœnas mortis* retulimus.

§. LXXV. Poſita *IV.* ſocietate, injuſtiſſima foret lex civilis, quæ prohibet nuptias cum pluribus fœminis, &c. Talis enim lex, utpote ſocialitati contraria, neque ferri ſalva conſcientia, neque vinculum ſubditorum animis injicere poſſet, quia multitudo procreationum facit ad augendam, & promovendam ſocietatem, quam proinde illa prohibitio turbaret.

§. LXXVI. Denique & *V.* GROTIUS facto ipſo agnovit, non ſufficere ad eruenda ſingula naturæ jura cuſtodiam illam ſocietatis, quia in toto opere ſuo vix ullam quæſtionem, cui aliquid momenti ineſt, ex hoc principio ſolvit, ſed perinde, ac ſi nullum principium hujus diſciplinæ proprium eſſet, omnia ex aliis aliunde precario acceptis rationibus decidere fatagit.

I. Atque hinc, deficiente jure ſociali, vel recurrit ad *jus* aliquod *naturæ laxius*, ſeu ad præcepta Ethices, quæ ſaltem obligant in foro poli; cum tamen præcepta, quæ ad *jus ſociale* refert, verum jus tribuant etiam intuitu aliorum: vel ad *jus divinum voluntarium univerſale*, nimirum, ad jus *Adamiticum*, *Noachidicum*, & *legem Evangelii*; cum tamen jura ejusmodi univerſalia, diverſa a jure naturæ non exiſtant. *Vid. Diſſert. proœm. III.* Et ſi nihil aliud occurrit, *ex meris conjecturis* ſatis longe petitis jura

(i) In reſolut. dub. 18. (k) Vid. diſp. B. Par. de S. S. talionis jure. (l) Gen. 4. v. 14. & 15. (m) in dicta diſſertat.

Digitized by Google

ura naturæ deducit; nam quid homines, quid civitates, quid ſinguli, vel cogitarint, vel interrogati reſponſuri fuiſſent, quærit: Reſponſum quaſi primorum hominum pro lubitu ſuo fingit, idque pro jure naturæ habet.

Talibus enim conjecturis *II.* nititur totum illud jus dominii, ſeu ſecundum objectum juris, eoque maxima juris naturalis pars. Supponit enim GROTIUS [n], in primævo rerum ſtatu res omnes fuiſſe communes, neminemque hominum ullam rem propriam ſibi dicere potuiſſe, adeoque *dominium* in illo ſtatu incognitum fuiſſe.

Primos autem homines non perſtitiſſe in illa communione, ſed dividere inter ſe res quasdam communes cœpiſſe voluntate expreſſa; aucto autem, & diſperſo humano genere, *tacite inter ſe conveniſſe*, ait, ut ex reliquis rebus indiviſis, quod quisque occupaſſet, id proprium haberet. [o]

Secundum hanc hypotheſin igitur *proprietates ex præſumpto conſenſu primorum hominum* ortæ, & dominia ex voluntate illa tacita, & facto hominum [p] (adeoque ex conjectura voluntatis) introducta ſunt.

Hinc GROTIUS concludit, dominia eſſe *juris naturalis pro certo rerum ſtatu* [q], quia jura, quæ ex dominii vi, & natura ſequuntur, non ſimpliciter, nec mere juris naturalis ſunt, adeoque ante illud factum hominum, & ante illam voluntatem tacitam, non obtinuerunt. [r]

Sed. & *III.* uti dominium, ita & effectus ſingulos dominii ex meris conjecturis, i. e. ex vagis, & cerebrinis præſumptionibus, deducit.

Nam [a] demonſtraturus obligationes quæ *ex re oriuntur*, diſtinguit inter res exſtantes, & non exſtantes. *Si res exſtat* apud alium, ideo poſſeſſorem ad ejus reſtitutionem domino teneri, fingit, *quia introducto dominio* (ex conjectura nimirum voluntatis) *omnes domini videntur* (ex nova conjectura voluntatis) *ſocietatem quamdam contraxiſſe, ut qui rem alienam habet, eam reſtituat domino* [s]. Atque ex hoc contractu univerſali omnes homines teneri, & ex eo jus quoddam rei domino acquiri, ait [t]. Unde varias decidit quæſtiones. [u]

Si res non exſtat, ex alia conjectura voluntatis reſtituendi obligationem infert, *quia ſcilicet generi humano tum placuit, ut ſi locupletior factus eſt is, apud quem res periit, id domino reſtituatur, quia dominia ad æqualitatem ſervandam introducta ſunt* [v]. Unde itidem varia jura deducit. [x]

IV. Ideo, ait, auferri res domino non poſſe [y], *quia introducto dominio voluntate hominum, naturale eſt, rem, quæ ex tacita voluntate hominum*, (adeoque ex conjectura illa voluntatis,) *ſemel mea facta eſt, eripi mihi non poſſe* [z]. Unde furta hactenus jure naturæ (pro certo, nimirum, rerum ſtatu) vetita [a], & jus arcendi alium ex dominio nobis competere, ait. [b]

V. Introducto dominio (ex conjectura illa voluntatis,) ſucceſſiones quoque in familia naturales eſſe, ait, eas-

(*n*) Vid. infra C. III. §. 4. (*o*) Lib. II. C. II. §. 2. n. 4. & 5. Lib. II. C. IX. §. 1. n. 2. (*p*) Lib. I. C. I. §. 10. n. 4. Lib. II. C. II. §. 1. n. 5. (*q*) Lib. II. C. VII. § 2. n. 2. & 14. Conf. cap. ſeq. (*r*) Lib. II. C. VII §. 2. n. 1. Conf. Lib. I. C. I. §. 10. n. 4. (*s*) Lib. II. C. X. §. 1. n. 2. & 4. Lib II. C. XVI. §. 26. n. 2. (*t*) d. num. 4. (*u*) d. n. 4. (*v*) Lib. II. C. X. §. 2. n. 1. (*x*) d. C. X. §. 5. 7. & 8. (*y*) Lib. I. C. II. §. 1. n. 5. (*z*) Lib I. C. I. §. 10. n. 4. (*a*) d. num. 4. (*b*) Lib. I. C. II. §. 1. n. 5. Lib. II. C. VI. §. 1. Lib. II. C. XX. §. 43. n. 1.

easque ex novis conjecturis deducit. Nam *cum nemo præſumatur bona ſua velle cedere occupanti*, inde concludit, bona ejus eſſe intelligi, *cujus voluiſſe defuncti maxime erat probabile; credi autem quemque voluiſſe quod æquiſſimum, & honeſtiſſimum eſt.* [c]

Atque ex hac conjectura voluntatis [a] liberos ſuccedere parentibus, ait, *quia parentes creduntur id velle, ut liberis quam optime proſpectum ſit* [d]. Ceſſare autem illam conjecturam per contrariam conjecturam [e]. [b] Ex eadem æquitate ortum eſſe jus, exiſtimat, quo nepos ſuccedit in locum filii [f]. [c] Deficientibus liberis inſpiciendum eſſe, ait, *quæ in dubio credenda ſit fuiſſe voluntas inteſtati* [g]; ibique [d] pro certo habendum, *noluiſſe defunctum perdere beneficii memoriam, indeque videndum eſſe, quis ſit in beneficiis ordo naturalis* [h]. Atque ex hac conjectura [e] præfert in ſucceſſione ab inteſtato fratrem, quia ab ejus parente defunctus bona acquiſivit [i]. [f] Si non reperiatur is, a quo proxime bona venerunt, vel ejus liberi, *æquum eſſe*, ait, *ut gratia referatur illis, quibus poſt illum proxime debetur.*

Equidem [g] hanc conjecturam voluntatis in ſolis *bonis avitis* locum habere, fingit; in *noviter acquiſitis* autem, inquit, credendum eſſe, *defunctum deferre voluiſſe hæreditatem ei, qui cariſſimus ei fuiſſe creditur* [k]: Eum autem eſſe qui gradu cognationis proximus eſt. [l]

Sed, & [h] ait, *credi quemque id de ſua ſucceſſione ſtatuiſſe, quod lex, aut mos habet populi:* eamque conjecturam etiam in Principum hæreditate, quin in ſucceſſione regni patrimonialis valere, *quia reges probabiliter creduntur in rebus ſuis æquiſſimum judicaſſe, quod aut legibus ſanxerunt ipſi, aut moribus probant* [m]. At [i] in regnis ex voluntate populi familiæ delatis *præſumi populum id voluiſſe, quod magis expedit;* indeque ſtatuit, tale regnum eſſe individuum, quod ad deſcendentes ſaltem legitimos pertineat [n], & inter eos ad primogenitum; & quidem primo ad mares, tum ad fœminas. Hinc [k] concludit, regnum tale eſſe quandam hæreditatem, ſed quam ſucceſſor adire poſſit ſine privata hæreditate, *quia populus regnum voluiſſe creditur quam optimo jure deferri.* [o]

Tota igitur ſucceſſionum materia hic non ex aliqua ſocialitate, ſed ex meris conjecturis deducitur.

Porro & *VI.* ex conjectura voluntatis demonſtrat, homines, etſi tacito conſenſu a prima communione receſſerint, eoque dominium ſua voluntate introduxerint, excepiſſe *caſum neceſſitatis.* In graviſſima enim neceſſitate, reviviſcere, ait, jus priſtinum, quod communiter hominibus in res competit, tamquam ſi communes manſiſſent [p]. Rationem hujus conjecturæ affert, quod ſpectandum ſit *quæ mens fuerit eorum, qui primi dominia ſingularia introduxerunt; eam autem credendam eſſe talem fuiſſe, ut quam minimum ab æquitate naturali receſſerit* [q]. Unde concludit, res in dominos diſtinctas cum benigna quadam receptione juris primitivi videri [r], & tum pergit: *Si enim primi diviſores interrogati fuiſſent, quid de ea reſentirent? reſpondiſſent: ſe excepiſſe neceſ-*

(c) Lib II. C. VII. §. 3. (d) Lib II. C. VII. §. 5. n. 2. (e) d. C. VII. §. 7. (f) d. C. VII. §. 8. (g) d. C. VII. §. 9. n. 1. (h) d. §. 9. num. 2. (i) d. §. 9. n. 2. & 3. (k) d. C. VII. §. 10. n. 1. (l) d. §. 10. n. 1. (m) Lib. II. C. VII. §. 11. & 12. (n) d. C. VII. §. 13. usque ad 19. (o) d. C. VII. §. 19. (p) Lib. II. C. II. §. 6. n. 2. Lib. II. C. XVIII. §. 4. n. 6. (q) d. §. 6. n. 1. (r) d. §. 6. n. 4.

Digitized by Google

neceſſitatis caſum [s]. Atque ex hac neceſſitate plurima jura deducit [t].

Præterea *VII.* fingit, homines a primæva communione recedentes, (i. e. dominium ſuo facto, & voluntate introducentes) excepiſſe caſum *innoxiæ utilitatis. Proprietatem enim, ſeu dominium non abſorpſiſſe*, ait, *jus illud, quod ex communi rerum ſtatu naſcebatur; ſi nimirum res mihi prodeſt, & aliis non nocet.* Adeoque etiam poſt dominia introducta ex veteri communione reſtare *jus utilitatis innoxiæ*, ſtatuit [u]. Rationem hujus conjecturæ eandem dat, quæ eſt in *neceſſitate;* quia dominium introduci potuit cum receptione talis uſus, qui prodeſt his, illis non nocet; *ideoque dominii auctores id potius cenſendos eſſe voluiſſe* [v]. Atque ex hac innoxia utilitate pariter varia jura deducit [x].

Sed & *VIII.* varias alias quæſtiones decidit ex ſola *conjectura voluntatis.* Nam [α] captivum regem pacem facere poſſe, inde probat, *quia credibile eſt, populum detuliſſe imperium ea lege, ut & a non libero exerceri poſſit* [y]. [β] alienationes regni non valere, nec alienantem ad id, quod intereſt, obligari, ait, *quia credibile eſt, populos regnum deferentes id voluiſſe;* ubi addit rationem præſumtionis, *ne alioqui, ſi ad id, quod intereſt, ſalva eſſet actio contrahenti, ſubditorum bona pro debito regis caperentur, ac ſic de alienando imperio vana eſſet cautio* [z]. [δ] Jus reſiſtendi Principi vim privato inferenti, itidem ex conjectura voluntatis deducit, ſi mortis periculum adſit. Rationem hanc affert; *quia illi, qui ſe primum in ſocietatem conſociant civilem, ſi interrogarentur an velint omnibus hoc onus imponere, ut mori præoptent, quam ullo caſu vim ſuperiorum armis arcere, neſcio an velle ſe ſint reſponſuri, niſi forte cum hoc additamento, ſi reſiſti nequeat niſi cum maxima Reipublicæ perturbatione, aut exitio plurimorum innocentium.* [a]

Denique *IX.* in interpretandis pactis hominum GROTIUS tot ſuppeditat conjecturas [b], ut nulla amplius certitudo in diſpoſitionibus humanis ſuperſit: vix enim caſus dari poteſt, ubi voluntas diſponentis per aliquam ex conjecturis, quas fingit, everti non poſſit.

Atque ex his *X.* ſatis conſtat, GROTIUM plurima pro arbitrio ſuo ponere, ad ſocialitatem vero, id eſt ad principii ſui fontem, vix quicquam reducere, adeo ut totum illud principium *cuſtodiæ ſocietatis humanæ* in univerſo opere prope inane, & otioſum videatur. Quo modo certum eſt, infinitis modis jura variari, & ceræ inſtar fingi poſſe, eoque omne jus naturæ everti.

CAPUT III.

De Jure Naturæ pro certo rerum ſtatu.

§. LXXVII. GROTIUS quædam eſſe juris naturalis, ſtatuit, non *ſimpliciter*, ſed *pro certo rerum ſtatu* [c]; indeque diſtinguit

(s) d. §. 6. n. 4. (t) d. §. 6. n. 2. 3. & 4. L. III. C. I. §. 5. n. 3. L. II. C. II. §. 10. L. II. C. VI. §. 5. L. II. C. VIII. §. 4. n. 6. L. III. C. XXIII. §. 5. n. 3. & C. XX. §. 37. L. II. C. I. §. 4. (u) L. II. C. II. §. 6. n. 1. §. 10. in fine & §. 11. (v) L. II. C. II. §. 13. n. 1. (x) d. §. 10. 11. & 12. (y) L. III. C. XX. §. 3. (z) L. III C. XX. §. 5. num. 1. (a) L. I C. IV. §. 7. n. 1. & 2. Conf L. II. C. XII. §. 12. n. 1. (b) L. II. C. XVI. (c) L. I. C. I. §. 10. n. 7.

præcepta naturalia ſimpliciter, ſeu mere naturalia, ab his, quæ *pro certo ſtatu* ſunt naturalia [d].

Ad ea, quæ juris naturalis ſunt *ſimpliciter* [e], adeoque quæ ad jus naturæ *merum* [f] pertinent, refert ea, *quæ citra voluntatem humanam exiſtunt* [g]. Ad jura naturalia autem, quæ *pro certo rerum ſtatu* obtinent, refert ea, *quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur* [h]. Quod ſyſtema ex ſequentibus exemplis magis illuſtrabitur.

§. LXXVIII. Hanc diſtinctionem in duobus caſibus locum habere, ait G R O T I U S: 1. circa dominia: 2. circa judicia. [i]

§. LXXIX. *Jure* enim *naturæ mero*, & *ſimplici*, nulla fuiſſe *dominia*, G R O T I U S aſſerit, ſed omnes res natura fuiſſe communes [k], adeoque hoc jure neminem [l] rem occupare, eamque ſuam facere, niſi utendo [m], potuiſſe, nec jus hominibus fuiſſe de rebus terræ, utpote communibus, diſponendi. [n]

In hoc ergo rerum ſtatu, adeoque *mero*, & *ſimplici jure naturæ*, nullam vim, nullumque effectum dominii fuiſſe, ait [o]. Aucto vero hominum numero, G R O T I U S fingit, receſſiſſe homines ab illa primæva communione, tum pacto expreſſo, ſcilicet, per *diviſionem* quarundam rerum, tum pacto tacito, nimirum, *conceſſo ſingulis jure occupandi res non diviſas.* (§. 76. *n.* 1.)

Poſita *hac voluntate hominum*, alium ſtatum rerum ſucceſſiſſe, ait; jam enim, ſublata facto hominum communione, 1. jus eſſe cuique res terræ occupandi [p], eoque dominium acquirendi. 2. Nefas eſſe, etiam naturali jure, rem alteri auferre [q]. 3. Cuilibet jus eſſe rem in alium transferendi [r]; & 4. etiam teſtamento rem ſuam alienandi [s]; 5. nec non rem ſuam vi defendendi [t]; 6. Cuique jus eſſe vindicandi a quolibet poſſeſſore rem ſuam exſtantem, vel æſtimationem ejus, ſi non exſtet. [u]

Atque ex his totum illud arcanum de iis, quæ juris naturalis ſunt *pro certo rerum ſtatu*, & quo ſenſu dominium *voluntate hominum* demum introductum ſit, patet.

§. LXXX. Alterum exemplum, quod G R O T I U S ad ea refert, *quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur*, adeoque quæ juris naturalis ſunt *pro certo rerum ſtatu*, ponit in J U D I C I I S. [x]

Jure enim naturæ mero, i. e. ante introducta voluntate hominum judicia, ex hypotheſi G R O T I I quilibet privatus erat vindex ſuæ, & alienæ injuriæ [y]. Poſtquam vero homines in ſocietates civiles coivere, eoque ſuo juri privata vi agendi renunciarunt, *in hoc rerum ſtatu*, fingit, juris naturalis eſſe jus ſuum per judicia conſequi. [z]

§. LXXXI. Equidem nova hæc ſunt nomina citra neceſſitatem efficta, quæ præcipuam juris naturalis partem, nimirum, quæ de proprietate, ſeu dominio agit, obſcuram admodum reddunt, nec ullum uſum in diſciplina juris

(*d*) L. II. C. VIII. §. 26. (*e*) d. §. 10. n. 4. (*f*) L. II. C. VIII. §. 1. (*g*) d. §. 14. n. 4. C. II. §. 1. n. 5. (*h*) d. §. 10. n. 4. (*i*) d. §. 10. n. 7. (*k*) L. II. C. VI. §. 1. L. II. C. VII. §. 2. L. I. C. I. §. 10. n. 7. & C. II. §. 1. n. 5. (*l*) L. II. C. II. §. 3. n. 3. (*m*) L. II. C. II. §. 2. n. 1. L. I. C. II. §. 1. n. 5. (*n*) Vid. §. ſeq. (*o*) L. II. C. VII. §. 2. & 14. (*p*) L. II. C. II. §. 2. & §. 3. n. 3. C. III. §. 1. & §. 4. n. 1. L. I. C. I. §. 10. n. 7. (*q*) L. I. C. I. §. 10. n. 4. (*r*) L. II. C. VI. §. 1. n. 1. & C. VII. §. 2. (*s*) d. C. VI. §. 14. (*t*) L. I. C. II. §. 1. n. 5. & 6. (*u*) L. II. C. X. §. 1. n. 1. 2. & §. 4. (*x*) L. I. C. I. §. 10. n. 7. (*y*) L. I. C. III. §. 1. n. 2. L. I. C. I. §. 10. n. fin. L. I. C. IV. §. 2. L. II. C. XX. §. 5. n. 2. ſeq. (*z*) L. I. C. III. §. 1. n. 2.

juris naturalis habent, quin ipſis principiis GROTII, contrariari videntur.

Nihil enim 1. magis repugnat ſyſtemati GROTII, quam jus illud, quod *pro certo ſaltem rerum ſtatu* naturale eſſe, ait. Ex hypotheſi enim GROTII jus naturæ oritur ex principiis internis, & æternis, ex appetitu, inquam, ſocietatis, qui appetitus cum ipſo homine originem cepit. Contradictionem igitur involvit, jus aliquod ſtatuere, quod voluntatem hominum ſupponit, adeoque non ex principiis internis fluit.

Si ais, ex internis principiis fluere, ut accedente voluntate hominum res, antea communis, jam ſit propria, ut conſtitutis facto hominum civitatibus jus meum nonniſi per judicia conſequi poſſim; inanis eſt illa diſtinctio in jus *naturæ merum*, & *pro certo rerum ſtatu*, quia pleraque jura naturæ demum effectum habent accedente voluntate, vel facto hominum: nam hac ratione *conjugia*, quæ ex hypotheſi GROTII ſimpliciter ſunt juris naturalis, referri deberent ad jus naturæ *pro certo rerum ſtatu*, quia conſenſu demum conjugia contrahuntur, adeoque voluntatis humanæ actum conſequuntur. Jus *patriæ poteſtatis* a mera natura eſt; at effectum non habet niſi accedente facto humano, i. e. niſi procreata ſobole. *Pacta*, quibus utilitatem actionis noſtræ in alium transferimus, ſunt ex mero jure naturæ, & tamen diſpoſitionem hominum ſupponunt: & ſic in aliis.

Etſi igitur 2. concedi poſſet, *res omnes natura communes eſſe*, tamen jus dominii ſimpliciter ad jura naturalia referri deberet, quia id ipſum naturale eſt, quod humanum genus juri ſuo renunciare, & ſingulis permittere poſſit proprietatem acquirere; eodem modo, uti ſingulis jus eſt de ſuis actionibus diſponendi, & utilitatem illius actionis voluntate ſua in alios transferendi.

At 3. verum non eſt, res naturali jure eſſe communes: ſunt enim ſua natura nullius, indeque cedunt occupanti. Dominia igitur ex mero jure naturæ oriuntur; quod alibi probavimus.

Quin 4. nec id admitti poteſt, judicia demum facto hominum introducta, & naturali jure cuique privato jus eſſe vi privata agendi. Verius eſt, patribus familias a natura imperium in familiam conceſſum eſſe [zz]. Ut proinde etiam judicia ſimpliciter ſint juris naturalis, & ad merum jus naturæ pertineant. Quod itidem alibi demonſtrabimus.

Certiſſimum igitur 5. eſt, *jus naturæ pro certo rerum ſtatu* figmentum eſſe, nec ullum in diſciplina juris naturalis uſum habere.

(zz) Vid diſſert. proœm.

Digitized by Google

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS II.
DE JURE NATURÆ
LAXIORI SENSU SUMTO,
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS.

Et quidem

Ad Prolegomena §. IX. X. *& ſeq.*

Item

Ad Lib. I. Cap. I. §. IV. VII. VIII. X. *& ſeq.*

Ubi Syſtema GROTII *de Jure Naturæ laxiori ſenſu ſumto* explicatur, & dubia, quæ circa hoc Syſtema occurrunt, proponuntur, ac reſolvuntur, ſimulque *vera principia Diſciplinæ moralis* exponuntur.

Digitized by Google

SUMMARIA.

§. I. *Propoſitur altera ſpecies juris naturæ, quam* GROTIUS *jus naturæ laxius vocat.* §. ſeq.
III. *Hoc jus ei dicitur jus* minus proprie, & *obligatio, quæ inde oritur*, imperfecta.
IV. *Definitio* juris naturæ laxioris.
V. *Jus naturæ laxius probatur vel a priori, vel a poſteriori.*
VI. *Cauſa illius juris, ſubjectum, objectum, & effectus.* §§. ſeqq.
XI. *Quomodo differat* a jure naturæ ſociali, a jure divino univerſali, & a jure gentium. §§. *ſeqq.*
XV. *Jus naturæ laxius eſt diſciplina Ethices, & continet præcepta moralia.* §§. ſeqq.
XXI. GROTIUS *non confundit jus, & virtutem* §. ſeq.
XXIII. *Definitio juris naturæ laxioris non exhaurit naturam, & eſſentiam virtutum.* §§. ſeqq.
XXIX. *Refutatur ſententia* GROTII, *exiſtere jus naturæ laxius*, etiamſi detur, Deum non eſſe.
XXX. *Exponitur verum, & adæquatum virtutum, & perfectionum principium.* §§. ſeqq.
XXXVI. *Earumque cauſa, ſubjectum, objectum, & effectus.* §§. ſeqq.

CAPUT I.

Ubi examinatur, quid Grotius intelligat per Jus Naturæ laxius.

§. I. EXAMINAVIMUS in præcedenti *diſſertatione* JUS NATURÆ SOCIALE, quod GROTIUS ex appetitu ſocietatis, i. e. ex affectu vivendi hominum in communitate rationali cum his, qui ſui ſunt generis, deduxit [a]. Quo ſenſu omnia ea juris naturæ ſunt, ac genus humanum obligant, quæ tendunt *ad cuſtodiam ſocietatis* [b]: omnia autem ea injuſta, quæ *naturæ ſocietatis* ratione utentium repugnant [c]; vel, ut alibi ait, quæ neceſſariam cum natura ſociali habent repugnantiam. [d]

§. II. Præter hoc *jus naturæ ſociale* GROTIUS aliam juris naturalis ſpeciem conſtituit, nimirum, JUS NATURÆ LAXIUS ſeu JUS NATURÆ HUMANÆ [e]. Hominem enim, ait, ſupra cæteras animantes non tantum obtinere *vim ſocialem*, ſed & NB. *judicium ad æſtimanda quæ delectant, aut nocent, non præſentia tantum, ſed & futura, & quæ in utrumvis poſſint ducere pro humani intellectus modo.*

Conveniens autem eſſe *naturæ humanæ*, in his quoque judicium recte conformatum ſequi; indeque quod tali judicio

(a) Prol. §. 6. & 7. Lib. I. C. I. §. 3. C. II. §. 1. n. 3. (b) Prol. § 8. (c) Lib. I. C. I. §. 3. n. 1. (d) Lib. I. C. II. §. 1 n. 3. & differt. procem. I. §. 3. ſeq. §. 5. (e) prol. §. 12. & L. I. C. I. §. 9.

cio repugnat, id etiam eſſe *contra jus naturæ*, *ſcil. humanæ* [f]. Etſi enim non pugnet cum appetitu ſociali, pugnare tamen, ait, cum aliquo rectæ rationis dictamine. [g]

Atque hoc jus, quia non ſimpliciter obligat ad *juſtum* (i. e. ad cuſtodiam ſocietatis), ſed ad *rectum* (i. e. ad ea, quæ conveniunt judicio illi recte conformato), *jus naturæ laxius* vocat [h]: adeoque hoc ſenſu *injuſtum* eſſe, ait, quod neceſſariam cum *natura rationali* (non ſociali) habet repugnantiam. [i]

Unde GROTIUS notanter *debitum* duplici ſenſu ſumi, ait; 1. pro ea obligatione, quam inducit jus expletorium: 2. interdum *laxius*, ut ſignificet id, quod niſi inhoneſte omitti non poteſt, etiamſi juſtitia illa non ex juſtitia expletrice, ſed ex alio fonte (ſcil. ex juſtitia attributrice) proficiſcatur. [k]

§. III. Hoc *jus laxius* GROTIO vocatur non *facultas*, ſed *aptitudo*, i. e. id, quod convenit [l], *Pudor* [m], *Lex caritatis* [n], &c. Atque hanc *aptitudinem* reſpicere, ait, juſtitiam attributricem [o], inque ea obtinere proportionem geometricam [p]. Ceterum *jus hoc minus proprie ita dici* [q], *& obligationem ſaltem imperfectam inde oriri*, ait [r], illudque opponit juri proprie ſic dicto, ſeu *ſociali*. [s]

§. IV. His conſequenter GROTIUS *jus naturæ laxius* definit: *Dictamen rectæ rationis, indicans alicui actui ex ejus convenientia, aut diſconvenientia cum ratione naturali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem.* [t]

Actus autem, de quibus exſtat tale dictamen, per ſe licitos, aut illicitos eſſe, & obligationem inde oriri, ait, *etſi detur, Deum non eſſe*; indeque actus illos neceſſario a Deo vel præceptos, vel vetitos intelligi [u].

Per *rationem naturalem* autem, quatenus ea ad definitionem juris naturæ laxioris pertinet, GROTIUS non intelligit *vim ſocialem*, *ſed judicium recte conformatum ad diſcernenda utilia a noxiis.* Adeoque per convenientiam, & diſconvenientiam cum *ratione naturali*, non innuit convenientiam, aut diſconvenientiam cum *affectu ſociali*, ſed convenientiam, aut diſconvenientiam cum *judicio illo recte conformato*.

§. V. Aliquid vero eſſe *juris naturalis laxioris*, GROTIUS probat iisdem modis, quibus jus ſociale probavit. (Vid. Diſſ. proœm. I. §. 2.) Nimirum 1. a PRIORI, ſi actus aliquis convenit neceſſario cum *natura rationali* [x], i. e. *cum judicio illo recte conformato ad æſtimanda quæ delectant, aut nocent, & quæ in utrumvis poſſunt ducere, pro humani intellectus modo* [y]. Quicquid igitur tali judicio repugnat, id quoque eſſe, ait, contra jus naturæ, non ſocialis, ſed humanæ [z], eoque injuſtum [a].

2. A POSTERIORI, ſi omnium gentium, aut moratiorum ſaltem judicio, talis actus repugnet. Nam univerſalis effectus univerſalem requirit cauſam;

(*f*) prol §. 9. (*g*) prol. § 41. (*h*) prol. §. 12. & L. I. C. I. §. 9. (*i*) L. I. C. II. §. 1. n. 3. prol. §. 9. (*k*) L. II. C. VII §. 4. L. II. C. I. §. 9. & C. XXII. §. 16. (*l*) L. I. C. I. §. 4. 7. & 8. L. II. C. VII. §. 2. C. II. §. 2. n. 2. C. XVII. §. 2. (*m*) L. III C. X. §. 1. & 2. (*n*) L. II. C. XVI. §. 46. C. XII §. 9. n. 2. C. I. §. 9. n. 1. & 3. C. XXV. §. 3. n. 3. C. XVII. §. 9. L. III. C. XIII. §. 4. n. 1. C. XX. §. 43. n. 2. C. II. §. 6. L. II. C. XXII. §. 10. (*o*) L I. C. I. § 8. n. 1. quæ etiam aſſignatrix Grotio dicitur L. II. C. VII. §. 2. n. 2. C. XX. §. 2. n. 2. C. II. §. 2. n. 2. (*p*) L. I. C. I. §. 8. (*q*) L. II. C. XVII. §. 2 n. 2. (*r*) L. II. C. II. §. 6. (*s*) Vid. diſſert proœm. I. §. 13. (*t*) L. I. C. I. §. 10. (*u*) d. §. 10. n. 1. (*x*) L. I. C. I. §. 12. (*y*) prol §. 7. & 9. (*z*) d. prol. §. 9. (*a*) L. I. C. II. §. 1. n. 3.

ſam; talis autem exiſtimationis cauſa vix ulla videtur eſſe poſſe, præter ſenſum ipſum, qui communis dicitur [b].

§. VI. *Cauſa* igitur *juris laxioris* GROTIO non eſt *Deus*, ſed *principia quædam interna*, quia jus hoc oriri, ait, ex judicio recte conformato ad æſtimanda quæ delectant, aut nocent; indeque concludit, homines obligari [c], etſi detur, Deum non eſſe. [d]

Quoties igitur recta ratio indicat, actum aliquem convenire, vel diſconvenire cum ratione naturali, EO IPSO jam conſtare, ait GROTIUS, actui illi ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, i. e. actus debitos, aut illicitos eſſe PER SE [e]; atque ideo neceſſario actus illos a Deo vel præceptos, vel vetitos intelligi [f], adeo ut jus circa hos actus nec mutari a Deo poſſit. [g]

Addit tamen, Deum *conſequenter* hos actus vetaſſe, aut approbaſſe [h], quia voluit ut talia principia in nobis exſtarent [i]; atque hoc ſenſu *jus* hoc *naturæ laxius* divinum dici poſſe. [k]

§. VII. SUBJECTUM *juris naturæ laxioris* GROTIO eſt totum humanum genus, quia ex internis, adeoque innatis principiis fluit, nimirum, ex ratione naturali, & humana, quæ omnibus hominibus communis eſt. [l]

§. VIII. OBJECTUM *juris naturalis laxioris* GROTIO ſunt actus, qui conveniunt judicio recte conformato ad æſtimanda quæ delectant, aut nocent, non præſentia tantum, ſed & futura, & quæ in utrumvis poſſunt ducere, pro humani intellectus modo. [m]

Nam in his judicium recte conformatum ſequi, neque metu, aut voluptatis præſentis illecebris corrumpi, aut temerario rapi impetu, conveniens eſſe *humanæ naturæ*, ait; indeque quicquid tali judicio repugnat, etiam contra jus naturæ, humanæ ſcilicet, eſſe. [n]

Ad actus autem illos refert non ea, quæ jam ſunt alterius (id enim proprium eſſe juri ſociali, dixit), ſed ea, quæ jam noſtra ſunt; nam *jure laxiori* id agi, ait, ut hæc, quæ noſtra ſunt, perficiantur, vel alteri prudenter diſtribuantur. [o]

Totum igitur hoc ænigma, tot ambagibus involutum, in eo conſiſtit, quod homines ex *jure naturæ laxiori* obligentur ad *officia virtutum*. Hanc vero obligationem non ad omnes virtutes pertinere, ait, ſed ad eas ſaltem, *quæ aliis hominibus utilitatem afferunt*. [p]

Hinc ad *jus naturæ laxius* refert debitum liberalitatis, miſericordiæ, providentiæ rectricis [q], prudentem diſpenſationem præmiorum [r], actus temperantiæ, fortitudinis, & prudentiæ [s], debitum gratiæ reponendæ, conſtantiæ, & fidelitatis [t], ſeu quæ quis ex officio pietatis, gratiæ, & fidei debuit [u], officium reverentiæ [x], & actus, qui ex pietate, obſervantia, & gratia rependenda fiunt, item parſimoniæ regulas. [y]

§. IX.

(b) L. I. C. I. §. 12. & prol. §. 40. (c) proleg. §. 9. & 10. (d) proleg. §. 11. & 12. (e) L. I. C. I. §. 10. n. 1. & 2. & C. II. §. 1. n. 1. 2 3. (f) d. §. 10. n. 1. (g) d. §. 10. n. 5. (h) d. §. 10. n. 1. (i) prol. §. 12. (k) L. I. C. I. §. 15. (l) L. I. C. II. §. 1. n. 1. 2. 3. proleg. §. 11. & 12. (m) proleg. §. 9. (n) d. §. 9. (o) L. I. C. I. §. 8. n. 1. L. III. C. X. §. 1. n. 1. proleg. §. 10. (p) L. I. C. I. §. 8. n. 1. L. II. C. XXII. §. 16. L. III. C. X. §. 1. (q) L. I. C. I. §. 8. n. 1. L. II. C. XXII. §. 16. L. III. C. X. §. 1. (r) prol. §. 10. (s) L. II. C. I. §. 9. n. 1. (t) L. II. C. II. §. 3. L. II. C. XIII. §. 17. (u) L. II. C. XIII. §. 13. L. III. C. XIX. §. 5. (x) L. II. C. V. §. 10. (y) L. II. C. V. §. 3. L. II. C. XI. §. 9.

Digitized by Google

§. IX. Notanter dixi, GROTIUM ad *hoc jus naturæ laxius* eas ſaltem virtutes referre, *quæ aliis hominibus utilitatem afferunt* [z]. Reliquas enim virtutes eſſe quidem, ait, præſcripta honeſta, ſed non obligantia [a]: indeque concludit, eas legis nomine non venire [b], adeoque abuſive ea, quæ ratio honeſta, aut oppoſitis meliora eſſe judicat, etſi non debita, (*jure* ſcil. *laxiori*) juris naturalis dici. [c]

Hæc igitur, quæ natura fieri honeſtum eſt, non vere deberi, ait [d], neque naturam ea præcipere, ſed honeſtius dictare [e], & conſilia ſaltem eſſe, unde nulla obligatio ſequitur. [f]

Illos tamen actus GROTIUS non tantum apud bonos laudem merituros, ait [g], ſed & apud Deum ſua non carituros eſſe mercede [h]: immo porro leges divinas voluntarias æque, ac humanas, circa hos actus occupari [hh], adeo ut accedente lege actus illi, per ſe laudabiles, jam deberi incipiant. [i]

Exempla virtutum, *quæ aliis hominibus utilitatem non afferunt*, adeoque ad præcepta *juris laxioris* non pertinent, ſequentia in tractatu GROTII inveniuntur. 1. *Jure naturæ laxiori* clarigationem non requiri; *honeſte* tamen, & *laudabiliter* interponi [k]. 2. *Jure naturæ laxiori* non prohiberi nuptias in linea collaterali; *honeſtius* tamen naturam dictare, ab iis abſtinendum eſſe. 3. Hoſtem *jure* dolo uti poſſe, qui perfidia caret, ſed pugnare id cum *animi celſitudine* [m]. 4. Natura *licitum* eſſe matrimonium contrahere; at *laudabiliorem* eſſe ex pio propoſito cœlibem caſtitatem [n]. 5. Repetere *licere* nuptias; ſed *laudabilius* eſſe uno contentum eſſe matrimonio [o]. 6. Venditorem vinum venditum, elapſo die præſtituto, *jure* effundere, ſuisque doliis uti poſſe; at *laudandum* eſſe, ſi, cum poſſit, non effundit [p]. 7. Vicem rependere beneficio [q], & 8. ſolvere debitum, quo quis in pœnam creditoris abſolutus erat [r], *honeſtatis* ſaltem eſſe, non *juris naturæ laxioris*. 9. Doctrinam Servatoris, ut cum eo, qui angariabit te ad milliare unum, duo abeas, non eſſe *præceptum*, ſed *præſcriptum honeſtum* &c. [s]

§. X. EFFECTUS *juris naturalis laxioris* in eo conſiſtere, GROTIUS ait, quod neceſſitatem moralem producat, i. e. obligationem. [t]

At bene notandum eſt, hanc obligationem ex ejus hypotheſi eſſe in ſolo agente, nullum vero jus inde aliis quæri [u]. Rationem hujus rei dat, quia is, qui ex hoc *jure laxiori* debet, nihil alieni habet, ſed de ejus ſolo jure agitur [x]; neque enim id alicui ſuum eſſe, ait, ad quod aptus eſt. [y]

Atque hinc concludit, ex hoc *jure* *na-*

(z) prol. §. 10. L. I. C. I. §. 8. n. 1. (a) L. I. C. I. §. 9. n. 1. C. II. §. 1. n. 3. L. II. C. XV. §. 10. n. 1. L. III. C. III. §. 6. n. 3. C. IV. §. 2. n. 1. & 2. C. XIV. §. 6. L. II. C. XI. §. 4. n. 3. (b) L. I. C. I. §. 9. n. 1. (c) L. I. C. I. §. 10. n. 3. L. II. C. XIV. §. 6. n. 1. & proleg. §. 50. (d) L. II. C. XIV. §. 6. n. 1. L. III. C. III. §. 6. n. 3. L. III. C. XIV. §. 6. n. 4. (e) L. II. C. V. §. 13. n. 3. L. III. C. III. §. 6. n. 3. (f) L. I. C. I. §. 9. n. 1. (g) L. III. C. X. §. 1. n. 1. (h) prol. §. 50. (hh) L. II. C. XI. §. 1. n. 1. L. I. C. II. §. 1. n. 3. (i) L. I. C. II. §. 1. n. 3. d. C. XI. §. 1. n. 2. (k) L. III. C. IV. §. 6. n. 2. (l) L. II. C. V. §. 13. n. 3. (m) L. III. C. I. §. 20. (n) L. III. C. IV. §. 2. n. 1. (o) d. loco. (p) d. C. IV. §. 2. n. 1. (q) L. II. C. XIV. §. 6. (r) d. loco. (s) L. I. C. II. §. 8. n. 5. (t) L. II. C. XI. §. 4. n. 3. L. I. C. I. §. 10. L. II. C. XXII. §. 16. (u) L. II. C. XII. §. 9. n. 2. prol. §. 10. L. II. C. XII. §. 16. L. I. C. I. §. 8. n. 1. L. II. C. XI. §. 13. C. XIII §. 3. 6. 14. uſque ad 20. C. XVII. §. 2. & 9. L. III. C. XIX. §. 5. L. III. C. I. §. 19. L. II. C. XXII. §. 16. (x) prol. §. 10. L. II. C. XII. §. 16. C. XVII. §. 2. & 9. (y) L. II. C. XVII. §. 2. n. 2.

Digitized by Google

naturali laxiori non oriri præſtandi neceſſitatem [z], nullam reſtituendi obligationem [a], dominium inde non oriri [b], neminem hominum id, quod ex hoc jure debetur, in foro exigere, aut armis depoſcere [c], aut me ad præſtandum cogere [d], aut pœnam mihi ideo infligere poſſe [e]: neque ea, quæ contra hoc jus laxius committuntur, irrita eſſe [f], nec ea, quæ ita debentur, ad heredes tranſire. [g]

Unde hanc obligationem GROTIUS vocat imperfectam [h], & jus, quod inde oritur, minus proprium [i], quia ſaltem ex pudore, & ex charitatis, ſeu dilectionis regula, oritur. Ceterum eum, qui actus tales peragit, præmia mereri [k], qui autem ea negligit, pœnam daturum [l], docet.

§. XI. Ex his jam facile conſtat, quomodo *jus naturæ laxius* differat a *jure naturæ ſociali*; *hoc* enim reſpicit jura hominum inter ſe, *illud* jura inter Deum, & homines; ex *hoc* homo homini obligatur, ex *illo* non homo homini, ſed ſoli Deo obligatur. [m]

Atque ex his differentiis GROTIUS concludit, 1. multa *jure naturæ laxiori* præcipi, quæ *jure naturæ ſociali* omittere licet: 2. multa *jure naturæ laxiori* prohiberi, quæ *jure naturæ ſociali* permittuntur.

§. XII. *Multa autem jure naturæ laxiori præcipi, quæ jure naturali ſociali omittere licet*, GROTIUS ſequentibus exemplis probat.

1. In *pollicitatione*, ait, obligari quidem eum, qui pollicetur, ſed jus proprium alteri inde non dari [n], quia hoc debitum ſaltem eſt conſtantiæ, ſive fidelitatis (quæ obligatio ſaltem eſt ex *jure naturæ laxiori*) [o]. Unde concludit, ex tali pollicitatione res pollicitantis retineri, aut eum ipſum, qui pollicitus eſt, ad implendam fidem cogi *jure naturæ laxiori* non poſſe. [p]

2. Si quis jurato aliquid promittit, unde alii jus quæri non poteſt, vel ob vitium perſonæ, forte quia prædo eſt [q], aut hoſtis, ſive privatus, ſive publicus [r], vel quia perſona, cui præſtari jurans voluit, nominata non eſt, &c. [s]; jurans ex hypotheſi GROTII tenetur, quia, etſi perſonæ jus deficiat, & ei nihil debeatur, Deo tamen fides eſt præſtanda. [t]

3. Si quis animo deliberato promittit, ſed non eo animo, ut jus proprium alii concedat, exinde jus quidem exigendi non dari, tradit, moralem tamen neceſſitatem inde naſci. [u]

§. XIII. Sed & porro GROTIUS *hoc jure multa prohiberi*, ait, *quæ jure naturæ ſociali permittuntur*. Contingere enim poſſe, ait, ut quædam juſta ſint ex *jure ſociali*, ſeu ſtricte ſic dicto, quæ illicita ſunt ex *jure naturæ laxiori* [x]; & *pudorem* ſæpe vetare, quod *lex* per-

(z) L. II. C. I. §. 9. n. 1. (a) L. II. C. XVII. §. 2. & 9. (b) L. II. C. XVII. §. 2. (c) L. II. C. XXII. §. 16. & §. 17. n. 3. C. XIII. §. 17. C. I. §. 9. n. 1. C. XI. §. 4. n. 3. (d) L. II. C. I. §. 9. n. 1. C. XXV. §. 3. n. 4. C. XI. §. 3. C. XX. §. 20. C. XXI. §. 1. n. 2. d. C. XXII. §. 16. & 17. (e) L. II. C. XX. §. 20. d. C. XXII. §. 16. & 17. (f) L. II. C. V. §. 3. C. XI. §. 9. C. V. §. 10. (g) L. II. C. XIII. §. 17. L. III. C. XIX. §. 5. (h) L. II. C. II. §. 6. (i) L. II. C. XVII. §. 2. n. 2. (k) prol. §. XI. (l) proleg. §. 50. (m) vide Diſſert. I. §. 15. (n) L. II. C. XI. §. 3. C. XIV. §. 16. n. 1. (o) vid. ſupr. §. 8 (p) d. C. XI. §. 3. (q) L. II. C. XIII. §. 14. C. XIV. §. 3. L. III. C. XIX. §. 5. (r) L. II. C. XIII. §. 15. n. 1. & 2. & §. 16. L. III. C. I. §. 19. (s) L. II. C. XIII. §. 14. (t) d. d. II. (u) L. II. C. XI. §. 4. n. 3. (x) L. II. C. XVII. §. 13. L. III. C. I. §. 4. n. 2.

permittit [y]. Hinc latius patere, ait, *charitatis*, quam *juris* regulas. [z]

Atque ex hac ſuppoſitione concludit, 1. *jure ſociali*, ſeu *jure naturæ* proprie, ac ſtricte ſic dicto me aggreſſorem occidere poſſe, etſi fugere tuto poſſim; *jure naturæ laxiori* autem id prohibitum eſſe. [a]

2. *Illo* jure neminem beneficium rependere teneri; *hoc* omnino teneri. [b]

3. *Illo* jure dominum non obligari rem ſuam egenti dare; *hoc* obligari. [c]

4. *Illo* jure eum, qui fugit injuriam aggreſſoris, interpoſitum innocentem occidere poſſe; at legem *dilectionis* id plane non permittere. [d]

5. *Illo* jure qui coemunt merces, ut pluris vendant, proprium jus alterius non violare; at facere adverſus *charitatis normam*. [e]

6. Uſuras a debitore ſumere, non repugnare *juri ſociali*, ſed *juri naturæ laxiori*. [f]

7. *Illo* jure ſubditos extra belli culpam poſitos puniri poſſe; at id pugnare cum *humanitate*. [g]

8. *Illo* jure filium, ſepoſito conſilio patris, adminiſtrare ſua poſſe; *hoc* jure non poſſe. [h]

9. *Illo* jure aggreſſorem occidere nos poſſe, etſi aliis utilis maxime ſit; *hoc* jure id non licere. [i]

10. *Illo* jure populis ratione deſtitutis non deberi alimenta; *hoc* jure deberi. [k]

11. *Illo* jure liberos non teneri alere parentes; *hoc* jure teneri. Idem aſſerit de agnatis. [m]

12. *Illo* jure mercatorem naves venturas eſſe, (unde lucrum diminueretur) indicare non teneri; obligari autem ad id indicandum *jure laxiori*. [n]

13. *Illo* jure non prohiberi concubinatus, divortia, & polygamiam fœminarum; prohiberi autem *jure laxiori*. [o]

14. *Illo* jure ob res caducas furem occidi poſſe; *hoc* jure non poſſe. [p]

15. Exequi ſubditum pro debito principis, non pugnare cum *jure ſociali*, ſed vetari *jure naturæ laxiori*. [q]

16. *Illo*, non *hoc* jure executionem ad peram uſque fieri contra debitorem poſſe. [r]

17. *Illo* jure ſucceſſionem non niſi liberorum cognitam eſſe; *hoc* jure etiam agnatos ſuccedere. [s]

§. XIV. Ceterum qua ratione *jus naturæ laxius* differat a *jure divino voluntario* [t], nec non a *jure gentium voluntario* [u], in ſequentibus diſſertationibus exponemus.

CAPUT

(y) L. III. C. X. §. 1. n. 2. C. XIII. §. 4. n. 1. L. II. C. I. §. 9. & 10. n. 1. C. XXIII. §. 3. (z) L. III. C. XIII. §. 4. n. 1. C. IV. §. 2. n. 1. ſeq. C. X. §. 1. n. 1. ſeq. (a) L. II. C. XVII. §. 13. (b) L. II. C. XIV. §. 6. (c) L. II. C. II. §. 6. n. 4. (d) L. II. C. I. §. 4. n. 1. (e) L. II. C. XII. §. 16. (f) L. II. C. XII. §. 20. n. 3. (g) L. III. C. XIII. §. 4. n. 1. 2. 3. (h) L. II. C. V. §. 3.

(i) L. II. C. I. §. 9. n. 1. (k) L. II. C. XXII. §. 10. (l) L. II. C. VII. §. 3. in f. §. 4. n. 1. (m) L. II. C. VII. §. 10. n. 1. & 11. (n) L. II. C. XII. §. 9. n. 2. (o) L. I. C. II. §. 6. (p) L. II. C. V. §. 10. n. 1. L. III. C. II. §. 2. & C. 2. 5. 6. (q) L. III. C. XIII. §. 4. n. 1. (r) L. III. C. XIII. §. 4. n. 1. (s) L. II. C. VII. §. 3. in f. & §. 4. (t) Diſſert. III. C. I. §. 8. (u) Diſſert. IV. C. I. §. 8.

CAPUT II.

Ubi monita quædam circa Jus Naturæ laxius proponuntur.

§. XV. EXplicavimus ſyſtema GROTII *de jure naturæ laxiori*, quod hactenus Ethices nomine Philoſophis cognitum fuit. Unde repetendum hic eſt, quod ſæpius notavimus, GROTIUM diſciplinis, de quibus tractat, nova nomina dare, novaſque definitiones fingere, eoque rem intellectu facillimam, obſcuram, quin ſæpius ſuſpectam reddere. Ut de veritate hujus animadverſionis conſtet, demonſtrabo præſenti capite

I. GROTIUM per *jus naturæ laxius* intelligere diſciplinam Ethices, i. e. virtutum præcepta. *Vid ſect. I.*

II. Judicium recte conformatum ad eligendum ea, quæ delectant, aut nocent, non eſſe fontem diſciplinæ moralis, adeoque nec *juris naturæ laxioris.* Vid. *ſect. II.*

III. Fontem hujus diſciplinæ, & normam, ac regulam omnium virtutum, conſiſtere in imitatione perfectionum divinarum. *Vid. ſect. III.*

SECTIO I.

Ubi demonſtratur, GROTIUM *per jus naturæ laxius intelligere virtutum præcepta.*

§. XVI. GROTIUS *jus naturæ laxius* oriri, ait, *ex judicio recte conformato ad eligendum ea, quæ utilia, vel noxia ſunt.* Gentilium Philoſophi ex hoc fonte virtutum præcepta deduxerunt, adeoque judicium hoc recte conformatum normam doctrinæ moralis conſtituerunt; quod nunc probandum eſt.

§. XVII. Sane, apud gentilium doctores omnis diſciplinæ moralis finis erat, *in ſummum bonum inquirere*, i. e. in veram, perfectamque felicitatem, quam *vitam beatam* vocabant.

Omnes philoſophi, Græci, & Romani, in eo convenerunt: Summum bonum eſſe, *naturæ convenienter vivere* [x], vel ut EPICTETUS [y] ait, *noſſe voluntatem naturæ.*

§. XVIII. Quid vero ſit, *naturæ convenienter vivere*, valde diſceptabatur [z]. Tandem ſaniores inter Stoicos ſtatuerunt, id eſſe *rationi convenienter vivere.* Hinc SENECA [a] *ſummum bonum* eſſe, ait, *ex naturæ voluntate*, i. e. *juxta rationem ſe gerere*; & alibi: [b] *rectam rationem, & conſummatam felicitatem hominis implere*; & mox, [c] *cum ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit.* Sed & SOCRATES [cc] interrogatus, quinam felices? reſpondit: *Quibus animus præſtans, & ratio adeſt.*

Cum vero porro invicem quærerent, quid ſit *juxta rationem ſe gerere?* concludebant, id eſſe *ſecundum virtutem, ſeu honeſte vivere.* SENECA [d] dum quærit, *quid ſit hominis bonum?* reſpondet, *virtus*, ſeu *id, quod honeſtum eſt, i. e. ratio.* CICERO [e] ex doctrina Stoicorum refert: *Finem eis eſſe, conſentire naturæ*; hoc autem eſſe *e virtute vive-*

(x) Vide lat. Lipſ. Lib II. manud. diſſ. 14. ſeq. (y) Enchirid. Lib. I. diſſ. 18. (z) Lipſ. d. diſſ. 14. (a) Ep. 66. p. m. 240. (b) Ep. 76. p. m. 294. (c) d. loco. (cc) ap. Lipſ. Lib. II. man. diſſ. 18. (d) Ep. 26. p. m. 295. (e) Lib. 2. de fin.

vivere, id eſt honeſte vivere. STOBÆUS in Zenone ait: *primus Zeno finem dixit, convenienter naturæ vivere, quod eſt ſecundum virtutem vivere.* CLEMENS ALEXANDRINUS [f] idem teſtatur: *Zeno Stoicus finem cenſet, ſecundum virtutem vivere.* Juxta CICERONEM, [g] *in homine ſumma omnis animi eſt, & in animo rationis, ex qua virtus eſt, quæ rationis abſolutio dicitur.* Juxta SENECAM [h], *homini ſummum bonum ratio eſt; ſi hanc perfecit, laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit: hæc ratio perfecta virtus vocatur.* PHILO Judæus [i] optime rem explicat: *Hoc illud eſt apud eos, qui optime philoſophati ſunt, decantatum ultimum bonorum: convenienter naturæ vivere, quod fit, cum animus, ſemitam virtutum ingrediens, per veſtigia ductus rectæ rationis ambulat, i. e. ſequitur Deum.*

Atque hinc ſummum bonum gentilium Philoſophis eſt *id, quod honeſtum eſt*, ut ex SENECA [k], PLATONE [l], PLAUTO [m], STOBÆO, LAERTIO, TACITO, nec non ex SPEUSIPPI, XENOCRATIS [n], BRACHMANNORUM [o], ac CHRISTIANORUM ſententia, probat LIPSIUS. [p]

§. XIX. Ex præcedentibus igitur conſtat, *virtutem*, & *honeſtatem* Philoſophis fuiſſe ſummum illud bonum, quod omnem hominum felicitatem abſolvit, & vitam beatam efficit. Omnis igitur quæſtio in eo vertebatur, quid ſit *e virtute, ſeu honeſte vivere?* & quænam ſit virtutis, ſeu honeſtatis ratio, ac definitio? Reſpondebant præfati Philoſophi, ſummum bonum, finem illum veræ felicitatis, i. e. rationem, ſeu virtutem, conſiſtere in *prudenti electione eorum, quæ nobis proſunt, & rejectione eorum, quæ nobis nocent.* [q] STOBÆUS [r] ait: *finem* ZENO *ita edidit; convenienter naturæ vivere, quod eſt ſecundum unam rationem, & concordem ſibi vivere* &c. CHRYSIPPUS *deinde hoc ipſum clarius volens reddere, ita extulit: Vivere ſecundum peritiam eorum, quæ natura eveniunt.* DIOGENES *porro rectam rationem, ac judicium in eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, electione, aut rejectione ponit.* Idem docet L'AERTIUS in ZENONE. *Primus* ZENO *finem dixit, naturæ convenienter vivere;* DIOGENES *autem (Babylonius) finem eſſe, plane recte ratiocinari, & dirigere in electione eorum, quæ naturæ conveniunt.*

CLEMENS ALEXANDRINUS [s] idem teſtatur de CLEANTHE, ANTIPATRO, & ARCHIDEMO. ZENO STOICUS *finem cenſet, ſecundum virtutem vivere.* CLEANTHES, *convenienter naturæ vivere, recta ratione, & ratiocinatione, quod in electione eorum, quæ ſecundum naturam ſunt poſitum arbitratur.* ANTIPATER, *ejus auditor, in iis, quæ ſunt ſecundum naturam, aſſidue, & ſine lapſu eligendis, abjiciendis autem contrariis.* ARCHIDEMUS, *eligentem vivere ea, quæ ſecundum naturam ſunt, maxima, & præcipua.*

CICERO [u] Stoicorum hanc ſententiam eſſe, ait: *Stoicis finis eſt conſentire naturæ, quod eſſe volunt e virtute, i. e. honeſte vivere; quod NB. NB. ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quæ natura eveniunt, eligente ea, & rejiciente contraria.* SENECA [t] poſtquam unum bonum in virtu-

(f) II. Strom. (g) Lib. 2. de fin. (h) Ep. 76. (i) Lib. 8. (k) Ep. 71. & 74. (l) Clem. Alex. V. Strom. (m) in Amphitr. (n) Sen. ep. 85. (o) Stob. Lib. 15. (p) Lib. II. Manud. diſſ. 20. & 22. (q) Lipſius lib. II. manud. diſſ. p. m. 714. ſeq. (r) Eclog. in Diogene. (s) Strom. leg. 2. p. m. 416. pr. (u) Lib. II. de finib. (t) Ep. 71. in fin.

virtute eſſe docuit, addit: *quià erit hæc virtus? judicium verum, & immotum. Huic judicio conſentaneum erit, omnia, quæ virtute contracta ſunt, & bona judicare, & inter ſe paria.* PLUTARCHUS [v] quoque docet, Stoicos eſſentiam boni conſtituere in *electione rationabili juxta naturam.* EPICTETUS [x] bonum hominis ponit *in electione viſorum.* CICERO [y] Stoicis bonum definiri, ait, *aut quod eſſet natura appetendum, aut quod prodeſſet, aut quod juvaret;* & LAERTIUS [z], *bonum communiter eſſe, quod utile, ſive ipſum iſtud, ſive ab eo diverſum.* SOCRATES quoque ſummam eſſe ſapientiam, dixit, *bona, malaque diſtinguere.* [a]

Plenius ſententiam Stoicorum explicat SENECA. [b] *At enim ſecundum naturam ſunt, ut aiebas. Fateor; atque ideo etiamſi non expetam, petam? Quidni, non quia bona ſunt, ſed quia ſecundum naturam ſunt, & quia bono a me judicio ſumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc unum: bene eligi.*

Exemplo ex PLATONIS doctrina deſumto id illuſtratur apud APULEJUM de Philoſoph. *Corporum ſanitatem*, ait, *vires, indolentiam, ceteraque ejusmodi bona extranea, item divitias, & quæ fortunæ commoda dicimus, ea non ſimpliciter bona nuncupanda eſſe. Nam ſi quis ea poſſidens uſu ſe abdicet, ea ſibi inutilia erunt; ſi quis autem eorum uſum convertit ad malas artes, ea illi etiam noxia videbuntur.* Ergo bonum ex prudenti electione eorum, quæ aut nocent, aut proſunt, dependet.

§. XX. Si jam hæc principia conferuntur cum definitione *juris naturæ laxioris*, quod GROTIUS *ex judicio rite conformato ad æſtimanda ea, quæ delectant, aut nocent*, ſequi, ait [c], facile apparebit, GROTIUM per *jus naturæ laxius* nihil aliud intellexiſſe, quam ſummum bonum, cujus finis eſt honeſte, i. e. e virtute vivere. Unde GROTIUS nil niſi virtutum præcepta ad *hoc jus* refert, liberalitatem, nimirum, miſericordiam, temperantiam, fortitudinem, conſtantiam, fidelitatem, gratiæ relationem, reverentiam, parſimoniam &c. [d]

§. XXI. Facile ex præmiſſis pateſcit, GROTIUM non confundere diſciplinam juris, & virtutis, ſed eum curate admodum jus ſtricte ſic dictum (quod *ſociale* vocat) a diſciplina morum (quam *jus naturæ laxius* vocat) diſtinguere.

Diſerte enim ait, ex ſolo *jure ſociali* homines inter ſe obligari, non autem ex *jure naturæ laxiori*, ſeu ex præceptis virtutum; neminem enim ſibi jus in alterius res, & actiones arrogare, adeoque nec exigere ab alio ea, quæ ab ejus voluntate dependent, poſſe. Ceterum in Deum committere eum, qui imperfecte agit, Deum inquam, qui minus perfecte agentes pœnis quoque afflicturus, obedientibus autem præmia æterna tributurus eſt. [e]

§. XXII. Non diſſentit ab his B. PARENS. Poſtquam enim paſſim inculcavit, nullum inter homines concipi poſſe obligationem ex virtutum præceptis, admittit tamen obligationem intuitu Dei, ad eum effectum, ut negligentes à præmiis in futura vita diſtribuendis excludantur. Verba B. PARENTIS hæc ſunt: [f] *Etſi igitur ad vir-*

(v) ap. Lipſ. II. Man. diſſ. 17. (x) Lib. I. diſſ. 2. (y) Lib. II. de finib. (z) ap. Lipſ. Lib. II. Man. diſſ. 22. (a) Seneca ep. 71. conf. ep. 118. p. m. 587. (b) Ep. 92. (c) Vid. ſupra §. 2. (d) ſupra. §. 8. (e) Supra §. 10. (f) *Cocceji* Vol. II. Diſput. p. m. 865.

Digitized by Google

virtutes quoque ſuo ſenſu obligamur, tamen alia longe obligatio juris, alia virtutis. ..... Vis obligationis juris eſt, quod nihil ſit in noſtra poteſtate, & arbitrio; in obligatione virtutis id arbitrii eſt, ut meritis, ac præmiis, quæ virtutibus debita ſunt, carere poſſit...... Ibi privamur noſtris, hac ſaltem non acquirimus..... Neque credi debet, parum id eſſe, quo ad virtutem impellimur: enim vero multo infelicius eſt, nihil mereri, quam ſuo privari. Pauca, & caduca ſunt, quæ noſtra ſunt, & quibus privari poſſumus: multa, & immenſa, quæ ſummus ille præmiorum diſpenſator pro meritorum ratione conferre poteſt, & pro infinita bonitate collaturus eſt.

Utrinque ergo in confeſſo eſt, neceſſitatem pugnare cum natura virtutum, quæ in perfectione animi conſiſtit, adeoque voluntatem conſtantem, & perpetuam bene agendi ſupponit. Sane, SENECA quoque inculcat, *deſinere eſſe virtutem, ſi ex neceſſitate, & obligatione fiat:* & merito Servator edixit: *ſi omnia feceritis, quæ facere debetis, inutiles eſtis ſervi &c.*

Verum igitur eſt, neminem perfecte agere, niſi ex libera voluntate, & pia intentione agat; adeoque deſinere eſſe virtutem, quæ ex obligatione fit. At verum quoque eſt, hominem, qui negligit hos perfectionum actus, privari illis præmiis, quæ ab ente perfectiſſimo ſingulis virtutum actibus ſunt deſtinata. Atque hactenus obligationem inde oriri intuitu Dei, certum eſt.

Hinc apparet, verum eſſe quod SENECA (g) ait, eum, qui ex neceſſitate agit, aliquando mereri poſſe. Illuſtratur id exemplo juſtitiæ. Quilibet enim homo jus ſuum cuique tribuere tenetur; id neceſſitatis eſt: neque hactenus meretur is, qui juſtitiæ leges implet; id enim a prædone quoque fit, qui coactus rem domino reſtituit. Quoties autem homo id, quod lex præſcribit, non metu pœnæ, ſed amore juſtitiæ, pia intentione, & ex conſtanti, ac perpetua voluntate peragit, perfecte agit, & præmium ſibi tuto promittere poteſt: non quia actu ſuum cuique tribuit, neceſſario enim id tribuere tenetur; ſed quia ultro amore juſtitiæ tribuit.

SECTIO II.

Ubi demonſtratur, judicium recte conformatum ad æſtimanda ea, quæ delectant, aut nocent, non eſſe verum principium virtutum, nec perfectionum regulam.

§. XXIII. IN præſenti ſectione demonſtrandum nobis erit, judicium *recte conformatum ad æſtimanda ea, quæ delectant, aut nocent*, non eſſe fontem diſciplinæ moralis: & præcepta virtutum per neceſſariam conſequentiam inde non inferri: ſed perfectionum normam ab alia cauſa, & ex alio principio ſumi debere.

§. XXIV. Quando enim 1. de actibus virtutis quærimus, & de perfectionum ratione, & origine; id ipſum in quæſtione eſt, cur quidam actus magis judicio recte conformato conveniant? cur homines illos actus præ aliis peragere debeant? cur eligi magis debeant illi actus, qui juxta æſtimationem judicii recte conformati voluptatem nobis afferunt, quam qui nocent? Non autem principium virtutum eſſe poteſt, quod ab alia ratione pendet, quod aliam cauſam ſupponit, &

(g) de offic. Lib. I.

& quod ipſum prius probandum eſt.

§. XXV. Sed & 2. id quoque quæritur, *quodnam ſit judicium recte conformatum, & quænam ſint ea, quæ perpetuo, ac conſtanter delectant, aut nocent?* Sane, quilibet homo ſuum judicium pro recte conformato habebit, nec immerito, ſi alia regula non eſt; nullum enim judicem habet, niſi judicium ſuum, quod is rite conformatum ſtatuit. Hinc vindicta, quæ vita jucundior ipſa eſt, ſcortatio, ſimilesque actus, qui conſtanter, & perpetuo delectant, totidem homini voluptuoſo erunt virtutes. Alia igitur norma eſſe debet, ex qua certo conſtet, quidnam rectum ſit, quod judicium ſequi debeat.

§. XXVI. Sed & 3. certum eſt, multos eſſe actus, qui juxta æſtimationem judicii recte conformati homini nocent, & tamen ſummæ ſunt virtutes; quo martyria referri poſſunt.

§. XXVII. E contrario 4. multa conveniunt judicio recte conformato, voluptatemque afferunt hominibus; neque tamen ſunt virtutes, ſed actus mere indifferentes: ut edere, bibere, ambulare, excrementa ſecernere.

§. XXVIII. Sed & 5. jus hoc *naturæ laxius* non eſſe principium perfectionis, vel inde probatur, quia GROTIUS quasdam ſaltem virtutes ad jus naturæ laxius refert, nimirum, quæ aliis hominibus utilitatem afferunt. Reliquas autem virtutes ſub ejus definitione non comprehendit; certiſſimo indicio, judicium recte conformatum, ad æſtimanda ea, quæ delectant, vel nocent, non eſſe generale virtutum principium. (*Vid.* §. 8. & 9.

§. XXIX. Denique & 6. qua, quæſo, ratione *judicium illud recte conformatum* pro principio, pro regula, & pro norma virtutum venditari poteſt, cum illud ex ſuppoſito GROTII homines obliget, *etſi detur, Deum non eſſe?* In diſſertatione procemiali prima uberius demonſtravi, nullum jus ſine ſuperiore, adeoque nec *jus naturæ laxius* ſine Deo concipi poſſe, quæ rationes hic merito repetendæ ſunt; quibus accedit, quod verum fundamentum virtutum conſiſtat in *imitatione perfectionum divinarum* [h]: mitari autem homo non poſſet illas perfectiones, ſi Deus non exiſteret; & ceſſante Deo, ejusque approbatione, nihil eſt, quod Deo placere poſſit, & nihil, quod hominibus virtuoſis præmium, aut mercedem procurare valeat.

Neque evitare has rationes GROTIUS poteſt ſupponendo, *quod Deus conſequenter tales actus approbaverit, aut vetaverit.* Nam in allegata diſſertatione probavi, hoc modo Deum alligari alii cauſæ, & ſupponi, aliquid eſſe extra Deum, quod humano generi legem dicere poſſit.

SECTIO III.

De unico, vero, & adæquato virtutum principio, ejusque in vita civili utilitate.

§. XXX. Supereſt, ut vera principia doctrinæ moralis exponamus, & fontem obligationis, quatenus ex virtute oritur, demonſtremus.

Diſceptatum fuit inter gentilium Philoſophos, an virtus in re ſit, vel ſaltem in opinione, i. e. an ſit aliqua diſciplina virtutis [i]? & an virtutum ratio naturalis dari poſſit? Sane, BRUTUS virtutem non in re eſſe, ſed opinione, moriens dixit [k]. Herculis

(*h*) Vid. ſect. ſeq. (*i*) Cicero de offic. Lib. II. C. II. (*k*) Vid. Plut. in Bruto.

lis quoque effatum id fuiſſe, fertur: *O infelix virtus! itane quum nihil, quam nomen eſſes, ego te tamquam rem aliquam exercui, cum tu fortunæ ſervieris.* l

§. XXXI. At ſaniores Philoſophi actus quoſdam naturali ratione aliis perfectiores, adeoque virtutum quoque præcepta a natura eſſe, & merito, contendunt. CICERO non ſolum jus, ſed honeſta quoque, a natura dijudicari, ait m, *quia communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis noſtris inchoavit, ut honeſta in virtute ponantur, in vitiis turpia, hæc in opinione exiſtimare, non in natura ponere, dementis eſſe;* & tum addit: *eſt enim virtus perfecta ratio, quod certe in natura eſt.* Idque porro ita probat n: *Ipſum bonum non eſt in opinionibus, ſed in natura; nam ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent. Quo quid dici poſſet ſtultius? quare cum & bonum, & malum natura judicetur, & ea ſint principia naturæ, certe honeſta, & turpia quoque ſimili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda ſunt.*

SENECA ait, *omnibus naturam dediſſe ſemina virtutum, & omnes ad omnia iſta natos eſſe* o. *Nulli præcluſam eſſe virtutem, omnibus patere, omnes admittere* p. Et alibi: *virtus ſecundum naturam eſt, vitia inimica, & infeſta ſunt* q; & mox: *nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros, liberoſque genuit;* & alibi r: *virtus in omnium animam lumen ſuum dimittit, etiam qui non ſequuntur, eam vident.* Atque hinc dogma Stoicorum eſt contra Galenum: *omnes homines ad virtutem comparandam eſſe aptos, & idoneos.* s

APULEJUS, de Philoſophia, ait, *homines habere ſemina quædam boni, & mali, cum naſcendi origine copulata, quæ educationis diſciplina in alteram debeant partem emicare.* t

Atque hinc eſt, quod Philoſophi virtutem ex ratione oriri, immo ipſam rationem eſſe, ſtatuant; uti ex CICERONE, SENECA, PHILONE JUDÆO, probat LIPSIUS u: certiſſimo indicio, virtutes quoque ex juſtis rationis concluſionibus ſequi, indeque a natura eſſe; quod nunc plenius probabimus.

§. XXXII. In diſſertatione proœmiali XII. ad oculum demonſtrabimus: 1. totam juris naturalis definitionem conſiſtere in præcepto creatoris, jus ſuum cuique a natura quæſitum tribuendi: 2. Jura quædam Deo, quædam hominibus quæſita, & utriſque tribuenda eſſe: 3. Jura Deo, enti quippe perfectiſſimo, quæſita, in *cultu* conſiſtere, quia cultus eſt perfectionis æſtimatio: 4. Partem autem hujus cultus eſſe, *imitari perfectiones divinas*, præcipue autem eas, quæ in benefaciendo aliis conſiſtunt.

His principiis poſitis, ex ipſa ratione naturali ſequitur, homines obligari ad actus virtutum peragendos, quia Deum colere tenentur; ea enim prima naturæ lex eſt. Sane, Deo, tanquam enti perfectiſſimo, non poteſt non grata eſſe pia hominum intentio divinas actiones imitantium. Species cultus, & adorationis eſt, ſimilem ſe reddere Deo: & cum Deus ſit perfectiſſimus bonorum largitor, ac præmiorum diſpenſator, certum eſt, eum remunera-

(l) Bayle diction voce Brutus. Plut de ſuperſt. init Dion. Lib. 47. ſub. fin (m) Lib. I. de leg. p m. 431. (n) d. Lib. I. p. 432. (o) Ep. 95. (p) Sen. benef. 3. 18.

(q) Sen. Ep. 1. (r) Lib. IV. benef. C. XXVII. (s) Lipſ. manud. ad Philoſ Stoicam p. m. 705. (t) Lipſ. d. L (u) Lipſ. d. L. Diſſ. XVII. ſeq.

Digitized by Google

raturum eſſe eos, qui charitatem, patientiam, miſericordiam erga proximum ideo exercent, quia Deus quoque ſuam charitatem, patientiam, miſericordiam &c. nobis infinitis modis manifeſtavit.

§. XXXIII. Regula igitur omnium virtutum eſt: *Imitari Deum* SEXTUS PYTHAGORICUS [v] *honorem ſummum Deo eſſe*, ait, *ſcire eum*, *& imitari.* PLATO [x] ſtatuit, ſummam perfectionem conſiſtere in *aſſimilatione cum Deo.* DION [y] ideo DIONYSIO commendabat PLATONEM, ut ex eo diſceret *Deo aſſimilari.* Atque in eo omnes fere Philoſophi conveniunt, in quorum numero ſunt PLOTINUS, HIEROCLES, JAMBLICHUS, ARRIANUS, MARCUS ANTONINUS, PORPHYRIUS, PROCOPIUS, SIMPLICIUS, JULIANUS APOSTATA, THEMISTIUS &c. [z]. SENECA nervoſe id explicat, dicens: *Vis propitiari Deos, bonus eſto; ſatis eos coluit, quiſquis imitatus fuerit* [a]. STOBÆUS [b] tradit, *finem, vel ſummum bonorum eſſe, ut nos ſimiles Deo reddamus*; & alibi [c]: *excellentiſſima dona data hominibus hæc eſſe, dicere veritatem, & aliis benefacere, i. e. theoreticam, & practicam virtutem, eorumque utrumvis Deorum opera imitari.* ANONYMUS ad Photii Cod. p. 259. docet: *Meliorem hominem fieri per ſe benefaciendo; hoc enim Deo proprium eſſe, & homines in eo Deum imitari.* PYTHAGORAS [d] ait: *Hoc principium eſſe, & eo omnem vitam terminari, ut Deum ſequamur; atque hanc ſummam philoſophiæ eſſe.* LIBANIUS in orat. de ſeditione Antiochena [e] monet, ut *qui Deo ſimilis eſſe vult, magis gaudeat condonatione, quam pœna.*

§. XXXIV. Atque hinc eſt, quod Philoſophi, qui ſummum bonum in convenientia cum *natura rationali* quæſivere, per *naturam* intellexerint Deum. Unde *vivere ſecundum naturam* eis nihil aliud eſt, quam *ſequi Deum, eum imitari, eique aſſimilari.*

Ita enim CLEMENS ALEXANDRINUS [f]: *Stöici ſecundum naturam vivere finem eſſe decreverunt, Dei nomen in naturæ decore commutantes.* EPICTETUS [g]: *Quid enim longum dicere, finis eſt, ſequi Deum.* SENECA ait [h]: *hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit*; & alibi [i]: *Sapiens, quidquid evenerit, ſciet eſſe legem naturæ; habebit in animo illud vetus præceptum: Deum ſequi.*

§. XXXV. Confirmatur hæc ſententia ex ſacra pagina. Summam enim ſuorum præceptorum Servator hac regula abſolvit. *Eſtote perfecti, ſicut pater veſter in cœlis perfectus eſt* [k]. Idem Servator ideo inimicos diligere jubet, quia Deus malis quoque ſolem ſuum oriri facit, quam rationem etiam allegat SENECA [l]. Sed & porro ideo debitoribus noſtris debita remitti vult, quia Deus quoque peccata nobis remittit. [m]

§. XXXVI. *Cauſa* igitur hujus juris naturalis, quæ ex virtute oritur, eſt

(v) p. 646. (x) Laert. Lib. III. §. 78. Alcinous C. XX. (y) Hiſt. p. m. 96. (z) Vid. hiſt. de la Philoſ. Payenne, part. 2. C. 18. tit. 2. (a) Ep. 95. Add. idem de benef. Lib. IV. C. XXV. (b) In phyſ. ecl. C. III. p. 164. (c) Serm. XI. p. m. 139. in fin. (d) Vid. Jamblich. in vit. Pyth. C. XVIII. n. 66. (e) ap. Grot. Lib. II. C. XXIV. §. 2. n. 2. (f) II. Strom. (g) I. diſſ. 20. (h) Ep. 107. (i) de vit. beat. C. XV. (k) Matth. 5. v. 48. (l) Lib. 4. benef. C. XXV. & XXVI. vid. Teſm. ad Grotium Lib. I. C. II. §. 8. n. 11. (m) Math. 6. v. 14. & 15.

Digitized by Google

eſt Deus, ejuſque voluntas; is enim vult coli: adeoque hoc jus Dei eſt, quod homines ei tribuere tenentur.

Subjectum hujus juris ſunt homines ratione utentes; non ergo furioſi, vel infantes, nedum bruta. Soli enim homines ratione præditi notitiam Dei habent, eumque colere tenentur.

Objectum ſunt actus hominum, qui ſimilitudinem cum perfectione divina habent, & præcipue in ejuſmodi actibus conſiſtunt, qui aliis hominibus utilitatem afferunt; quo pertinent liberalitas, charitas, miſericordia, clementia, fortitudo. &c.

§. XXXVII. *Effectus* hujus juris naturæ eſt *obligatio intuitu Dei*: adeoque homines præciſe hos actus peragere, i. e. perfectiones divinas imitari tenentur, niſi ſpe præmii æterni vel in totum, vel pro parte carere velint. Dico *pro parte*; cum enim præmia hæc juxta proportionem meriti tribui debeant, merita autem varios gradus habeant, certum eſt, gradus quoque præmiorum, ſeu vitæ æternæ, futuros eſſe.

Inſtas: hoc modo omnes homines damnationi æternæ obnoxios fore, quia ea eſt corruptio naturæ humanæ, ut nemo legem naturæ intuitu Dei implere valeat? Reſp. Hoc in theſi verum eſſe, Theologia Chriſtiana nos docet; at ideo mediatorem nobis divina miſericordia obtulit, quem ſi homo peccator pia intentione amplectitur, ex ejus ſatisfactione, ſibi vitam æternam parare poterit.

§. XXXVIII. Ceterum ex his ſatis conſtat, magis intereſſe generis humani, hanc juris naturalis partem addiſcere, quam in jura hominum inter ſe inveſtigare. Si quis enim officia hominum inter ſe cognita habet, & præcepta naturæ curatè exequitur, at metu pœnæ: vel ſi quis reliquos actus virtutis, unde intuitu Dei jus oritur, negligit, vel ex oſtentatione eos peragit; pœnis quidem civilibus non eſt obnoxius, quin ſæpius præmiis quoque ornatur: at in foro Poli talis homo injuſtus eſt, jus Dei lædit, dum non amore juſtitiæ jus ſuum cuique tribuit, nec perfectiones divinas imitatur. Hinc pœnas æternas evitare nequit, vel ſaltem ſpe præmiorum æternorum privatur.

Digitized by Google

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS III.
DE JURE DIVINO
VOLUNTARIO UNIVERSALI;
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS.

Præcipue

Ad Prolegomena §. XI, & XII.

Item

Ad Lib. I. Cap. I. §. XIII, & XV.

Ubi ſententia GROTII de *Jure Adamitico, Noachico,* & *Lege Evangelii* examinatur; ac tale Jus *divinum univerſale* diſtinctum a Jure naturali non dari, probatur: nec non *vera præceptorum Servatoris ratio, eorumque auctoritas* demonſtratur.

Digitized by Google

S U M M A R I A.

§. I. *Tertia ſpecies Juris univerſalis GROTIO vocatur* Jus divinum voluntarium univerſale.
II. *Definitio hujus* Juris divini voluntarii.
III. *Cauſa efficiens illius Juris.*
IV. *Differentiæ ejus a* Jure ſociali, *a* Jure naturæ laxiori, *& a* Jure Gentium. §§. *ſeqq.*
VI. *Modi probandi Jus divinum voluntarium.*
VII. *Subjectum, objectum, & effectus hujus Juris.* §§. ſeqq.
XI. *Conſectaria quædam.*
XII. *Refutatur ſyſtema de Jure divino univerſali in genere.* §§. ſeqq.
XIX. *In ſpecie* 1. *probatur, non exiſtere Jus Adamiticum.* §§. ſeqq.
XXII. *Nec* 2. *Jus Noachicum diſtinctum a Jure naturæ.* §§. ſeqq.
XLVI. *Nec* 3. *legem Evangelii, diverſam a lege naturali.* §. ſeq.
XLIII. *Exponuntur variæ opiniones de auctoritate præceptorum Evangelii.*
XLVIII. *GROTII ſententia exponitur.*
XLIX. *Ea refutatur.*
LI. *Quænam ſit vera auctoritas legum Evangelii.*

C A P U T I.

Quod ſyſtema Grotianum *de Jure divino voluntario exhibet, & refutat.*

§. I. HACTENUS explicavimus jus naturæ tum *ſociale*, tum *laxius*; quod utrumque juxta hypotheſin GROTII fluit ex principiis internis: nimirum, *illud* ex appetitu ſocietatis excellenti, *hoc* ex natura humana, i. e. ex judicio recte conformato ad eligendum ea, quæ delectant, vel nocent. Utrumque jus exiſtere, ait, etſi detur, Deum non eſſe.

Cum vero GROTIUM experientia docuerit, multa eſſe, quæ inter gentes pro præceptis, aut vetitis habentur [a], nec tamen ſocietati humanæ conveniunt, aut repugnant; cum ex ſacro Codice obſervaverit, gentes ob crimina inceſtus graviſſime punitas fuiſſe [b]; cum porro ex novo Codice didicerit, Servatorem plurima ſuis diſcipulis injunxiſſe, quæ ex illis principiis internis pro præceptis, aut vetitis haberi non poſſunt [c]: omnia illa præcepta retulit ad JUS aliquod DIVINUM UNIVERSALE VOLUNTARIUM, quod Deum humano generi ex libera ſua voluntate dediſſe, ſtatuit. [d]

§. II. Definit autem hoc jus *divinum voluntarium*, quod non ex principiis internis, ſed ex libera voluntate divina ortum habeat. [e]

§. III. *Cauſa ergo efficiens hujus juris divini voluntarii* GROTIO eſt, libera voluntas

(a) Lib. II. C. XX. §. 42. (b) Lib. II. C. V. §. 12. n. 1. Lib. II. C. XX. §. 42. (c) Vid. infr. C. II. Sect. III. (d) Lib. I. C. I. §. 13. & §. 15. n. 1. prol. §. 11. & 12. (e) Lib. I. C. I. §. 15.

Digitized by Google

voluntas Dei [f], actum aliquem vel juſtum, vel injuſtum declarantis. Adeoque *juſtum* ei hic eſt, non quia *ſocialitati*, aut *naturæ humanæ* aliquid convenit, indeque intrinſecam bonitatem habet, & a Deo conſequenter ſaltem præcipitur, vel vetatur; ſed quia Deus libera ſua voluntate juſtum & id eſſe voluit [g], & præcepto demum divino ivit in vetitum. [h]

§.IV. Unde facile conſtat ratio differentiæ hujus juris a *jure naturæ ſociali*, utpote quod juxta hypotheſin Grotii 1. ex principiis internis fluit, ſcilicet, ex appetitu ſocietatis humano generi in, & connato [i]: *jus divinum voluntarium* autem ex ſola, & libera Dei voluntate [k]. 2. *Prius* exiſtit, etſi detur, Deum non eſſe, quia ibi juſtum eſt, non quia Deus vult, (nam etſi Deus nollet, immo etſi Deus non eſſet, juſtum foret,) ſed quia talia principia in nobis exſtant [l]. *Poſterius* neceſſario ſupponit Deum, quia extra voluntatem Dei jus non eſſet [m]. 3. *Illud* mutari nec a Deo poteſt; *hoc*, uti libera voluntate Dei ſtatutum eſt, ita libera voluntate etiam tolli poteſt [n]. 4. *Illud* omnes homines obligat, *hoc* tantum quatenus hominibus innotuit. [o]

§. V. Deinde differt a *jure naturæ laxiori*, quod 1. itidem Grotius ex principiis internis fluere, ait, nimirum, ex natura humana, & judicio recte conformato ea eligendi, quæ naturæ humanæ conveniunt [p]: illudque 2. exiſtere, ait, etſi detur Deum non eſſe [q]. Unde 3. concludit, *jus naturæ laxius* mutari a Deo non poſſe [r]. Quæ omnia ſecus ſe habere in *jure divino voluntario*, ſtatuit. [s]

Præterea, & præcipue 4. *jus hoc divinum voluntarium* a *jure naturæ laxiori* in eo differre, exiſtimat, quod ex *hoc* nulla obligatio hominum inter ſe oriatur, ſed ſaltem intuitu Dei; hinc nullum jus petendi homini in hominem inde competere, ait. *Illud* autem verum jus homini in hominem dare, ſtatuit, adeoque ex lege divina jus exigendi competere, & violantem jus ex lege divina quæſitum a quovis privato puniri poſſe. (Excepto ſolo eo, quod ex lege Evangelii debetur; hanc enim legem inter homines obligationem non parere, ait, ſed ſaltem intuitu Dei.) [t]

§. VI. Cum vero is, qui jus tale voluntarium allegat, id probare debeat, Grotius ejus exiſtentiam *a poſteriori* probat. Si enim jus aliquod apud omnes gentes obtinet, neque tamen ratio ejus naturalis intrinſeca apparet, inde concludit, nullam aliam rationem hujus moris univerſalis dari poſſe, quam voluntatem Dei [u]. De eo more autem conſtare, ait, tum ex libris veteris teſtamenti, unde *jus Adamiticum*, & *Noachicum* deducit, tum ex libris novi teſtamenti, cujus præcepta *legem Evangelii vocat.* [v]

Mores veteris teſtamenti interpretationem recipere, ait, ex Hebræorum ſcriptoribus [x]; mores novi teſtamenti

(f) Lib. I. C. I. §. 13. & §. 15. n. 1. prol. §. 12. (g) prol. §. 12. Lib. I. C. XV. n. 1. (h) Lib. II. C. V. §. 13. n. 1. (i) prol. §. 11. & §. 12. Lib. I. C. I. §. 10. n. 1. & 5. (k) Prol. §. 12. & §. 15. (l) prol. §. 11. (m) Lib. I. C. I. §. 10. n. 2. (n) Lib. I. C. II. §. 5. n. 1. (o) Lib. I. C. I. §. 15. n. 2. (p) prol. §. 9. (q) prol. §. 11. & 12. Lib. I. C. II. §. 1. n. 3. (r) Lib. I. C. I. §. 10. n. 1. 2. 5. (s) Vid §. præced. (t) Vid. infr. §. 9. (u) Lib. II. C. V. §. 13. n. 1. & 2. (v) prol §. 48. & §. 50. Lib. II. C. V. §. 13. n. 3. (x) prol. §. 49.

menti ex Synodicis Canonibus [y], utpote qui collecti ſunt ex generalibus legis divinæ pronunciatis, ad ea, quæ occurrunt, aptatis. Hos vero Canones aut monſtrare, ait, quod divina lex præcipit, aut ad id, quod Deus ſuadet, hortari; & hoc veræ Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe officium, ea, quæ ſibi a Deo tradita ſunt, tradere, & eo, quo tradita ſunt, modo. [z]

§. VII. *Subjectum* juris divini univerſalis GROTIO eſt totum humanum genus. Omnes enim voluntati divinæ obligari, ait, *quatenus eis revelata eſt* [a]. Unde ſtatuit, eos, ad quos voluntas illa divina non pervenit, non obligari ex his præceptis. [aa]

§. VIII. Ad *Objectum* juris divini univerſalis GROTIUS refert 1. ea, quæ naturali ratione honeſta ſunt, non vero præcepta [b]. Talia enim multa eſſe, ait, quæ naturali ratione nec vetita, nec præcepta ſunt, ſed tantum licent, adeoque proprie juris naturæ non ſunt, ſed extra jus naturæ [c]; quæ commendantur magis, quam præcipiuntur, & unde per ſe nec nefas, nec pœna ſequitur, ſed ſola ſpes præmii, ſi homines ultro ea agunt [d]: adeoque quæ Deo grata quidem ſunt, ſed unde nulla ſequitur agendi neceſſitas [e]. Hos igitur actus honeſtos, at non præceptos natura, Deum pro libera ſua voluntate vetare, vel præcipere poſſe [f]; & in hoc genere maxime occupari leges divinas, ait, id agendo, ut quod per ſe laudabile tantum erat, etiam deberi incipiat [g]. Atque huc refert jus *Adamiticum*, de quo *Sectione ſeq.* & jus *Noachicum*, de quo *Sectione II.* agemus.

Sed & 2. GROTIUS ſtatuit, Servatorem eaſdem honeſtatis regulas ſecutum multa nova lege vel præcepiſſe, vel præcepta majori ſanctimonia exegiſſe; inprimis autem ex eo, quod optimum, Deoque acceptiſſimum eſt, digniſſimam lege nova deſumſiſſe materiam [h]. Atque hinc Servatorem [a] ob honeſtatis rationem multa, quæ & jure naturæ, & lege MOSIS permiſſa erant, vetaſſe: & [b] ea, quæ a natura, vel a MOSE præcepta jam erant, majori ſanctimonia exegiſſe; atque hactenus, ait, plus exigere legem Evangelii, quam jura naturæ, & legem MOSIS. *Vid. Sect. III.*

Quin 3. ipſa illa principia interna, quibus jus naturæ ſociale, & laxius nititur, eſſe objectum juris univerſalis, ait, quatenus, nimirum, Deus datis legibus ea magis conſpicua fecit, compeſcendo nimirum motus illos nimium vagantes &c. [i]

§. IX. *Effectum* juri divino voluntario GROTIUS hunc tribuit, quod omnes homines inde obligentur. Cum enim voluntati divinæ nos ſubjicere debere intellectus ipſe dictet, Deoque ut opifici, cui nos, noſtraque omnia debemus, ſine exceptione parendum ſit, præcipue cum is ſe multis modis & optimum, & potentiſſimum oſtendat, ita ut ſibi obedientibus præmia addere maxima, etiam æterna, quippe æternus ipſe, poſſit, & voluiſſe credi debeat, &c. [k]; GROTIUS concludit, rationem ipſam dictare, voluntati divinæ ſine exceptione parendum eſſe [l].

Unde

(*y*) prol. §. 51. (*z*) prol. §. 51. (*a*) Lib. I. C. I. §. 15. Vid. §. ſeq. (*aa*) *ibid.* (*b*) n. 10. §. 50 Lib. II. C. XI. § 1. n. 2. Lib. II. C. V. §. 13. n. 3. Lib. II. C. XII. §. 20. n. 3. Lib. I. C. II. §. 6. n. 2. (*c*) Lib. I. C. II. §. 5. n. 1. (*d*) prol. §. 50. (*e*) Lib. II. C. V. §. 9. n. 3. (*f*) Lib. I. C. II. §. 5. n. 1. (*g*) Lib. I. C. II. §. 1. n. 3. (*h*) Lib. II. C. V. §. 9. n. 3. (*i*) prol. §. 13. (*k*) prol. §. 11. & 12. (*l*) prol. d. §. 11.

Digitized by Google

Unde ſimul argumentum ducit, natura vetitum non eſſe quod Deus præcepit. [m]

Obligantur igitur huic juri omnes homines [n]; ſed tantum quatenus publicatio eis innoteſcit [o]. Cum enim incuria forte parentum, vel alio caſu, ignorare id poſſint, alia ratione autem de voluntate Dei conſtare nequeat, iniquum exiſtimat aſſerere, homines obligari ex lege, cujus notitiam non habent.

§. X. Ceterum GROTIUS hoc jus quoque refert ad ea jura, quæ inter populos plures, aut populorum rectores intercedunt [p]. Atque ex eo teneri reges, ſubditiſque inde jus quæſitum eſſe, ait, etſi in lege delationis nihil de eo dictum ſit [q].

Ubi tamen bene notandum eſt, homines ex hypotheſi GROTII aliter obligari ex jure Adamitico, & Noachico, aliter ex lege Evangelii. Nam præcepta juris *Noachici*, & *Adamitici* verum jus aliis dare, ait, ita ut peti, exigi, & omittentibus pœna temporalis infligi poſſit [r]. At *Legem Evangelii* non verum jus dare, ſtatuit, hominibus aliis: adeoque nemini inde jus agendi competere; ſed homines ſaltem in conſcientia obligari, citra pœnæ temporalis metum. *Vid. Sect. III.*

§. XI. Hac obligatione poſita GROTIUS concludit: 1. mutari hoc jus divinum univerſale ab hominibus non poſſe, a Deo poſſe, quia ex libera ejus voluntate ſequitur [s]: 2. Servatorem obligationem, quam Deus ob honeſtatis rationem ex libera ſua voluntate humano generi per leges veteris teſtamenti impoſuit, non ſuſtuliſſe lege Evangelii. [t]

§. XII. Jus tale divinum univerſale ter generi humano datum eſſe, GROTIUS opinatur: nimirum, 1. ſtatim poſt hominem conditum, quod ei dicitur *Jus Adamiticum*: 2. In reparatione generis humani poſt diluvium, quod ei eſt *Jus Noachicum*: 3. In ſublimiori reparatione per Chriſtum, quod *Jus Evangelii* vocat [u]. Quæ ſequentibus ſectionibus plenius examinabimus.

§. XIII. Antequam autem ad ſpecialia tranſeamus, in genere præmittendum eſt, *Jus* tale *Divinum voluntarium* univerſale non dari, idque merum inventum eſſe recentiorum doctorum.

§. XIV. Nam 1. nulla datur voluntas divina univerſalis revelata, NB. *omnes homines* obligans, quæ non ſimul ex ratione fluat, adeoque quæ non ſit ipſum jus naturæ; quod infra in ſingulis juris hujus univerſalis ſpeciebus plenius demonſtrabimus. Omne enim jus naturæ ex ſola, & libera Dei voluntate, non ex principiis internis fluit; adeoque hactenus nulla differentia inter jus divinum voluntarium, & jus naturæ intercedit.

§. XV. Sane 2. ea capita, quæ GROTIUS ad jus divinum univerſale refert, pleraque ſunt juris naturalis, quædam autem ſaltem juris forenſis. Ad *Jus naturale* enim pertinent ſex a Rabbinis efficta præcepta Adamitica [x], & ex Jure Noachico ſeptimum, de non comedendo ſanguine [y]. Pariter eo referri debent præcepta Evangelii, ſeu virtu-

(m) prol. §. 48. & L. I. C. I. §. 17. n. 2. (n) Lib. II. C. V. §. 13. n. 1. Lib. I. C. I. §. 15. n. 2. (o) Lib. I. C. I. §. 15. (p) prol. §. 1. (q) Lib. I. C. III. §. 16. n. 1. (r) Vid. infr. Sect. III. (s) Lib. I. C. II §. 5. n. 1. (t) Lib. II. C. V. §. 13. n. 2. (u) Lib. I. C. I. §. 15. n. 2. Lib. II. C. V. §. 13. n. 2. (x) Vid. §. 19. (y) Vid. §. 28.

virtutum, quia ad cultum Dei, adeoque ad illud jus naturæ pertinent, quod inter Deum, & homines obtinet [z]. Ad jus forenſe autem pertinent leges de Sabbatho, de decimis, de uſuris, &c. Quæ omnia in ipſo commentario ſuis locis magis illuſtrabimus.

§. XVI. Sed & 3. poſito tali jure divino univerſali, ſequeretur, promiſcuos concubitus, inceſtus, &c. licite perpetrari poſſe ab illis, quibus revelatio illa non innotuit.

Immo cum Grotius actus, circa quos jus divinum voluntarium verſatur, naturali ratione licitos eſſe, & demum voluntate Dei in vetitum iviſſe, indeque pro lubitu mutari poſſe, ſtatuat [a]; ſequeretur, Deum permittere humano generi promiſcuos concubitus, inceſtus, &c. eoque legi ſuæ derogare poſſe.

§. XVII. Accedit 4. quod talis univerſalis revelatio probari non poſſit. Etſi enim ab initio facta eſſet humano generi pauciſſimis perſonis comprehenſo; non tamen id ſufficit ad ſucceſſores obligandos, ſed ſingulis hominibus naſcituris denuo id jus inſinuandum fuiſſet: id enim ſi forte negligentia parentum factum non eſſet, illi hoc jure, utpote ipſis non revelato, non obligarentur.

Oportuiſſet itaque omnino ad hoc ut neceſſario perpetuaret hoc jus, & omni humano generi, ac ſingulis ubique, innoteſcere poſſet, opere illud perpetuo, & facto permanente declarari. Tali enim facto ſemper, & ubique ob oculos poſito demum fit, ut omnes homines, etiam id vitio ſuo non animadvertentes, ſint ἀναπολόγητοι; qua de cauſa Apoſtolus in probando jure naturæ ad ſola hæc opera provocat, ſoloque hoc indicio gentes coarguit. [b]

Fruſtra igitur fuiſſet tale jus, quod omnes homines obligare, & ad finem uſque mundi durare debuit, nudis verbis promulgari, quæ facile oblivione delentur: tantum abeſt, ut inde cum omni hominum poſteritate, mundique ævo, perennandi neceſſitas ſequatur.

Quod & ipſe Grotius agnoſcit; fatetur enim, homines inde non obligari, niſi quatenus innotuit. Unde apparet, exiguum fore uſum hujus juris, tum quia pauciſſimis innotuit, tum quia inter hos quoque, quibus innotuit, plurimi de veritate publicationis, proh dolor! dubitant, adeoque impune hos actus peragere ſe poſſe putant.

§. XVIII. Atque hinc 5. jus hoc divinum univerſale voluntarium a doctiſſimis viris merito rejicitur. [c]

Sectio I.

De Jure Adamitico.

§. XIX. Prima ergo ſpecies *juris divini voluntarii univerſalis*, (quod non ex principiis internis, ſed libera Dei voluntate ſequitur) Grotio eſt Jus Adamiticum quod homini ſtatim poſt lapſum datum eſſe, ſtatuit. [d]

Sane, Rabbini ſomniant, Deum Adamo ſex præcepta dediſſe: 1. circa cultum extraneum: 2. de non maledicendo nomini divino: 3. circa homicidium: 4. circa revelationem turpitu-

(z) Vid. §. 42. ſeq. (a) Lib. I. C. II. §. 5. n. 1. (b) Rom. 1. v. 18. ſeq. (c) Vid. Boecler. in not. ad Grotium. Lib. II. C. V. §. 13. n. 1. Oſiander ad Lib. I. C. I. §. 16. obſ. 3. Ziglerus apud Becmannum ad Grot. fol. 120. (d) Lib. I. C. I. §. 5. Lib. II. C. V. §. 13. n. 2.

Digitized by Google

pitudinum: 5. circa furta: 6. circa judicia. [e]

§.XX. Ex his præceptis GROTIUS quartum, & ſextum refert ad jus divinum voluntarium, nimirum, *revelationem turpitudinis*, & *judicia*. Etſi enim concedat, *inceſtum* in linea æquali inter parentes, & liberos ad præcepta *juris naturalis* pertinere [f], omnes tamen reliquos inceſtus in gradibus ſanguinis ex transverſo limite, & in gradibus affinitatis [g], in ſpecie cum noverca [h], inter fratres, & ſorores [i], &c. refert ad *Jus poſitivum divinum univerſale*.

Sane, cauſas prohibitionis naturales hic allegari non poſſe, ait [k]. Unde ita argumentatur: Si Cananæi, eorumque vicini, peccarunt talia faciendo, ſequitur, ut lex aliqua præceſſerit, quæ cum mere naturalis non ſit, reſtat ut a Deo data ſit humano generi [l]: & cum omnes moratiores gentes ab ejuſmodi connubiis abſtineant, hæc communis ſententia ſi a neceſſario naturæ dictamine originem non habuit, omnino ſequitur ut deſcendat ex veteri traditione, quæ a divino aliquo præcepto manavit. [m]

Cauſam igitur prohibitionis venire, ait, ex eo, quod natura, ſi non præcipit, certe honeſtius dictat; cujus generis multa materiam legum divinarum facere exiſtimat [n]. Atque has leges de inceſtu ipſi ADAMO datas eſſe, Judæi ajunt [o]. Unde GROTIUS concludit, nefas hic dici ex *lege divina*. [p]

§. XXI. Deinde *judicia* quoque non ex *Jure naturæ* orta eſſe, ait, ſed ex *Jure poſitivo univerſali*. Ex hypotheſi enim GROTII jure naturæ plane judicia non dantur, ſed unuſquiſque eſt vindex propriæ, & alienæ injuriæ, ſi ejuſdem criminis reus non eſt [q]. Addit autem, Deum id, quod naturaliter licitum erat, edicto repreſſiſſe, & exemplo CAINI & LAMECHI ſtatuiſſe, ne homines in ſua cauſa judicent, ſed judicio alterius ſe ſubmittant [r]; idque Deum poſt diluvium ſeverius præcepiſſe [s]. Atque hinc aſſerit, magiſtratus, ſeu *judicia* ex jure voluntario divino originem habere, & ADAMO talem legem publicatam eſſe. [t]

§. XXII. At 1. verum non eſt; ſex iſta præcepta ADAMO publicata fuiſſe. Nam nonniſi una lex ipſi data fuit, de non comedendo de arbore prohibita; quæ lex non tantum ſex illa præcepta, ſed omne jus naturæ includit. Sane, arborem illam typum ſaltem fuiſſe, & ſuppoſuiſſe totam naturæ legem, alibi probavimus.

§. XXIII. Etſi autem 2. jus hoc ſex præceptis conſtans ADAMO revelatum fuiſſet, non tamen inde ſequeretur, illa non eſſe juris naturalis. Sane, omnia illa capita ex ratione naturali fluunt, & neceſſitatem impoſitura fuiſſent ADAMO, etſi nulla revelatio ſecuta fuiſſet, uti revera ſecuta non eſt.

Leges enim de *cultu extraneo* [u], de *maledi-*

(e) Seld. Lib. I. C. IX. p. 107. & 116. Zigl. & Oſiand. ad Grot. Lib. I. C. 2. §. 5. (f) Lib. II. C. V. §. 12. (g) Lib. II. C. V. §. 13. n. 1. (h) d. §. 13. n. 4. Lib. II. C. V. §. 12. n. 1. L. II. C. XX. §. 42. (i) d. C. V. §. 13. n. 2. (k) d. C. V. §. 12. n. 1. §. 13. n. 2. in fin. & n. 7. (l) d. §. 13. n. 2. pr. (m) d. §. 13. n. 2. in fin. (n) d. §. 13. n. 3. Lib. I. C. II. §. 6. n. 1. (o) Lib. II. C. V. §. 13. n. 4. & 5. (p) Lib. I. C. II. §. 6. n. 2. L. II. C. V. §. 13. n. 7. (q) Lib. I. C. V. §. 1. & L. II. C. XX. §. 3. (r) L. I. C. II. §. 5. n. 3. & 4. (s) Lib. I. C. II. §. 5. n. 5. Lib. II. C. XX. §. 9. n. 5. §. 47. n. 2. & 4. C. XXI. §. 14. n. 2. Lib. III. C. V. §. 2. n. 4. (t) Vid. L. II. C. XX. §. 44. & ſeq. (u) Lib. II. C. XX. §. 4. n. 2. & §. 5. n. 1.

maledictione nominis divini [v], de *homicidio*, de *furtis* [x], de *revelatione turpitudinis* [y], ſeu de inceſtu, & *de judiciis* [z], naturales eſſe, in Commentario demonſtrabimus.

Merito igitur OSIANDER [zz], jus hoc Adamiticum inter ſomnia Rabbinorum refert, quia in Geneſi de tali publicatione nihil dicitur, nec ea opus fuit, cum naturali ratione hæc jura ADAMO ſatis cognita fuerint.

SECTIO II.

De Jure Noachico.

§. XXIV. Secundum genus *Juris divini voluntarii*, quod GROTIUS non ex jure naturali oriri, ſed Noacho, ejuſque poſteris verbis declaratum eſſe, fingit [a], eſt JUS NOACHICUM, quod Doctores potiſſimum ex ſex præceptis ADAMO jam præſcriptis conſtare, dicunt, quibus ſeptimum demum, *de non eſu ſanguinis viventis*, nova hac lege acceſſiſſe, putant. [b]

§. XXV. Atque hæc præcepta ab omnibus NOACHI poſteris obſervanda eſſe, contendunt; idque Rabbini per Cabalam ex *Gen. XI*, 16. evincere conantur [c]. Unde & SELDENUS juxta hæc ſeptem præcepta totum jus naturale in opere incomparabili *de Jure naturali ex doctrina Hebræorum* pertractavit.

§. XXVI. GROTIUS ad *Jus divinum voluntarium*, refert hanc legem Noacho publicatam, de *non eſu ſanguinis viventis.* [cc]

§. XXVII. At 1. in genere notandum eſt, præter legem *de non eſu ſanguinis* nullam aliam Noæ a Deo publicatam fuiſſe, quia altum de aliis in ſacra pagina eſt ſilentium. Neque 2. opus fuiſſet tali publicatione, tum quia præcepta reliqua ex hypotheſi Rabbinorum jam ADAMO erant publicata; tum quia omnia illa præcepta ſequuntur ex ratione naturali, adeoque pertinent ad ipſum jus naturæ.

§. XXVIII. Supereſt igitur, ut demonſtremus, legem de *non eſu membri animalis viventis* itidem ex ratione naturali fluere, & ad cultum extraneum, adeoque ad idolatriam pertinere. Verba legis Noachicæ hæc ſunt:

Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.

Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis.

Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, de manu viri; & de manu fratris ejus requiram animam hominis.

Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis ejus: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.

Equidem mirum videtur, quod Deus hic minetur ſe ſanguinem hominum etiam a *beſtiis* repoſciturum. An ergo beſtiæ pœnæ ſunt capaces?

Variæ de ſenſu hujus loci apud Hebræos ſunt ſententiæ. *Alii* enim ajunt, denotari verbis illis cædem humanam a bruto ex inſtigatu hominis factam, *vindictam* ſcil. *ſumturum numen, non tantum de cæde humana ab homine ipſo perpe-*

(v) d. Lib. I. C. I. §. 10. n. 4. Lib. II. C. XVII. §. 16. Lib. II. C. XX. §. 32. 35. (y) Lib. II. C. V. §. 12. ſeq. (z) Vide Indicem voce judicia publica. (zz) in not. ad Lib. I. C. I. §. 16. obſ. 3. (a) Lib. I. C. I. §. 15. Lib. II. C. V. §. 13. n. 2. (b) Lib. I. C. I. §. 15. n. 3. (c) Zigler ad Grot. Lib. I. C. II. §. 5. (cc) Lib. I. C. I. §. 5. n. 6.

Digitized by Google

perpetrata, *manu*, *vel telo*, *ſed etiam de ea*, *quæ a beſtia homine inſtigante fit* [d]. *Alii* putant, apud eos, qui ante diluvium vixerunt, per impietatem invaluiſſe morem nutriendi beſtias, quæ tyrannorum crudelitati inſervirent, & ideo Deum de animalibus in uſum ejusmodi nutritis, vel potius de eorum nutritoribus, vindictam repoſcere voluiſſe [e]. *Alii* ſunt, qui locum de pœna homicidio cœlitus infligenda intelligunt, ſcil. de immiſſis ab ipſo numine beſtiis, quæ vindictam ſumant, ſi homines ſcelus non puniant [f]. *Alii* per beſtias hic deſignari quatuor imperia in DANIELE, putant, perinde, ac ſi numen ibi vindictam cædibus etiam ab imperatoribus futuris minitaretur [g]. *Alii* vindictam hanc improprie ſumi, ajunt, non quaſi obligatio, ſeu pœna in bruta cadat, ſed quemadmodum bovis cornupetæ, & beſtiæ, qua cum homo coierat, lapidatio. [h]

§. XXIX. Verius autem eſt, vocem חית quæ in Codice Hebraico habetur, & pro *beſtia* ſumi ſolet, in genere omne *vivens* denotare, uti *Gen. III. C. XX.* HEVA dicitur אם כל חי *mater omnis viventis.* Sane, in Codice Samaritano locum hac de re e Geneſi allatum inveniri, qui de *vivente* verti debeat, teſtatur SELDENUS [i]; ut proinde præceptum ita ſe habeat: *Quin etiam ſanguinem veſtrum*, i. e. animarum veſtrarum, *repoſcam*, *ab omni vivente repoſcam eum.* Ut vero de enixa voluntate Dei conſtet, more in ſacro Codice uſitato id, quod in genere de omni *vivente* edixit, ſigillatim repetit *etiam de manu hominis*, *viri*, *& fratris.*

§. XXX. His præmiſſis notandum eſt, legem illam non de comeſtione cujusvis *viventis* loqui, ſed de comeſtione ſanguinis ſacrificii, quem ad imitationem gentilium comedere Iſraëlitæ ſolebant. Nam I. ex temporibus ante-diluvianis repetendum eſt, homines ad *idololatriam* prolapſos adeo horrori fuiſſe Deo, ut & eum pœnituerit hominem feciſſe, & totum fere humanum genus ideo deleverit. [k]

Poſt diluvium NOA, ex arca egreſſus, dicitur holocauſta Deo obtuliſſe, eaque adeo grata fuiſſe, ut ſibi propoſuerit ſe non amplius maledicturum terræ [l]. Occaſione hujus *ſacrificii* benedixit Deus NOÆ, ejuſque filiis [m], eique facultatem conceſſit de rebus terræ hujus diſponendi, adeoque & comedendi carnem animalis [n], excepto ſanguine, ſeu anima ſua. [o]

Ex his circumſtantiis jam apparet, occaſionem præcepto huic dediſſe idololatriam ante diluvium commiſſam, & holocauſtum à NOA poſt diluvium oblatum; adeoque præceptum illud non de comeſtione cujusvis ſanguinis, ſed de comeſtione ſanguinis ſacrificii intelligendum eſſe.

§. XXXI. Sane, 2. ex aliis hiſtoriæ ſacræ locis conſtat, Iſraëlitas, gentilium ſacra imitatos, ſacrificia in montibus obtuliſſe idolis [p], ac ſanguinem ſacrificiorum comediſſe [q]. Utrumque prohibet Deus, & poſtquam in genere edixit, ne ultra immolent hoſtias ſuas dæmonibus, cum quibus forni-

cati

(d) Selden. de J. N. & G. L. I. C. V. f. 63. ſeq. (e) Seld. d. loc. f. 64. (f) Seld. d. loc. & Lib. IV. C. I. f. 475. (g) Seld. d. loc. f. 66. (h) Seld. d. loco. (i) dict. loc. fol. 65. (k) Gen. 7. v. 7. & 8. (l) Gen. 8. v. 20. & 21. (m) Gen. 9. v. 1. & 2. (n) Gen. 9. v. 4. (o) Vid. Seld. Jur. nat. pag. 824. (p) Joſ. 65. v. 3. & 7. C. 66. v. 3. Deut. 12. v. 30. Levit. 17. v. 7. (q) Deut. 12. v. 8.

Digitized by Google

cati eſſent [r], ſtatim ſubjungit legem, ut hoſtiam ad oſtium tabernaculi mactarent, *& ne ſanguinem comederent.* Additque rationem, *quia anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculo ſit.* [s]

§. XXXII. Ex eadem hiſtoria 3. conſtat, Deum, poſtquam in genere idololatriam fugere juſſit, præceptum addere [t], ut hoſtias in loco, quem Deus elegit, offerant, & ibi comedant, [u] *excepto ſanguine.* [v] Simulque hortari Iſraelitas, ne imitentur mores, & ceremonias gentilium: certiſſimo indicio, Iſraelitas gentilium morem imitatos ſanguinem in honorem idoli comediſſe.

§. XXXIII. Sane, 4. omnia loca, ubi Deus prohibet *comeſtionem ſanguinis*, agunt de idololatria. *Lev. XVII.* agitur de hoſtiis, quæ dæmonibus offerri ſolebant, *v.* 7; & de his hoſtiis ait, *diſperdere ſe velle eos, qui ſanguinem* (qui effundi debebat ſuper altare *v. 6. comederint*, *v.* 10; *quia pro expiatione animarum ſanguis ille datus eſt.* Non autem eſt expiatio, ſi ſanguis in honorem dæmonum comeditur. *Levitici. XII.* MOSES hortatur Iſraelitas, ne convertantur ad idola, *v.* 2; ne hoſtia ultra alterum diem comedatur, *v.* 5, *& 6; ne comedant carnem cum ſanguine*, & ne auguria, & ſomnia obſervent, *v. 26. Deuteronomii XII.* idololatriam fugere jubet, *v.* 2. *ſeq.* hoſtias, & holocauſta nonniſi in loco, quem Deus elegit, offerre præcipit, *v.* 5. *ſeq. v.* 11. *ſeq. v.* 21. *ſeq.* & tunc addit, *ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt, & idcirco non debes animam comedere cum carne, ſed ſuper terram fundes tanquam, aquam, v.* 16, *&* 23.

§. XXXIV. Confirmatur id 5. ex *Act. XV. v.* 19, *&* 20. ubi gentiles converſi monentur, ut abſtineant a contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione (i. e. cultu idolorum,) *& ſanguine*; & *v.* 29. ut abſtineant ab immolatis ſimulacrorum, *& ſanguine*, & ſuffocato, & fornicatione. Item *C. XX. v.* 25. ut abſtineant ab idolis, immolato, *& ſanguine*, & ſuffocato, & fornicatione, cultu idoli, & immolato.

§. XXXV. Atque in hunc ſenſum 7. MAIMONIDES quoque, aliique, hoc præceptum NOACHI explicant apud SELDENUM [x], qui probat, morem gentilium fuiſſe, ſanguinem ſacrificii, adeoque idoli comedere.

§. XXXVI. Omnium autem maxime 8. hæc ſententia confirmatur ex graviſſima pœna, quam Deus Noachi poſteris, ſi carnem *cum ſanguine* veſcituri eſſent, minatur. Poſtquam enim prohibuit, *ne homines carnem cum ſanguine comederent;* poſtquam minatus eſt, *ſe requiſiturum ſanguinem ab omni vivente:* tandem declarat, quomodo ſanguinem repoſcere velit, *nimirum, effundendo ſanguinem ejus, qui ſanguinem effudit.*

Inſtas: ex ipſa inſpectione textus apparere, pœnam hanc ſtatutam ibi eſſe in eum, qui ſanguinem effudit, adeoque in homicidam, non vero in eum, *qui ſanguinem beſtiæ comedit.* Reſp. Is, qui ſanguinem idoli comedit, habetur pro homi-

(r) Lev. 17. n. 8. 9. & 10. (s) Deut. 12. v. 2. ſeq. (t) Deut. 12. v. 6. 7. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 21. (u) Deut. 12. v. 16. & 23. (v) ibid. v. 28. 29. ſeq. (x) de jur. nat. pag. m. 825.

Digitized by Google

homicida, quia animam perdit. Diſertis verbis id ita traditur [y]: *homo quilibet ſi occidit bovem, & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem, domino ſanguinis reus erit, quaſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio ſui populi.*

Unde JEREMIAS poſtquam ſacrificia, quæ Judæi idolis offerebant, & quæ comedebant, improbaſſet, [z] ita pergit: *qui immolat bovem, quaſi qui interficiat virum.* De idolo autem ibi agi, patet ex verbis ſequentibus: *Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat, qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo, hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum deteſtata eſt.* Atque hinc illi, qui privatim hoſtias immolabant, & ſanguinem ſacrificii comedebant, pœnam mortis ſubire cogebantur. [a]

Cum enim Deus ideo ſanguinem animalis elegerit, ut pro animæ piaculo ſit [b], ſatis conſtat, animal illud vicem hominis gerere. Si quis proinde animal illud contra intentionem creatoris occidit, i. e. non in piaculum, aut expiationem animæ, ſed in honorem idoli hoſtiam mactat, idem eſt, ac ſi hominem interfecerit, quia ipſam animam hominis, cujus expiationi victima illa deſtinata eſt, quaſi interimit, ac occidit.

§. XXXVII. Certiſſimum igitur eſt, pœnam hanc homicidii non in genere ſtatutam eſſe in comedentes ſanguinem cujusvis animalis, ſed ſaltem in comedentes *ſanguinem ſacrificii.* Sane, nulla ratio dari poſſet, cur in eſum ſanguinis, ſi ceremonia ſaltem eſſet, tanta pœna conſtituta eſſet, niſi ſimul idololatria, eoque majeſtas divina læſa ſupponesetur; nulla proportio eſſet inter pœnam, & crimen.

Hæc ergo vera ratio eſt, cur Deus eis, qui *ſanguinem idoli* comedunt, pœnam homicidii minetur. Qui enim offert idolo ſacrificium, idem eſt, ac ſi virum interficiat [d]; indeque ſanguinis reus eſt, quaſi ſanguinem fuderit.

Paraphraſis igitur allegati textus hæc eſt:

Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: Quaſi olera virentia tradidi.

Excepto, quod carnem cum ſanguine (i. e. ſanguinem idoli) *non comedetis*, quia comedentes ſacrificium animam perdunt, eoque homicidii rei ſunt.

Sanguinem enim animarum veſtrarum (quas perdunt illi, qui idolum comedunt) *requiram* (tanquam ab homicidis) *de manu omnis viventis, & de manu viri, & de manu fratris ejus requiram animam hominis*, quam perdit is, qui idolum comedit.

Quicunque enim *effuderit humanum ſanguinem*, (uti effundit is, qui idolo offert ſacrificium, & ſanguinem idoli comedit,) *fundetur ſanguis ejus;* (hæc enim talio a natura in homicidio eſt ſtatuta) *ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.*

§. XXXVIII. Ex his jam apparet, legem Noacho datam *de non eſu ſanguinis idoli*, eſſe naturalem, & contineri ſub primo præcepto, quod Adamo publicatum fuiſſe, fingunt, ac ipſi Judæi

(y) Levit. 17. v. 3. (z) C. 65. v. 3. 4. 7. & 11. C. 66. v. 3. (a) Levit. 17. v. 9. & 10. Deut. 12. v. 2. usque ad v. 21. (b) Lev. 17. v. 11. Deut. 12. v. 23. (c) Jerem. C. 66. v. 3. (d) Levit 17. v. 11. ſeq. v. 17. Deut. 12. v. 16. & 23. (e) Lev. 17. v. 3.

Digitized by Google

dæi ad vera naturæ jura referunt, nimirum, de *cultu extraneo*. Nam idololatriam naturali ratione prohibitam eſſe, omnes fatentur.

Sectio III.

De Lege Evangelii.

§. XXXIX. *Tertium* genus juris divini voluntarii univerſalis Grotio eſt Lex Evangelii, ſeu jus, quod ex præceptis Servatoris oritur. g

§. XL. Variæ ſunt opiniones circa obligationem horum præceptorum, quas explicare neceſſe eſt, quo rectius de mente Grotii nobis conſtare poſſit.

§. XLI. *Quidam* ajunt, *Servatorem novam legem condidiſſe, & veterem abrogaſſe*; atque hi poſt novi fœderis tempora nullum antiqui fœderis uſum eſſe, contendunt. Grotius h rejicit hanc ſententiam ex duplici ratione: 1. quia leges veteris teſtamenti veniunt ex libera Dei voluntate, quas Servatorem abrogare voluiſſe vix credibile ſit, quum illæ cum vero jure naturæ nunquam pugnent: quia novi fœderis ea ſit natura, ut quæ ad virtutes morum pertinentia præcipiuntur in veteri fœdere, eadem & ipſa, aut majora præcipiat. (§. 44. *n.* 2. *in fin.*)

§. XLII. Equidem facile in eo Grotio aſſentimur, *Servatorem novam legem non condidiſſe, nedum antiquam legem abrogaſſe.* At rationes Grotii nihil probant: Non *prior*, quia ratio hæc ſupponit, leges morales hujus fœderis eſſe diverſas a jure naturæ, & Servatorem potuiſſe illas leges abrogare; dictum autem eſt, leges illas eſſe ipſum jus naturæ i, quod Servator non tantum non voluit abrogare, ſed nec potuit: Non *poſterior*, quia Moses eas virtutes, quas præcipit, vel commendat, eodem modo, ac Servator, in perfectiſſimo gradu præcipit, etſi pœnas in vitioſos nullas ſtatuat. Quod plenius infra explicabimus.

§. XLIII. *Alii* contendunt, *in Evangelio, extra præcepta credendi, & ſacramentorum, nihil eſſe, quod non ſit juris naturalis.* Rejicit hanc ſententiam Grotius k, & rationem allegat, quod multa in vetitum eant ex Dei voluntate libera, ut concubinatus, divortium, matrimonium cum pluribus fœminis, &c; unde concludit, legem Evangelii ad alia quoque præcepta, extra præcepta naturæ ſeſe extendere, quia vetat ea, quæ jure naturæ licita ſunt.

At hæc ratio non videtur ſufficere ad elidendam ſententiam eorum, qui *præcepta Servatoris eſſe ipſum jus naturæ*, ſtatuunt. Negamus enim, allegatos a Grotio actus per legem Evangelii demum in vetitum iviſſe. Sane, *concubinatus temporarius* nec lege Moſis, nec jure naturæ permiſſus eſt; *perpetuus* autem nec lege Evangelii prohibetur. Literas divortii uxori mittere *abſque juſta cauſa*, nec legibus Moſis, nec jure naturæ licet (adeoque nec hic Servator aliquid vetat, quod non ſit vetitum ipſo jure naturæ); *ex juſta cauſa* autem divortium facere, etiam lege Evangelii permiſſum eſt.

Cur ergo Servator opponit ſua præcepta legibus Moſis? Si enim Servator æque, ac Moses, jura naturæ præciperet, non opus fuiſſet illa opposi-

(g) Grot. L. I. C. I. §. 15. (h) Proleg. §. 48.

(i) vid. proleg. §. 48. (k) L. I. C. II. §. 6. n. 1. & 2.

poſitione : *Dictum eſt veteribus, ego vero dico vobis &c.* Reſp. Lex MOSIS duo præcipit [l]: 1. neceſſitatem agendi ea, quæ ad ſecuritatem civilis ſocietatis pertinent : 2. puritatem mentis. Priorem partem legibus pœnalibus munivit, poſteriorem partem conſcientiæ civium ; vindictam autem Deo reliquit : adeoque populus Hebræus hanc poſteriorem partem absque metu pœnæ omittere potuit.

Legis periti, & Phariſæi, *priori* illa parte contenti, *ſecundam*, quæ prior eſt, inſuper habebant, neque eam inculcabant populo. Servator damnat hanc ignorantiam, & negligentiam, ac *alteram* quoque legis partem ad ſalutem eſſe neceſſariam, tradit : indeque non opponit ſua præcepta, tanquam nova, & legibus MOSIS contraria, ſed veram rationem Legum *Moſaicarum* explicat; adeoque non eo ſenſu, quo a veteribus dictum erat, opponit, ſed quo Judæi, & eorum Doctores illas leges explicabant. Servator igitur interpretem ſaltem earum legum agit [l]. Quod infra §. 48. plenius explicabimus.

§. XLIV. *Alii* aſſerunt, *Servatorem legibus Decalogi quædam addidiſſe, quæ ad perfectiorem Dei cultum in novo teſtamento pertinent*; adeoque hactenus eum novum jus conſtituiſſe, addendo aliquid legibus MOSIS. Hinc Sociniani longum texunt catalogum eorum, quæ ſingulis capitibus Decalogi addiderit. [n]

n. 1. GROTIUS quoque hanc adoptavit ſententiam, indeque ſupponit, [a] multa *jure naturali* permitti, a quibus abſtinere honeſtas ſuadeat; quo refert conſilia, & ſi qua ſunt alia præſcripta honeſta quidem, ſed non obligantia. Supponit [b] *lege* MOSIS itidem multa licere, a quibus abſtinere laudabilius ſit [q]. [c] Supponit, virtutes quaſdam in *veteri teſtamento* vel præceptas, vel commendatas eſſe.

n. 2. Ex his ſuppoſitis concludit 1. Servatorem habita honeſtatis ratione multa exigere ab hominibus, quæ *jure naturæ* prohibita non apparent [r]. Ubi tamen diſtinguit inter ea, quæ præceptum continent, & ea, quæ nudi conſilii ſunt. Nam non omnia dicta Servatoris leges eſſe, nec ex lege venire, ait [s]; quædam enim conſilii, & vitæ ſublimioris, at non in præcepto poſita eſſe [t], adeoque commendari magis, quam præcipi, & unde non pœnam, ſed carentiam præmii ſecuturam, ait [v]. (Hinc notat primos Chriſtianorum ſcriptores, quod ſæpius conſilia pro divinis præceptis amplexi ſint [x]). 2. Concludit, *lege Evangelii* plurima, quæ MOSES ob duritiem cordis fieri permiſit, vetita eſſe [y]. Denique, & 3. concludit, *legem Evangelii* virtutes, lege MOSIS præceptas, aut commendatas, majori ſanctimonia exigere [z]. Quæ ſingula exemplis nunc illuſtrabimus.

n. 3. *Primo* igitur ait, *legem Evangelii*

(*l*) Vid. Grot. L. I. C. II. §. 6. n. 4. Gron. ad Grot. L. I. C II. §. 6. n. 3. (*n*) Vid. Gron. in not. ad Grot. L. I. C. II. §. 6. n. 2. (*o*) L. I. C. I. §. 9. n. 1. L. I. C. II §. 6. n. 2. & C. XII. §. 20. n. 3. (*q*) dict. loc. II. L. II. C. XII. §. 20. n. 3. (*r*) prol. §. 9. L. II. C. XX. §. 10. n. 1.

(*s*) L. I. C. III. §. 3. n. 8. (*t*) L. I. C. III. §. 3. n. 9. Exemplum vide L. I. C. II. §. 6. n. 2. (*v*) Proleg. §. 50. (*x*) L. I. C. II. §. 9. n. 4. (*y*) Vid. n. 5. L. II. C. XX §. 10. (*z*) proleg. §. 48. L. I. C. I. §. 17. n. 4. C. II. §. 6. n. 5. C. XII. §. 20. n. 3. Conf. infr. n. 6. L. I. C. II. §. 8. n. 10.

Digitized by Google

gelii quædam vetare, quæ *jure naturæ* licita ſunt: adeoque ſupponit, actus quosdam jure naturæ licitos per legem Evangelii in vetitum iviſſe, & ante eam peccatum non fuiſſe. [a]

Nam 1. *uſuras natura* vetitas non eſſe, concedit: at eas non tantum lege Mosis intuitu Judæorum, ſed & *lege Evangelii* intuitu Chriſtianorum in vetitum iviſſe, ſtatuit [b]. 2. *Concubinatum naturali ratione* prohibitum non eſſe, ait, ſed eum demum *lege Evangelii* prohiberi [c]. 3. Virum *dimittere* uxorem poſſe *jure naturæ*, non *lege Evangelii* [d]. 4. *Polygamiam*, qua unus vir cum pluribus fœminis cohabitat, *natura* nefas non eſſe; at eam *lege Evangelii* prohiberi [e]. 5. *Jure naturæ puniri nocentem* a quovis alio poſſe, qui ejusdem criminis reus non eſt [f]; at *lege Evangelii* id reſtrictum eſſe [g]. 6. *Jure naturæ* innocentes, qui interpoſiti defenſionem, aut fugam, ſine qua evitari mors non poteſt, impediunt, transfodi poſſe; dilectionem autem *Evangelicam* id vetare [h]. 7. *Jure naturæ* occidere invaſorem licere ob alapæ periculum [i], ob conſervationem rerum &c. [k]; at obſtare *legem Evangelii*, ſi per fugam, vel alio modo evitari alapa, vel res ſervari poſſit [l]. 8. Denique *lege naturæ* fraudes quasdam admitti, exiſtimat; *lege Evangelii* nullas [m].

n. 4. *Secundo*, ait, multa *legibus* Mosis licere, quæ *lege Evangelii* vetantur. Nam [*a*] *lege* Mosis licitum fuiſſe, putat, dimittere uxorem; illam autem licentiam *lege Evangelii* eſſe ſublatam [n]. Sed & [*b*] *Lege* Mosis matrimonium cum pluribus fœminis permiſſum fuiſſe; at *lege Evangelii* id eſſe prohibitum [o]. [*c*] *Lege* Mosis permiſſum fuiſſe, odio habere extraneos; *lege Evangelii* diligendos eſſe omnes homines [p]. [*d*] *Lege* Mosis uſuras licite ſumi ab extraneis; *lege Evangelii* a nullo hominum ſumi poſſe [q]. Ubi rationem addit, *quia quæ officia homini Hebræo, aut alioqui circumciſo, præſtari jubentur, ea nunc præſtanda ſint homini cuivis, omni populorum diſcrimine per Evangelium ſublato.* [*e*] *Lege* Mosis concubinatum licitum fuiſſe; at *lege Evangelii* eum in vetitum iviſſe. [r]

n. 5. *Tertio* Grotius ſtatuit, *legem Evangelii virtutes lege* Mosis *præceptas, vel commendatas, majori gradu exigere.* [s]

Hinc [*a*] humilitatem, patientiam, & dilectionem nunc in majori gradu, quam ſtatu legis Hebraicæ exigi, adeoque hactenus legem Evangelii perfectiorem eſſe lege Mosis [t], eamque augere vitium legis [u], aſſerit; & hoc demum ſenſu legem dici manuductricem ad Chriſtum, & Chriſtum eſſe finem

(*a*) L. II. C. V. §. 9. n. 4. (*b*) L. II. C. XX. §. 42. L. II. C. XII. §. 20. n. 1. & 2. (*c*) L. I. C. II. §. 6. n. 2. L. II. C. XX. §. 42. (*d*) L. I. C. II. §. 6. & 8. n. 7. L. II. C. V. §. 9. n. 2. & 3. (*e*) L. II C. V. §. 9. n. 1. (*f*) L. II. C. XX. §. 3. n. 1. & 2. L. III. C. XVIII. §. 1. n. 3. (*g*) L. II. C. XX. §. 10. n. 1. 6. & 7. L. III. C. XVIII. §. 1. n. 3. (*h*) L. II. C. I. §. 4 n. 1. (*i*) L. II. C. I. §. 10. (*k*) d. §. 10. (*l*) d. L. II. C. I. §. 8. 9. & 10. Add. C. I. §. 11. & 13. (*m*) L. III. C. I. §. 20. n. 1. & 2. (*n*) L. I. C. II. §. 6. & 8. n. 7. L. II. C. V. §. 9. n. 2. & 3. (*o*) L. II. C. V. §. 9. n. 1. (*p*) L. I. C. II. §. 8. n. 10. L. II. C. XX. §. 10. n. 2. (*q*) L. II. C. XII §. 20. n. 3. C. XX. §. 42. (*r*) L. I. C. II. §. 8. n. 6. L. II. C. XX. §. 42. (*s*) Vid. ſupr. §. 29. n. 2. (*t*) Lib. II. C. I. §. 13. & 17. n. 4. Lib. I. C III. §. 3. n. 1. (*u*) L. II. C. XX. §. 30. n. 4.

Digitized by Google

finem legis *v*. Hinc [*b*] legem *Sabbathi* Chriſtianos quoque hactenus *x*, obligare ſtatuit, ne minus ſeptima temporis parte ad cultum divinum impendant *y*. [*c*] Legem *de decimis* etiam ratione Chriſtianorum hactenus neceſſitatis eſſe, ait, ne minus fructuum docima in alimenta eorum, qui ſacris rebus occupantur, aut ſimiles pios uſus, ſeponant *z*. [*d*] Legem *de uſuris* ſolis Judæis datam, per legem Evangelii ad omnes homines extenſam eſſe, tradit *a*. [*e*] *Obedientiam* regibus Hebræorum debitam fuiſſe, docet; at majori gradu præſtandam Chriſtianis magiſtratibus. *b*

n. 6. Juxta hoc ſyſtema, *cauſa* legis Evangelii eſt libera Dei voluntas per Chriſtum Servatorem declarata.

n. 7. *Subjectum* eſt totum humanum genus, quatenus ei revelatum eſt; præcipue autem id ad Chriſtianos pertinere, GROTIUS ſtatuit. Legis enim Evangelii materiam ſi non neceſſariam, certe honeſtam moraliter, GROTIUS eſſe ait; quæ autem hujus generis ſunt, extraneos quoque obligare, quippe vocatos ad majorum virtutum ſpecimina *b*: quanquam Chriſtiani majori gradu, ac latitudine inde obligentur *c*, quia ex hac ſola lege addiſcere poſſunt, quid Chriſtiano liceat. *d*

n. 8. *Objectum* legis Evangelii GROTIO ſunt actus, qui jure naturæ non ſunt præcepti, at honeſtatem tamen moralem habent *e*. Unde excludit actus, qui commendantur, non præcipiuntur. *f*

n. 9. *Effectus* legis Evangelii eſt obligatio. Sed qualis? Reſp. Obligatio, quæ eſt in ſola perſona, quæ nullum jus alii tribuit: adeoque ex hac lege homines in conſcientia ſaltem obligantur parendi præceptis Servatoris; at aliis hominibus nullum jus petendi, exigendi, agendi, & puniendi inde competit. Hinc non videtur jus naturæ violare, nec ideo a quovis puniri poteſt, qui legem hanc Evangelii violat *g*. Omitti ergo actus hac lege præcepti poſſunt ſine metu pœnæ temporalis *h*, quia Chriſto novæ legis Auctori id placuit, ut ad legem ſuam recipiendam nemo hujus vitæ pœnis, & earum metu cogeretur. *i*

n. 10. Quis ergo eſt effectus hujus obligationis? Reſp. Pœna divina, quam Deus tum in hac vita, tum in ſequenti infligere ſolet. Quæ enim poſt legem Evangelii committuntur, præſertim ſi adſit contumacia, comminationem habent judicii multo ſeverioris, quam illud fuit, quod per MOSEN inſtitutum eſt. Neque vero in altera tantum vita, ſed & in hac ipſa in tales culpas non raro Deus animadvertit *k*. Hinc de judicio Apoſtolorum agens, illud hoc modo deſcribit: *Jus illud judicandi quanquam etiam ad res terrenas ſuo modo pertineat, erat tamen cæleſtis, ut ita dicam, non terreſtris ingenii; exercendum non per arma, & flagra, ſed per verbum Dei generaliter propoſitum, & ad circumſtantias particulares aptatum per ſigillorum divinæ gratiæ exhibitionem, aut negationem, prout cuique conduceret;*

(*v*) d. § 17. n. 4. (*x*) L. I. C. I. §. 17. n. 4. (*y*) d. §. 17. n. 4. (*z*) L. II. C. XII. §. 20. n. 1. 2. 3. & C. XX. §. 42. (*a*) L. II. C. V. §. 4. n. 1. (*b*) Lib. II. C. XII. §. 20. n. 3. (*c*) Lib. I. C. II. §. 6 n. 5. (*d*) Lib. I. C. II. §. 6. n. 1. & 4. Lib. II. C. XII. §. 20. n. 3. (*e*) Vid. §. 33. n. 1. (*f*) Vid. h. §. 3. n. 1. (*g*) Grot. Lib. II. C. XX. §. 4. n. 1. junct. §. 43. (*h*) Lib. I. C. II. §. 6. n. 4. (*i*) Lib. II. C. XX. §. 48. n. 2. (*k*) Lib. II. C. XX. §. 11. n. 1.

ret; poſtremo loco per vindictam, non naturalem, ſed natura ipſa ſuperiorem, proinde a Deo procedentem. [l]

E contrario hæc lex Evangelii promittit præmium humana natura majus, quia ad hoc conſequendum virtutes requiruntur, quæ ſola naturæ præcepta excedunt. [m]

n. 11. GROTIUS exiſtimat, huic juri Evangelii derogari aliquando jure gentium voluntario [n]: nam hoc jure gentium certamen ſingulare permitti [o]; & eodem jure permitti, prædam capere ex bonis ſubditorum innocentium, &c. Utrumque legem Evangelii prohibere. [p]

n. 12. Differre autem GROTIUS *has leges* Servatoris, ait: PRIMO a *jure naturæ ſociali*, [*a*] quod *hoc* ex principiis internis, ex appetitu ſocietatis oriatur, *Jus Evangelii* ex libera voluntate Servatoris: [*b*] Quod *jus naturæ ſociale* exiſtat, etſi detur Deum non eſſe, cum *jus Evangelii* Deum tanquam unicam hujus juris cauſam ſupponat: [*c*] Quod *illud* ex ratione, ejuſque concluſionibus probetur, *hoc* ex revelatione: [*d*] Quod *illud* verſetur circa id, quod alterius eſt, adeoque circa actus, qui neceſſitatem inferunt; *hoc* autem circa id, quod noſtrum eſt, circa actus, qui honeſtatem præ ſe ferunt, at nullam neceſſitatem moralem: [*e*] Quod *illud* obliget omne genus humanum; *hoc* illos tantum, quibus revelatum eſt: [*f*] Quod homines *illud Jus* negligentes pœnis humanis coërceri poſſint; *Jus Evangelii* negligentes pœnis ſaltem divinis.

n. 13. SECUNDO *Jus hoc Evangelii* differre, ait, *a Jure naturæ laxiori*, [*a*] cauſa, quod *hoc* itidem ex principiis internis, i. e. intrinſece bonis fluat, nimirum, *ex judicio recte conformato ad æſtimanda ea, quæ delectant, aut nocent; illud* ex libera Dei voluntate. Unde [*b*] *Jus naturæ laxius* exiſtere, ſtatuit, etſi detur, Deum non eſſe; *Jus Evangelii* vero ſupponere Deum. Sed & [*c*] differre modo probandi, quod *illud* ex juſtis rationis concluſionibus probetur, *hoc* ex revelatione. [*d*] Differre quoque objecto, quod *illud* eas ſaltem virtutes præcipiat, quæ utilitatem aliis afferunt, *hoc* autem reliquos quoque actus, qui natura quidem honeſti ſunt, ſed non præcepti [pp]. [*e*] Effectu, quia *illud* obligat omne humanum genus, *hoc* ſaltem eos, quibus publicatum eſt. In eo autem [*f*] conveniunt, quod neutro jure pœnæ humanæ in tranſgreſſores ſtatuantur.

n. 14. TERTIO *Jus hoc Evangelii* differre, ſtatuit, a jure *Adamitico*, & *Noachico*: [*a*] Quod *hæc jura* omnes obligent, quibus revelata ſunt, adeoque & gentiles inter Judæos habitantes; cum *jus Evangelii* ſaltem obliget nomen Chriſti profitentes: [*b*] Quod *hæc jura* neceſſitatem inferant, & in foro ſoli obligent, adeo ut pœnis quoque humanis adigi poſſint tranſgreſſores; cum *jus Evangelii* ſaltem in foro poli obliget, & pœnas æternas minetur tranſgreſſoribus.

n. 15. QUARTO Grotius differentiam quoque inter *Jus Evangelii*, *ac Jus Moſaicum*, intercedere ſtatuit: [*a*] Quod MOSES *legibus ſuis* multa permittat honeſtati repugnantia ob duritiem cordis, quæ vero *Jure Evangelii* vetita

(*l*) Lib. II. C. XXII. §. 14. per tot. ibique Zigl. (*m*) Lib. II. C. XX. §. 10. n. 1. Conf. prol. §. 50. (*n*) Lib. II. C. XX. §. 14. C. I. §. 13. (*o*) Lib. III. C.XX. §.42. (*p*) Lib. III. C. VIII. §. 4. (*pp*) Vid. n. 9.

Digitized by Google

vetita ſint: [*b*] Quod MOSES quidem virtutes quaſdam præcipiat, aut commendet, ſed *Jus Evangelii* eas majori gradu, & ſanctimonia exigat: [*c*] Quod ex legibus MOSIS homines inter ſe obligentur, ex lege *Evangelii* ſoli Deo.

§. XLV. Hoc celebre illud eſt ſyſtema GROTII., quod a Socinianis mutuatus eſt, ipſe autem mirum in modum adornavit, & ad ſtatum hominum Chriſtianorum accommodavit.

Supponit autem hoc ſyſtema, Servatorem leges tuliſſe, & veteri legi aliquid addidiſſe; quod proteſtantium Eccleſia negat, & Servatorem, qua hominem, non eſſe legislatorem, ſtatuit [q]. Quæ ſententia vera eſt, & probatur 1. ex ipſis natalibus Servatoris; a privatis enim parentibus ipſe privatus natus eſt [r]; adeoque ſumma poteſtas, eoque facultas leges ferendi, ex nativitate ei quæſita non eſt.

2. Ex ipſius vitæ ratione. Privatam enim vitam egit; privatus per provincias vagatus eſt docendo, prædicando, hortando, monendo; judicio humano ipſe ſe ſubmiſit, furoremque regum, aliorumque magiſtratuum expertus eſt [s]; & quod magis eſt, cenſum non tantum ipſe ſolvit [t], ſed & alios ſolvere juſſit [u]: certiſſimo indicio, eum magiſtratus officium, adeoque jus leges ferendi, ſibi non arrogaſſe.

Idque conſtat 3. ex propria ejus confeſſione. Ipſe enim aſſerit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo [v], nec ſe veniſſe, ut ſibi ſerviatur, ſed ut aliis ſerviat. Unde diſcipulos Johannis ita alloquitur: Si vellent potentem videre, ad regum caſas accederent [x]; ſe non veniſſe ut ſolvat legem, ſed ut eam impleret, ſatisfaciendo legi. Sane, eum nec judicem egiſſe inter homines, nec legem inter eos ſtatuere voluiſſe, vel inde apparet, quod juvenem ex ſe quærentem, quænam ſint maxima præcepta? remittat ad legem MOSIS.

Hinc 4. adulteram, quam Servatoris judicio ſubmittere volebant Phariſæi, non condemnat, neque legis pœnam ei dictat, ſed pœnitentiam ſaltem injungit. Quin cum Petrus gladio Servatorem defenderet, improbat hoc factum, ac jus gladii ſoli magiſtratui competere dicit, ſimulque pœnæ mentionem facit. &c. [y]

Extra omne dubium id ponitur 5. ex *ipſo munere Servatoris*, quod totum in eo conſiſtit, ut legem divinam prædicet, ſimulque mediatorem inter Deum, & homines agat, atque his media ſalutis offerat, eoſque ad ſalutem revocet. Sane, promiſſio Joſepho facta continebat, Chriſtum ſalvum facturum populum a peccatis [z]. Unde veniſſe dicitur ad vocandos peccatores [a]; & ipſe fatetur, poteſtatem ſuam conſiſtere in dimittendis peccatis [b]. Hinc initium muneris fecit annunciando Evangelium. Docebat, appropinquare regnum cœlorum [c]; hortabatur auditores, ut pœnitentiam agerent: atque ideo pollicebatur præmia, i. e. vitam æternam.

Etſi vero 5. Servator aliquando minetur

(*q*) Gron. ad Grot. Lib. I. C. II. §. 6. n. 3. (*r*) Matth. 2. v. 14. & 22. (*s*) Matth. 17. v. 24. (*t*) Matth. 22. v. 17. (*u*) Matth 20. v. 28. Phil. 2. v. 7. (*v*) Matth. 4. v. 8. (*x*) Matth. 26. v. 52. Grot. L. I. C. III. §. 3. n. 7. (*y*) 1 Joh. 1. v. 17. (*z*) Matth. I. 21. (*a*) Matth. IX. 13. XVIII. 11. Luc. XIX. 10. Marc. I. 26. ſeq. Actor. XIII. 46. 1 Tim. I. 15. (*b*) Matth. IX. 6. (*c*) Matth. VIII. 10. 12. XI. 29. Luc. VIII. 1. Marc. I. 14. & 15. VI. 35. 38.

netur pœnas æternas iis, qui præcepta ſua non ſequuntur [e], non tamen ſtatuit has pœnas, ſed ipſo jure naturæ ſtatutas explicat. Sane, omnes Prophetæ ſimiles adhibuerunt minas; neque tamen præcepta eorum ſunt præcepta legis, ſed ipſi pœnas lege divina ſtatutas ſaltem annunciant.

§. XLVI. Ex his jam ſatis conſtat, verum non eſſe *I.* legem Evangelii quædam vetare, quæ jure naturæ facere licebat *f*. Nam 1. *uſuras* vetitas eſſe, in Evangelio nullibi apparet. Sane, nihil iniqui, nihilque honeſtati contrarium ſubeſſe exiſtimo, uſuras ab alio, qui pecunia mea utitur, exigere. 2. *Concubinatum* temporarium nec naturali ratione, nec lege MOSIS probari; perpetuum nec lege Evangelii improbari, ſupra vidimus. 3. *Polygamia*, qua unus vir pluribus fœminis cohabitat, verbis expreſſis non improbatur, & communis demum Eccleſia id ita decidit, cui omnes, qui Eccleſiæ ejus membra eſſe cupiunt, ſubmittere ſe tenentur. 4. Vindicta privata non demum lege MOSIS, vel Evangelii, prohibita eſt, ſed ipſo jure naturæ. Porro & 5. nec jure naturæ interficere intermedium innocentem licet; non ergo demum id legi Evangelii debetur.

6. Jure naturæ, quod obtinet *intuitu Dei*, non licet occidere invaſorem ob alapæ periculum, ſi aliter evitari poteſt; pugnat id cum perfectione: adeoque hactenus quoque Servator nihil novi conſtituit. 7. Fraudes ad jus noſtrum conſequendum ſemper ſunt licitæ, etiam ex doctrina Servatoris, quia vi, & armis repetere licet jus noſtrum, nedum fraude.

n. 1. Porro & *II.* nec id verum eſt, quod multa legibus MOSIS permittantur, quæ lege Evangelii ſint vetita [g]. Nam 1. nec lege MOSIS licitum erat dimittere uxorem invitam ſine juſta cauſa; adeoque admitti non poteſt, quod GROTIUS ait, lege Evangelii id demum iviſſe in vetitum. 2. Polygamiam plurium uxorum nec per præcepta Evangelii diſerte vetitam eſſe, modo diximus. 3. Lege MOSIS non erat permiſſum odio habere extraneos, exceptis ſolis populis damnatis. 4. Uſuras, & 5. concubinatum perpetuum, nec in Evangelio prohiberi, ſupra jam dictum eſt.

n. 2. Neque *III.* admitti poteſt, quod GROTIUS aſſerit, virtutes lege MOSIS præceptas, vel commendatas, ſaltem eodem, vel majori gradu præcipi, ac commendari lege Evangelii. Nam 1. MOSES quoties actus virtutis præcipit, eos ſemper præcipit perfectiſſimo modo; at pœnas in tranſgreſſores non ſtatuit, quia illa pars juris naturalis, quæ in perfectione conſiſtit, non eſt objectum legum civilium, & pœnalium. Sed & 2. minus proprie aſſeritur, Servatorem paria, vel in majori gradu præcipere; cum Servator non præcipiat, nec legislatorem agat, ſed docendo, & inſtruendo populum leges MOSIS interpretetur.

Neque 3. exempla GROTII aliquid probant. Nam ex eo, quod lege MOSIS ſeptimus aliquis dies cultui divino publico eſt deſtinatus, non ſequitur, lege Evangelii præcipi, ne minus ſeptima temporis parte ad cultum divinum impendatur. Sane, nullam video rationem, cur non octava, vel decima pars temporis, conſenſu Chriſtianæ Eccleſiæ impendi poſſit. Ratio ſeptimi diei mere politica eſt, ut nimirum populus eo die ab omni labore vaca-

(e) Marc. VI. 11. (f) Vid. ſupra §. 44. n. 3.

(g) Vid. ſupra §. 44. n. 4.

vacaret; & juſtiſſima proportio eſt inter ſeptimum diem, & ſex dierum laborem. Neque metuendum eſt, cultui divino aliquid decedere, quia tantum de cultu publico quæſtio eſt, qui cultum privatum, & quotidianum non excludit.

Equidem hic dies ſeptimus legibus quoque Chriſtianorum cultui publico deſtinatus eſt; adeoque dies ille neceſſario obſervari debet, niſi quis a communione Chriſtianæ eccleſiæ excludi velit.

Porro & 4. ex eo, quod MOSES decimas ſolvi præcipit, non ſequitur, eodem, vel majori gradu id præcipi Chriſtianis. Nam decimas ſolvere non perfectionis erat actus, ſed illæ debitæ fuere Levitis ex ipſo jure naturæ; quum enim in diviſione terrarum bello quæſitarum Levitæ non comprehenderentur, in vicem terrarum Deus ipſis decimam partem redituum deſtinavit. Hoc ergo jus Levitis ipſa ratione naturali quæſitum erat. Tota hæc ratio inter Chriſtianos ceſſat, qui terras illas non poſſident, adeoque Levitis, i. e. miniſtris eccleſiæ, nihil hactenus debent, ſed eis ſalaria, aliaque neceſſaria, de ſuo ſubminiſtrare ſolent.

Nulla ergo ratio neceſſitatis hic ſubeſt, quæ Chriſtianos obliget, ut non minus fructuum decima in alimenta eorum, qui ſacris rebus occupantur, aut ſimiles pios uſus, ſeponant.

Sed nec 5. ex eo, quod MOSES uſuras prohibuit a Judæis exigere, argumentum deſumi poteſt, Servatorem id extendiſſe ad omnes homines. Nam lex illa fuit mere forenſis, quæ cum republica Judæorum interiit; jure autem naturæ nihil obſtat, quo minus lucrum ex mea pecunia, unde alius locupletior fit, percipere poſſim, neque ſi uſuræ modicæ ſunt, perfectioni id repugnat. Nulla ergo ratio dari poteſt, cur Servator hanc prohibitionem legis mere civilis ad omnes homines extendere voluerit.

Denique & 6. obedientia regibus debita ex ipſo jure naturæ ſequitur, ſummaque fuit apud Hebræos. Non ergo aſſeri poteſt, majorem *lege Evangelii* præcipi.

§. XLVII. Quidam Servatorem *interpretem tantum agere legis Moſaicæ*, aſſerunt; eamque ſententiam communem eſſe omnium proteſtantium, teſtantur COCCEJUS [b], & ALTINGIUS [i], rationibus probat OSIANDER [k], & textibus ſacræ ſcripturæ adſtruit GRONOVIUS. [l]

Equidem ſi de *interpretatione authentica* id intelligunt, concedi non poteſt, Servatorem vices interpretis gerere, quia interpretari nemo legem poteſt, niſi ea poteſtas, quæ legem dedit. Sane, hæc interpretatio nova lex eſſet; certum autem eſt, Servatorem pro legiſlatore ſe nullibi geſſiſſe. Quin hæc interpretatio homines æque inter ſe obligaret, ac lex ipſa; quis vero dixerit, eum, qui aſpicit fœminam ejus concupiſcendæ cauſa, ut adulterum puniendum; & in eum, qui fratrem odio habet, tanquam in homicidam animadvertendum eſſe?

At ſi de *doctrinali interpretatione* quæritur, admitti poteſt, *Servatorem eſſe interpretem legis Moſaicæ*.

§. XLVIII. Quo rectius hoc intelligatur, præmittendum eſt, *Jus naturæ*, adeoque

(b) de fœdere C. XII. n. 157. (i) Theol. elencht. p. 411. (k) Oſiand. in not. ad Grot. L. I. C. II. §. 6. n. 3. (l) Gron. in not. ad Grot. d. l.

adeoque & legem MOSIS, quatenus moralis eſt, duo continere: 1. officia hominum inter ſe: 2. officia hominum erga Deum.

n. 1. Officia *hominum inter ſe* in eo conſiſtunt, quod homo jura naturali ratione aliis hominibus quæſita eis tribuere teneatur: Officia autem *hominum erga Deum* latius patent. Deus enim vult non tantum ſuum cuique tribui; ſed præterea injungit hominibus: 1. ut ſuum cuique tribuant amore juſtitiæ: 2. ut imitentur perfectiones divinas, i. e. virtutum actus peragant, idque amore virtutis, i. e. ex puritate mentis.

n. 2. Jure naturæ igitur *intuitu hominum inter ſe* juſtus dici poteſt, qui ſuum cuique tribuit, etſi metu pœnæ, vel vi coactus id faciat. Nemini enim aliquid deeſt, & nulla ſupereſt injuria reparanda: at *intuitu Dei* juſtus non eſt, qui jus ſuum tribuit, niſi puritas mentis accedat.

n. 3. Legislatores in ſtatuendis legibus magis *priorem* juris partem reſpiciunt, quia ad ſecuritatem civitatis (quæ præcipua legum condendarum ratio eſt) ſufficit, ſi homo ab homine tutus eſt, i. e. ſi jus ſuum cuique tribuitur. Adeoque hanc partem legibus pœnalibus munire ſolent.

Alteram autem juris naturalis partem adeo non excludunt a ſuis legibus, ut potius puritatem mentis in obſervandis legibus ſupponant, eaque intentione leges ſtatuant, ut cives eas non tantum obſervent, ſed & ut eas obſervent amore juſtitiæ, i. e. pia intentione.

Sane, conditores Juris Romani definiunt juſtitiam, quod ſit *conſtans, atque perpetua voluntas* jus ſuum cuique tribuendi; quam conſtantem voluntatem CICERO *habitum* vocat ſuum cuique tribuendi. Unde regula generalis quoque juris Romani eſt, *quod ea, quæ contra bonos mores ſint, nec facere nos poſſe credendum ſit.*

Etſi autem legislatores jura ſtatuant perfectiſſimo modo, non tamen pœnarum aſpectabilium formidine coërcere ſolent eos, qui præceptis legis obſequium præſtant non amore juſtitiæ, ſed metu pœnæ; nec eos, qui aliis non benefaciunt, vel oſtentationis gratia virtutum actus exercent: quia nemo de mentis puritate judicare poteſt, & cogitationis pœnam nemo patitur [m]. Hanc ergo juris partem conſcientiæ civium relinquunt, qui proinde, citra metum pœnæ, eam omittere poſſunt. Atque hinc olim quædam perjuria apud Romanos pœnis non erant obnoxia, quod ſatis Deum ultorem habere crederent. [n]

n. 5. MOSES, Hebræorum legislator, eandem viam ingreſſus eſt, & *priorem* ſaltem juris naturalis partem, quæ *jura hominum inter ſe* reſpicit, & ſecuritati civitatum conſulit, pœnis munivit; reliqua autem officia *Deo debita*, nimirum, puritatem mentis in ſervandis legibus, & virtutum exercitium, præcipit quidem, ſed citra comminationem pœnæ: hactenus enim impunitatem civibus concedit.

n. 6. Quod autem lege MOSIS etiam *altera* juris naturalis pars, i. e. *officia Deo debita*, præcipiantur, apparet ex ſumma præceptorum Moſaicorum: *Dilige Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus* [o], *proximum autem, ſicut te ipſum* [p]. Qua ratione autem dilectio talis concipi poſſet abſque puritate mentis? Sane, MOSES legem ſuam a Deo,

(*m*) Leg. 18. ff. pœnis. (*n*) Leg. 2. C. Reb. cred.

(*o*) Deut. 5. n. 5.6. ſeq. (*p*) Levit. 19. n. 5.18.

Digitized by Google

Deo, ente perfectiſſimo accepit, adeoque non niſi perfectiſſimo modo lata cenſeri poteſt. GRONOVIUS [q] pluribus rationibus probavit, legem veteris teſtamenti omni modo eſſe perfectam. Verba ejus hæc ſunt: *Hacque ſententia communis eſt omnium proteſtantium, Chriſtum nec univerſis, nec ſingulis decalogi præceptis quicquam addidiſſe, quod ad perfectiorem Dei cultum in novo teſtamento pertineat, quia NB. lex Dei perfecta eſt, cui nec addi quidquam poteſt, nec detrahi* [r], *& obedientiam omnem, non modo externam in ſermone, geſtu, facto, ſed etiam internam mentis, voluntatis, affectuum complectitur* [s]. *Eoque & vitam æternam & pollicetur, & dare poteſt ſervantibus.* [t]

Sane, ipſe Servator in novo teſtamento ſemper legem commendavit [u], & impletioni legis vitæ æternæ promiſſionem addidit. [v]

n. 7. Interim certiſſimum eſt, MOSEN hanc juris ſui partem non muniviſſe legibus pœnalibus [x], ſed leges tuliſſe cum ſenſu imbecillitatis humanæ, & ad modum humanum; actus autem perfectionis civium arbitrio, & conſcientiæ reliquiſſe.

n. 8. Hæc impunitas anſam Judæis dedit opinandi, ad ſalutem ſufficere ſi ſecundum leges viverent, & actus quoſdam externos virtutum a MOSE præceptos, aut commendatos peragerent: parum ſolliciti de reliquarum virtutum exercitio, & de mentis puritate, utpote in quam leges pœnales nullæ conſtitutæ erant. Servator ſaluti Judæorum conſulturus errorem hunc manifeſtavit, & ſupinam hanc negligentiam damnavit, docendo, non ſufficere ad legem, bonum eſſe, vel bona opera agere, niſi amore juſtitiæ, & virtutis, officia illa præſtentur.

n. 9. Hinc jam facile conſtat ratio, cur Servator *intuitu Dei* eum pro *homicida* habeat, qui odio proſequitur proximum; pro *adultero* eum, qui alienam uxorem concupiſcit; pro *perjuro*, qui violat aſſertionem, vel promiſſionem, quæ non per Deum, ſed per aliam rem religioſam fit [y]: cur damnet *eleemoſynas*, quæ gloriæ aucupandæ gratia erogantur, & *preces*, quas homines in conſpectu publico oſtentationis cauſa fundunt. [z]

In omnibus enim his actibus ipſa lex MOSIS violabatur, ſed impune, quoad pœnas nimirum civiles; at eo ipſo non excluduntur pœnæ divinæ, & æternæ.

n. 10. Chriſtus igitur interpretatus eſt legem MOSIS, docendo, actus internos, etſi pœnæ civiles in eos non ſint ſtatutæ, non tamen minus legibus MOSIS contineri, & ad ſalutem maxime eſſe neceſſarios.

n. 11. Summa igitur eſt auctoritas præceptorum Chriſti: continent enim perfectiſſimam juris naturalis partem, officia, nimirum, hominum erga Deum, puritatem mentis, regulas charitatis, &c. Quæ officia optimus Servator non tantum perfectiſſimo modo docet, ſed & præmia

(q) ad Grot. Lib. I. C. II. §. 6. n. 3. (r) Deut. 4. v. 2. & Cap. 12. v. 32. Pſ. 19. v. 8. (s) Math. Cap. 22. v. 38. 39. Deut. Cap. 27. v. 26. (t) Lev. Cap. 18. v. 5. Deut. Cap. 30. v. 19. Luc. 10. v. 25. & 28. Conf. Rom. 10. v. 5. Galat. 3. v. 12.

(u) Matth. 7. v. 12. (v) Matth. 19. v. 16. 17. Marc. 10. v. 17. ſeq. Luc. 18. v. 18. ſeq. (x) Grot. Lib. I. C. IV. §. 7. n. 2. Lib. II. C. II. §. 6. n. 4. Lib. III. C. XXIII. §. 5. n. 3. (y) Math. C. V. per tot. (z) Math. C. VI. v. 1. & C. XXIII. v. 5.

mia obſequentibus promittit, pœnas autem æternas refragantibus minatur.

Ne autem ulla excuſationis via hominibus ſuperſit, ſeſe mediatorem obtulit inter Deum, & homines, ſanguine ſuo genus humanum redemit, eoque enti infinito ſatisfecit; quod non niſi a ſubſtantia divinæ eſſentiæ participe fieri potuit.

Ex quibus apparet, verum eſſe, quod ſupra cœpimus dicere, magis hominum intereſſe hanc juris naturalis partem addiſcere, quam ea jura noſſe, quæ hominibus inter ſe communia ſunt.

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS IV.
DE JURE GENTIUM
VOLUNTARIO,
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS.

Præcipue

Ad Prolegomena §. XVII,

Item

Ad Lib. I. Cap. I. §. XIII, *&* XIV.

Ubi Grotii Syſtema exponitur, ſimulque probatur, tale Jus non exiſtere, & monſtrum hoc ex errore Triboniani ortum eſſe.

Digitized by Google

S U M M A R I A.

§. I. Grotius *præter* Jus naturæ, *ſive ſociale*, *ſive laxius*, Jus gentium voluntarium, & univerſale *ſtatuit.*
II. *Variæ Doctorum de hoc Jure gentium, ejuſque origine, opiniones.* §§. ſeqq.
VI. *Definitio Juris gentium ex mente* Grotii.
VII. *Ejus exiſtentiam probat.*
VIII. *Cauſa Juris gentium: & quomodo differat a jure naturæ.*
IX. *Subjectum, objectum, & effectus Juris gentium.*
X. *Diviſio Juris gentium in* latius patens, & arctius.
XI. *Jus* latius patens *eſt vel* univerſale, *vel* certarum gentium.
XII. *De uſu Juris gentium voluntarii* certarum gentium.
XIII. *De uſu Juris gentium voluntarii* univerſalis §§. *ſeqq.*
XVIII. *De diſcrimine ejus, quod in Jure gentium latius patente* ex omni parte juſtum eſt, & *ejus*, quod effectum ſaltem externum juris habet. §§. *ſeqq.*
XXI. *De effectu Juris gentium voluntarii* latius patentis. §§. *ſeqq.*
XXIV. *De jure gentium voluntario* arctiore. §§. *ſeqq.*
XXIX. *Refutatur doctrina de jure gentium voluntario.* §§. ſeqq.

C A P U T I.

De origine Juris Gentium voluntarii.

§. I. Grotius præter *Jus naturæ*, ſive *ſociale*, ſive *laxius* (quod utrumque ei ex principiis internis oritur), & præter *Jus divinum voluntarium univerſale* (quod non ex principiis internis, ſed ex libera Dei voluntate deducit), aliam juris ſpeciem inter homines conſtituit, nimirum, Jus humanum voluntarium, id eſt, Jus gentium, quod Doctores Secundarium vocare ſolent, & *quod uſu exigente, & neceſſitatibus humanis, gentes humanæ inter ſe conſtituiſſe, ajunt.* [a]

§. II. Cum vero non appareat, gentes unquam conveniſſe, & communi conſenſu jus aliquod conſtituiſſe, adeoque conceptu difficillimum ſit, quale hoc jus ſit, & quomodo probari poſſit; variæ de hoc jure ſententiæ Doctorum ortæ ſunt.

§. III. B. Parens fontem, & cauſam hujus juris a ſtatu corruptionis deducit [b]. Jus enim naturæ, quod in ſtatu hominum integro conditum, & ſimplex, & facile cognitu fuit, & obſervari totum potuit, poſt lapſum non adeo obvium eſſe, ait, ut-

(*a*) §. 2. Inſt. de jur. nat. gent. &c.

(*b*) in prodrom. jur. gent. Exerc. I. §. 23.

Digitized by Google

utpote cum nunc maxime laboremus factorum inveſtigatione, & voluntatum, verborumque interpretatione. Huic accedere, quod ea nunc ſit hominum conditio, ut jus illud naturæ nec plenarie ſervari, nec in omnibus caſibus ei jus naturæ applicari poſſit.

Unde concludit, remedium his quærendum fuiſſe ab uſu gentium, quo 1. juris naturalis rigor temperaretur in eum modum, ac ſenſum, qui cadere in præſentem hominum ſtatum, & imbecillitatem poſſit: 2. invenirentur, ac reciperentur modi, quibus juvetur jus naturæ, vel, ubi præſenti hominum ſorti id minus convenit, ſuppleatur, vel ad faciliorem exitum adducatur, vel ex hodierna gentium utilitate conformetur, aut ſtatuatur. [c]

Hujus juris proinde duplicem cauſam, fontem, vel caput eſſe, ſtatuit, *neceſſitatem*, & *communem utilitatem*; quod enim *neceſſitate exigente* conſtitutum eſt, tranſire, & ſuccedere, ait, in jus naturæ præſentis ſtatus, & perinde, ac alterum, omnes homines obligare. Quod *ex utilitate communi* plures gentes, & maxime quibus mutuum inter ſe commercium eſt, recepere, id eſſe jus gentium ſecundarium horum populorum, etſi ab aliis, cum quibus forte commercium non eſt, receptum non fuit. Ceſſante vero communi utilitate fieri merum jus civile [d]. Quæ fere cum principiis Winckleri circa originem juris gentium conveniunt. [e]

§. IV. Ego originem *Juris gentium ſecundarii* olim, & in prima editione juris mei controverſi, politicis rationibus Romanorum adſcripſi [f]. Suppoſui enim, apud Romanos jura quædam civilia ſolis civibus propria facta, quædam vero extraneis quoque communicata fuiſſe. Hæc poſteriora ideo *Jus gentium* dicta fuiſſe, exiſtimavi, quia extraneæ gentes, propter neceſſitatem, vel utilitatem communem, ad jurium civilium communionem admittebantur.

At merito hanc ſententiam mutavi, quia hæc admiſſio dependet tota ex lege, & arbitrio populi, adeoque ex mero jure civili, unde gentes inter ſe nulla ratione obligantur, & extraneis nullum jus quæritur. Populus ergo pro lubitu hanc legem iterum tollere, & extraneos eodem jure a jure civitatis excludere poteſt, quo eos admiſit: adeoque omnis effectus *juris*, i. e. obligatio, ceſſaret. Sed & repugnat huic opinioni definitio juris gentium, quam Tribonianus proponit, ex qua conſtat, non unam gentem hoc jus conſtituiſſe alias admittendo, ſed gentes humanas inter ſe id conſtituiſſe. [g]

§. V. Hoc *Jus gentium ſecundarium* Grotius primus (ut ipſe gloriatur [h]) in ſyſtema redegit, eique in vita humana, præcipue autem in bellis, inſignem effectum tribuit [i]. De quo quidem ſyſtemate nunc uberius agemus.

Sectio I.

De Jure gentium voluntario ex hypotheſi Grotiana, *ejusque cauſa*, *ſubjecto*, & *objecto*.

§. VI. Jus gentium voluntarium universale, quod apud

(c) d. Exerc. I. §. 25. (d) d. Exerc. I. §. 26. ſeq. (e) Vid. Diſſert. Procem. XI. §. 10. (f) L. I. tit. I. q. 4. (g) §. 2. Inſt. de jur. nat. gent. & civ. (h) in Proleg. §. 1. (i) prol. §. 2.

apud omnes gentes, aut ſaltem moratiores, tale eſſe creditur [k]. GROTIUS [l] ita explicat: *Sicut enim cujusvis civitatis jura utilitatem ſuæ civitatis reſpiciunt: ita inter civitates, aut omnes, aut pleraſque, ex conſenſu jura quædam naſci potuerunt, & nata apparet, quæ utilitatem reſpicerent non cœtuum ſingulorum, ſed magnæ illius univerſitatis.*

§. VII. Exiſtentiam ejusmodi juris ſequenti ratione adſtruit [m]: *quia quoties multi diverſis temporibus, ac locis, idem pro certo affirmant, id ad cauſam univerſalem referri debeat; quæ ſi recta illatione ex naturæ principiis non procedit* (recta enim illatio ex principiis naturæ procedens probat ipſum jus naturæ), *alia eſſe non poteſt, quam communis conſenſus.* Et mox addit: *Quod enim ex certis principiis certa argumentatione deduci non poteſt* [n], *& tamen ubique obſervatur, ſequitur, ex libera gentium voluntate ortum habeat.*

Hinc in probando hoc jure maximum pondus habere, ait, auctoritatem prudentum. [o]

§. VIII. Cauſa igitur hujus juris GROTIO eſt conſenſus gentium [p], & tacitum earum pactum [q]. Unde moribus receptum eſſe, ait, tanquam ex condicto [r], & cum mutua obligatione. [s]

Differt autem *Jus hoc gentium* ex hypotheſi GROTII *a Jure naturæ*; quod hoc non ex conſenſu, & ſtatuto gentium, ſed ex principiis internis a Deo approbatis oriatur, & gentes etiam citra conſenſum obliget [t]. Inde male hoc jus gentium a quibusdam Doctoribus confundi cum jure naturæ, ait [u], quamquam pro jure naturæ ſumi poſſit, ſi æquitate naturali nitatur [v]; eoque ſenſu opponi, ait, æquitatem naturalem ſtricto juri [x]: & tunc vocari *fas Deum* [y], adeo ut qui jus hoc gentium violat, jus divinum violare dicatur. [z]

Differt porro a *Jure divino univerſali*, quod hoc a voluntate Dei; *jus gentium voluntarium* ex pacto tacito gentium originem ſumat.

§. IX. *Subjectum* ficti hujus *juris gentium* GROTIO ſunt vel omnes gentes, vel ſaltem moratiores. *Vid. Sect. ſeq.*

Objectum juris gentium eidem GROTIO ſunt utilitates, & neceſſitates magnæ illius civitatis. Cauſas autem, quæ movere gentes ad jus aliquod ſtatuendum ſolent, quatuor GROTIUS affert: 1. ut eo magis quis jus ſuum conſequatur [a]: 2. ut majus malum [b], vel 3. damnum, quod metuitur, evitetur [c]: 4. quod connivere ſoleant gentes in minoribus delictis; quo GROTIUS refert leges civiles ad meretricium, & improba fœnera. [d]

Hinc excludit GROTIUS ab hoc *Jure*

(*k*) L. I. C. I. §. 14. (*l*) in proleg. §. 17. (*m*) proleg. §. 40. & L. I. C. I. §. 14. (*n*) prol. §. 40. L. I. C. I. §. 14. (*o*) L. II. C. XVIII. §. 4. n. 2. & 4. (*p*) Prol. §. 17. & §. 46. L. I. C. I. §. 14. n. 2. L. III. C. IV. §. 19. n. 1. & L. I. C. II. §. 9. n. 2. (*q*) Prol. §. 1. d. prol. §. 10. (*r*) Prol. §. 42. & 43. (*s*) L. II. C. III. §. 5. L. III. C. I. §. 8. n. 3. (*t*) Vid. differt. procem. I. §. 16. & differt. II. §. 11.

(*u*) L. II. C. XX. §. 41. prol. §. 30. & 37. (*v*) L. II. C. XVIII. §. 4. n. 3. (*x*) L. II. C. XVIII. §. 4. n. 3. (*y*) L. III. C. IV. §. 16. (*z*) L. II. C. XX. §. 44. n. 6. L. III. C. IV. §. 16. & C. VI. §. 2. (*a*) L. III. C. XIII. §. 1. n. 2. C. VI. §. 6. n. 4. (*b*) L. III. C. XIII. §. 1. n. 2. C. VI. §. 4. n. 4. (*c*) L. III. C. IV. §. 2. (*d*) L. III. C. V. §. 4. (*e*) Vid. infr. §. 24. ſeq.

Jure gentium jus, quod ſine ulla utilitate communi, vel fortuito, vel ad imitationem receptum eſt, & cœtuum ſingulorum utilitatem reſpicit. [e]

De *Effectu*, & *modis finiendi* hujus juris agemus infra §. *XXI. ſeq.*

SECTIO II.

De diviſione Juris gentium voluntarii in latius patens, & arctius.

§. X. GROTIUS dividit Jus gentium in LATIUS PATENS, ſeu proprie ſic dictum, & in ARCTIUS, quod improprie jus gentium appellari, ait. [f]

Jus gentium LATIUS PATENS, i. e. proprium (nam de arctiore infra Sect. VI. agemus), GROTIO eſt, quod ab omnibus, vel ſaltem moratioribus gentibus tamquam ex condicto receptum eſt [g], ob utilitatem magnæ illius univerſitatis [h]: adeoque quod introductum eſt uſu, & humana neceſſitate indigente [i]; unde ait, jus hoc pertinere ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem [k], eaque jura humanæ ſocietatis vincula continere. [l]

§. XI. Jus gentium *latius patens* GROTIUS iterum diſtinguit in UNIVERSALE, vel CERTARUM GENTIUM. [m]

UNIVERSALE ei eſt, quod apud omnes, vel moratiores gentes obtinet [n], & magnæ illius ſocietatis utilitatem reſpicit [o]; de cujus uſu *Sectione ſequenti*, & de effectu ejus *Sectione IV.* agemus.

Jus CERTARUM GENTIUM ei eſt, quod ſaltem inter quaſdam gentes tamquam ex condicto receptum eſt, unde jus hoc apud diverſos populos diverſum eſſe poſſe, ait [p], & in una parte Europæ jus gentium dici, quod alibi non eſt. [q]

§. XII. Ad hoc *jus certarum gentium* refert 1. quod mare occupari pro parte non poſſit, cum jure naturæ poſſit [r]. 2. Quod non liceat veneno uti in hoſtes, ſecus, ac jure naturæ [s]; unde ait, ſpicula, & fontes veneno inficere non licere jure gentium Europæarum. & quæ ad Europæ melioris cultum accedunt [t]. 3. Quod occidere ſervum, captos, deditos, eorumque liberos, non liceat inter gentes ejuſdem religionis, in primis inter Chriſtianos [u]. Porro & 4. recentiore jure gentium inter Europæos populos introductum eſſe, ſtatuit, ut capta res hoſtilis videatur, ubi per horas 24. in poteſtate hoſtis fuerit [x]. 5. Jure gentium particulari introductum eſſe, ut fœminas hoſtiles ſtuprare liceat; melius autem jus gentium reduxiſſe jus naturæ [y]. Denique 6. juri gentium particulari tribuit, quod poteſtas, quæ jure gentium in captivos competit, reſtricta ſit apud certos populos. [z]

SEC-

(e) Vid. inf. §. 24. ſeq. (f) Lib. I. C. I. §. 14. L. III. C. III. §. 6. n. 1. (g) Prol. §. 42. & 43. (h) L. I. C. I. §. 4. prol. §. 17. (i) L. III. C. II. §. 2. n. 1. (k) L. II. C. VIII. §. 1. n. 2. (l) prol. §. 18. (m) L. III. C. IV. §. 15. 16. & 19. (n) Prol. §. 42. & 43. (o) L. I. C. I. §. 4. (p) L. I. C. I. §. 14. L. II. C. VIII. §. 1. n. 2. (q) ibid. (r) L. II. C. III. §. 10. n. 3. & 11. (s) L. III. C. IV. §. 15. n. 1. & 2. (t) d. Cap. IV. §. 16. n. 1. & 2. (u) L. III. C. VII. §. 8. & 9. C. XIV. §. 6. n. 3. L. III. C. IV. §. 19. n. 2. (x) L. III. C. VI. §. 3. n. 2. (y) L. III. C. IV. §. 19. n. 1. & 2. (z) L. III. C. VI. §. 8. & 9.

SECTIO III.

De uſu Juris Gentium voluntarii latius patentis.

§. XIII. Usum *Juris gentium voluntarii latius patentis* maximum eſſe, ait Grotius, circa fœdera, & pactiones regum, & in omni jure belli, ac pacis [a]: eumque ad quatuor capita generalia refert.

§. XIV. Primo, *quod multa permittat, quæ jure naturæ vetita ſint* [b]. Atque ex hoc principio ſequentia jura deducit.

1. *Jure naturæ* hominem ſtare teneri promiſſioni prædoni jurato datæ, quia Deo jus inde quæſitum ſit [c]. *Jure gentium* autem hanc obligationem odio prædonum ſublatam eſſe. [d]

2. *Jure naturæ* vetari bellum gerere ex injuſta cauſa; indeque quicquid tali bello agitur, injuriam eſſe, & ipſo jure nullum: adeo ut is, qui ex injuſta cauſa bellum gerit, nec capere res, & perſonas hoſtis, nec vaſtare res hoſtiles, nec interficere hoſtem poſſit. [e]

Jure gentium hæc omnia licere in *bello ſolenni*; i. e. in tali bello, quod inter duas ſummas poteſtates geritur, & indictum eſt. (Secus igitur in omnibus *aliis bellis* [f]. His enim ſolennibus accedentibus, gentes inter ſe conſtituiſſe, fingit, ut bellum geri etiam ex injuſta cauſa poſſit. Atque hinc acquiſitiones bellicas refert ad jus gentium [g]. Et ex eodem jure gentium, eum, qui ex injuſta cauſa bellum gerit, capere perſonas hoſtis, vaſtare res hoſtiles, & interficere hoſtem poſſe, ſtatuit. [h]

3. Sed & ſi bellum ex juſta cauſa ſuſcipiatur, Grotius exiſtimat, *Jure naturæ* capi perſonas, & res hoſtis, vaſtari res hoſtiles, & interfici hoſtes non poſſe, niſi intra quantitatem debiti, & modum pœnæ. Aliud autem *Jure gentium* in eodem bello ſolenni introductum, & a gentibus tacito conſenſu conſtitutum eſſe, ut licentia illa lædendi hoſtem in infinitum extendatur. [i]

Hinc concludit Grotius, in bello juſto quoque *Jure naturæ* non poſſe lædi ſubditos innocentes, nec acquiri jus in res, & vitam captorum, nedum eorum liberorum. At *Jure gentium* ſubditos innocentes quoque capi (non occidi), ac res eorum occupari, & vaſtari poſſe, ſed & jus in res, & vitam ſervorum, & eorum, qui ex ſervis naſcuntur, victori permitti. [k]

4. *Jure naturæ* repreſſalias, i. e. pignorationes pro debito alieno, licitas non eſſe, ait [l]. *Jure gentium* autem ex juſtiſſimis rationibus introductas eſſe [m], ſalvo tamen regreſſu contra eum, qui damnum dedit [n]. Atque hoc jus per abuſum etiam ad vitam extenſum eſſe, ſtatuit. [nn]

§. XV. Secundo: *Quod Jus Gen-*

(a) Prol. §. 2. (b) L. III. C. IV. §. 15. (c) L. II. C. XIII. §. 14. ſeq. L. III. C. XXIII. §. 2. L. III. C. IV. §. 18. (d) L. III. C. XII. §. 5. L. III. C. IV. §. 18. & C. XXIII. §. 2. (e) L. III. C. X. §. 3. C. XVI. §. 1. n. 2. L. II. C. I. §. 1. n. 3. (f) L. III. C. VI. §. 27. (g) Lib. II. C. VIII. §. 1. (h) Vid. infr. §. 20. ſeq. (i) Vid. infr. §. 20. ſeq. (k) L. II. C. V. §. 32. junct. L. III. C. VII. §. (l) L. III. C. II. §. I. & C. XXI. §. 9. (m) L. III. C. II. §. 2. n. 1. §. 5. n. 2. §. 6. L. III. C. XIII. §. 1. n. 2. C. X. §. 5. n. 1. (n) L. III. C. II. §. 7. n. 4. (nn) d. C. II. §. 6.

Digitized by Google

gentium multa prohibeat, quæ Jure naturæ permiſſa ſunt. [o]

Unde concludit 1. *Jure naturæ* partem maris occupari poſſe, quatenus littoribus incluſum eſt [p]: at *Jure gentium* id prohibitum eſſe. [q]

2. Legatos delinquentes *Jure naturæ* puniri poſſe [r]: *Jure gentium* autem quod fide publica legatos excipit, vetari, ne rei fiant [s]. Atque hinc, ait, jus gentium a regula naturæ, qua quicquid territorii finibus continetur Juriſdictioni ſubeſt, excipere legatos. [t]

3. *Jure naturæ* cuilibet competere jus arcendi a ſe injuriam: ſed id vetitum eſſe *Jure gentium.* [u]

4. *Jure naturæ* cuique jus competere pœnam ab alio delinquente ſumendi [v]: *Jure gentium* autem, quia affectui noſtro indulgere ſolemus, judicia conſtituta, illiſque ſolis poteſtatem puniendi datam eſſe. [x]

5. Ex eodem *naturæ Jure* permiſſum eſſe cuique genti, alias gentes ex injuſta cauſa bellum inferentes tamquam fures, & homicidas punire [y]. At hanc licentiam *Jure gentium*, ob difficultatem, & periculum cognoſcendi inter duas gentes judicem non habentes, ſublatam eſſe. [z]

6. *Jure naturæ* bellum publicum geri poſſe ab omnibus, qui juriſdictionem habent; *quia omnis magiſtratus ſicut ad tuendam plebem ſibi creditam, ita ad exercendam juriſdictionem, ſi vis occurrat, jus habere belli gerendi videtur.* [a]

At Jure gentium, quia tota civitas ex bello in periculum venire poteſt, cautum eſſe, ne bellum geratur, niſi auctore eo, qui ſummam in civitate habet poteſtatem. [b]

7. *Jure naturæ* ſervum domino vim inferenti reſiſtere poſſe: at ne externum jus, jure gentium inductum, inane ſit, ex neceſſaria conſequentia vetitum id *Jure gentium* intelligi. [c]

8. *Jure naturæ* bellum inferri alii poſſe, etiam citra indictionem [d]: at *Jure gentium* indictionem neceſſario requiri, ad eum effectum, ut privilegia belli ſolennis obtineant. [e]

9. *Jure naturæ* permiſſum eſſe turpibus armis in hoſtem uti [f]; adeoque & veneno [g], ſpiculis veneno infectis [h], percuſſoribus, &c. [i]: quia quem interficere licet, eum gladio, aut veneno interimas, nihil intereſt. [k]

Jure gentium autem vetitum eſſe veneno uti, eumque conſenſum ex reſpectu communis utilitatis ortum eſſe, ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperunt, nimium intenderentur [l]. Eandemque rationem eſſe in ſpiculis veneno infectis, in venenatione fontium [m], & in percuſſoribus [n], ſi ſcilicet perfidia ineſt: (nam ſi perfidia non

(o) L. II. C. III. §. 10. n. 3. L. II. C. XVIII. §. 4. n. 3. L. III. C. IV. §. 15. n. 1. (p) L. II. C. III. §. 8. (q) d. C. III. §. 9. & 10. n. 1. & 3. & §. 11. (r) L. II. C. XVIII. §. 4. n. 2. 3. & 5. (s) d. C. XVIII. §. 1. 3. & 4. n. 2. (t) d. §. 4. n. 5. (u) Vid. diſſert. prœm. 7. §. ſeq. & diſſ. prœm. VIII. §. 14 (v) L. II. C. XX. §. 3. 7. & 8. (x) L. II. C. XX. §. 8. n. 4. §. 9 n 4. (y) L. III. C. X. §. 3. 4. & 5. C. XVIII. §. 6. (z) L. III. C. IV. §. 2. L. II. C. IX. §. 4. n. 2. L. III. C. X. §. 5. n. 1. (a) L. I. C. III. §. 1. & §. 4. n. 2. (b) d. §. 4. n. 2. & §. 5. (c) L. III. C. VII. §. 7. (d) L. III. C. III. §. 6. (e) L. III. C. III. §. 1. uſque ad §. 6. & §. 11. ubi rationem addit. (f) L. III. C. IV. §. 15. n. 1. (g) d. §. 15. n. 1. (h) d. C. IV. §. 16. (i) d. Cap. IV. §. 18. n. 1. 2. & 3. (k) d. C. IV. §. 15. n. 1. & §. 18. n. 2. & 3. (l) d §. 15. n. 1. & 2. in fin. & d. §. 18. n. 5. d. 6. (m) d. C. IV. §. 16. & 18. n. 2. & 3. (n) d. §. 18. n. 5. & 6.

non ineſt, jure gentium quoque percuſſoribus uti licere. [o])

§. XVI. TERTIO: *Quod Jus gentium Juri naturæ quædam ſuperaddat* [p]. Eſſe enim quædam, ait, quæ ortum aliquatenus ex jure naturæ habent, ſed firmitatem accipiunt ex voluntate humana, ſive adverſus conjecturas incertas, ſive adverſus exceptiones quaſdam, quas alioqui ratio naturalis videtur ſuggerere. [q]

Atque huc refert GROTIUS 1. *ſucceſſiones ab inteſtato agnatorum.* Nam *Jure naturæ*, ait, præſumtionem quidem eſſe, defunctum præferre eum voluiſſe, quem magis dilexit [r]: at cum neceſſaria non ſit hæc conjectura, ſtatuit, *Jure gentium* certam ſucceſſionis formam, quæ tamen variet, eſſe conſtitutam. [s]

2. *Præſcriptiones longi temporis*: nam poſſeſſionem longi temporis *Jure naturæ* nullum jus tribuere ſtatuit, niſi appareat animus derelinquendi [t]. *Jure gentium voluntario* hunc animum ex ſilentio longi temporis præſumi, ait. [u]

3. *Inæqualitatem contractuum*: nam *jure naturæ* omnem inæqualitatem contractus reparari debere, docet: at *Jure gentium* exceptum eſſe caſum, ſi inæqualitas non ſit magna [v]. Cum enim natura incerta admodum ſint rerum pretia, & inextricabiles controverſiæ orituræ eſſent inter eos, qui judicem communem non habent, gentes, ut evitarent exceptiones inæqualitatis, ſtatuiſſe, fingit, ne ob minorem inæqualitatem negotia reſcindantur. [x]

4. *Jure naturæ* nullam eſſe neceſſitatem ſepeliendi mortuos, ſtatuit; id tamen conveniens eſſe rationi naturali: indeque *gentes* hunc morem humana lege confirmaſſe. [y]

§. XVII. QUARTO: *Quod Jus gentium aliquando noviter aliquid conſtituat.* [z]

Nam 1. GROTIUS *Jure naturæ* dominia rerum eſſe incognita, indeque neminem aliquid ſuum in primævo rerum ſtatu dicere potuiſſe, aſſerit, quia omnes res ex ejus hypotheſi fuere communes: at aucto hominum numero *gentes*, cum in communione perſiſtere nollent, tacito conſenſu permiſiſſe, ait, ut res cederent occupanti; & ex hac demum voluntate humana dominia orta eſſe [zz]. Hinc 2. porro concludit, *Jure naturæ* nullum jus in re dari, & nemini hominum jus competere vindicandi rem tanquam ſuam, utpote cum in re communi melior ſit conditio prohibentis: ſed *Jure gentium*, & introducto ex voluntate humana dominio, ſocietatem quandam introductam inter homines eſſe, ait, ut qui rem alienam in ſua poteſtate haberet, eam domino redderet [a]. Et ſi res non extet, & alter locupletior inde factus ſit, ut tantundem reſtituat. [b]

3. *Jure naturæ* infantes, & furioſos jus nullum habere, tradit: at *Jure gentium* receptum eſſe, ut genus humanum

(*o*) d. §. 18. n. 1. 4. 5. & 6. (*p*) L. II. C. XVIII. §. 1. (*q*) L. II. C. XIX. §. 6. (*r*) L. II. C. VII. §. 3. (*s*) d. C. VII. §. 11. n. 1. d. C. XIX. §. 6. (*t*) L. II. C. IV. §. 9. (*u*) L. II. C. IV. §. 9. & L. II. C. XIX. §. 6. (*v*) L. II. C. XII. §. 26. C. XIX. 1. 6. & C. XIII. & XVI. n. 2. (*x*) L. II. C. XII §. 26. n. 3. & C. XIII. §. 16. n. 2. C. XIX. §. 6. (*y*) L. II. C. XVIII. §. 1. junct. §. 6. (*z*) L. II. C. XVIII. §. 1. (*zz*) Diſſ. procem. VI. §. 8. ſeq. (*a*) L. II. C. X. §. 1. (*b*) d. C. X. §. 1. n. 1.

marium eorum ſuſtineat perſonam, & hactenus jurium ſint capaces. [c]

Denique & 4. redarguit GROTIUS JCtos Romanos, quod ea, quæ vere ſunt *Juris gentium*, ſæpe tractent promiſcue, & indiſcrete cum his, quæ *Juris* ſunt *Romani*; & exempla affert ex titulo Digeſtorum *de captivis*, & *poſtliminio reverſis* [d], & ex titulo Digeſtorum *de acquirendo rerum dominio* [e]: de quo plenius in ſequentibus diſſertationibus agemus.

SECTIO IV.

De diſcrimine ejus, quod in Jure gentium latius patente ex omni parte juſtum eſt, & ejus, quod effectum ſaltem externum juris habet.

§. XVIII. VIDIMUS capite præcedenti, in quem finem, ex hypotheſi GROTII, gentes jura quædam ſibi ob communes neceſſitates conſtituerint. Hic jam quæritur, an gentium conſtitutio tutos reddat agentes in conſcientia? GROTIUS reſpondet: Quædam horum jurium a gentibus conſtitutorum *ex omni parte juſta* eſſe; quædam autem *effectum ſaltem externum juris producere.* [f]

§. XIX. In hoc igitur jure gentium voluntario Grotius EX OMNI PARTE JUSTUM eſſe, ait:

I. Quando Jure gentium aliquid vetatur, quod Jus naturæ permittit.

Ita enim 1. *natura* permiſſum eſſe, hoſtem, adeoque & jus legatum, in noſtro territorio deprehenſum capere, & occidere. *Gentes* autem conveniſſe inter ſe, ut legatus & admitti debeat, & violari non poſſit. [g]

2. *Natura* permiſſum eſſe, legatum delinquentem punire. *Jure gentium* autem reum fieri non poſſe. [h]

3. *Jure naturæ* licitum eſſe partem maris occupare, quatenus littoribus includitur. *Jure gentium* nec partem maris occupari poſſe. [i]

4. *Jure gentium* in bello ſolenni (i. e. quod utrinque a ſumma poteſtate geritur, & indictum eſt [k]) multa vetari, quæ *Jus naturæ* permittit. Veneno enim hoſtem injuſtum interficere *Jure naturæ* permitti [l]: at *Jure gentium* id vetitum eſſe ſub pœna infamiæ. [m]

II. Conſtitutiones gentium ex omni parte juſtas eſſe, ait, *quando ob naturalem æquitatem aliquid permittunt, quod jure naturæ vetatur.* Exemplum huc pertinens refert 1. in prædone; etſi enim *Jure naturæ* nefas ſit violare fidem prædoni datam [n], *Gentes* tamen inter ſe, odio prædonum, jure conſtituiſſe, ait, ut promittens liberetur. [o]

2. Aliud exemplum allegat in pignoratione, capione, & vaſtatione rerum, quæ ſubditorum ſunt innocentium. *Jure naturæ* enim res illas pro debito Principis nec pignorari, nec capi poſſe, ait: *Jure gentium* autem aliud ſtatutum eſſe, & res ſubditorum quoque pro debito civili (non pro delicto) Principis pignorari, & capi in infinitum poſſe.

Atque

(c) L. II. C. III. §. 6. & C. V. §. 2. n. 2. C. XI. §. 14. L. II. C. IV. §. 10. (d) Prol. §. 53. (e) L. II. C. VIII. §. 1. §. 8. §. 26. (f) Prol. §. 41. L. III. C. IV. §. 2. n. 1. & 2. L. III. C. XIII. §. 1. n. 2. (g) L. II. C. XVIII. §. 4. (h) L. II. C. XVIII. §. 1. 3. & 4. n. 2. 3. & 5. (i) L. II. C. III. §. 9. & 10. n. 1. & 3. §. 11. (k) Vid. Diſſ. procem. IX. (l) L. III. C. IV. §. 15. 16. & 17. (m) d. C. IV. §. 15. n. 1. (n) L. III. C. XIX. §. 6. (o) L. III. C. XIX. §. 5. & C. XXIII. §. 2.

Atque hoc *Jus gentium* ex omni parte juſtum eſſe, & cum juſtitia interna non pugnare, ait; *tum* ob neceſſitatem, quia capi facile non poſſunt bona principum; *tum* quia membra ejuſdem civitatis facile a ſe invicem recuperare debitum poſſint, quia commodum commune eſt. [p]

III. Ex omni parte *Jus gentium* juſtum eſſe, ſtatuit, *quando Jus gentium confirmat conjecturas naturales incertas.* [q]

Idque fieri 1. in *ſucceſſione agnatorum*; nam *Jure naturæ* certo non conſtare, quem defunctus ſucceſſorem voluerit: *Jure gentium* autem ſtatutum eſſe, ut præſumatur magis dilexiſſe proximiores; adeoque hactenus jus gentium, quod confirmat conjecturam naturalem incertam, ex omni parte juſtum eſſe. [r]

Aliud exemplum 2. in *longi temporis poſſeſſione* ſuppeditat. Hanc enim *Jure naturali* non eſſe modum acquirendi dominium rei alienæ, ait, niſi animus derelinquendi a parte domini ex ſignis appareat. Quia vero ſigna illa incerta, & dubia eſſe ſolent, porro ſtatuit, *Jure gentium* voluntario inductam eſſe legem, ut poſſeſſio memoriam excedens, non interrupta, omnino dominium transferat; quia credibile eſſe, ait, gentes in id conſenſiſſe cum ad pacem communem id maxime intereſſet. [s]

3. *Jure naturæ* omnem inæqualitatem in contractibus corrigendam eſſe, ait: at *Jure gentium* inſtitutum eſſe, ut inæqualitas rerum, in quam conſenſum eſt, in actionibus exterioribus pro æqualitate habeatur, i. e. nulla in foro detur actio adverſus talem inæqualitatem, nec inter gentes ſocias exactio, aut coactio [t]. Atque hoc jus gentium ex omni parte juſtum eſſe, ait. [tt]

§. XX. Hactenus explicavit GROTIUS caſus, quibus jus gentium *ex omni parte juſtum eſt.* Sequuntur caſus, in quibus jus gentium *non ex omni parte juſtum eſt*, adeoque ubi jus illud EFFECTUM SALTEM EXTERNUM JURIS PRODUCIT [u]. Quod fieri, ait, *quoties gentes communi conſenſu aliquid ſtatuunt, quod jure naturali vetitum eſt, nec ſingularem æquitatem habet.* [v]

GROTIUS admodum ſibi gratulari videtur de hoc invento, eique, in bellis imprimis, inſignem effectum tribuit; & maximam jurium, quæ in bellis obtinent, partem ex hoc *Jure gentium, quod effectum ſaltem juris externum tribuit*, deducit.

n. 1. Ex ejus enim hypotheſi 1. bellum JURE NATURÆ juſtum non eſt, *niſi in eo, qui juſtam bellandi cauſam habet* [x]. Sed & 2. in hoc bello juſto nihil in hoſtem licere, ſtatuit, *niſi ad modum debiti, & pœnæ.* [y]

Quoties quis igitur *non ex juſta cauſa* bellum gerit, vel in juſto quoque bello aliquid *ultra delicti, aut debiti quantitatem*

(*p*) L. III. C. II. §. 2. n. 1. & 2. & §. 5. L. III. C. X. §. 5. n. 1. L. III. C. XIII. §. 1. n. 2. L. III. C. II. §. 6. L. III. C. XXI. §. 9. (*q*) L. II. C. XIX. §. 6. (*r*) L. II. C. VII. §. 3. junct. §. 11. n. 1. (*s*) L. II. C. IV. §. 6. L. II. C. XIX. §. 6. (*t*) L. II. C. XII. §. 25. & 26. C. XIX. §. 6. (*tt*) d. §. 26. n. 3. d. §. 6.

(*u*) L. II. C. XII. §. 26. n. 1. & L. II. C. V. §. 28. (*v*) Vid. §. præc. n. 1. (*x*) L. III. C. IV. §. 3. L. III. C. XVIII. §. 1. n. 3. C. X. §. 1. C. III. L. II. C. I. §. 1. n. 3. (*y*) L. III. C. I. §. 2. n. 2. 3. & 5. C. VI. §. 1. n. 1. & §. 27. C. XIV. §. 1. C. XX. §. 32. C. IV. §. 2. & 3. C. V. §. 1. C. VII. §. 2.

Digitized by Google

tatem ab hoſte exigit, interficiendo, capiendo, vaſtando, &c; injuria eum agere, ſtatuit: adeoque JURE NATURÆ omnes tales actus interna juſtitia carere, ait, eòque eſſe illicitos, quin ipſo jure nullos [z]. Hinc nihil ex occupatione, quæ tali jure gentium nititur, acquiri [a], nec exigi debitum tale poſſe ſalva conſcientia [b]. Ita agentes prædones eſſe [c], & a quolibet tanquam fures, & homicidas puniri poſſe [d]. Sed & præterea teneri ad reſtitutionem ablati, ad damni, etiam conſequenter dati, recuperationem, & expenſarum ſolutionem [e]: atque hanc obligationem etiam pertinere ad duces, milites, & ſocios [f]; quin & ad eos, qui cauſam ab ipſis habent. [g]

n. 2. Cum vero aliis populis periculoſum eſſe videatur, inter duos populos, quorum uterque juſtitiam cauſæ ſibi vindicat, de *juſtitia belli* pronunciare, (quia ea ratione bello alieno implicarentur) ſed & vix ſatis cognoſci ex indiciis externis poſſit, an *ultra modum pœnæ*, *vel debiti* is, qui jure bellum gerit, aliquid exegerit, &c.; ideo fingit GROTIUS, gentes pacatas inter ſe conveniſſe, adeoque JURE GENTIUM conſtitutum eſſe, ut id, quod uterque agit, pro jure haberent.

n. 3. Hoc autem JUS GENTIUM non in omni bello publico obtinere, nec gentes in genere privilegia hæc omni bello tribuiſſe, ait, ſed ſaltem *bello publico ſolemni*, i. e. quod 1. utrinque a ſumma poteſtate geritur, & 2. publice decretum, ac indictum eſt, quæ conjunctim requirit. [i]

His enim ſolennitatibus accedentibus gentes effectus illos juris particularis bello tali tribuiſſe, ait, unde bellum hoc *publicum*, & ex *jure gentium ſolenne* vocat; quia jus gentium his bellis propter illas ſolennitates privilegia quædam juri naturæ contraria tribuit. Atque hinc actus tales GROTIO juſti dicuntur non ex juſtitia *interna*, qualis ex ſolo jure naturæ eſt, ſed quoad effectus *externos* juris, quos jus gentium bello ſolenni tribuit. [k]

n. 4. Sed & *extra bellum* jura quædam a gentibus contra naturæ rationem conſtituta eſſe, GROTIUS contendit, quæ *effectum* ſaltem *externum* juris producunt.

Ita enim [α] *Jure naturæ* ex GROTII hypotheſi princeps prohibetur injuriam inferre ſubditis. [l]

At *Jure gentium* principem injuriam facere poſſe, ait, & reſiſtentiam hoc caſu ſubditis ſub ſeveriſſimis pœnis prohibitam eſſe [m]. Hoc autem jus gentium principi non jus internum tribuere, ait, ſed ſaltem impunitatem, quod jus externum vocat. [n]

Huc quoque refert [β] conſtitutionem *Juris gentium*, qua prædoni conceſſum eſt reſiſtere domino, qui vi privata

(z) L. III. C. IV. §. 2. n. 2. §. 5. n. 2. §. 18. n. 6. C. XIX. §. 11. L. II. C. V. §. 20. L. III. C. X. §. 1. 3. & 5. L. II. C. I. §. 1. n. 3. L. III. C. XVI. §. 1. n. 1. C. VII. §. 6. n. 4. §. 7. C. XIV. §. 6. n. 4. (a) L. III. C. X. §. 3. & 5. C. VI. §. 1. (b) L. III. C. XIX. §. 11. n. 2. (c) L. III. C. X. §. 1. 3. & 5. L. III. C. XVI. §. 1. n. 2. (d) L. III. C. IV. §. 3. & 5. (e) L. III. C. X. §. 3. 4. 5. & 6. C. XIII. §. 1. (f) L. III. C. X. §. 4. & 5. C. XVIII. §. 6. (g) L. III. C. X. §. 6. C. IX. §. 16. C. XVI. §. 1. 2. & 3. (h) L. III. C. IX. §. 4. n. 2. L. III. C. IV. §. 4. (i) L. I. C. III. §. 4. n. 1. (k) L. I. C. II. §. 4. n. 2. L. III. C. III. §. 1. n. 1. §. 6. n. 1. §. 10. L. II. C. XXIII. §. 13. n. 1. & 5. (l) L. I. C. IV. §. 1. (m) L. I. C. II. §. 5. C. II. §. 17. C. VII. §. 2. (n) L. I. C. IV. §. 2. n. 2. & 3. prol. §. 41.

Digitized by Google

privata rem ſuam repetere vult. Hanc conſtitutionem enim non verum jus dare prædoni, ait, (quum e contrario ex regulis *Juris naturæ* unicuique liceat injuriam ſibi, & aliis illatam privata auctoritate vindicare), ſed lædenti effectum ſaltem aliquem externum, ad inſtar illius juris primitivi, tribui. [o]

1. *Jure naturæ* prohibitum eſſe, ait, rem alienam rapere, adeo ut nec longo tempore tutus ſit poſſeſſor: *Jure gentium* autem ex lapſu temporis prædoni quoque jus quæri, ſtatuit [p]. At id verum jus non eſſe, nec illud in conſcientia tutum reddere poſſeſſorem [q], ſed jus ſaltem eſſe quoad certos *effectus externos*, tradit.

§. XXI. Effectum hujus *Juris gentium*, *quod non ex omni parte juſtum eſt*, hunc eſſe, ait Grotius, quod *is, qui intra fines hujus juris gentium agit*, licite agat, quia jure permittente agit, etſi jure naturæ tales actus vitioſi, eoque ipſo jure nulli ſint. [r]

Qui proinde ex tali cauſa *Juris gentium* rem conſequitur, ex hypotheſi Grotii verum dominium acquirit, quod omnes effectus dominii habet [s]. 2. Huic quoque *Juri gentium* tribuit, quod ex tali cauſa promiſſum exigi, & armis quoque peti poſſit [t]. 3. Quod ex *hoc Jure* agens, pœnæ nomine apud gentes, ſub prætextu jus naturæ violatum eſſe, nihil debeat [u]: ita ut nec bellum ideo ei inferri [v], nec in alieno territorio tamquam fur, aut homicida puniri poſſit. [x]

Effectus hujus juris gentium latius patentis *intuitu aliarum gentium*, quæ jus illud receperunt, eſt Obligatio. Cum enim ex ſuppoſitione Grotii jus hoc vim pacti habeat [z], & cum mutua obligatione receptum [a], ac ex communi conſenſu jus ſingulis gentibus agendi, vel habendi quæſitum ſit [b], inde concludit, neminem jus hoc violare, vel auferre poſſe, & quaslibet gentes jura illa judiciaria manu pro domino tueri, & in poſſeſſione eos, & qui cauſam ab ipſis habent, defendere debere, &c. De qua obligatione latius agetur infra [c].

§. XXII. Hac hypotheſi poſita, Grotius ſtatuit:

I. Gentes ſingulas mutare hoc jus gentium non poſſe, niſi 1. communi conſenſu eorum, inter quos jus illud conſtitutum eſt; quod factum eſſe, ait, tum in jure occidendi captos bello [d], tum in occupatione maris [e], tum per legem Evangelii [f]: vel 2. ex neceſſitate, etiam ſine communi conſenſu [g]: vel 3. per leges civiles, intuitu ſubditorum [h]. Denique, & 4. ait, jus illud gentium, ſi dubium eſt, interpretationem recipere ex jure Romano. [i]

II. Unamquamque gentem judiciis coactivis

(o) L. I. C. II. §. 5. C. III. §. 17. C. VII. §. 2. C. XVIII. §. 1. ſeq. C. XX. §. 1. ſeq. & §. 40. (p) L. II. C. IV. §. 9. L. II. C. XIX. §. 2. (q) L. III. C. VII. §. 6. n. 2. & 3. (r) Vid. §. præced. n. 2. (s) L. III. C. VI. §. 2. & 7. L. III. C. X. §. 5. n. 1. L. III. C. IV. §. 4. in f. (t) L. III. C. XIX. §. 11. & 12. (u) L. III. C. XIX. §. 5. C. IV. §. 3. 4. 5. & 22. C. X. §. 1. n. 1. C. VI. §. 1. n. 1. (v) L. III. C. IV. §. 2. n. 2. & §. 3. (x) L. III. C. IV. §. 3. & 5. (z) L. II. C. III. §. 5. (a) L. III. C. I. §. 8. n. 2. §. 11. n. 1. (b) L. III. C. XIII. §. 1. n. 2. (c) Diſſert. proœm. IX. §. 65. (d) L. III. C. XIV. §. 5. n. 4. (e) L. II. C. III. §. 10. n. 3. & §. 1. (f) L. II. C. XX. §. 10. n. 1. & §. 14. L. III. C. I. §. 20. n. 2. (g) L. II. C. XVIII. §. 4. n. 6. (h) L. III. C. VI. §. 13. vid. indicem voce dominium. (i) L. II. C. XVI. §. 31.

Digitized by Google

coactivis hoc jus defendere debere [k], & eum, qui jus hoc gentium violat, injuria agere, & impium eſſe [l], ac ideo a quolibet bello peti poſſe [m]: quin eum, qui actus jure naturæ permiſſos, at jure gentium vetitos peragit, infamem fieri. [n]

§. XXIII. Cæterum Grotius obſervantiam HUJUS JURIS gentibus commendat, quia jus gentium violantes propriæ ſecuritatis munimenta reſcinderent [o]. Sed & quædam hujus juris, quæ ſanctiora ſunt, ad Deos referri, & Diis adſcribi ſolere, ait: eoque refert *jus ſepulturæ*, & *legationum*, nec non *prohibitionem de porrigendo veneno hoſti* [p]. Unde hos actus ad jura naturæ ſæpius referri, ait [q]. Quin & *occupationem rerum hoſtilium* jure illo gentium ſtatutam adeo firmam eſſe, ſtatuit, inter gentes, ut modum hunc acquirendi certo modo naturalem dici poſſe, exiſtimet. [r]

SECTIO V.

De Jure Gentium voluntario arctiori.

§. XXIV. EXPLICAVIMUS hactenus, quid GROTIUS per *Jus gentium latius patens* intelligat: jam de *Jure gentium arctiori* agemus. *Jus* autem *gentium* voluntarium *arctius* ei eſt, quod apud plures gentes quidem obtinet, at non ex condicto [s]: i. e. quod non receptum eſt cum mutua obligatione; adeoque quod vim pacti inter gentes non habet [t]: quia non reſpicit utilitatem magnæ illius civitatis, ſed cœtuum ſingulorum [u], & cujuſque populi tranquillitatem [v], qui idem jus vel ad imitationem, vel fortuito recepit [x]. Unde moribus, & tacito conſenſu introductum eſſe, ait. [xx]

§. XXV. Atque hinc hoc *Jus gentium arctius* vocat jus civile plurium gentium, & nationum [y], jus civile multorum locorum [z], mores civiles plurium populorum [a]; quod ſaltem certorum populorum legibus munitum eſt. [b]

Sæpius tamen hoc jus gentium, a JCtis inprimis Romanis, cum altero, & vero jure gentium latius patente [c], quin cum ipſo aliquando naturæ jure confundi, ait. [d]

§. XXVI. Hinc concludit Grotius, talem conſuetudinem, quæ non communi conſenſu, ſed ſingulorum arbitrio introducta eſt, neminem obligare [e]; & ſingulos illud jus, etiam inconſultis aliis gentibus, apud quas idem jus receptum eſt, mutare potuiſſe; immo & hoc evenire, ut aliis locis,

(k) L. III. C. XVI. §. 1. n. 1. & C. VII. §. 6. n. 1. 2. 6. & 7. & §. 7. C. X. §. 1. n. 3. C. VI. §. 2. C. IV. §. 4. in fine C. IX. §. 2. L. II. C. I. §. 1. n. 3. C. XXIII. §. 13. n. 1. (l) L. II. C. XX. §. 40. n. 1. L. III. C. IV. §. 18. n. 2. L. I. C. IV. §. 2. 3. 4. & 5. L. III. C. XXV. §. 1. C. XIX. §. 5. L. III. C. V. §. 2. n. 4. L. II. C. V. §. 29. n. 3. (m) L. II. C. XVIII. §. 1. (n) L. III. C. IV. §. 15. n. 1. & §. 18. (o) Prol. §. 18. (p) L. III. C. IV. §. 18. n. 1. (q) L. II. C. XIX. §. 2. (r) L. III. C. VI. §. 2. n. 4. (s) Prol. §. 53. (t) L. I. C. I. §. 14. L. II. C. III. §. 5. L. III. C. I. §. 8. n. 2. (u) Prol. §. 17. (v) Prol. §. 53. L. II. C. VIII. §. 1. n. 2. & §. 26. L. III. C. II. §. 7. n. 1. & 2. (x) Prol. §. 53. (xx) L. II. C. II. §. 2. n. 2. (y) L. II. C. III. §. 5. C. VIII. §. 1. n. 1. (z) L. III. C. II. §. 7. n. 1. & 3. (a) L. II. C. XX. §. 41. L. III. C. III. §. 8. (b) L. II. C. VIII. §. 1. & 2. (c) Prol. §. 53. L. II. C. III. §. 5. C. XX. §. 41. L. III. C. III. §. 8. (d) L. II. C. XX. §. 41. (e) L. III. C. I. §. 8. n. 2. & 5. n. 3. & §. 21.

cis, atque temporibus, longe alius mos communis, adeoque jus gentium improprie dictum, introduceretur. [f]

Differre autem, ait, hoc *Jus civile multorum* populorum a *Jure civili* ſingularum civitatum, quod illud a civili poteſtate ipſa non veniat, etſi ei ſubditum ſit. [g]

§. XXVII. Ad hoc *Jus gentium arctius* Grotius refert [*a*] Jura patriæ, & dominicæ poteſtatis, & ſi quæ ſunt ſimilia [h]: [*b*] Pleroſque modos acquirendi juris gentium ex Digeſtorum libris: [*c*] Excluſionem extraneorum a teſtamenti factione [k]: [*d*] Ritus quoſdam in indicendo bello [l]: [*e*] ſingularia quædam jura in materia repreſſaliarum; v. g. quod capi non poſſint ſenes, mulieres, & infantes; quod capere poſſit ſaltem ſuperior; quod capiens non acquirat dominium rei captæ, ſed, citatis quorum intereſt, vendere eam teneatur [m]; quod capta res demum videatur, ſi 24 horarum ſpatio in poteſtate capientis fuit. &c. [n]

§. XXVIII. Effectum tamen HUJUS JURIS GENTIUM ARCTIORIS hunc eſſe, ait, 1. quod ſubditi illarum gentium inde obligentur [o]: 2. Quod ſi hoc jure gentium improprie ſic dicto modus acquirendi ſine diſcrimine civis, & peregrini introductus eſt, inde exteris quoque jus naſcatur: & ſi juris executio impediatur, injuriam talem eſſe, quæ juſtam belli cauſam præbere poſſit. [p]

CAPUT II.

Ubi demonſtratur, Jus Gentium voluntarium, ſeu ſecundarium, non dari: adeoque diſtinctionem in Jus Gentium primævum, & ſecundarium, merum eſſe figmentum.

§. XXIX. Equidem in libris juriſconſultorum Romanorum duæ inveniuntur definitiones juris gentium, quæ differentiam quandam neceſſario inferre videntur. In Pandectarum enim corpore JUS GENTIUM definitur, *quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit* [q]. Vel quod idem eſt, *quod divina quadam providentia conſtitutum eſt* [r], *& apud omnes gentes peraeque obſervatur*, *& immutabile eſt*. [s]

Alio vero modo Imperator JUSTINIANUS definit JUS GENTIUM, *quod* nimirum, *uſu exigente*, *& humanis neceſſitatibus*, *gentes humanæ inter ſe conſtituerunt*, & quod *omni humano generi commune eſt*. [t]

§. XXX. Ex inſpectione harum definitionum apparet, priorem *naturalem*

(*f*) Prol. §. 53. L. II. C. VIII. §. 1. n. 2. & §. 26. L. II. C. III. §. 5. L. III. C. VII. §. 8. C. IV. §. 8. C. VI. §. 26. (*g*) L. I. C. I. §. 14. n. 1. (*h*) L. I. C. I. §. 14. (*i*) L. II. C. VIII. §. 1. uſque ad §. 6. & §. 26. prol. §. 53. & 56. L. II. C. V. §. 28. (*k*) L. II. C. VIII. §. 14. n. 2. (*l*) L. III. C. III. §. 6. n. 1. & 8. §. 7. n. 2. & 3. §. 8. (*m*) L. III. C. II. §. 7. n. 2. & 3. (*n*) L. III. C. VI. §. 3. n. 2. (*o*) L. II. C. VIII. §. 1. n. 1. §. 5. L. I. C. I. §. 14. n. 1. (*p*) L. II. C. VIII. §. 26. (*q*) Lib. ff. d. juſt. & jure. (*r*) §. 11. Inſt. d. J. N. G. & C. (*s*) ibid. (*t*) §. 2. inſt. d. J. N. G. & C.

Digitized by Google

lem rationem, ſeu *divinam providentiam*, auctorem juris gentium efficere: poſteriorem vero ſupponere, jus aliquod ab omni humano genere *communi placito propter mutuas neceſſitates* conſtitutum eſſe. Unde interpretes prius vocarunt *Jus gentium primævum*, id eſt jus naturæ: poſterius vero *Jus gentium ſecundarium*, ſeu, ut GROTIUS vult, *voluntarium*.

§. XXXI. Ego omne *Jus gentium* eſſe primævum, & ratione naturali conſtitutum, exiſtimo: adeoque *Jus* aliquod *gentium ſecundarium*, quod ſcilicet omne humanum genus inter ſe ob mutuas neceſſitates conſtituerit, exiſtere nego; & figmentum hoc ex errore Triboniani ortum eſſe, perſuaſum mihi habeo.

§. XXXII. Nam. 1. jus hoc, de quo JUSTINIANUS loquitur, nititur conſenſu *omnis humani generis*, & ſupponit, gentes humanas inter ſe conveniſſe, & in utilitatem magnæ illius civitatis jura quædam conſtituiſſe. At 2. talis conſenſus univerſalis gentium non exiſtit, neque umquam probari poterit. Is enim vel expreſſus eſt, vel tacitus. Expreſſe humanas gentes numquam conſenſiſſe, omnes fatentur, quia non conſtat, gentes tale commune concilium indixiſſe, vel de ſtatuendo jure univerſali umquam deliberaſſe. Supereſt igitur ut ex tacito conſenſu jus illud ſequatur. De eo autem 3. nec conſtat, nec per naturam talis conſenſus tacitus probari poterit. Tacitus enim conſenſus de jure tali, quod omne humanum genus obliget, conſtituendo, neceſſario duo requirit: [*a*] ut actus quidam inter omnes gentes, longo tempore, & frequenter, nullo actu contrario interveniente, obtinuerint: [*b*] ut obtinuerint tanquam jus. At 4. talis obſervantia *univerſalis in omni humano genere* concipi non poteſt, quia plurimæ ſunt gentes nobis vix nomine cognitæ, cum quibus nec commercium, nec ſocietas nobis eſt; cum his igitur nullum jus gentium eſſe poteſt, quia actus ejuſmodi, ex quibus tacitus conſenſus ad conſtituendum jus gentium neceſſarius inferri debet, non intervenerunt: adeoque univerſale jus gentium non datur. Sed & 5. nec jus gentium *particulare*, quod inter moratiores gentes receptum ſit, probari poteſt: ponamus enim plures tales actus interveniſſe, & gentes eos actus admiſiſſe; nondum tamen inde conſtat, admiſiſſe animo ſe obligandi. Quid ſi altera gens aſſerat, ſe actus hos, nulla ratione naturali præceptos, ultro ex humanitate, non vero animo jus conſtituendi, admiſiſſe; quis judex erit? Accedit 6. quod definitio juris gentium ſupponat, non quod a moratioribus ſaltem gentibus, ſed quod in genere a gentibus humanis ſit conſtitutum, & omni generi humano commune ſit.

§. XXXII. Sed & 6. jura illa, quæ GROTIUS ad jus gentium voluntarium refert, plane eo non pertinere, certum eſt. (*Vid.* §. 41.) Omnium minime autem JCti Romani eo ſenſu gentium ſtatuerunt; quod jus nunc demonſtrandum erit.

§. XXXIII. Sane 7. JCtis Romanis penitus incognitum fuit *Jus gentium voluntarium*, *quod ex placito*, *& pacto gentium ortum eſſe fingitur*: illi enim per *Jus gentium* nihil aliud intelligunt, quam *jus*, *quod ex ratione naturali fluit*, *& quod ratio naturalis conſtituit*. Idque probatur ex ipſa definitione juris gentium, quam his verbis refert GA-

JUS [u]: *Quod enim naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id vocatur Jus gentium.* Unde idem alibi [v] ait: *quarundam rerum dominium nanciſcimur Jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræque ſervatur.* [x]

Ex hac igitur definitione conſtat, *Jus gentium* JCtis Romanis ex ſola ratione naturali oriri, non vero ex conſenſu gentium, ſive tacito, ſive expreſſo.

§. XXXIV. Unde etiam iidem JCti *Jus gentium* ideo, quia ex ratione naturali fluit, TOTI HUMANO GENERI tribuunt. ULPIANUS ait [y]: *Jus gentium eſt, quo* GENTES HUMANÆ utuntur. Et GAJUS rem ita deſcribit, *quod ratio naturalis inter* OMNES HOMINES *conſtituit, id apud* OMNES *peræque obſervatur, vocaturque Jus gentium, atque cum* IPSO GENERE HUMANO *proditum eſt* [z]. Idem alibi [a] jus gentium eſſe, ait, *quod ratione naturali inter* OMNES HOMINES *peræque obſervatur.*

Si proinde *omnes homines* juri gentium obligantur, ſi illi huic juri obligantur *ex ratione naturali*; extra omne dubium poſitum eſt, JCtos non loqui de *Jure gentium voluntario*, utpote quod ex hypotheſi GROTII non *omnes homines* obligat, ſed ſaltem moratiores; & quod non ex *ratione naturali*, ſed ex conſtitutione, & voluntate gentium fluit.

§. XXXV. Sed & idem ULPIANUS ait, *Jus gentium cum ipſo genere humano proditum eſſe* [b]: non poteſt ergo a gentibus, earumque voluntate conſtitutum dici, quia obtinuit antequam gentes diſcretæ fuerunt.

§. XXXVI. Hinc JCti Romani in Digeſtorum libris *Jus gentium*, & *Jus naturæ* pro Synonymis habent. *Inceſtus* dicitur prohiberi *Jure gentium* [c]: alibi, *Jure naturali* [d]. *Acquiſitio, quæ fit jure ventris, tribuitur Juri naturali* [e]: alibi, *Juri gentium* [f]. *Mare dicitur naturali Jure* commune [g], & in eodem titulo dicitur eſſe *Juris gentium.* [h]

§. XXXVII. Ipſe TRIBONIANUS, qui nova ſua definitione cauſam huic errori dedit, ita deſcribit *Jus gentium*, ut nulla inter illud, & jus naturæ ſuperſit differentia.

Is enim in §. 1. præmittit differentiam inter *Jus civile*, & *Jus gentium*; & ait, jus civile a jure gentium in eo differre, quod omnes populi, partim ſuo, *partim communi hominum jure utantur.* Et addit rationem: *quod enim naturalis ratio inter* omnes *homines conſtituit, id apud* omnes *peræque cuſtoditur.* Atque ex his concludit, populum Romanum quoque partim ſuo, *partim communi hominum jure* uti.

Aliam differentiam affert in §. 2. Nimirum; Jus civile ex unaquaque civitate appellari; *Jus* autem *gentium* (quod antea naturalem rationem inter omnes homines conſtituiſſe, dixit) *omni humano generi commune eſſe*; & tunc addit: *nam uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humana jura quædam ſibi conſtituerunt.*

Denique jura civilia mutari poſſe, ait in §. 9. *Sed naturalia jura* (intelligit autem jus gentium, uti ex ſequentibus

(u) in L. 9. de J. & J. (v) in L. 1. ff. de Acquir. rer. dom. (x) Conf. §. 2. & pr. inſt. de J. N. G. & C. (y) L. 1. §. 4. ff. d. J. & J. (z) L. 9. ff. d. J. & J. (a) L. 1. ff. d. A. R. D. (b) L. 1. ff. A. R. D. (c) L. pen. in fin. De tit. nupt. (d) L. 14. §. 2. eod. (e) L. 18. & 19. rer. div. (f) L. 5. §. f. L. 7. ff. A. R. D. (g) L. 2. §. 1. Rer. Div. §. 5. inſt. eod. (h) L. 4. pr. Rer. div. §. 4. eod.

Digitized by Google

tibus verbis apparet), *quæ apud omnes gentes peræque obſervantur, & divina quadam providentia conſtituta ſunt* (hoc autem modo ſupra §. 1. deſcripſit jus gentium), *ſemper firma, & immutabilia permanere.*

Ex his igitur conſtat: 1. Tribonianum per *Jus gentium* intelligere *Jus commune* hominum; 2. quod *ratio naturalis* inter homines conſtituit; 3. quod apud omnes peræque obſervatur, 4. quod omni humano generi commune, 5. & divina providentia conſtitutum, atque 6. ideo immutabile eſt. Qua, quæſo, ratione hæc deſcriptio conciliari poteſt cum aſſerto TRIBONIANI, *quod gentes humanæ quædam jura ſibi conſtituerint, uſu exigente, & humanis neceſſitatibus?* Annon apertam contradictionem infert, jus gentium a gentibus conſtitutum eſſe, & tamen ex naturali ratione, & divina providentia oriri?

Sane, ipſe TRIBONIANUS paſſim in inſtitutionibus jus gentium, & jus naturale promiſcue ſumit. Quod enim in §. 1. *Inſtit. De juſt. & jur.* vocat *Jus gentium*, id in §. 9. *eod.* ei dicitur *Jus naturale.* Poſtquam in titulo de rerum diviſione præmiſit, *quorundam rerum dominium nos nanciſci jure naturali*; addit, *quod appellatur jus gentium* [i]. Ad hoc jus naturale, ſeu gentium, promiſcue refert *capta ab hoſtibus, inventa in litore, partum ancillæ, incrementa fluvialia* [k], *traditionem &c.* [l]. Et poſtquam aſſeruit, quod rei venditæ, & traditæ dominium non acquiratur emtori niſi ſoluto pretio, addit, *id jure gentium, i. e. naturali effici.* [ll]

Denique ex omnibus illis juribus, quæ TRIBONIANUS *Juri gentium* tribuit, apparet, cum ipſum *Jus naturæ* intellexiſſe, quia omnia illa jura ex naturali ratione fluunt; quod nunc plenius demonſtrabimus.

§. XXXVIII. Nam 1. TRIBONIANUS ait, *bella* ex hoc jure gentium orta eſſe. Certum autem eſt, nihil magis rationi naturali conveniens eſſe, quam defenſionem neceſſariam [m], i. e. bella.

2. *Captivitates* quoque ex jure gentium ortas eſſe, TRIBONIANUS docet: at GAJUS [n] eas refert ad jus, quod ratione naturali inter omnes homines peræque obſervatur, & quod cum ipſo humano genere proditum eſt. Cujus rei rationem naturalem alibi explicabimus.

Atqui captivitates ſunt *Juri naturali contrariæ* [o], & ſervitutes *contra naturam* ſunt introductæ, quia *naturali* jure omnes homines liberi naſcuntur [p]? Reſp. Captivitates contrariæ ſunt *Juri naturæ materiali*, non vero *Juri gentium*, ſeu *Juri naturæ rationali.* Quam differentiam ſtatim illuſtrabimus. (*Vid.* §. 42.)

3. *Omnes* pene *contractus* juris gentium eſſe, TRIBONIANUS affirmat: at contractus ex *naturali ratione* fluere, JCti Romani fatentur. Quid enim *æquitati naturali*, & tam fidei humanæ congruum eſt, quam ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare [q]? Idque rationibus naturæ ſuo loco demonſtrabimus.

§. XXXIX. Hæc ſunt illa jura, quæ TRIBONIANUS juri gentium tribuit, & *quæ male gentes uſu exigente, & neceſſita-*

(i) §. 11. inſt. Rer. Div. (k) §. 17. 18. 19. 20. (l) §. 40. eod. (ll) §. 41. eod. (m) L. 4. ff. ad leg. aquil. L. 5. ff. juſt. & jur. (n) leg. 1. pr. junct. Leg. 5. §. f. Leg. 6. L. 7. pr. ff. d. A. R. D. L. 1. §. 1. his qui ſui vel al. (o) §. 2. inſt. de juſt. & jur. (p) L. 4. ff. juſt. & jur. L. 4. §. 1. ſtat. hom. (q) L. 1. ff. Pact. L. 1. ff. conſtit. pec.

Digitized by Google

neceſſitatibus humanis, ſibi conſtituiſſe, ait. Deſumſit hæc exempla ex ULPIANI[r], & HERMOGENIANI[s] legibus; in quibus præterea plurima jura continentur, quæ *Juris gentium* eſſe dicuntur, & indubie ad *Jura naturæ* pertinent: certiſſimo indicio, *non gentes demum ſibi hæc jura conſtituiſſe*, ut TRIBONIANUS exiſtimat.

ULPIANUS enim 4. *manumiſſiones* quoque *Juri gentium* adſcribit[t]; eaſque a jure gentium originem ſumſiſſe, ait; quod hoc modo demonſtrat: JURE NATURALI *omnes liberi naſcuntur, nec fuit nota manumiſſio, cum ſervitus eſſet incognita. Sed poſteaquam* JURE GENTIUM *ſervitus invaſit, ſecutum eſt beneficium manumiſſionis.* Atque hinc concludit: *cum uno* NATURALI NOMINE *homines appellaremur;* JURE GENTIUM *tria genera eſſe cæperunt, liberi, ſervi, & liberti.*

Equidem non tantum hic *Jus naturale*, & *Jus gentium* diſerte videtur diſtingui: ſed & nominum horum differentia ſatis indigitare videtur, non *naturam*, ſed *gentes* eam conſtituiſſe, indeque dari *Jus gentium*, quod gentes ſibi conſtituerunt. At jam cœpimus dicere, *Jure naturali*, quod *materiale* vocamus, omnino verum eſſe, omnes homines *liberos* naſci; adeoque in ſtatu mere naturali, qui hominibus cum brutis communis eſt, nullam differentiam inter homines intercedere, ſed omnes uno naturali nomine *homines* vocari: uti animantia ratione carentia, uno naturali nomine *bruta* appellantur. (*Vid.* §. 42.)

Verum hoc non impedit, quo minus *libertas*, i. e. facultas agendi naturalis quicquid lubet, *ratione naturali* reſtringi, & impediri poſſit: uti vere impeditur, ſi quis ea libertate ob crimen privatur, i. e. ſi *ſervus* fit. Hinc jam naturali ratione differentia conſtituitur inter *ſervum*, & *liberum*. Quoties autem dominus ſervum illum manumittit, eique libertatem ſub certis conditionibus reddit, jure naturæ, ſeu gentium, tertium hominum genus prodit, ſcilicet *liberti*, qui neque liberi ſunt, neque ſervi. Adeoque hæc differentia nominum, quatenus differentiam jurium indigitat, omnino originem ex ipſo jure naturæ ſumit.

§. XL. HERMOGENIANUS alia exempla *Juris gentium* proponit: nam 5. ex jure gentium *diſcretas eſſe gentes*, ait. At hoc quoque ex ratione naturali originem ſumſit. Hæc enim *diſcretio* ſupponit rationem, ſupponit, inquam, plures familias in civitatem coiviſſe, & ſe, ſuaque jura, arbitrio communi ſubmiſiſſe, eoque gentem conſtituiſſe. Hoc igitur jure gentium, ſeu jure naturæ licitum eſt.

Eodem jure 6. *regna condita* ſunt. Gentes enim itidem de ſuo jure imperii diſponere, illudque uni deferre poſſunt; idque ratione naturali licet.

Sed & 7. *dominia* jure gentium *diſtincta* eſſe, docet. Cum enim omnes res natura ſint nullius, i. e. in nullius bonis, & proprietate, cuique jus fuit illas res occupandi, i. e. in poteſtatem ſuam corporalem redigendi. Hoc modo quilibet occupans dominium acquirit naturali ratione.

Porro & 8. *terminos agris* ex hoc jure gentium *poſitos* eſſe, ait; quod pariter ipſa naturalis ratio dictat. Quicunque enim agros, qui nullius ſunt, occupat, dominium eorum eatenus acquirit, *quatenus occupavit*: cum vero conſtare non poſſit, quouſque

(r) L. 4. ff. juſt. & jur. (s) L. 5. eod. (t) d. L. 4.

Digitized by Google

que occupare quis voluerit, naturale eſt, ut voluntatem ſuam, terminos ponendo, declaret.

9. *Ædificia Jure gentium collocata* eſſe, aſſerit; quod omnino jure naturali verum eſt. Si quis proinde ædificium in loco aliquo, qui nullius eſt, ponit, jure gentium id ſibi acquirit *u.* Hinc abſtinere debent ab ædificiis in litore maris poſitis, qui ad littus accedunt. *v*

10. Denique *commercium* ex jure gentium *inſtitutum eſſe*, tradit. At jus commerciorum ex ratione naturali oriri, alibi probavimus.

§. XLI. Grotius præterea infinita alia jura fingit, quæ ex jure gentium voluntario ſequi, ait. Singula ex ſyſtemate Grotii retulimus ſupra §. 19. & *ſeq.*, quorum indicem hic repetere non ingratum erit.

Inter gentes enim conſtitutum eſſe, ait, 1. quod fallere fidem prædoni datam liceat: 2. quod in bello publico ſolenni, etiam ex cauſa injuſta, bellum geri, & ultra quantitatem debiti, & pœnæ exigere, quin & promiſcue interficere, & capere hoſtem liceat: 3. quod repreſſaliæ etiam contra cives innocentes juſtæ ſint: 4. quod pars maris occupari poſſit: 5. quod legatos delinquentes punire non liceat: 6. quod privata vindicta juſta ſit: 7. quod non punire poſſim eos, qui non mihi, ſed alii injuriam inferunt: 8. quod ſervi domino reſiſtere non poſſint: 9. quod bellum geri ſine indictione poſſit: 10. quod turpibus armis uti non liceat: 11. quod agnati ſuccedant ab inteſtato: 12. quod quis rem alienam longi temporis poſſeſſione acquirat: 13. quod non quælibet inæqualitas contractus corrigi poſſit, ſed tantum ſi ultra dimidium læſio contingit: 14. quod corpora ſepeliri debeant: 15. quod quis dominium ſibi acquirere poſſit: 16. quod infantes, & furioſi jura quædam ſibi arrogare poſſint. &c.

At ſuis locis probabimus, jura hæc partim ex ipſo jure naturæ ſequi: partim jure civili eſſe introducta, adeoque in ſola civitate pro jure haberi; partim jura illa fingi, nec ulla ratione, ſed præſumtionibus frivolis plerumque niti: quod quibuſdam exemplis ſupra probavimus. *vv*

§. XLII. Neque *obſtat* 1. doctrina Ulpiani, qui diſerte *Jus naturale* a *Jure gentium* diſtinguit.

Jus naturale enim deſcribit, *quod natura omnia animalia docuit, quod omnium animantium commune eſt, & cujus animalia, fera etiam, perita cenſentur.* *x*

Jus gentium autem eſſe, ait, *quo gentes humanæ utuntur, quod ratio naturalis inter homines conſtituit, ſoliſque hominibus inter ſe commune eſt.*

n. 1. Reſp. ex hac ipſa definitione *Juris gentium* apparere, Ulpianum non loqui de jure, *quod gentes uſu, & neceſſitate humana exigente ſibi conſtituerunt*, uti Tribonianus ſomniavit; ſed de jure, *quod ratio naturalis inter homines conſtituit.* Atqui id verum eſt *Jus naturæ.*

n. 2. Quid ergo intelligit Ulpianus *per Jus naturale?* Et ſi jus gentium eſt ipſum, & verum *Jus naturæ*, cur illud diſtinguit a *Jure gentium?* Ut dubio huic ſatisfaciamus, præmittendum eſt, Ulpianum, qui utramque definitionem ſuppeditat, diſerte alibi

(*u*) L. 14. ff. A. R. D. L. 30. §. f. eodem. L. 6. pr. Rer. Div. L. 2. §. 8. ne quid in loc. publ. L. 1. §. 18. nov. op. nunc. (*v*) L. 4. ff. Rer. Div. (*vv*) Diſſert. procem. leg. §. 76. (*x*) L. 1. §. 3. & 4. ff. de juſt. & jur.

alibi negare, jura in bruta cadere poſſe [y]. Adeoque præſumtio vix eſſe poteſt, eum adeo ſui oblitum fuiſſe, ut communionem juris moralis tribuere brutis voluerit, quam ipſis alibi negavit. Unde *jus* plane alio ſenſu ab eo hic ſumi, conjecturari licet.

n. 3. Sane, JUS NATURALE quatenus legem, ac præceptum denotat, duplici ſenſu ſumi poteſt: 1. *improprie*, pro motu, & inſtinctu, quem natura omnibus animantibus indidit, adeoque pro *lege* naturæ, quæ materiæ, ſeu corporibus connata eſt; juxta cujus *præcepta* etiam bruta agunt ex ſolo impetu naturæ, & neceſſitate motus materialis, ſepoſita omni ratione: 2. *proprie*, pro *lege* a Creatore indita non materiæ, ſed animis, cujus *præceptis* creaturæ animo præditæ obſequium præſtant, non ex inſtinctu, ſed ex ratiocinandi vi.

n. 4. PRIUS jus JCtis Romanis dicitur *Jus naturale*, quod natura omnia animalia docuit, & quod brutis æque, ac hominibus commune eſt, (quia non ex ratione, ſed ex motu mere materiali fluit). Et ex hujus juris naturalis *præceptis* jus civile partim collectum eſſe, ajunt.

POSTERIUS vocant *Jus gentium*, quia ſolæ gentes eo utuntur; unde hoc jus ex ratione naturali, quæ ſolis hominibus propria eſt, fluit, adeoque ad bruta plane non pertinet.

n. 5. Quod autem motus illi naturales, impetus illi naturæ, ſuo ſenſu JUS NATURALE, *leges*, ac *præcepta* vocari poſſint, nunc demonſtrabimus.

Sane, Deus facto ipſo, dum duplicem ſexum produxit, declaravit, id ea intentione factum eſſe, & in eum finem, ut animantia corpora jungant. Præterea ex eo, quod Deus creaturis motum vehementiſſimum indiderit, quo rapiuntur ad illam conjunctionem, apparet, Deum neceſſitatem quandam creaturis impoſuiſſe, ne id omitterent. Hæc igitur neceſſitas, quæ ex inſtinctu, ex motu naturæ, ex lege materiæ innata ſequitur, *Jus naturale* vocari ſano ſenſu poteſt; quia negari nequit, Creatorem voluiſſe ut animantia neceſſario juxta hos motus agant, & impetum hunc naturæ ſequantur. Unde paſſim apud JCtos, & Philoſophos, tam Græcos, quam Romanos, ordo naturæ, & ſpeciatim motus illi, pro *jure*, & *lege* ſumuntur. MACROBIUS ait [z]: *natura primum ſingula animalia perfecta formavit, deinde perpetuam* LEGEM *dedit, ut procreatione continuaretur ſucceſſio*. PLUTARCHUS in CAMILLO docet, LEGEM ESSE NATURÆ, *cujus & beſtiæ ſint participes, ut imbecillior cedat majori*. DEMOSTHENES adverſus ARISTOGITONEM ait: *Si illis bene cupit, &* LEGEM NATURÆ *tuetur, quæ una, & hominibus, & feris ex æquo eſt ſancita*. SENECA [a] ait: LEX *autem* NATURÆ *ſcis quos nobis terminos ſtatuat? non eſurire, non ſitire, non algere. &c.* ARISTOPHANES in avibus, *multas eſſe avium* LEGES, tradit, & *ipſas ciconiarum* Κύρβεις, *ſeu* LEGUM TABULAS *memorat*. CICERO [b] paria tradit: *Atque etiam in beſtiis vis naturæ inſpici poteſt, quarum in fœtu, & educatione laborem cum cernimus,* NATURÆ *ipſius vocem audire videmur*; & alibi [c]: *commune* JUS *animantium vetat aliquid, quod in homines liceat*.

Judæi

(*y*) L. 1. §. 3. ff. ſi quadr. paup. (*z*) L. 7. Saturn. Cap. fin. (*a*) Epiſt. IV. (*b*) L. III. de finib. p. m. 117. (*c*) de Clement. L 18.

Judæi hanc naturæ legem ſæpius allegare ſolent. JOSEPHUS ait [d]: *Hanc autem validiſſimam* LEGEM *tam feris beſtiis, quam hominibus eſſe præfinitam, potentioribus cedere;* & alibi [e]: *Eſt enim* NATURÆ LEX *illa, quæ in omnibus valet, velle vivere.* MOSES BAR-CEPHA [f] optime rem ita explicat: *omnibus rebus poſitæ ſunt* LEGES, *ratione præditis, & rationis expertibus, animatis, & inanimatis, quæ ſenſu percipiuntur;* & mox: *Animantia omnia, quæ ratione carent, generali hac* LEGE *Deus creavit, ut res ſuo ſenſu percipere, & motu ſeſe agitare poſſint; cæterum leonibus particulariter audaciam pro* LEGE *dedit: atque ita de cæteris* LEGIBUS, *quæ a Deo beſtiarum naturis impoſitæ ſunt.* Quin ipſe Apoſtolus *comam alere contrariari* JURI NATURÆ, docet, *i. e. ordini naturæ.*

Atque hunc in modum definitionem ULPIANI interpretatus eſt THEOPHILUS [g]. Ita enim rem explicat: JUS NATURALE *eſt, quod ad omnia animalia, quæ in aqua, vel in aëre ſunt, extenditur: neque enim ad ſolos homines* NATURA *vim ſuam coanguſtavit, ſed etiam quæ in aëre ſunt diſpoſuit, & his, quæ terra vivunt, formam dedit; ac ne illa quidem, quæ in mari naſcuntur, providentiæ ſuæ expertia eſſe paſſa eſt. Exemplum autem* JURIS NATURÆ *eſt maris, atque fœminæ conjunctio, & in liberis educandis ſtudium. Videmus enim non homines modo, ſed cætera quoque animantia his, qui* LEGEM *hanc obſervant, adſcribi; quoniam* NATURA *cum ſingula animalia videret morte conſumi, per matrimonium, & ex eo ſequentem procreationem liberorum, ac rurſus eorum, quæ procreata ſunt, charitatem, educationemque, & ſucceſſionem, quandam veluti immortalitatem iis commenta eſt.*

WINKLERUS jam olim obſervavit, *Jus naturæ* abuſive aliquando ſumi pro lege naturæ elementari, ſeu ſerie cauſarum elementarium, & operatione naturæ, quæ ſe in elementaribus alterationi obnoxiis perpetuo conſervat. Atque hoc ſenſu ULPIANUM ſtatuiſſe, ait, *Jus naturæ cum brutis commune eſſe* [gg]. Sed & poſt Winklerum SELDENUS [h] doctrinam Ulpiani eodem ſenſu explicavit: *per legem enim naturæ intelligi*, ait, *certas illas, & notiſſimas animalium illorum propenſiones, atque actus naturæ plerumque conſtantes, qui propter homonymiam, & propter ſimilitudinem quandam, jura quidem interdum nominantur, ac leges; nec tamen revera ſunt magis, atque arborum, ac fruticum, aliorumve corporum naturales actiones, ac motus naturales &c.* Et mox: *Unde & de exemplis illis,* (Ulpiani) *maris, & fœminæ ſcilicet conjunctionis, fœtus procreationis, educationis, velut hominum, atque aliorum animantium juris communis, ſtatuendum eſt. In quantum etiam in ipſo homine ſunt propenſiones hæ dumtaxat naturales; adeoque eo nomine tam homini, quam bruto communes, juris vocamine eas neutiquam eſſe indigitandas: at vero in quantum ratione liciti, illiciti, obligationis, (quæ ad bruta non attinent) veniunt &c. aut qua circa eas obligatio verſatur, ac permiſſio, tantummodo juris nomen ſortiri.* Quod uberius ibi proſequitur.

Con-

(d) de bell. jud. L. VI. Cap. II. p. m. 479. (e) ibid. L. III. C. XXV. (f) in comment. de Paradiſo L. I. C. XXVIII. (g) pr. inſt. de juſt. & jur. (gg) Princip. juris L. I. C. VI. L. II. C. V. & VIII. (h) Vid. Seldenus de jur. nat. Lib. I. C. V. p. m. 67.

Digitized by Google

Confirmatur hæc interpretatio exemplis ab ULPIANO allatis. Sane, omnia præcepta, quæ *Juri naturali* tribuit, per motum naturæ, citra rationem peraguntur. Omnia animantia corpora jungunt, ſobolem procreant, fœtum educant, ſeſe defendunt, idque ex lege materiæ indita.

n. 6. Hinc jam facile conſtat; hoc jus naturale (quod non ex ratione, nec ex juſtis rationis concluſionibus, ſed ex motu mere naturali, & materiali oritur) nullam neceſſitatem moralem producere; adeoque actus illos per ſe neque licitos, neque illicitos dici poſſe: non *intuitu brutorum*, quia ſola ratio nobis indigitat, utrum actus juſtus ſit, an injuſtus, ea autem in brutis ceſſat: nec *intuitu hominum*, quia hactenus, & quoad hos impetus naturales, brutis æquiparantur.

n. 7. Hinc porro apparet ratio, cur ſervitus *contra naturam* eſſe dicatur [hh]: quia omnino pugnat cum motu illo naturali, cum lege materiæ connata, vi cujus omnia animantia facultatem naturalem habent agendi quicquid lubet. (*Vid.* §. 38.)

n. 8. Hæc quoque vera ratio eſt legis Romanæ, quæ ſtatuit, *ſervo licere naturaliter in ſuum corpus ſævire*; adeoque ſeſe vulnerare, occidere, & præcipitare &c. [i]: quia corpus naturaliter eſt ipſius ſervi, facultates agendi naturales inſeparabiles ſunt a corpore; neque enim ſervitus naturam ſuſtulit, aut tollere potuit. Nec hic quæritur, utrum id juſtum, an injuſtum ſit; ſed an dominus damnum ex facto ſervi illatum deducere a peculio poſſit? Idque negatur, quia injuria domini non eſt, etſi crimen ſit, & contra jura publica committatur. [k]

n. 9. Denique hæc quoque ratio eſt, cur *natura* omnes homines æquales eſſe dicantur, & cur omnes naturaliter uno nomine *homines* vocentur. Id enim *juxta ordinem naturæ* verum eſt.

n. 10. JUS GENTIUM toto cœlo differt a *Jure naturali*. Etſi enim hominibus *jura* illa *naturalia* æque, ac brutis communia ſint; etſi illæ facultates naturales æque, ac in brutis ſe per motus, & inſtinctus exſerant, ac manifeſtent; adeoque etſi leges illæ, & præcepta, materiæ a creatore inſculpta, & corpori humano connata ſint: certum tamen eſt, hominem non promiſcue illos *motus*, illas *leges* materiales, illa *præcepta* non animis, ſed corpori innata, ſequi poſſe. Deus enim vim ratiocinandi conceſſit hominibus, vi cujus cognoſcere poſſint, an, & quatenus hæ facultates naturales, & hæ leges materiales, intentioni divinæ conveniant; an, & quatenus ſingulis hominibus jus competat actus illos peragendi.

Hinc *conjunctio maris*, & *feminæ*, inter homines non indiſtincte fieri poteſt, quia ex fine creationis apparet, Deum per familias propagari humanum genus voluiſſe. Familias autem non per quamlibet conjunctionem corporum conſtitui, ſed tantum accedente individua vitæ conſuetudine, alibi probavimus. Sane JCtus poſtquam aſſeruit, *ex Jure naturali deſcendere conjunctionem maris*, & *feminæ*, notanter addit, *quod nos matrimonium vocamus*: quæ eſt vox juris, & rationem ſupponit. Atque hinc matrimonia *Juris gentium* eſſe dicuntur.

Etſi

(*hh*) Leg. 4. ff. his qui ſui vel alien. jur. (*i*) L. 9. §. 2. ff. de pecul. (*k*) Vid. jus meum controv. tit. de pecul. q. 15.

Digitized by Google

Etſi porro *educatio liberorum* ex motu naturali ſequatur; ratio tamen nos docet, officia quædam eſſe inter liberos, & parentes, quæ ſolis hominibus propria ſunt, non brutis communia.

(*l*) Etſi quoque *defenſio* ſit facultas hominibus æque, ac brutis communis; ex ratione tamen apparet, eam non promiſcue licitam eſſe, ſed tantum, quatenus eſt neceſſaria.

Denique, etſi *libertas*, ſeu *facultas naturalis agendi quicquid lubet*, cuique homini connata ſit; non tamen indiſtincte eam in actum deduci poſſe, ratio nos docet: utpote quæ nos inſtruit, quatenus illa facultas voluntati creatoris conveniat, & quatenus repugnet. Atque hinc JCti, dum libertatem hominibus propriam definiunt, nimirum, *facultatem naturalem agendi quicquid lubet*, notanter addunt: NISI SI QUID JURE PROHIBEATUR. Hactenus enim facultas naturalis reſtricta eſt ratione naturali, ita ut homines agere juxta facultates illas mere naturales non poſſint. Hinc regula eſt, quod ea, quæ contra bonos mores ſunt, nec facere nos poſſe credendum ſit.

n. 11. Præter hæc jura, quæ hominibus partim ex motibus naturæ, partim ex ratione, conceſſa eſſe apparent, infinita alia jura hominibus propria ſunt, quæ citra motum, & impetum naturæ, ſola ratio naturalis inter homines conſtituit: & ubi ex juſtis rationis concluſionibus cognitum nobis eſt quid liceat, quid non; quid juſtum ſit, quid injuſtum.

Hinc apparet ratio, cur JCti bella, captivitates, ſervitutes, manumiſſiones, contractus, commercia, regnorum conſtitutionem, introductionem dominiorum, ædificiorum collocationem, terminorum poſitionem &c. ad jura gentium referant, quia ſola ratione determinantur (*Vid.* §. 38. *ſeq.*), & licita non ſunt, niſi quatenus rationi conveniunt. Hos igitur actus natura ſolas gentes, non omnia animalia, docuit.

n. 12. *Jus* igitur *naturale*, & *Jus gentium* conveniunt *cauſa*; utrumque enim Deum auctorem habet, qui & omnibus animantibus motus illos materiales, & hominibus ratiocinandi vim, conceſſit: at differunt 2. *objecto.* Ad *Jus naturale* enim referuntur actus, qui ſepoſita omni ratione ex lege motus, & impetu naturæ peraguntur: ad *Jus gentium* autem pertinent illi actus, qui juſtis rationis concluſionibus conveniunt. Differunt 3. *ſubjecto.* Nam Jus naturale etiam brutis commune eſt; *Jus gentium* ſolis hominibus proprium. Differunt quoque 4. *effectu. Jus naturale* enim, qua tale, actum nec licitum facit, nec illicitum; animantia leges, & præcepta hujus juris ſequuntur, non per rationem, ſed ex motu materiæ, per impetum naturæ, indeque agentes nec pœnam, nec præmium merentur: at *Jus gentium* actum vel licitum, vel illicitum efficit, quia ex facultate ratiocinandi hominibus cognitum eſt, Deum actus illos permiſiſſe, indeque jus mihi eſſe ita agendi, nec alium jus illud mihi auferre poſſe.

§. XLIII. Porro & 2. *obſtat*, quod de poſtliminio JCti aſſerunt, id eſſe jus inter Romanos, & populos liberos, regeſque, *moribus*, legibus conſtitutum (*m*). Moribus igitur, i. e. jure gentium, aliquid conſtitutum eſſe videtur. Reſp. per *mores* JCti Romani ſæpius intelligunt ipſum *Jus naturæ*. Sane, ma-

(*l*) L. 1. Cond. Inſt. (*m*) leg. 19. pr. poſtlim.

Digitized by Google

matrem, & ſororem uxorem ducere, *moribus*, non legibus, prohibitum eſſe, ait ULPIANUS [n]: at hæc prohibitio inter aſcendentes, & deſcendentes, *Juri gentium* tribuitur a PAULO [o]. Atque hinc hoc ipſum jus poſtliminii, quod JCtus *moribus* tribuit, ſtatim *æquitati naturali* adſcribit. *Naturali enim æquitate introductum eſſe*, ait, *ut qui injuria ab extraneis detinebatur, is, ubi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum jus ſuum reciperet.* [p]

§. XLIV. 3. *Obſtat lex* 34. §. 1. ibi: *quas vero* NATURA, vel GENTIUM JUS *commercio exuerunt, earum nulla venditio eſt.* ff. De contr. emt. Aliud igitur eſſe videtur *Jus naturæ*, aliud *Jus gentium*. Reſp. Quædam res in venditionem non veniunt, quia *natura*, ſeu ordo naturæ, impedit: uti ſi res in rerum natura non exiſtit, v. g. ſi domus exuſta, & quam emtor exuſtam ſcit, venditur [s]; item ſi homo mortuus venditur [t]. Quædam vero, quia *Jus gentium* obſtat: v. g. ſi liber homo venditur [u]; vel ſi fundus, cui littora conjuncta ſunt, venditur [v]: hoc enim caſu littora non cedunt in modum, quia jure gentium ſunt publica, adeoque nullius in bonis ſunt, eoque res aliena. Apparet igitur, per *naturam* ibi intelligi ſolam facultatem naturalem agendi, quæ ex ordine naturæ ſequitur. Sed & porro apparet, per *Jus gentium* intelligi ipſum jus naturæ: nam liberum hominem, vel rem alienam vendere, jure naturæ licitum non eſt.

§. XLV. *Obſtat* 4. definitionem ſervitutis ſatis indigitare, dari aliquod jus, *quod gentes inter ſe conſtituerunt*. Servitus enim eſt *conſtitutio Juris gentium*, qua quis *contra naturam* alieno dominio ſubjicitur. Gentes igitur aliquid conſtituerunt *contra naturam* [x], ſeu *Juri naturali contrarium* [y]. Reſp. JCtus non ait, ſervitutem eſſe *conſtitutionem gentium*, ſed *Juris gentium*: jus gentium autem a providentia divina, & a ratione naturali conſtitutum eſt. Hoc jus gentium omnino contrarium eſt juri naturali, i. e. facultati naturali agendi quicquid lubet. At hæc contrarietas non eſt injuſta, quia illa facultas naturalis ex ipſa definitione libertatis *jure* impediri, & prohiberi poteſt; impeditur autem per juſtam captivitatem. (*Vid.* §. 38. 39. & 40.)

§. XLVI. Certiſſimum igitur eſt, non dari jus gentium voluntarium, *quod* nimirum *gentes uſu*, & *neceſſitate humana exigente ſibi conſtituerunt.* Certum quoque eſt, veteribus JCtis Romanis tale jus cognitum non fuiſſe, ſed eos per *Jus gentium* intellexiſſe ipſum *Jus naturæ*, quod ratio naturalis inter omnes homines conſtituit; & denique aperte demonſtravimus, errorem TRIBONIANI cauſam dediſſe monſtro Juris gentium ſecundarii.

§. XLVII. Ea autem jura, quæ GROTIUS præterea *Jure gentium voluntario*, i. e. voluntate, ac conſenſu gentium ſtatuta eſſe, putat, fabulam ſapiunt. Quod vel ex eo apparet, quia rationes, quæ gentes ad ſtatuendum talia jura impuliſſe, ait, meris nituntur præſumtionibus, & conjecturis in infinitum vagantibus; quod ſpeciatim in diſtinctione illa inter *bellum ſolenne*, & *minus ſolenne*, infra demonſtrabimus. Quæ vero gens, quis Princeps, ex vagis, & vanis ejuſmodi conjecturis ſibi legem imponi, vel jura obtrudi patietur?

DIS-

(n) Leg. 8. ff. de rit. nupt. (o) Leg. fin. pr. eod. (p) d. Leg. 19. pr. poſtlim. (s) Leg. 15. pr. l. 16. l. 135. §. 1. l 70. contrah. emt. (t) Leg. 69. ff. de verb. obl. ibique Goth. (u) Leg. 6. ff. contr. emt. (v) Leg. 51. de contr. emt. (x) Leg. 4. de juſt. & jur. Leg. 4. §. 1. ſtat. hom. (y) §. 2. Inſtit. de juſt. & jur.

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS V.
DE JURE PERSONARUM,
SEU DE JURE,
Quod cuique competit ex ſtatu hominum naturali.
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS.

Præcipue

Ad Lib. II. Cap. V. integrum.

Ubi GROTII hypotheſis circa *primum Juris Romani objectum, ſtatum*, nimirum, *hominum*, explicatur, & defectus horum principiorum demonſtratur.

Digitized by Google

SUMMARIA.

§. I. *Variæ Juris ſpecies a Grotio inventæ, remiſſive repetuntur.*
II. *Tranſitus ad juſtas belli cauſas: ubi laudatur methodus Romanorum in demonſtrandis juribus cuique hominum propriis, ſecundum tria juris objecta.*
III. *Proponitur ordo, & methodus Grotii circa juſtas belli cauſas.* §. ſeq.
V. *De Jure perſonarum, ſeu de ſtatu hominum ex hypotheſi Grotii.*
VI. *De acquiſitione originaria* EX GENERATIONE.
VII. *Jus parentibus in liberos comp... re juxta triplicem liberorum ætate...*
VIII. *De acquiſitione originaria* EX CONSENSU.
IX. *Ea oritur vel ex* CONSOCIATIONE; *& quidem* 1. *ex conjugio: ubi de polygamia, & de gradibus prohibitis agitur.*
X. 2. *Ex conſociatione publica, quæ fit aut in populum, aut ex populis.*
XI. 3. *Ex ſubjectione, ſcilicet, per arrogationem, & ſervitutem.*
XII. *Vel ex* DELICTO: *ſi vel privatus, vel populus in ſervitutem detruditur.*
XIII. *Grotius actionem realem ex jure in perſonas oriri, ſtatuit.*
XIV. *Monita quædam generalia circa ſyſtema Grotii.*

CAPUT I.

Ubi totius ſyſtematis Grotiani ordo proponitur, & cum ordine, ac methodo Juris Romani comparatur.

§. I. QUATUOR præcedentibus diſſertationibus quatuor ſpecies juris univerſalis, quas GROTIUS ſibi finxit, examinavimus: nimirum 1. jus naturæ ſociale: 2. jus naturæ laxius ſic dictum: 3. jus divinum voluntarium univerſale; & 4. jus gentium voluntarium. Nunc ad ipſa objecta juris accedimus.

§. II. JCti Romani totum jus civile (quod ex præceptis juris naturæ, & gentium collectum eſſe, ajunt) ſecundum tria objecta tractaverunt. Omne enim jus verſari vel circa *perſonas*, vel circa *res*, vel circa *actiones*, dixere. Neque errare potuiſſet GROTIUS ſi hæc veſtigia ſecutus fuiſſet: methodus enim hæc naturalis, & facilis eſt; termini uſitati, & omnibus cogniti ſunt; nec ullum ſupereſt naturæ jus, quod non ad *tria hæc objecta* referri poſſit.

§. III. Videamus, quam viam ingreſſus ſit vir doctiſſimus, & quanam methodo uſus ſit in demonſtrandis juris naturalis objectis.

§. IV. Fundamenti loco ponit, bella licita eſſe [a], & totidem eſſe fontes belli,

(a) Lib. 1. C. 2. 3. & 4.

belli, quot ſunt fontes actionum forenſium.[b]

Dari autem actiones, ait, *ob injuriam non factam*, aut *ob factam.*[c]

Ob *non factam* agi poſſe, ut caveatur de injuria, quæ metuitur, item damni infecti; eoque refert Grotius interdicta alia, ne vis fiat[d]: quod pluribus exemplis illuſtrat.[e]

Ob *factam injuriam* 1. agi, vel ut REPARETUR, vel ut alter PUNIATUR.

2. Quod REPARANDUM venit, *aut* ſpectare id, quod NOSTRUM eſt, vel fuit; *aut* id, quod nobis DEBETUR.[g]

3. NOSTRUM aliquid fieri, vel *communi* hominum jure, vel jure *ſingulari.*[h]

4. Jure *ſingulari* noſtrum aliquid fieri, vel acquiſitione *originaria*, vel *derivativa.*[i]

5. Per acquiſitionem *originariam* nobis acquiri non tantum *jus in res*, ſed & in *perſonas ipſas.*[k]

6. DEBERI autem nobis, aut [*a*] ex *jure naturæ*; ſcilicet vel ex *pactione*, vel ex *maleficio*, vel ex *lege*, quo Grotius refert *contractus*, & *quaſi delicta*[l]: [*b*] aut ex *jure gentium voluntario*, quo referri debeant legationum jura, & jura ſepulturæ.[m]

7. Quatenus PUNIENDA eſt injuria, eam parere accuſationem, & judicia publica.[n]

§. V. His ita in genere præmiſſis, tranſit in ſpecie ad primum objectum juris, i. e. ad *Jus perſonarum*, ſeu ad *Statum hominum*. Examinat, nimirum, belli cauſas ob *injuriam factam*, quatenus *reparandum* venit id, *quod noſtrum eſt*, per *acquiſitionem ſingularem*, & quidem ORIGINARIAM PERSONÆ.

CAPUT II.

De Jure Perſonarum ex hypotheſi Grotii.

§. VI. GROTIUS originarie jus quæri in perſonas, ait: 1. ex GENERATIONE: 2. ex CONSENSU: 3. ex DELICTO.[o]

§. VII. Ex GENERATIONE parentibus utriſque jus acquiri, ait, in liberos[p]; præcipue tamen patri[q]: ejuſque Juris effectum, juxta triplicem liberorum ætatem, triplicem ſtatuit.[r]

n. 1. Si enim 1°. infantes ſunt, omnes liberorum actiones *ſub dominio parentum* eſſe, docet, quia ipſi ſe regere ob judicii imperfectionem non poſſint; nec præter parentes alius naturaliter inveniatur, cui regimen competat[s]. Infantibus ergo jus dominii non competere jure naturali, ſtatuit[t]; ſed demum ex jure gentium voluntario, i.e.

ex

(*b*) Lib. 2. C. 1. §. 2. (*c*) Lib. 2. C. 1. §. 2. n. 1. (*d*) d. §. 2. n. 1. (*e*) Lib. 2. C. 1. §. 3. & ſeq. (*f*) Lib. 2. C. 1. §. 2. n. 1. Lib. 2. C. 20. §. 1. n. 1. (*g*) d. C. 1. §. 2 n. 1. (*h*) Lib. 2. C. 2. §. 1. §. 3. ſeq. (*i*) d. C. 2. §. 1. C. 3. §. 1. (*k*) Lib. 2. C. 5. §. 1. junct. Lib. 2. C. 10. §. 1. (*l*) d. C. 1. §. 2. n. 1. (*m*) Lib 2. C. 18. §. 1. & C. 19. (*n*) Lib. 2. C. 1. §. 2. n. 1. (*o*) Lib. 2. C. 5. §. 1. (*p*) ibid. (*q*) ibid. (*r*) d. C. 5. §. 2. (*s*) d. C. 5. §. 2. n. 1. (*t*) Lib. 2. C. 3. §. 6.

Digitized by Google

ex tacito hominum pacto, introductum eſſe, ut jus habendi, non per ſe utendi, habeant: perſonam illorum interim quaſi ſuſtinente humano genere. [u]

n. 2. 2°. Si judicium ætate maturavit, nec liberi ſeparatam inſtituunt familiam, ſed pars manent familiæ, eas ſaltem actiones imperiis parentum ſubeſſe, ait, *quæ ad familiæ ſtatum aliquid momenti habent*; quum æquum ſit ut pars conveniat cum ratione integri [v]: in *reliquis* vero *actionibus* liberos liberam habere agendi facultatem; ſtudere tamen debere ut ſemper placeant parentibus; hoc autem debitum oriri ex jure naturæ laxiori, quia ſaltem ex pietate, obſervantia, & gratiæ rependendæ officio debitum eſt. Unde ait, actus debito huic contrarios non eſſe irritos. [x]

In utroque hoc tempore jus regendi etiam jus coercendi complecti, putat, quatenus, nimirum, vel cogendi ſunt ad officium liberi, vel emendandi [y]. Atque hoc jus etiam in alios transferri; indeque patrem naturaliter vendere, & oppignorare poſſe liberos, ubi alia ratio alendi eos non ſuppetit. [z]

n. 3. 3°. Si liberi judicium perfectum habentes e familia diſceſſerunt, eos *ſui juris* eſſe, & omnia ſuo jure agere poſſe, exiſtimat; liberos autem parentibus nil niſi reverentiam debere ob generationem, eamque cauſam perpetuam eſſe [a]. Ceterum ultra hoc reverentiæ debitum omnia eſſe ex jure civili. [b]

§. VIII. Alterum jus, quod originarie in perſonas acquirimus, Grotius oriri, ait, EX CONSENSU. Jus autem, quod ex conſenſu in perſonas oritur, vel ex *conſociatione*, vel ex *ſubjectione* eſſe, ait. [c]

§. IX. Ex *conſociatione* jus variis modis quæri, exiſtimat; eoque 1. refert *conjugium*, ex quo jus quæri marito in uxorem, ait. Ubi naturam conjugii examinat. [d]

n. 1. Conjugium autem naturaliter eſſe, ait, talem cohabitationem maris cum fœmina, quæ fœminam conſtituit, quaſi ſub oculis, & cuſtodia maris [e], accedente fide, qua ſe fœmina mari obſtringit. [f]

n. 2. Hinc concludit, non eſſe natura illicitum, plures una uxores habere [g], vel uxorem dimittere; ſed lege demum evangelii id prohibitum eſſe. [h]

Ceterum, parentum conſenſum neceſſarium non eſſe, ſtatuit. [i]

n. 3. Nuptias prohiberi, ait, 1. cum ea, quæ alteri nupta eſt, quamdiu nuptiæ ſubſiſtunt [k]: & 2. cum illis, qui ſanguine junguntur.

Grotius prohibitionem, quæ ex ſanguine oritur, naturalem tantum eſſe, ait, *in linea recta*, i. e. inter parentes, & liberos [l]; quum maritus, utpote ſuperior lege matrimonii, non videatur poſſe eam reverentiam præſtare matri, quam natura exigit, nec patri filia [m]. At in gradibus ſanguinis *ex tranſverſo limite*

(*u*) Lib. 2. C. 3. §. 6. C. 5. §. 2. n. 2. C. 11. §. 14. Conf. Lib. 2. C. 4. §. 10. n. 3. (*v*) Lib. 2. C. 5. §. 3. (*x*) d. C. 5. §. 3. junct. Diſſert. procem. II. §. 8. (*y*) L. 2. C. 5. §. 4. Lib. 2. C. 20. §. 7. n. 2. (*z*) d. C. 5. §. 5. (*a*) Lib. 2. C. 5. §. 6. (*b*) d. C. 5. §. 7. (*c*) d. C. 5. §. 8. (*d*) d. C. 5. §. 8. uſque ad §. 17. (*e*) Lib. 2. C. 5. §. 8. n. 1. (*f*) d. § 8. n. 1. (*g*) d. C. 5. §. 9. n. 1. & n. 3. (*h*) d. C. 5. §. 9. n. 2. ſeq. (*i*) d. C. 5. §. 16. (*k*) d. C. 5. §. 11. & §. 12. ſeq. (*l*) Lib. 2. C. 5. §. 12. n. 2. & §. 13. n. 3. (*m*) d. §. 12. n. 2. §. 13. n. 3. & n. 4.

limite prohibitionem non venire a jure naturæ, ait, ſed ex jure divino voluntario [n]; quia Deus gentes vicinas ob ejuſmodi conjunctiones diſpulſit. [o]

n. 4. Hoc autem præceptum divinum non extendendum eſſe, ait, ad omnes ex tranſverſo limite gradus, ſed ſaltem ad ſanguinis gradu primos, i. e. ad *fratres*, & *ſorores* [p]: Reliquas vero prohibitiones, cum *patruo*, cum *amita*, cum *matertera*, & cum *avunculo*, ad aſſertum illud divinum de diſpulſis gentibus non pertinere. [q]

Rationem differentiæ hanc affert, quod priori caſu naturalis quædam verecundia ſubſit, quæ non ſinat ortus ſui auctores cum ſua ſobole etiam per perſonas ſanguine proxime cohærentes miſceri [r]. Cum ceteræ leges cautionem magis contineant, quæ cautio etiam aliis modis fieri poſſit [s]. Unde concludit, aſſertum de imputato peccato Cananæis, ad præcipua ſaltem capita pertinere. [t]

n. 5. Inter *affines* itidem nullam naturalem prohitionem eſſe, ſtatuit, ſed præcepto divino demum quoſdam gradus in vetitum iviſſe [u]. Quod ſaltem reſtringit ad affines, qui in recto ſunt limite, nimirum, ad *novercam*, *pronovercam*, *vitricum*, *provitricum*, *ſocrum*, *proſocrum*, *nurum*, *pronurum* [v]. Naturalem enim quandam verecundiam & hic ſubeſſe, ait, quæ non ſinat auctores cum ſua ſobole, per perſonas nuptiali ſanguinis commixtione proxime cohærentes, miſceri [x]. At omnes reliquos gradus affinitatis ſub illa lege divina non comprehendi, ait, quum hactenus præcepta magis cautionem contineant. [y]

n. 6. Ceterum, concubinatum eſſe verum matrimonium, tradit [z], ſi fœmina eſſet ſub cuſtodia mariti, & fidem marito dediſſet.

n. 7. Tandem addit, prohibitis nuptiis ſola lege civili, nuptias non ideo reddi irritas. [a]

§. X. Præter hanc conſociationem, quæ ex conjugio eſt, 2. GROTIUS alias quoque conſociationes, tum *publicas*, tum *privatas* dari, ait, ex quibus originarie jus in perſonas acquiratur. [b]

Publicas conſociationes fieri, docet, aut *in populum*, aut *ex populis*.

In populum, ſi multi patresfamiliarum in unum populum, ac civitatem coëunt. Effectum hujus ſocietatis eſſe, ait, quod recedere gregatim non poſſint ſinguli, niſi ſocietatis interſit [d]; indeque nec in exules jus civitatis eſſe. [dd]

Ex populis, ſi per ſe, vel per capita ſua, fœdus aliquod ſociale ſtatuunt [e]; de quo alibi [f] agit.

n. 1. Omni *conſociationi* commune eſſe, contendit, quod vota majora obtineant naturali quoque ratione; quia aliter expediri negotia ſocietatis non poſſunt [g]. Atque hinc ſi pares ſententiæ ſunt, nihil agi, ait. [h]

Quæri-

(*n*) d. C. 5. §. 13. n. 1. n. 2. n. 3. & n. 7. (*o*) d. §. 13. n. 1. (*p*) d. §. 13. n. 5. & ſeq. (*q*) d. C. 5. §. 14. n. 1. (*r*) d. §. 13. n. 3. (*s*) d. §. 14. in fin. (*t*) d. C. 5. §. 14. n. 2. (*u*) d. C. 5. §. 13. n. 1. n. 2. n. 5. & n. 7. (*v*) d. §. 13. n. 3. in fin. & n. 4. (*x*) d. §. 13. n. 3. in pr. (*y*) d. §. 14. n. 1. in fin. (*z*) d. C. 5. §. 15. (*a*) Vid. C. 5. §. 16. junct. §. 10. & §. 14. n. 4. eod. (*b*) L. 2. C. 5. §. 17. (*c*) d. C. 5. §. 23. (*d*) d. C. 5. §. 24. (*dd*) d. C. 5. §. 25. (*e*) d. C. 5. §. 17. n. 1. pr. junct. §. 25. n. 2. (*f*) Lib. 2. C. 15. per tot. vid. indicem voce fœdus ſociale. (*g*) Lib. 2. C. 5. §. 17. (*h*) C. 5. §. 18.

Digitized by Google

Quæritur, ſi ſuffragia differunt, quomodo conjungenda, aut dividenda ſint? Grotius diſtinguit inter ſententias, quæ totis rebus differunt, & inter eas, quarum altera partem alterius continet, ut hæ conjungendæ ſint in eo, quo conveniunt, illæ non item. [i]

Ceterum, ordinem naturalem inter ſocios eſſe, ait, prout quiſque in ſocietatem venit. Atque hinc illos, qui primum Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, in conciliis ad rem Chriſtianam pertinentibus, ceteros præcedere, exiſtimat. [ii]

§. XI. GROTIUS jus in perſonas, quatenus ex conſenſu acquiritur, oriri, dixit, vel *ex conſociatione*, vel *ex ſubjectione*. Quomodo ex *conſociatione* oriatur, hactenus vidimus. Supereſt ut examinemus, quo modo *ex ſubjectione* jus acquiratur. [k]

Subjectionem ex conſenſu vel *privatam* eſſe, ait, vel *publicam* [l]. Ad *privatam* refert ARROGATIONEM, ſi pater filium ſuum alterius poteſtati ſubjicit, per quam ſubjectionem nil niſi jus educandi, & alendi, transferri in alterum, ait [m]. 2. Si quis ſe in *ſervitutem perfectam* dat [n]. Ex hac autem ſubjectione non niſi operas perpetuas domino quæri, ſtatuit [o]; non jus vitæ, & necis [p]. Liberos quoque ex ſervis natos fieri ſervos, ſtatuit, ſi aliter ali non poſſunt [q]. 3. Eo quoque refert *ſervitutes imperfectas*, v.g. ſtatum libertorum, nexorum, glebæ addictorum, mercenariorum, aliorumque. [r]

Subjectio *publica* Grotio eſt, ſi populus ſe alii populo in ditionem dat, quod vel perfecte, vel imperfecte fieri poſſe, ait. [s]

§. XII. Hactenus egimus de originaria acquiſitione juris in perſonam, quæ oritur 1. ex generatione, 2. ex conſenſu. Supereſt ut agamus 3. de ea quoque, quæ oritur ex delicto. (*Vid. Supr.* §. 6.)

Ex DELICTO [t] jus in perſonam *naturali jure* acquiritur, ſi ea in pœnam redigitur in ſervitutem. Idem obtinere, Grotius ait, ſi totus populus *juſto bello* victus ſervitutem ſubit [u]. Sed & *jure gentium* voluntario & ſingulos, & populos integros, etiam *injuſto bello* victos, ſervos fieri, aſſerit, ad eum effectum, ut jus quoque vitæ, & necis in ſervos, eorumque liberos victori competat. At id verum tantum eſſe, ait, quoad juſtitiam externam, non internam. [v]

§. XIII. Hoc *jus in perſonas* GROTIUS eſſe reale, exiſtimat. Hinc jus in res, & in perſonas conjungit [x], & rerum nomine etiam jus in perſonas comprehendit, quatenus illud utile eſſe poteſt [y]. Indeque actiones reales & ex jure in re, & ex jure in perſonas naſci, ait [z]. Quod ex jure civili deſumſiſſe videtur, ubi actiones præjudiciales in rem eſſe dicuntur. [a]

CAPUT

(*i*) d. C. 5. §. 19. & 20. (*ii*) d. Cap. 5. §. 21. (*k*) Vid. ſupr. §. 17. (*l*) Lib. 2. C. 5. §. 26. (*m*) L. 2. C. 5. §. 26. (*n*) Lib. 2. C. 5. §. 27. (*o*) d. loco. (*p*) d. C. 5. §. 28. (*q*) d. C. 5. §. 29. (*r*) Lib. 2. C. 5. §. 30. (*s*) d. C. 5. §. 31. (*t*) Vid. ſupr. §. 6. (*u*) d. C. 5. §. 32. (*v*) Vid. Lib. 2. C. 5. §. 32. in fin. junct. Diſſ. proœm. IV. & IX. (*x*) L. 2. C. 5. §. 1. (*y*) Lib. 2. C. 10. §. 1. (*z*) d. C. 10. §. 1. (*a*) Leg. 1. ff. R. V.

Digitized by Google

CAPUT III.

Continens monita quædam generalia circa methodum Grotii, tum quoad objecta juris in genere, tum in ſpecie quoad jus perſonarum, ſeu ſtatum hominum.

§. XIV. REPETENDUM hic eſt, quod ſupra §. 2. dixi, magis conveniens fuiſſe diſciplinam juris naturalis ſecundum juris Romani ordinem, i. e. ſecundum tria objecta juris, demonſtrare. Syſtema enim GROTII novum, termini novi, tractatio prolixa, confuſa, & infinitis diviſionibus, ac ſubdiviſionibus involuta eſt; (vid. ſupr. §. 4.) quin pauciſſima jura inde ſequuntur.

Ex diſſertatione XII. apparebit, omnia jura hominum facillima ratione juxta methodum JCtorum Romanorum demonſtrari poſſe; nec ullum ſupereſſe jus, ad homines pertinens, quod non eo referri poſſit.

§. XV. Circa *primum objectum juris*, nimirum, circa *ſtatum hominum*, (de quo ſpeciatim Grotius in capite V. agit), multa notanda veniunt.

Primo enim omiſit differentias perſonarum, unde conſtare nobis debet, quænam perſonæ ſtatum habeant, quæ non habeant. Immo & omittit *ſtatus* definitionem, & quid per *jus perſonarum* intelligatur.

Secundo, nullam mentionem facit *ſtatus libertatis*, unde tamen præcipua hominum jura dependent. Obiter enim ſaltem refert, jus in alterius perſonam acquiri, i. e. libertatem tolli ex ſubjectione, tum quæ fit ex *conſenſu*, ſi quis ſe in ſervitutem dat, tum quæ fit ex *delicto*. (*Vid.* §. 11.) Ceterum definitionem, & jura libertatis ne tangit quidem.

Tertio, circa *ſtatum familiæ* multa deſideramus. Sane, de origine familiæ, & cur ea ſaltem per juſtas nuptias conſtituatur; item de pleriſque juribus membrorum familiæ, altum ei eſt ſilentium. Modos etiam, quibus finitur jus familiæ, plane omittit.

Quarto, circa *ſtatum civitatis* pariter paucis ſaltem, in Cap. V. §. 23. indigitat, quo modo ex *conſociatione* jus in perſonas acquiratur, nimirum, ſi plures patresfamilias in civitatem coeunt; & in ſequenti §. 24. unicam quæſtionem, an civibus diſcedere a civitate liceat? affirmative decidit, ſi civitatis non intereſt. At præterea de ſubjecto civitatis, nimirum, de perſonis, de territorio, & reditibus, & porro de juribus tum imperantium, tum parentium &c. ne verbo quidem hoc loco mentionem facit.

Quinto, admitti non poteſt, [*a*] ex generatione dominium, ſeu jus in re parentibus in liberos acquiri: [*b*] parentes liberos naturali jure vendere, vel oppignorare poſſe: [*c*] prohibitionem nuptiarum extra primum gradum eſſe ex jure divino voluntario: [*d*] nuptias in ſecundo gradu tranſverſæ lineæ, i. e. cum patruo, avunculo, amita, & matertera, licitas eſſe jure naturæ: [*e*] eodem jure naturæ inter affines nullam eſſe prohibitionem, & jus

jus demum divinum voluntarium nuptias inter affines, qui in recto limite ſunt, prohibuiſſe: [*f*] Servitutem perfectam eſſe, quæ perpetuas operas debet pro alimentis, & aliis, quæ vitæ neceſſitas exigit: [*g*] Dominos jure naturali jus vitæ, & necis in ſervos non habere.

Sexto, verum non eſt, ſtatum hominum ad jura in re pertinere [b], atque eandem actionem ex jure perſonarum oriri, quæ ex jure rerum [c]. Toto enim cœlo differunt actiones præjudiciales, quæ ex ſtatu hominum oriuntur, ab actionibus realibus, etiam naturæ jure.

Denique in eo quoque ſibi contradicere videtur GROTIUS, quod ad acquiſitionem *originariam* refert eam, quæ fit *ex conſenſu*, per *arrogationem*, &c. Nam has acquiſitiones Grotius alibi vocat *derivativas*. [d]

(*b*) Lib. 2. Cap. 5. §. 1. junct. C. 10. §. 1. (*c*) d. C. 10. §. 1. ſeq. (*d*) Lib. 2. C. 6. Rubr. & §. 1. pr.

DISSER-

DISSERTATIO
PROOEMIALIS VI.
DE JURE RERUM,
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS.

Præcipue

Ad Lib. II. Cap. II. III. IV. VI. VII. VIII. IX. X.

Ubi Syſtema Grotii de *Origine Dominiorum*, & de jure, quod cuique *in res* competit, adeoque *ſecundum Juris Romani objectum* exponitur, & dubia quædam generalia circa hæc principia proponuntur.

Digitized by Google

S U M M A R I A.

§. I. *Syſtema Grotii circa acquiſitionem juris in re.* §§. ſeqq.
VIII. *De origine dominiorum.* §§. ſeqq.
XIV. *De rebus, quæ hominibus communiter competunt.* §§. ſeqq.
XXI. *De eo, quod noſtrum ſit* ſingulari jure, *per* occupationem originariam; §§. ſeqq.
XXIX. Quo *refert Grotius* tacitam derelictionem.
XXX. *De eo, quod noſtrum ſit ſingulari jure, per* occupationem derivativam. §. ſeq.
XXXII. *De acquiſitione derivativa, quæ ſit* facto hominis. §§. ſeqq.
XXXVII. *De acquiſitione derivativa, quæ ſit* lege, *tum naturali*, §§. ſeqq.
XLVII. *Tum gentium, tum civili.* §§. ſeqq.
LIII. *De acquiſitione poſſeſſionis.*
LVIII. *De acquiſitione* pignoris, & ſervitutum. §§. ſeqq.
LXII. *Modi finiendi jura in re.*
LXV. *Monita quædam generalia.*

P R O OE M I U M.

§. I. EXAMINAVIMUS ſyſtema GROTII circa primum objectum juris naturalis, *ſtatum*, nimirum, *hominum*. Sequitur nunc ſecundum juris objectum, nimirum, JUS RERUM.

§. II. Repetendum autem ex præcedenti diſſertatione eſt, 1. juxta ſyſtema Grotii actionem *ob injuriam factam* principaliter dari, *ut reparetur* id, quod *noſtrum eſt.*

2. *Noſtrum* autem aliquid fieri, vel *communi hominum jure*, vel *jure ſingulari.* [a]

3. *Jus* COMMUNE HOMINUM Grotius aut directe eſſe, ſtatuit, *in rem corporalem*, aut *ad actus aliquos.* [b]

4. *Res corporales* porro aut *vacuas eſſe*, ait, *a proprietate*, aut *jam aliquorum proprias.* [c]

5. *Res, quæ a proprietate vacant*, aut tales eſſe, docet, ut *propriæ fieri nequeant*, aut *ut poſſint.* [d]

6. JURE SINGULARI noſtrum aliquid fieri, exiſtimat, vel per acquiſitionem *originariam*, vel per *derivativam.* [e]

§. III. Veſtigia Grotii ſecuturi PRIMO explicabimus originem dominiorum juxta Syſtema Grotii [f]. *Vid. Cap.* 1.

§. IV. SECUNDO proponemus jura, quæ hominibus communiter competunt aut in res corporales, aut ad actus aliquos [g]. *Vid. Cap.* 2.

§. V.

(a) L. 2. C. 2. §. 1. pr. (b) L. 2. C. 2. §. 1. pr. (c) d. Cap. 2. §. 1. pr. (d) d. Cap. 2. §. 1. pr. (e) d. Cap. 2. §. 1. pr.

(f) d. C. 2. §. 1. & §. 2. ſeq. (g) d. C. 2. §. 1. & §. 3. ſeq.

Digitized by Google

§. V. Tertio ſequetur tractatio de eo, quod noſtrum fit SINGULARI JURE per ACQUISITIONEM ORIGINARIAM [h]; quo Grotius etiam refert occupationem rerum tacite derelictarum, ſeu præſcriptionem [k]. *Vid. Cap. III.*

§. VI. Quarto tranſibimus ad ACQUISITIONES DERIVATIVAS [l]: nam Grotius etiam noſtrum aliquid fieri, dixit, jure ſingulari *derivative* (vid. §. 2.), nimirum, per alienationem rei, quod fit vel *facto hominis*, vel *lege*. Vid. Cap. 4.

Lege autem alienationem fieri, ait [m], [*a*] lege naturali, & quidem vel per expletionem juris, vel per ſucceſſionem ab inteſtato; ubi fuſius de regnorum ſucceſſione agit: [*b*] Jure gentium voluntario: [*c*] Jure gentium improprie ſic dicto, ſive jure civili. *Vid. Cap. 4. Sect. I. II. & III.*

§. VII. Quinto explicabimus ſyſtema Grotii circa poſſeſſionem (*vid. Cap. 5.*), & circa *pignora*, & *ſervitutes*. Vid. Cap. 6.

Sexto modos finiendi jura in re ſuppeditabimus [n]. *Vid. Cap. 7.*

Septimo monita quædam generalia circa hypotheſin Grotii de juribus in re ſubjiciemus. *Vid. Cap. 8.*

CAPUT I.

De origine Dominiorum.

§. VIII. Grotius in genere aſſerit, noſtrum aliquid fieri vel communi hominum jure, vel jure ſingulari; quo rectius autem id intelligatur, præmittit *proprietatis* (quod dominium JCti vocant) originem. [o]

§. IX. Fundamenti loco ponit, Deum humano generi conceſſiſſe jus in res terræ; vi hujus juris omnia fuiſſe communia, & indiviſa, proprietates autem, ac dominia fuiſſe incognita [oo], & unumquemque hominum ſaltem ad uſus ſuos arripere potuiſſe quod vellet, & talem uſum juris univerſalis, & communis, tum fuiſſe vice proprietatis. [p]

§. X. Addit, in hominum poteſtate fuiſſe illam rerum communionem continuare, ſi in ſimplicitate primæva, (cujus argumentum ſit nuditas), & in vero Dei cultu (cujus ſymbolum ſit arbor vitæ), perſtitiſſent. [q]

At non perſtitiſſe homines, ait, in illa vita ſimplici, & innocenti; idque vitio hominum: homines enim 1. animum applicuiſſe ad varias artes (quarum ſymbolum ſit arbor ſcientiæ boni, & mali, i. e. earum rerum, quibus tum bene, tum male uti liceret), nimirum, ad agriculturam, & paſturam, exemplo primorum fratrum. 2. Inde non tantum rerum aliquarum mobilium diſtributionem, ſed & 3. ex ſtudiorum diverſitate æmulationem, indeque 4. cædem, & 5. aucto humano genere, & cum boni malorum conſortio

(*h*) L. 2. C. 3. Rubr. & §. 1. pr. (*k*) Lib. 2. C. 4. Rubr. (*l*) Lib. 2. C. 6. Rubr. (*m*) Lib. 2. Cap. 7. Rubr. & Cap. 8. (*n*) Lib. 2. C. 9. (*o*) Lib. 2. C. 2. §. 1.

(*oo*) Lib. 1. C. 1. §. 10. n. 4. Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 4. & 5. (*p*) Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 1. (*q*) Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 1.

Digitized by Google

ſortio contaminarentur, vitæ genus giganteum, i. e. violentum, ortum fuiſſe [r]. Denique & 6. poſt diluvium concordiam humani generis rupiſſe ambitionem; cujus ſignum ſit turris Babylonica. [s]

Ex hoc tempore 7. diſperſum humanum genus in gentes, & populos fuiſſe, ait, indeque alios alias terras partito poſſidere cœpiſſe; manſiſſe tamen inter homines vicinos non pecorum, ſed terrarum paſcuarum communionem, quum in exiguo hominum numero uſus omnibus ſufficeret. Aucto vero & hominum, & pecudum numero in eadem gente, terras in familias diviſas fuiſſe, tradit, exceptis puteis; eos enim ob raritatem aquæ unumquemque privatum ſibi arrogaſſe, & occupando ſuos feciſſe. [t]

§. XI. His principiis ita poſitis conſtare, ait, cauſam, cur homines a primæva illa communione, primo rerum mobilium, & poſtea rerum immobilium, receſſerint. Immo cum homines, relicta nuditate, & antris, ædificiis, & veſtimentis uti, adeoque vitæ genus exquiſitius eligere cœpiſſent, induſtria opus fuiſſe, autumat, qua ſinguli ſibi, non aliis, commoditatem procurarent: ſed nec fructus, tum ob locorum diſtantiam, tum ob inæqualitatem in labore, & conſumtione, in commune conferre potuiſſe. [u]

§. XII. Atque hinc originem dominii nos diſcere, ait, & quomodo ſublata communione rerum primæva, res in proprietatem venerint, nimirum [*a*] *pacto expreſſo* per diviſionem rerum, & terrarum, quæ conſenſu primorum hominum facta ſit [v]; [*b*] per *pactum tacitum*, quia ſimulac communio diſplicuit, neque tamen diviſio facta eſt, fingit, inter omnes conveniſſe, cenſeri ut occupando quilibet ſuum faceret. [x]

§. XIII. Hinc jam conſtat, quo ſenſu GROTIUS ſtatuat, dominia non eſſe *a natura primæva*, ſed eſſe *Juris naturalis pro certo rerum ſtatu* [y]. Supponit enim factum hominum [z], quo convenerunt ut in rebus indiviſis unicuique hominum jus ſit ſibi habendi id, quod occupaſſet. [a]

Ante illud factum hominis igitur ex hypotheſi Grotii nulla proprietas fuit; adeoque in primævo hominum ſtatu dominium incognitum, & omnia communia fuere: res autem propriæ demum factæ ſunt mutato illo ſtatu, & ſecuto tacito illo pacto. [b]

Atque ex hoc *Jure naturæ pro certo rerum ſtatu* omnes effectus dominii deducit. Nam [*a*] introducto ex voluntate hominum dominio, tacite contraxiſſe videri, ait, ut quis rem ſuam ab alio vindicare [c], vel ſi non exſtet, æſtimationem petere poſſit [d]: unde varia jura deducit [e]. [*b*] Ex præmiſſis infert, introducto dominio voluntate hominum naturale eſſe rem, quæ ex tacita

(*r*) Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 3. (*s*) d. C. 2. §. 2. (*t*) L. 2. §. 2. n. 3. (*u*) C. 2. §. 2. n. 4. (*v*) Vid. §. 10. in fin. (*x*) C. 2. §. 2. n. 5. L. 2. C. 8. §. 1. n. 2. (*y*) L. 2. C. 7. §. 2. n. 2. & 14. L. 1. C. 1. §. 10. n. 4. & 7. & C. 2. §. 1. n. 5. (*z*) L. 1. C. 1. §. 10. n. 4. L. 2. C. 2. §. 1. n. 5.

(*a*) Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 4. & 5. L. 2. C. 9. §. 1. n. 2. (*b*) Lib. 2. C. 7. §. 2. n. 1. d. L. 1. C. 2. §. 1. n. 5. C. 1. §. 10. n. 4. (*c*) Lib. 2. Cap. 10. §. 1. n. 2. & 4. L. 2. C. 16. §. 26. n. 2. (*d*) Lib. 2. Cap. 10. §. 2. n. 1. (*e*) d. Cap. 10. §. 5. 7. & 8.

Digitized by Google

tacita illa voluntate ſemel mea facta eſt, eripi mihi non poſſe [f]; adeoque furta eo jure naturali vetita eſſe. [c] Obligationem rem promiſſam tradendi refert ad jus naturæ, quod demum obtinet, poſtquam dominia voluntate hominum ſunt introducta [g]. [d] Atque hactenus etiam ſucceſſiones, quæ ab inteſtato obtinent, quia proprietatem ſupponunt, ad *Jus naturæ pro certo rerum ſtatu* referri debere, ait; nam cum nemo præſumatur bona ſua velle cedere occupanti, bona ejus eſſe intelligi, fingit, cujus ea eſſe voluiſſe defunctus, maxime erat probabile [h]. Ex eodem principio [e] ſtatuit, dominum per teſtamentum bona ſua aliis relinquere poſſe, quum ſubſtantia teſtamentorum cognata ſit dominio, eoque juris naturalis. [i]

Obiter hic notandum eſt, *ſyſtema de Jure naturali pro certo rerum ſtatu* in Diſſertatione procemiali XII. uberius a nobis expoſitum, ſimulque refutatum eſſe.

CAPUT II.

De his, quæ hominibus communiter competunt.

§. XIV. EXAMINAVIMUS originem dominii, & proprietatis. At quia juxta hypotheſin GROTII etiam poſt introducta dominia quædam inter homines communia manſere, hoc capite de eo, quod noſtrum eſt *communi hominum jure*, agemus; & PRIMO quidem de jure communi hominum *in rem corporalem* [k]. (De jure enim communi *ad actus* infra §. 20. agetur.)

Res corporales aut *vacuas eſſe a proprietate*, ait, aut jam *aliorum proprias*. Priores aut tales eſſe, *ut propriæ fieri nequeant*, aut *ut poſſint*.

§. XV. Inter res, quæ communi hominum jure competunt, & ita vacuæ ſunt a proprietate *ut propriæ fieri nequeant*, Grotius refert:

I. MARE [l]; id enim occupari totum non poſſe, ſequentibus rationibus probat. 1. Ex morali ratione, quia cauſa, ob quam primi homines a communione receſſerint, hic ceſſat; cauſam enim fuiſſe, ait, indigentiam [m]: maris autem uſum omnibus populis ſufficere [n]. Et ex eadem ratione etiam aërem, & ſyrtes, cum utriuſque uſus inexhauſtus ſit, occupari non poſſe, contendit [o]. 2. Ex naturali quoque ratione mare proprium fieri non poſſe, aſſerit, quia occupatio non procedit, niſi in re terminata: liquida autem, ut eſt mare, per ſe non terminari, adeoque nec occupari poteſt, niſi ut contenta in re alia [p]; mare autem non continetur terra, ſed magis terra mari [q]. 3. Fingi quoque hic diviſionem non

(f) Lib. 1. Cap. 1. §. 10. n. 4. Cap. 2. §. 1. n. 5. L. 2. C. 6. §. 1. L. 2. C. 20. §. 43. n. 1. (g) Lib. 2. C. 7. §. 2. & C. 6. §. 1. n. 1. (h) Lib. 2. C. 7. §. 3. (i) Lib. 2. C. 6. §. 14. (k) Vid. ſupr. §. 2. (l) L. 2. C. 2. §. 3. n. 1. (m) d. C. 2. §. 2. n. 3. & 4. (n) d. C. 2. §. 3. n. 1. (o) Lib. 2. C. 2. §. 3. n. 1. & 2. (p) d. C. 2. §. 3. n. 2. (q) ibid.

Digitized by Google

non poſſe, docet; primos enim homines, qui diviſerunt res quaſdam [r], non diviſiſſe maria, quia maxima ſua parte incognita tunc fuere: poſt illa tempora autem gentes diſperſas de diviſione conveniſſe, plane fingi non poſſe. [s]

n. I. At hoc verum tantum eſſe, ait, de *mari ratione integri*, aut præcipuarum partium [t], non quoad *partem exiguam maris* [u]; quia liquida quoque occupari poſſe, contendit, ut contenta in re alia. Si quis igitur terras ad latus utrumque maris poſſidet, hæc pars, ex ſententia Grotii, in jus proprium occupantis abit. [v]

n. 2. Ceterum, hoc jus occupandi mare per partes jure gentium prohiberi poſſe, exiſtimat [x]: quin apud Romanos juris gentium fuiſſe, ne mare a populis occuparetur [y]; ubi non tantum ad dubia reſpondet [z], ſed & probat, legibus Romanis jus proprium aliquod maris ad privatos pertinere potuiſſe. [a]

n. 3. At aliam quæſtionem eſſe, ait, an imperium maris occupari poſſit? Hanc affirmat GROTIUS [b]; atque hinc concedit, onera navigantibus imponi poſſe. [c]

n. 4. An vero occupato imperio maris alii impediri poſſunt, quo minus navigent, vel piſcentur? Reſpondet Grotius, navigationem innoxiam impediri non poſſe [d]; piſcationem poſſe: atque hac lege etiam teneri exteros. [e]

n. 5. Tandem Grotius notat: I. occupata terra nondum occupatum cenſeri mare [f]: 2. derelicta poſſeſſione ex occupatione nata, mare redire ad veterem naturam, i. e. ad uſum communem. [g]

§. XVI. Ad res, quæ occupari non poſſunt, GROTIUS refert *II.* AEREM, quatenus ejus uſus eſt extra uſum terræ [h], ut in aucupiis. *III.* SYRTES, quarum uſum, qui in arena conſiſtit, inexhauſtum eſſe, ait. [i]

§. XVII. Aliud obtinere, exiſtimat *IV.* in *flumine*: Flumen enim occupari poſſe, quamquam nec infra, nec ſupra includatur territorio, ſed eum aqua ſuperiori, aut inferiori, aut cum mari, cohæreat [k]; ſufficere enim, putat, quod major pars, i. e. latera, clauſa ſint ripis. [l]

n. I. Occupato territorio populum quoque per univerſitatem dominium generale acquiſiviſſe in flumina, ſtatuit [m]; indeque flumen proprium eſſe populi, cujus intra fines fluit, & ea, quæ in flumine naſcuntur, ejus eſſe. [n]

n. 2. Si duos populos interluit flumen, ab utroque occupatum, & deinde diviſum eſſe cenſeri, ait, niſi alter totum prior occupaverit. [o]

Quæſtionem, an fines imperii mutentur mutato curſu aquæ [p]? decidit diſtinguendo inter imperia arcifinia, & limitata; atque in illis (qualia in dubio ſemper credenda eſſe, ait) non mutari fines imperii, in his mutari. [q]

n. 3. Ceterum, etſi flumen populi ſit, aquam tamen profluentem, & jus tranſ-

(r) d. C. 2. §. 2. n. 5. (s) d. C. 2. §. 3. n. 2. (t) d. C. 2. §. 3. n. 1. (u) d. Cap. 3. §. 8. (v) Lib. 2. C. 3. §. 8. §. 10. n. 1. (x) L. 2. C. 3. §. 10. n. 3. (y) d. C. 3. §. 9. n. 1. & §. 10. (z) d. C. 3. §. 9. (a) d. C. 3. §. 10. (b) Lib. 2. C. 3. §. 13. (c) Lib. 2. C. 3. §. 14. (d) Lib. 2. C. 2. §. 10. (e) d. C. 2. §. 5. (f) Lib. 2. C. 3. §. 11. (g) d. §. 11. (h) Lib. 2. C. 3. §. 11. (i) Lib. 2. C. 2. §. 3. n. 1. (k) Lib. 2. C. 3. §. 7. (l) d. §. 7. (m) Lib. 2. C. 2. §. 4. (n) Lib. 2. C. 2. §. 12. (o) Lib. 2. C. 3. §. 8. & 9. (p) Vid. Lib. 2. C. 3. §. 16. (q) Lib. 2. C. 3. §. 16.

tranſeundi per flumen, commune manſiſſe hominibus, ait. [r]

§. XVIII. Sequuntur res corporales, *quæ in proprietatem venire poſſunt, & nondum pervenerunt* [s]. (§. 14.) Ad intellectum autem hypotheſis GROTII præmittendum eſt, eum diſtinguere 1. inter occupationem imperii, & dominiis: 2. inter occupationem dominii generalis, & ſpecialis, id eſt, inter eam, quæ fit per univerſitatem, & eam, quæ fit per fundos.

n. 1. Quod ad *priorem* diſtinctionem attinet, Grotius in iis rebus, *quæ propria fieri poſſunt, ſed nondum facta ſunt propria*, duo eſſe occupabilia, ait, imperium, & dominium [t]; eaque diverſa eſſe, tradit, etſi uno actu occupari ſoleant. [x]

Si proinde populus imperium ſolum occupat, dominium a quolibet alio, ſalvo imperio, occupari poſſe, docet [y]. Poſſe etiam occupari imperium in re, cujus proprietas, ſeu dominium occupari nequit, uti in mari [z]. Sed & eum, qui imperium habet, nullum jus habere in res privatas, neque jura privata tollere poſſe, niſi quoad utilitatem publicam [a]. Prohibere tamen poſſe, ne res, quæ ſub imperio eſt, in privatorum proprietatem tranſeat. Et hoc eſt, quod Grotius ait, poſſe dominium anteverti lege civili. [b]

n. 2. Circa *poſteriorem* diſtinctionem notat, occupationem *per univerſitatem* fieri ſaltem per populum, aut eum, qui populo imperat; *per fundos* autem a ſingulis: magis tamen aſſignatione, quam libera occupatione. [c]

n. 3. Ex *priori* diſtinctione infert: [*a*] eum, qui imperium occupavit in terras, & aquas, impedire ſua lege poſſe ne feras, piſces, aves capere, & capiendo acquirere liceat [d], adeo ut etiam exteri hac lege teneantur [e]: immo [*b*] dominium rerum etiam ante occupationem ſola lege in aliquem transferri poſſe. [f]

n. 4. Ex *poſteriori* diſtinctione concludit: 1. id, quod univerſim occupatum, & in ſingulos deſcriptum non eſt, non ideo vacuum cenſeri debere, ſed manere in dominio primi occupantis, i. e. populi [g]; ex qua ratione omnia flumina, lacus, ſtagna, ſylvas, montes aſperos [h], inſulas, & alveos derelictos [i], populi eſſe, ait, vi occupati dominii generalis: 2. Dominia minus plena ex dominio illo generali nata eſſe; has enim res particulatim in ſingulos ita diſtribui poſſe, ait, ut dominium eorum ab illo priori dominio penderet. Quo refert jura vaſſalli, jus ſenioris, jus emphyteuſeos, aliaſque ſpecies juris in re [k], ut ſervitutes, pignus, & creditum [l]; de quibus infra §. 58. *ſeq.*

Si proinde dominium hoc minus plenum deficit, res non fieri occupantis, ſed ad univerſitatem redire, ait; quia diſtributa hoc modo dominia pendent a dominio generali. [m]

§. XIX. In rebus, quæ jam aliquorum propriæ ſunt [n], *jus quoque aliquod*

(*r*) Lib. 2. C. 3. §. 12. & 13. (*s*) Vid. ſupr. §. 14. (*t*) Lib. 2. C. 3. § 4. (*x*) d. §. 4. n. 2. (*y*) Lib. 2. C. 2. §. 17. (*z*) Lib. 2. C. 3. §. 13. (*a*) d. Lib. 1. C. 1. §. 5. 6. & 8. Lib. 1. C. 3. §. 6. n. 2. Lib. 3. C. 19. §. 7. C. 20. §. 7 n. 1. & §. 52. Lib. 2. C. 14. §. 7. (*b*) Lib. 2. C. 8. §. 5. & §. 8. 21. Lib. 3. §. 6. §. 9. n. 2. & 10. §. 21. n. 3. §. 21. n. 1.

(*c*) Lib. 2. C. 2. §. 4. Lib. 2. C. 3. §. 19. n. 2. & C. 8. §. 9. n. 1. & 3. (*d*) Lib. 2. C. 2. §. 5. (*e*) ibid. (*f*) Lib. 2. C. 8. §. 5. (*g*) Lib. 2. C. 2. §. 4. & C. 8. §. 9. n. 1. (*h*) Lib. 2. C. 2. §. 4. (*i*) Lib. 2. C. 8. §. 9. n. 1. & n. 3. (*k*) L. 2. C. 3. §. 19. (*l*) Lib. 1. C. 1. §. 5. (*m*) d Lib. 2. C. 3. §. 19. n. 3. (*n*) Vid. ſupr. §. 14. & §. 18.

Digitized by Google

quod commune hominibus ſupereſſe, GROTIUS exiſtimat [o], tum in graviſſima neceſſitate, tum ſi utilitas eſt innoxia.

Etſi enim gentes communioni expreſſe, vel tacite renunciantes, introducto dominio, & proprietate, omni ſuo juri renunciaſſe videantur (§. 11, & 12.); tamen ſpectandum eſſe, ait, quæ mens eorum fuerit, qui primi dominia ſingularia ſuo introduxerunt conſenſu; eamque credendum eſſe talem fuiſſe, ut quam minimum ab æquitate naturali receſſerint. [p]

n. 1. Hinc I. ſequi, ait, *in graviſſima neceſſitate* reviviſcere jus illud priſtinum rebus utendi, tamquam ſi communes manſiſſent; quia in omni lege, etiam divina, adeoque & in lege dominii, excepta videtur neceſſitas [q]: idque jus neceſſitatis vocat. [r]

Atque ex hoc principio concludit: [*a*] in navigatione, ſi deficiunt cibaria, quod quiſque habet, in commune conferri debere [s]: [*b*] vicinas ædes dirui poſſe metu, ne incendium ad me perveniat [t]: [*c*] funes, & retia diſcindere licere, in quæ navis mea impulſa eſt, ſi aliter explicari nequit [a]: [*d*] furtum non committi, ſi res ad vitam abſolute neceſſariæ auferuntur [b]: [*e*] etiam in bello juſto occupari poſſe locum in ſolo pacato, ſi ad neceſſariam juris mei defenſionem pertinet [c]: [*f*] jus eſſe intercipiendi res pacatorum ad hoſtes noſtros miſſas [d]. Horum omnium hanc addit rationem, quia ſi primi diviſores interrogati fuiſſent, quid de ea re ſentirent, reſpondiſſent, res cum benigna quadam receptione juris primitivi in dominos diſtinctas fuiſſe [e]. Ubi tamen limitat caſum neceſſitatis: 1. ut aliter rem obtinere non poſſit [f]: 2. ut alter ſit in pari neceſſitate [g]: 3. ne plus ſumat, quam neceſſitas exigit [h]: 4. ut fiat reſtitutio, ſi fieri poteſt. [i]

Grotius exiſtimat, NECESSITATEM etiam *in perſonam alterius* jus aliquod tribuere; eoque refert [*a*] jus capiendi legatum imminente periculo [k]: [*b*] facultatem paciſcendi cum hoſte, etiam contra officia civitati debita [l]: [*c*] licentiam contraveniendi paci, ſalva pace [m]: [*d*] Jus interficiendi innocentem, qui interpoſitus defenſionem, aut fugam, ſine qua mors evadi non poteſt, impedit. [n]

n. 2. *II.* Reviviſcere, ait, jus illud hominum commune, etiam in rebus ab aliis occupatis, *ob innoxiam utilitatem* [o]. Rationem hic eandem affert, quam in neceſſitatis caſu attulit, quia dominium conſenſu hominum introduci potuit cum receptione talis uſus, qui prodeſt his, aliis non nocet; ideoque dominii auctores id potius cenſendos eſſe voluiſſe. [p]

Atque hinc Grotius concludit, licere [*a*] injicere molem in flumen occupatum, [*b*] haurire aquam profluentem [q], [*c*] lumen de lumine accendere [r], [*d*] tranſire per terras, & flumina, omniaque agere, quæ ad tranſitum neceſſario pertinent; uti valetudinis cauſa commorari, & caſam pone-

(*o*) Lib. 2. C. 1. §. 6. (*p*) Lib. 2. C. 2. §. 6. n. 1. (*q*) Lib. 2. C. 2. §. 6. n. 2. & 4. (*r*) Lib. 2. C. 2. §. 10. in fine. (*s*) d. §. 6. n. 3. (*t*) d. n. 3. (*a*) Lib. 2. C. 2. §. 6. n. 3. (*b*) Lib. 2. C. 2. § 6. n. 4. (*c*) Lib. 2. C. 2. §. 10. (*d*) Lib. 3. C. 1. §. 5. n. 3. (*e*) Lib. 1. C. 2. §. 6. n. 4. (*f*) Lib. 2. C. 2. §. 7. (*g*) Lib. 2. C. 2. §. 8. (*h*) Lib. 3. C. 17. §. 1. (*i*) Lib. 2. C. 2. §. 9. Lib. 3. C. 1. §. 5. n. 3. C. 12. §. 1. n. 1. & C. 17. §. 1. (*k*) Lib. 2. C. 18. §. 4. n. 6. (*l*) Lib. 3. C. 23. §. 5. n. 3. (*m*) Lib. 3. C. 20. §. 37. (*n*) Lib. 2. C. 1. §. 4. (*o*) Lib. 2. C. 2. §. 11. (*p*) Lib. 2. C. 2. §. 13. n. 1. (*q*) Lib. 2. C. 2. §. 12. (*r*) d. §. 12. (*s*) Lib. 2. C. 2. §. 15. n. 13.

Digitized by Google

ponere. Atque hoc jus tranſeundi & perſonis, & mercibus commune eſſe, ait [a], modo tranſitus ille alii ſit innoxius [b]. Ubi concedit tamen, vectigal tranſeuntibus imponi poſſe ob ſecuritatem, quam Princeps tranſeuntibus præſtat [c]. [e] Licere ſedibus ſuis expulſis receptum, & perpetuam habitationem exigere [d]. [f] Licere advenis occupare loca deſerta, ac ſterilia, etſi ab alio populo generaliter occupata [e]. [g] Ceterum, homines fontes aquis abundantes occultare, & [h] ſigna navigationis, aut itineris abolere non poſſe. [f]

§. XX. Hactenus GROTIUS explicavit jus commune, quod directe eſt *in rem corporalem* [g]. (§. 2. & 14.) In ſequentibus examinat JUS COMMUNE AD ACTUS [h], i. e. jus, quod hominibus ſupereſt ex primæva rerum communione certos actus peragendi.

Quo refert [a] Jus ad emenda, & comparanda æquo pretio vitæ neceſſaria [i]: [b] Jus ad nuptias contrahendas cum vicinis [k]: [c] Jus ad petenda ea, quæ populus promiſcue extraneis concedit [l], ſi nimirum exteris *permiſit ea, quæ libertatis naturalis ſunt*, ut venari, piſcari, aucupari, margaritas legere, ex teſtamento capere, emere, & vendere, etiam extra penuriam fœminarum nuptias contrahere [m]. Secus eſſe, ait, ſi *permiſſio ex relaxatione legis ſequitur*; quia in beneficii negatione nulla fit injuria [n]: ubi examinat quæſtionem, an populo liceat cum alio populo paciſci, ut ſibi ſoli v. gr. aromata vendat? [o]

CAPUT III.

De eo, quod ſingulari jure nobis competit originarie, id eſt, per occupationem.

§. XXI. HACTENUS actum eſt de eo, quod noſtrum ſit *ex communi hominum jure*; ſequitur nunc tractatio de eo, *quod noſtrum* ſit jure *ſingulari*; idque vel acquiſitione *originaria*, vel *derivativa* [p]. De *priori* hic, de *poſteriori* capite ſequenti agemus.

GROTIUS *originariam* acquiſitionem olim, cum genus humanum coire poſſet, fieri potuiſſe, ait, etiam per *diviſionem*; nunc autem tantum per *occupationem*. [q]

Quomodo in primævo rerum ſtatu per *diviſionem* quarundam rerum jus commune ſublatum fuerit, ex Grotio explicavimus (*ſupra* §. 10. 11. 12.). Quæ autem communia omnium fuerunt, & in prima diviſione conſenſu eorum, quorum intererat, diviſa non ſunt, ea jam non *diviſione*, (quia diſperſæ gentes convenire, & in diviſionem conſentire non poſſunt,) ſed *occupatione* tranſire, ait, in jus proprium; nec dividi niſi poſtquam propria eſſe cœperunt. [r]

Atque

(*a*) Lib. 2. Cap. 2 §. 13. (*b*) d. §. n. 4. (*c*) Lib. 2. C. 2. § 14. (*d*) Lib. 2. C. 2. §. 16. (*e*) Lib 2. C. 2. §. 17. (*f*) Lib. 2. C. 2. § 10. & 12. (*g*) Lib. 2. C. 2. §. 1. (*h*) Lib. 2. C. 2. §. 1. n. 1. junct. §. 18. (*i*) Lib. 2. C. 2. §. 18. 19. & 20. (*k*) dict. C. 2. §. 21. (*l*) Lib. 2. C. 2. § 22. (*m*) d. C. 2. §. 22. (*n*) d. C. 2. §. 23. (*o*) d. C. 2. §. 24. (*p*) Lib. 2. C. 3. §. 1. (*q*) Lib. 2. C. 4. 5. 6. (*r*) Lib. 2. C. 2. §. 3. n. 3. & Lib. 2 C. 3. §. 1. & 4.

Digitized by Google

Atque hinc non eſſe originariam acquiſitionem, ſtatuit, quæ fit conceſſione ſervitutis, vel pignoris [s], vel mutatione ſpeciei, quia jura hæc virtute ipſa inſunt dominio. [t]

§. XXII. Occupatio igitur Grotio eſt actus, quo res in noſtram poteſtatem, noſtrumque dominium redigitur [u]. Hinc actualis occupatio requiritur, & viſus non ſufficit [x]. Quando vero res occupata cenſeatur, & quamdiu maneat in noſtra poteſtate, alibi tractat; & refutat JCtos, quod [a] feras in vivariis, & piſces in piſcinis captos eſſe ſtatuant, non vero in ſylvis, & ſtagnis: [b] quod feras non amitti, aſſerant, ſi cuſtodiam evaſerint. [y]

§. XXIII. Cauſa igitur originariæ acquiſitionis, quæ fit *per occupationem*, ex hypotheſi Grotii, non eſt jus naturæ immediate, ſed voluntas hominum, qui conſenſu ſuo dominia introduxerunt, dum recedendo a primæva communione inter ſe tacite convenerunt, ut quod quiſque occuparet, id proprium haberet. [a]

Unde dominia deducit ex jure naturæ pro certo rerum ſtatu, quod obtinere, ait, poſtquam voluntate, & facto hominum dominia introducta ſunt [b]. Poſito enim hoc ſtatu, ipſum jus naturæ indicare, quod nefas ſit proprietatem aliis auferre. [c]

§. XXIV. Dominii varias diviſiones affert Grotius. Aliud enim ei eſt [a] *dominium eminens*, quod imperium vocat; aliud *vulgare*, ſeu dominium privatum [d]. [b] Aliud *dominium generale*, quod acquiritur occupatione per univerſitatem; aliud *ſpeciale*, quod acquiritur occupatione per fundos [e]. [c] Aliud *externum*, aliud *internum*; quam diſtinctionem in bellis inprimis uſum habere, ſtatuit [ee]. [d] Aliud *plenum*, aliud *minus plenum*. [f]

§. XXV. Dominium occupando acquiri, ait, illis, qui ratione utuntur [g]; non ergo furioſis, nec infantibus, etſi tutores eorum nomine occupare poſſint [h]. Verum & per alios dominium acquiri, docet. [i]

§. XXVI. Occupari dominium poſſe, tradit, omnium rerum terræ, exceptis iis, in quibus jus aliquod communiter hominibus competit, ut in mari [k]; de quo jure communi capite præcedenti egimus.

Notandum eſt, Grotium ad acquiſitionem rerum originariarum etiam referre acquiſitionem *Juris in perſonam.* At merito hanc materiam hic omiſimus, quæ non ad jus rerum, ſed ad *Jus perſonarum*, ſeu ad *ſtatum hominum* pertinet; de qua in diſſertatione procemiali V. egimus. [l]

§. XXVII. Grotius effectum dominii hunc conſtituit, quod obligationem producat aut *e rebus exſtantibus*, aut *e rebus non exſtantibus.* [m]

n. 1.

(s) Lib. 2. C. 3. §. 2. (t) d. C. 3. §. 2. & 3. (u) Lib. 2. C. II. §. 2. n. 5. C. 8. §. 3. C. 3. §. 4. (x) Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 5. C. 8. §. 6. (y) L. II. C. 8. §. II. &. 3. (a) Lib. 1. C. 1. §. 10. n. 4. Lib. 2. C. 8. §. 2. n. 1. & §. 5. Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 5. §. 3. n. 3. & C. 3. §. 1. (b) d. C. 1. §. 10. n. 4. & 7. Lib. 2. C. 8. §. 2. n. 1. & §. 5. (c) d. C. 1. §. 10. n. 4. (d) Lib. 1. C. 1. §. 6. C. 3. §. 8. n. 6. Lib. 2. C. 3. §. 19. n. 2. vid. indicem voce Dom. emin. (e) Lib. 2. C. 2. §. 4. Lib. 2. C. 3. §. 19. n. 2. Vid. infr. (ee) Lib. 3. C. 6. §. 2. n. 1. C. 7. §. 6. n. 1. Vid. Diſſert. procem. 4. §. 20. (f) Lib. 1. C. 1. §. 5. Lib. 2. C. 6. §. 1. n. 1. Lib. 2. C. 3. §. 19. (g) Lib. 2. C. 3. §. 6. & 8. C. 5. §. 2. n. 2. (h) Lib. 2. C. 3. §. 6. Lib. 1. C. 3. §. 24. Lib. 2. C. 5. §. 2. L. 2. C. 22. §. 12. (i) Lib. 3. C. 8. §. 3. n. 1. L. 2 C. 8. §. 4. (k) Lib. 2. C. 3. §. 7. & ſeq. (l) Lib. 2. C. 5. per. tot. (m) Lib. 2. C. 10. §. 1. n. 1.

n. 1. *E rebus exſtantibus* naſci obligationem, ait, intuitu ejus, qui rem alienam tenet, ut domino reſtituat. Rationem autem hujus obligationis hanc affert, quia introducto dominio (relicta rerum communione) hæc quaſi ſocietas inter homines contracta ſit, ut qui rem alienam in ſua haberet poteſtate, eam domino redderet. [n]

Atque hanc obligationem tanquam ex contractu univerſali omnes homines tenere, & jus quoddam rei domino parere, exiſtimat [o], etſi quis bona fide rem alienam teneat. [p]

Adeo ut is, qui rem illam invenit, nec inventionis pretium petere poſſit [q]: immo fructus quoque deductis impenſis reſtituere domino debeat. [r]

n. 2. Ex hoc ſuppoſito concludit, [*a*] quod nemo jus in re habeat præter dominum [s]; adeoque quod nemo auferre rem domino abſque injuria poſſit [t]: quod rem domino cognito non reſtituere injuſtum ſit [u]: quod domino jus rem defendendi contra alios competat, etiam cum eorum internecione [u]: & denique, quod poſſeſſionem rei ab alio vindicare liceat [x]. Grotius excipit caſus *ſummæ neceſſitatis*, & *innoxiæ utilitatis*: his enim caſibus jus commune primævum primorum hominum reviviſcere, ait [y]. (*Vid.* §. 19.)

[*b*] Quod ſolus dominus de re ſua diſponere pro lubitu poſſit [z]. Ex hac enim ipſa dominii natura, ac vi ſequi, ait, ut is vel expreſſe per teſtamentum, vel tacite (relinquendo, nimirum, ab inteſtato bona agnatis poſt mortem) diſponere poſſit [a]. Hinc primam introducti a genere humano dominii legem fuiſſe, ait, ut hæres ſuccedat in jura defuncti. [b]

n. 3. *E rebus non exſtantibus* placuiſſe, ait, humano generi, ut quoties ex re aliena factus aliquis eſt locupletior, lucrum illud reſtituat rei domino: idque probat ex intentione generis humani, quod receſſiſſe a rerum communione, & dominia ſingulorum introduxiſſe, fingit, ad ſervandam æqualitatem, ut, nimirum, quiſque ſuum haberet [c]. Atque ex hoc principio varias juris quæſtiones decidit. [d]

§. XXVIII. Grotius ad originariam acquiſitionem etiam refert occupationem rerum derelictarum, quia hæ redeunt in eum ſtatum, in quo primum fuerunt [e]. Idque non tantum verum eſſe, ait, in derelictione expreſſa, ſed & in tacita, quam fundamentum præſcriptionis naturalis conſtituit; de qua nunc plenius agetur.

Sectio unica.

De derelictione præſumta, ſeu de jure præſcriptionis inter gentes.

§. XXIX. Grotius ſupponit, juris effectus, qui ab animo pendent, non

(*n*) Lib. 2. C. 10. §. 1. n. 1. & 2. C. 16. §. 26. n. 2. (*o*) d. §. 1. n. 4. (*p*) d. §. 1. n. 3. (*q*) d. §. 1. n. 6. (*r*) d. §. 1. n. 6. (*s*) L. 2. C. 10. §. 11. (*t*) Lib. 1. C. 1. §. 10. n 4. L. 3. C. 20. §. 9. Lib. 2. C. 7. §. 1. Lib. 2. C. 14. §. 8. (*u*) Lib. 2. C. 16. §. 26. L. 2. C. 10. §. n. 1. & 5. (*u*) Lib. 1. C. 2. §. 1. n. 5. Lib. 2. C. 1. §. 11. Lib. 6. C 20. §. 43. n. 1. Lib. 2. C. 6. §. 1. (*x*) Lib. 2. C. 8. §. 3. (*y*) Lib. 2. C. 2. §. 6. n. 2. Conf. ſupr. C. 1. §. 13. (*z*) Lib. 2. C. 6. §. 1. Lib. 2. C. 5. §. 2. (*a*) Lib. 2. C. 7. §. 2. n. 1. Lib. 2. C. 5. §. 2. (*b*) Lib. 3. C. 19. §. 5. Lib. 3. C. 2. §. 1. n. 1. Lib. 2. C. 21. §. 19. (*c*) L. 2. C. 10. §. 2. n. 1. Lib. 2. C. 3. §. 19. Lib. 3. C. 3. §. 6. n. 2. (*d*) d. C. 10. §. 1. & ſeq. uſque ad fin. (*e*) Lib. 2. C. 3. §. 19.

Digitized by Google

non poſſe juris effectum conſequi, niſi is actus ſignis quibuſdam indicatus ſit [f]. Ceterum, non pati naturam ſocietatis humanæ, ait, ut actibus animi ſufficienter indicatis nulla ſit efficacia. [g]

Si igitur ex factis quibuſdam apparet, dominum rem abjicere voluiſſe, naturalem præſumtionem eſſe, exiſtimat, quod voluiſſe quis credatur quod ſufficienter ſignificavit. [h]

n. 1. Inter ſigna autem, unde animus derelinquendi apparet, refert 1. ſi is, qui rei dominus eſt, eum poſſeſſore rei tamquam domino contrahat [bb]. 2. Si quis præſens, & ſciens de ſuo præjudicio agi, taceat [i]; niſi circumſtantiæ oſtendant, eum metu, vel alio caſu impediri, quo minus loquatur [k]. 3. Si quis rem ab alio teneri ſciat, neo quicquam contradicat longo tempore [l]; modo libertatem contradicendi habeat [m]. Tempus autem memoriam excedens moraliter pro infinito haberi [n]; adeoque ejus temporis ſilentium ad rei derelictæ conjecturam ſemper ſufficere. [o]

n. 2. Admittit autem Grotius hanc conjecturam voluntatis rem ſuam derelinquendi, niſi validiſſimæ aliæ in contrarium ſint conjecturæ [p]. Cum vero conjecturas illas naturales admodum incertas eſſe prævideret, fingit, jure gentium voluntario introductam eſſe hanc legem, ut poſſeſſio memoriam excedens non interrupta omnino dominium transferret. Credibile enim eſſe, ait, gentes in id conſenſiſſe, cum ad pacem communem id maxime intereſſet. [q]

Juris enim gentium effectum hunc eſſe tradit, ut ea, quæ ex jure naturæ aliquatenus ortum habent, ex humana lege firmitatem accipiant adverſus conjecturas incertas, qualis eſt poſſeſſio longi temporis. [r]

n. 3. His principiis poſitis Grotius varias decidit quæſtiones: [*a*] An nondum natis jus imperii ex tacita derelictione patris decedere poſſit? Affirmat hanc quæſtionem, quia omne jus a patre habent, qui dereliquit [s]. [*b*] An imperia præſcriptione acquiri poſſint? Affirmat id Grotius ſi de tacita derelictione conſtet, i. e. ſi per tempus memoriam excedens is, ad quem imperium pertinet, tacuerit [t]. [*c*] An lex de uſucapione, & præſcriptione lata pertineat ad ipſum jus imperii. Quod negat Grotius; tum quia nemo ſibi ipſi legem dare poteſt, tum quia ſubditi non ſunt capaces juris imperii. [u]

[*d*] An res, quæ ſunt meræ facultatis, præſcribi poſſint? Negat Grotius; niſi prohibitio acceſſerit; & alter acquieverit. [v]

CAPUT

(*f*) L. 2. C. 4. §. 3. (*g*) d. C. 4. §. 3. (*h*) d. C. 4. §. 4. (*bb*) d. §. 4. n. 1. (*i*) d. C. 4. §. 5. n. 1. (*k*) d. C. 4. §. 5. n. 3. & §. 6. (*l*) d. C. 4. §. 5. n. 1. (*m*) d. §. 5. n. 3. (*n*) d. C. 4. §. 7. (*o*) d. §. 7. (*p*) d. §. 7. d. §. 5. n. 3. d. §. 6. (*q*) d. C. 4. §. 9. Lib. 2. C. 19. §. 6. (*r*) d. C. 19. §. 6. Lib. 2. C. 8. §. 8. n. 3. (*s*) Lib. 2. C. 4. §. 10. (*t*) Lib. 2. C. 4. §. 11. & 14. (*u*) Lib. 2. C. 4. §. 12. & §. 13. (*v*) Lib. 2. C. 4. §. 15.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Jure Rerum, quod ſingulari jure cuique competit derivative.

§. XXX. HACTENUS egimus de eo, quod noſtrum ſit ſpeciali hominum jure, mediante acquiſitione *originaria*, i. e. per occupationem; quæ ſublata communione, & diſperſis gentibus, ſola GROTIO originaria eſt: ſequitur nunc tractatio de acquiſitione *derivativa*. x

§. XXXI. Ex præcedentibus enim repetendum eſt, quod ex eadem voluntate, qua genus humanum conceſſit ſingulis facultatem occupandi, Grotius inferat facultatem diſponendi, ac jus ſuum in alium transferendi y: quæ acquiſitio ei derivativa dicitur, quia ſupponitur, rem jam occupatam eſſe, & ab occupante in alium derivari.

§. XXXII. Derivative vero acquirere nos, tradit, aut *facto hominis*, aut *lege*. De priori hic agemus, de poſteriori *Sectione I. II. & III.* agetur.

Facto hominis res noſtras fieri, ait, ſi dominus rei dominium aut totum, aut pro parte, in nos transfert z. Ubi requirit diſpoſitionem utriuſque, i. e. voluntatem tum transferentis a, tum ejus, in quem transfertur b. Traditionem autem neceſſariam non eſſe, docet. c

§. XXXIII. Transferre dominium, i. e. alienare poſſe, ait, omnes, qui paciſci poſſunt. cc

§. XXXIV. Alienari autem, eoque in alium transferri poſſe omnes res, quæ noſtræ ſunt; adeoque & imperia, & quidem patrimonialia a ſolo rege, uſufructuaria nonniſi conſenſu populi d: & ſi pars imperii alienatur, etiam conſenſum partis alienandæ requiri, tradit. e

§. XXXV. Ceterum, ad acquiſitionem derivativam, ſeu alienationem, quæ fit facto hominis, etiam refert 1. infeudationes f, 2. pignoris dationem g, 3. teſtamentum.

Teſtamenti enim ſubſtantiam cognatam eſſe dominio, ait, eoque dato juris naturalis. Cognatam autem eſſe dominio, vel exinde probat, quia dominus rem ſuam alienare poteſt, etiam ſub conditione, & revocabiliter, & retento interim pleniſſimo fruendi jure. Alienationem autem in mortis eventum ante eam revocabilem, retento interim jure poſſidendi, ac fruendi, eſſe teſtamentum. h

§. XXXVI. *Lege* (vid. §. 33.) fieri alienationem triplici modo, ſtatuit: 1. per legem naturæ: 2. per legem gentium voluntariam, 3. per legem civilem i. De quibus ſingulis nunc agemus.

SEC-

(x) Vid. ſupr. §. 14. & §. 21. (y) Lib. 2. C. 6. §. 1. n. 1. & C. 7. §. 2. (z) Lib. 2. C. 6. §. 1. n. 2. (a) d. C. 6. §. 1. n. 2. (b) C. 6. §. 2. (c) C. 6. §. 1. n. 2.

(cc) ibid. (d) C. 6. §. 3. & 7. §. 8. 10. 11. (e) d. c. 6. §. 4. 5. & 6. (f) C. 6. §. 9. (g) C. 6. §. 9. (h) Lib. 2. Cap. 2. §. 14. (i) Lib. 2. C. 7. §. 1. n. 1.

Sectio I.

De acquiſitione derivativa, quæ fit lege naturæ, ubi de ſucceſſione tum in bonis privatis, tum in regnis agitur.

§. XXXVII. Lege naturæ, quæ ex ipſa dominii natura, ac vi ſequitur, alienationem fieri, Grotius exiſtimat, duplici modo; vel *expletione juris*, vel *ſucceſſione*. [k]

§. XXXVIII. Expletione juris fieri alienationem, ait, [*a*] quoties id, quod meum nondum eſt, ſed mihi dari debet, accipio ab eo, qui rem mihi debet. [*b*] Quoties loco rei meæ, cum eam ipſam conſequi non poſſum, aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem meam tenet. [*c*] Quoties loco rei mihi debitæ, cum ipſam conſequi non poſſum, aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem mihi debet. Dominium autem hoc modo transferri, probat a fine, quia juris mei explementum conſequi non potero, niſi dominus fiam. [l]

§. XXXIX. Successione fieri alienationem, tradit, ſi hæres ab inteſtato ſuccedit in univerſum jus defuncti. Succeſſio autem Grotio alia eſt *privata*, alia *publica*: illa in *bonis privatis* obtinet, hæc in *regnis*, & *imperiis*. De priori *hic* agemus, de poſteriori §. 40.

n. 1. Naturali jure Grotius omnes res terræ communes eſſe, adeoque in primævo rerum ſtatu dominia, & rerum proprietates incognitas fuiſſe, ait. (*Vid. ſupr.* §. 9. & *ſeq.*

n. 2. Ab hac communione autem homines receſſiſſe, ab initio per diviſionem, aucto vero hominum numero, tacito conſenſu; concedendo, nimirum, facultatem cuique hominum occupandi res terræ, eaſque in proprietatem, & dominium redigendi. (*Vid. dict.* §. 9.)

n. 3. Poſito hoc dominio Grotius porro fingit, ſucceſſiones naturalem habere originem. Nam ex hac ipſa dominii vi, ac natura, i. e. ex eo, quod homines communi conſenſu cuique conceſſerint facultatem res occupandi, ac ſuas faciendi, ſequi, ait, quod quiſque pro lubitu de re ſua diſponere poſſit. [m]

n. 4. Hanc diſpoſitionem autem non tantum valere, ait, inter vivos, ſed & poſt mortem: ſive diſponat *expreſſa* voluntate, per teſtamentum [n], ſive *tacita*, i. e. per conjecturam voluntatis, qua videtur voluiſſe agnatis poſt mortem bona ſua relinquere [o] cum onere, & commodo [p]. Unde ſucceſſiones ab inteſtato vocat *tacitum teſtamentum ex conjectura voluntatis*. [q]

n. 5. Hujus autem ſucceſſionis naturalis rationem, & ordinem *primo* fundat in generali illa conjectura; quod cum introducto dominio quilibet jus habeat de re ſua diſponendi, nec tamen ante mortem de iis diſponat, præſumatur bona ſua relinquere voluiſſe ei, cui ea voluiſſe maxime probabile eſt; quia non credibile eſt, mentem domini fuiſſe, bona ſua derelinquere. [r]

n. 6. *Secundo*, quod in dubio credi debeat

(*k*) Lib. 2. C. 7. §. 2. (*l*) d. C. 7. §. 2. n. 1. (*m*) Lib. 2. C. 6. §. 14. n. 1. & C. 7. §. 3. (*n*) d. C. 6. §. 14. d. §. 3. (*o*) d. C. 7. §. 2. n. 1. §. 3. C. 6. §. 14.

(*p*) Lib. 3. C. 2. §. 1. n. 1. C. 19. §. 5. Lib. 2. C. 21. §. 19. (*q*) Lib. 2. Cap. 7. §. 10. n. 1. (*r*) Lib. 2. C. 7. §. 3.

Digitized by Google

debeat voluiſſe id, quod honeſtum, & æquiſſimum eſt, ſive ex debito, ſive ex officio. [s]

n. 7. *Tertio*, æquiſſimum autem eſſe, ſuccedere debere LIBEROS parentibus [t]. Nam cum parentes liberis debeant alimenta, (ſaltem ex debito laxiori ſenſu ſumto) [u], præſumtionem inde oriri, exiſtimat, parentes poſt mortem relinquere voluiſſe bona ſua liberis: credi enim parentes illis, ut corporis ſui partibus, non tantum de neceſſariis, ſed & de his, quæ ad vitam ſuavius, honeſtiuſque tranſigendam pertinent, quam uberrime voluiſſe proſpectum; ab eo maxime tempore, quo ipſi rebus ſuis frui non poſſunt, i. e. poſt mortem parentum [v]. Unde concludit, hæreditatem ſequi liberos, partim quidem ob præciſum debitum naturæ (quia laxiori ſenſu alimenta eis deberi dixit), partim ex conjectura naturali, quo parentes creduntur id velle, ut liberis quam optime proſpectum ſit [x]; modo liberi certi ſint. [y]

n. 8. *Quarto*, æquiſſimum quoque eſſe ut NEPOTES ſubeant in locum liberorum præmortuorum: quia cum avus, & avia, deficientibus parentibus, alere ex eodem debito laxiori ſenſu ſumto, liberos [z], & pro mortuo filio, filiave, curam ſuſcipere nepotum, & neptium debeant; ſimili ratione credendum eſſe, avos nepotibus ſua bona relinquere voluiſſe: atque ex hac ratione jus repræſentandi originem duxiſſe, illudque æquitate naturali niti, ait. [a]

n. 9. *Quinto*, æquiſſimum eſſe, ut poſt liberos ſuccedant PARENTES: quum parentibus quoque debeantur alimenta, non quidem ex debito laxiori ſenſu ſumto, ſed quia congruit officio [b]. Atque hinc oriri ſucceſſionem aſcendentium, ait.

n. 10. *Sexto*, in COLLATERALIUM ſucceſſione dubium admodum eſſe, ait, quæ in dubio credenda ſit fuiſſe voluntas inteſtati [c]. Indeque ſequentes conjecturas ſuppeditat.

Cum defunctus plenum dominium rerum ſuarum habeat, illud autem poſt mortem retinere non poſſit, pro certo habendum putat, *noluiſſe eum perdere beneficii memoriam* [d]. Adeoque videndum eſſe, ait, *quis ſit in beneficiis ordo magis naturalis* [e]? Gratiam autem referri, docet, vel viventibus, vel mortuis. His referri gratiam in eorum liberis, qui naturaliter pars ſunt parentum, & quibus, ſi viverent parentes, maxime vellent beneficiari. [f]

His principiis poſitis, GROTIUS diſtinguit inter bona *avita*, & *noviter quæſita*. In *illis* ſolis, non in *his* gratiæ referendæ officium obtinere, fingit; adeoque in *prioribus* ſaltem quæri, quis ſit ordo beneficii, juxta quem naturalis ſucceſſio deferri debeat? [g]

n. 11. Inter collaterales FRATRES ad ſucceſſionem vocat; cum enim defunctus bona ſua proxime acceperit a ſuis parentibus, adeoque pro hoc beneficio gratiam referre voluiſſe credatur eorum liberis, i. e. fratribus ſuis, (inprimis cum defuncti parentes his maxime benefieri velle cenſeantur [h]);

ex

(*s*) d. C. 7. §. 3. & 4. (*t*) Lib. 2. C. 7. §. 5. n. 2. (*u*) Lib. 2. C. 7. §. 4. n. 1. §. 5. (*v*) d. C. 7. §. 4. n. 2. (*x*) C. 7. §. 4. n. 2. (*y*) C. 7. §. 5. n. 2. (*z*) d. C. 7. §. 8. (*a*) d. C. 7. §. 4. n. 4. §. 6. (*b*) d. C. 7. §. 6. & §. 11. (*c*) d. C. 7. §. 30. n. 1. & §. 31. (*d*) d. C. 7. §. 3. in fine junct. §. 5. (*e*) d. C. 7. §. 9. n. 1. (*f*) d. C. 7. §. 9. n. 1. in fin. & n. 2. (*g*) d. C. 7. §. 9. n. 3. (*h*) d. C. §. 9.

Digitized by Google

ex hac conjectura concludit, voluiſſe fratrem fratri ſuo relinquere bona. [i]

n. 12. Cum vero, *octavo*, bona vel a ſolo patre, & avo, vel a ſola matre, & avia, venire poſſint: porro conjecturatur GROTIUS, defunctum voluiſſe bona redire, unde venerant; adeoque *paterna* ad fratres conſanguineos, *materna* ad fratres uterinos. [k]

n. 13. *Nono*, ſi non reperiatur a quo bona proxime venerunt, ac parentis liberi (i. e. fratres) non amplius ſuperſint, creditur gratiam referre voluiſſe parentibus ſuperioris gradus, eorumque liberis, adeoque *patruo*, *avunculo*, *amitæ*, & *materteræ*. Videri ergo defunctum, deficientibus fratribus, voluiſſe relinquere bona ſua THIIS ob gratiæ referendæ officium. [l]

n. 14. *Decimo*, in *bonis noviter quæſitis*, ubi ceſſat gratiæ reddendæ officium, officio convenire, ait, [*a*] ut deferatur ſucceſſio ei, qui defuncto chariſſimus fuit; [*b*] chariſſimum autem videri, qui gradu cognationis defunctum proxime attigit [m]. Unde concludit, defunctum (qui in dubio creditur voluiſſe id, quod æquiſſimum, ac honeſtiſſimum eſt) in bonis noviter quæſitis cognatos juxta proximitatem gradus vocare ad ſucceſſionem voluiſſe; adeoque primo fratres, poſt eos thios, & his deficientibus RELIQUOS COGNATOS. [o]

n. 15. GROTIUS tandem, *undecimo*, ipſe fatetur, hæc principia non ex jure naturæ ſociali, ſeu ſtricte ſic dicto (quod expletorium vocat) oriri, ſed Κατ' ἀξίαν, i. e. ex jure naturæ laxiori ſenſu ſumto [p], vel ex ſolo officio propter conjecturam voluntatis [q]. Hinc concludit, hæc quamquam naturali conjecturæ maxime ſint conſentanea, non tamen eſſe jure naturæ neceſſaria, indeque varie mutari pactis, & legibus ſolere. [r]

n. 16. Tandem regulam generalem ſtatuit, quod in dubio, & quoties voluntatis expreſſiora indicia nulla ſunt, credi debeat, quemque de ſua ſucceſſione ſtatuiſſe quod lex, aut mos habet populi; quod etiam de principum bonis privatis verum eſſe, contendit, quia reges quoque probabiliter creduntur in rebus ſuis æquiſſimum judicaſſe, quod aut legibus ſanxerunt ipſi, aut moribus probant, ſi de eorum damno non agitur. [s]

§. XL. Hactenus GROTIUS de ſucceſſione naturali in *bonis privatis* egit: in *ſucceſſione regnorum* aliam ſuccedendi rationem ſtatuit. Regna enim *vel* conſenſu populi deferri, *vel* bello quæri, ait; unde Grotius 1. aliam ſtatuit ſucceſſionem *in regnis bello acquiſitis*, quæ patrimonialia vocat, aliam *in regnis ex voluntate populi quæſitis*.

2. In *his* iterum duplicem ſuccedendi ordinem ſtatuit, vel *hæreditarium*, vel *linealem*.

In *hæreditario* alium ſuccedendi ordinem fingit [a] in *regnis dividuis*, alium in regnis *individuis*; [b] alium in illis regnis, ubi *jus repræſentandi obtinet*, alium in illis, *ubi jus repræſentandi non obtinet*.

3. *Linealem* ſucceſſionem aliam facit *cognaticam*, aliam *agnaticam*, aliam *mixtam*.

De quibus ſingulis nunc agemus.

§. XLI.

(*i*) d. C. 7. §. 2. n. 2. & 3. (*k*) d. C. 7. §. 9. n. 3. & 4. (*l*) Lib. 2. C. 7. §. 9. n. 4. (*m*) d. C. 7. §. 9. n. 1. (*n*) d. Cap. 7. §. 9. n. 1. & §. 10. (*o*) d. Cap. 7. §. 10.

(*p*) C. 7. §. 4. n. 1. §. 10. n. 1. (*q*) d. Cap. 3. §. 7. in fin. (*r*) d. C. 7. §. 11. pr. & Cap. 19. §. 6. (*s*) d. Cap. 7. §. 11. n. 2.

Digitized by Google

§. XLI. *Primo*, Grotius in regnis PATRIMONIALIBUS, i. e. BELLO QUÆSITIS, ſtatuit, ſucceſſionem eandem obtinere, quæ in bonis privatis [t], quia regna hæc ab aliis bonis nihil differant [u]. Unde ex mente Grotii [*a*] omnes liberi ſimul ibi ſuccedunt, ſive fœminæ ſint, ſive mares [v]; niſi victor aliam legem dixerit [x]. Succedunt quoque [*b*] ſpurii, & adoptati [y]: [*c*] omnes cognati, etſi a primo acquirente non deſcendant [z]: [*d*] quin & hæredes extranei, v. gr. teſtamentarii [a]. Porro, & [*e*] pater liberos ibi exhæredare poteſt uſque ad alimenta, & mortem meritos etiam quoad alimenta [b]. [*f*] Pater renunciare tali regno poteſt in præjudicium filii [c]. Quæ omnia ſecus ſe habere, ait, in ſucceſſione *hæreditaria*, & *lineali.* [d]

§. XLII. *Secundo*, Grotius, ait, in regnis EX VOLUNTATE POPULI QUÆSITIS, ſucceſſionem aliam eſſe *hæreditariam*, aliam *linealem*.

n. 1. *Hæreditariam* ſucceſſionem definit, quando juxta proximitatem gradus regnum defertur, nulla habita ratione linearum [e]. Rationem hujus ſucceſſionis hanc reddit, quod regna, quæ ex libero populi conſenſu hæreditaria facta, i. e. familiæ regis delata ſunt, ex præſumta populi voluntate deferantur: præſumi autem populum id voluiſſe, quod magis expedit [f], eoque elegiſſe hæreditarium ordinem, ut reverentia conciliaretur a ſanguine, ſimulque ex genere, & educatione ſpes eſſet præclaræ virtutis; quia regni poſſeſſor regnum magis curabit, animoſiusque defendet, ſi id ipſum iis eſſet relicturus, quos ipſe ob acceptum beneficium, aut ob charitatem maximi faceret. [g]

n. 2. In *hac* ſucceſſione igitur, ſtatuit, 1. non omnes liberos ſuccedere, ſed unum; quia regnum ſua natura eſt individuum [h]: 2. vocari tantum eos, qui ſunt ex familia ejus, cui primo delatum eſt; non ergo vocari reliquos cognatos, nedum extraneos [k]: nec 3. nothos, aut adoptivos [l]: 4. mares præferri fœminis [m]: 5. inter mares præferri primogenitum [n]. Quæ omnia ſecus ſe habere, ait, in *regnis patrimonialibus.* [o]

n. 3. Equidem regnum tale hæreditarium eſſe quandam hæreditatem, exiſtimat, ſed ſpecialem, & ſeparatam a bonorum hæreditate; ejuſque effectum eſſe, ut tale regnum adiri poſſit etiam repudiatis bonis. Rationem addit, quia populus regnum videtur voluiſſe quam optimo jure deferri, i. e. etſi privata regis hæreditas non adeatur [p]; ordinem quippe hæreditarium eum non ideo, ſed plane ex aliis cauſis, elegiſſe cenſeri. [q]

n. 4. Ceterum, etſi *hereditaria regna* ſua natura ſint *individua*, nihilominus moribus, & legibus quorundam regnorum *diviſionem* introductam eſſe, docet. Et hoc caſu alium eſſe ſucceſſionis ordinem in regnis *individuis*, alium in regnis *dividuis* [r]. (§. 40.)

PRIMO enim, ex hypotheſi GROTII,

(*t*) Cap. 7. §. 25. (*u*) d. Cap. 7. §. 25. (*v*) C. 7. §. 12. (*x*) C. 7. §. 13. (*y*) d. Cap. 7. §. 12. (*z*) d. Cap. 7. § 12. (*a*) Vid. Lib. 2. Cap. 7. §. 15. (*b*) d. Cap. 7. §. 7. & §. 26. (*c*) d. C. 7. §. 26. (*d*) Vid. §. ſeq. (*e*) d. Cap. 7. §. 17. (*f*) d. Cap. 7. §. 14. (*g*) d. Cap. 7. §. 19. (*h*) d. C. 7. §. 14. (*i*) d. Cap. 7. §. 15. (*k*) d. C. 7. §. 15. (*l*) d. Cap. 7. §. 16. (*m*) d. C. 7. §. 17. (*n*) d. Cap. 7. § 18. (*o*) Vid. §. præced. (*p*) d. C. 7. §. 19. (*q*) ibid. (*r*) d. C. 7 §. 14.

Digitized by Google

TII, in regnis *individuis* unus ſaltem ſuccedit, & quidem is, qui ætate potior eſt: in *dividuis* omnes, qui in eodem gradu ſunt.

SECUNDO, in *illis* is, qui ante adeptam dignitatem natus eſt, poſtponitur eis, qui poſt dignitatem nati ſunt; in *his* æquis partibus concurrunt. [s]

TERTIO, in *individuis* jus repræſentandi locum non habet; cum enim dividi non poſſit, adeoque unus ſaltem ſuccedat, præfertur is, qui ætate potior eſt: hinc non utitur jure patris, & ætatis ejus prærogativa. In *dividuis* filius repræſentat gradum prædefuncti parentis, ac in ejus jus, & locum ſuccedit; indeque concurrit pro parte cum iis, qui gradu proximiores ſunt.

Hinc [*a*] nepos regis ultimi defuncti in *dividuis* regnis concurrit cum patruo, non in *individuis* [t]: [*b*] in *illis* frater ſuperſtes ultimi regis concurrit cum fratris minoris filio; in *his* frater excludit fratris filium.

n. 5. Aliud vero Grotius obtinere, ait, in *illis regnis individuis*, ubi legibus, vel moribus regni jus repræſentandi non obtinet; tunc enim præciſe gradum naturalem, ejuſque proximitatem ſpectari [x]: adeoque hoc caſu idem obtinere, quod in regnis *dividuis*, ubi is vincit, qui ætate potior eſt. [y]

Sed & in ejuſmodis regnis *individuis* illi, qui in parentum gradum ſuccedunt, non ſuccedere in ſexum [z]; ſed eum vincere, qui ſexu potior eſt [a]: in regniis *dividuis*, ubi ſubitio in locum mortui obſervatur, etiam filias uti jure patris, ait. (At videtur a ſe ipſo diſſentire. *Conf. Lib.* 2. *C.* 7. §. 17.)

Juxta hæc principia 1. nepos ex filio præfertur filiæ: 2. Nepos minor ex filio præfertur majori nepoti ex filia: 3. Filius regis ſecundo genitus præfertur nepti ex filio primogenito [b]: 4. Frater regis natu minor præfertur filiæ majoris fratris. [c]

§. XLIII. *Tertio*, GROTIUS ab *hæreditaria* ſucceſſione diſtinguit LINEALEM, ubi non ordine hæreditario, i.e. juxta proximitatem gradus, ſed juxta proximitatem linearum ſucceditur; ita ut primum vocentur liberi primi gradus ultimi poſſeſſoris, hiſque exſtinctis liberi ſecundi gradus, & ſic porro. [d]

Hanc ſucceſſionem *linealem* differre, ait, ab *hæreditaria*: in *lineali* enim ſucceſſione 1. obſervari tantum ſolere *jus tranſmittendi futuram ſucceſſionem*, vi cujus jus aliquod eventuale in omnes poſteros primi regis transfertur; at in *hæreditaria ſucceſſione* locum eſſe *juri repræſentandi*, quod jus ſubitionis in locum vocat. [e]

2. Quamdiu prior linea ſubſiſtit, tamdiu, ex ſententia Grotii, ſecunda linea a ſucceſſione excluditur, etſi perſonæ ſecundæ lineæ ſint gradu proximiores. Secus, ac in *hæreditaria* ſucceſſione, ubi gradu proximi, etiam ſecundæ lineæ, præferuntur remotioribus gradibus primæ lineæ. [f]

3. In *hæreditariis*, ex hypotheſi Grotii, rex abdicare ſe regno poteſt pro ſe, & liberis; quia quod pater non habet, non poteſt in liberos ſuos tranſmittere

(*s*) d. Cap. 7. §. 28. & 29. (*t*) Cap. 7. §. 30. (*u*) d. Cap. 7. §. 31. (*v*) d. C. 7. §. 30. (*x*) Cap. 7. §. 32. (*y*) Cap. 7. §. 17. §. 18. n. 2. (*z*) Lib. 2. Cap. 7. §. 32. (*a*) ibid. (*b*) d. Cap. 7. §. 33. 34. & 35. (*c*) Cap. 7. §. 37. (*d*) d. Cap. 7. §. 37. (*e*) d. Cap. 7. §. 22. (*f*) d. Cap. 7. §. 22.

Digitized by Google

mittere [g]. In *lineali* patris factum nocere non poteſt liberis natis; quia ſimul, ac exiſtere cœperunt, jus proprium, ait, conſtitutum eſſe ex lege; nec naſcituris jus hoc eventuale auferri poſſe [h]

§. XLIV. Cum vero GROTIUS, *quarto*, linealem ſucceſſionem triplicem faciat, *cognaticam*, *agnaticam*, & *mixtam* (§. 40.); ſingulas has ſpecies nunc ſecundum hypotheſin Grotii explicabimus: ubi ſimul notabimus, quomodo ſingulæ ab *hæreditaria* ſucceſſione differant.

n. I. Succeſſio LINEALIS COGNATICA eſt, quando omnes liberi primi gradus, ſive maſculi, ſive fœminæ, ad ſucceſſionem vocantur, & lineæ ſecundæ præferuntur; ita tamen, ut [*a*] fœminæ non ſuccedant niſi extinctis maribus primæ lineæ, & [*b*] ut inter mares præferatur primogenitus. [hh]

Rationem hujus ſucceſſionis Grotius hanc affert, quia populus ſpem habeat de optima educatione eorum, qui ſpem habent regni juſtiſſimam; quales ſunt, quorum parentes, ſi viverent, eſſent ſucceſſuri. [i]

Differt ergo, ex hypotheſi Grotii, hæc ſucceſſio ab *hæreditaria*, præter ea, quæ jam in genere notavimus, [*a*] quod in *lineali* ſucceſſione fœminæ lineæ primæ præferantur maſculis lineæ ſecundæ; in *hæreditaria* fœminæ non ſuccedant, niſi deficientibus omnium linearum maſculis. [k]

[*b*] Quod in ſucceſſione *lineali cognatica* nepos ex filio priori ſemper præferatur filio ſecundo, quia ibi mortui pro vivis habentur in hoc, ut in liberos jus ſuum tranſmittant [l]; cum in *hæreditatia* Grotius diſtinguat: [*α*] an dividuum ſit regnum, an individuum? [*β*] an jus repræſentandi ibi obtineat, an non? Si *dividuum* eſt, *& jus repræſentandi non obtinet*, (quod plerumque fieri, ait) tunc in individuis, & dividuis is præfertur, qui gradu eſt proximior; ſi gradu pares ſunt, in *dividuis* concurrunt, in *individuis* is præfertur, qui ætate major eſt. [m]

[*c*] Quod in ſucceſſione *lineali cognatica* fratris majoris filius excludat fratrem ſuperſtitem ultimi regis [n]; in *hæreditaria* diſtinguatur: ut, nimirum, ſi regnum *dividuum* eſt, & jus repræſentandi (uti regulariter in tranſverſa linea) obtinet, concurrant in partes; ſi jus repræſentandi non obtinet, idem jus valeat, quod in priori caſu. [o]

[*d*] Quod in ſucceſſione *lineali cognatica* defuncti fratris filius patruo regis præferatur [p]: in *hæreditaria* vero prior diſtinctio obtineat, & fratris filius præferatur *ſi jus repræſentandi obtinet*, quia jure patris proximior eſt; ætate major vero præferatur, *ſi jus repræſentandi locum non habet*. Cum enim juxta gradum naturalem uterque par ſit, potior eſt qui ætate vincit; ſi æquales ſunt, concurrunt. [q]

[*e*] Quod defuncti fratris filia præferatur patruo regis in *ſucceſſione lineali cognatica*. In *hæreditaria* autem, ſi jus repræſentandi locum non habet, vincat qui ætate, vel ſexu potior eſt. [r]

[*f*] Quod nepos ex filio præferatur filiæ in *ſucceſſione lineali cognatica*, ob prærogativam ſexus: in *hæreditaria* autem non præferatur nepos, ſi diſtinctio

(*g*) d. C. 7. §. 26. (*h*) d. C. 7. §. 26. junct. Lib. 2. C. §. 10. (*hh*) d. Cap. 7. §. 22. (*i*) d. Cap. 7. §. 22. in fin. (*k*) d. Cap. 7. §. 22. in fin. (*l*) d. Cap. 7. §. 30. n. 1. (*m*) d. Cap. 7. §. 30. n. 2. (*n*) d. Cap. 7. §. 31. (*o*) Vid. d. Cap. 7. §. 31. junct. §. 30. (*p*) d. Cap. 7. §. 32. (*q*) d. Cap. 7. §. 32. junct. §. 30. (*r*) d. Cap. 7. §. 32.

Digitized by Google

ſtinctio inter maſculos, & fœminas in illo regno non obtinet. [s]

[g] Quod minor nepos ex filio in ſucceſſione *lineali cognatica* præferatur majori nepoti ex filia; quia filius, qui filiæ majori præferebatur, jus ſuum tranſmittit ad filium: in ſucceſſione *hæreditaria* vero concurrant, ſi regnum *dividuum* eſt; ſi *individuum*, is, qui ætate prævalet, vincat. [t]

[h] Quod neptis ex filio primogenito excludat filium in *ſucceſſione lineali cognatica*; at in *hæreditaria* ſucceſſione filius excludat neptem, etſi jus repræſentationis illo regno obtineat: quia prærogativa ſexus non tranſit in neptem. [u]

[i] Quod filius ſororis præferatur filio fratris in *ſucceſſione lineali cognatica*; non vero in *hæreditaria*, ſi jus repræſentandi non obtinet. [v]

[k] Quod filia fratris maximi natu præferatur fratri regis natu minori in *lineali ſucceſſione cognatica*; non in *hæreditaria*, ſi ſubitio in locum non eſt recepta. [x]

§. XLV. Linealem ſucceſſionem agnaticam Grotius definit, quando linea, & in linea ſoli mares, excluſis in perpetuum fœminis ſuccedunt. [y]

Rationem hujus ſucceſſionis in eo ponit, ne per fœminarum matrimonia ad peregrinum ſanguinem imperium deveniret.

Differre eam a *ſucceſſione lineali cognatica* ſaltem in eo, ait, quod in *hac* fœminæ uniuſcujuſque lineæ admittantur exſtinctis maribus ejuſdem lineæ; cum in *agnatica* in perpetuum excludantur.

§. XLVI. *Linealis* ſucceſſio *mixta* Grotio dicitur, quando deficiente ſucceſſione lineali agnatica ſequitur ſucceſſio cognatica; ſi, nimirum, deficientibus lineis maſculorum, ad ſucceſſionem vocantur lineæ fœminarum, ita ut prima primo, eaque deficiente ſecunda, & ſic porro tertia ſuccedat. [z]

Hæc ſucceſſio differt a *cognatica*, ubi fœminæ primæ lineæ extinctis maſculis illius lineæ ſuccedunt ante ſecundam lineam maſculorum; cum mares omnium linearum præferantur fœminis etiam primæ lineæ, quando ſucceſſio eſt *linealis mixta*.

Differt quoque ab *agnatica*, ubi fœminæ omnium linearum in perpetuum excluduntur; cum ſi ſucceſſio ſit *linealis mixta*, vocentur exſtinctis omnium linearum maſculis.

Sectio II.

De modis acquirendi ex jure gentium voluntario proprie dicto.

§. XLVII. Grotius explicatis modis acquirendi juris naturalis, tum originariis, tum derivativis, tranſit ad illos acquirendi modos, quos jure gentium ſecundario introductos, ait [b]. Statim autem initio capitis JCtos Romanos increpat, quod juri gentium plures acquirendi modos tribuant, quos tamen, præter acquiſitiones bellicas, ad jus gentium pertinere, negat; ſed aut referri debeant [a] ad jus naturæ pro certo rerum ſtatu, aut [b] ad legem civilem multorum populorum, i. e. ad jus gentium improprie ſic dictum [d], vel ad jus civile ſingularum civitatum.

§.

(s) d. Cap. 7. §. 33. (t) d. Cap. 7. §. 34. (u) d. Cap. 7. §. 35. (v) d. Cap. 7. §. 36. (x) d. Cap. 7. §. 37. (y) d. Cap. 7. §. 23. (z) d. Cap. 7. §. 23. (a) d. Cap. 7. §. 23. in fin. (b) Vid. Lib. 2. C. 8. (d) Lib. 2. C. 8. §. 1. §. 8. & §. 26.

Digitized by Google

§. XLVIII. Ad acquiſitiones juris gentium voluntarii Grotius ſaltem refert *I. Occupationem rei hoſtilis* [e]. Jure naturæ enim capienti tantum ſecuritatem in tali re, non vero dominium acquiri, exiſtimat: Jure gentium autem demum introductum eſſe, ut res captæ cedant capienti, & pleno dominii jure, & in infinitum. [f]

II. Occupationem, quæ fit *Jure repreſſaliarum;* quando, nimirum, pro injuria a civitate illata, ejus ſubditi, vel eorum bona, ab alio populo capiuntur, donec ſatisfiat. [g]

Sectio III.

De modis acquirendi Juris gentium improprie ſic dicti, & Juris civilis.

§. XLIX. Omnes reliquos modos, quos JCti Romani in Titulo de acquirendo rerum dominio tractant, erronee ad jus gentium voluntarium referri, Grotius exiſtimat.

Hinc 1. male quoque incrementa fluvialia juri gentium ab eis tribui, ſtatuit; cum hæ acquiſitiones ſint mere civiles, ex legibus plurium populorum ortæ. [h]

§. L. Jure naturæ enim populum occupantem terram aliquam imperium ſibi acquirere, & dominium generale, ait [i]; unde concludit, tamdiu terram illam in proprietate populi manere, donec probetur, in ſingulos diſtributam eſſe. Atque ex hac ratione ſtatuit, [a] inſulam in flumine publico natam [k], [b] alveum derelictum [l], & [c] ripam fluminis &c. [m], eſſe populi.

§. LI. His prinicipiis poſitis, improbat in JCtis Romanis, 1. quod inſulas in publico flumine natas, alveoſque deſertos, tribuant vicinis, ex falſo ſuppoſito, quod alvei, & ripæ in eorum ſint dominio [n]. Atque hinc nec ut naturale recipit, quod occupanti inſulam cedere ſtatuant, ſi agri civium limitati ſunt; id enim tunc demum verum eſſe putat, ſi flumen, & alveus plane a populo non ſunt occupati. [o]

n. 1. Sed & 2. improbat, quod JCti Romani in fluminis inundatione diſtinguant: nimirum, ut levis inundatio dominium non auferat, major auferat ſi fluvius uno impetu recedat, ſi paulatim, non item [p]; addendo, inundationem qualitatem quidem terræ mutare, non ſubſtantiam [q], indeque verum non eſſe, flumen cenſitorum vice fungi jure naturæ [r]; ipſoſque JCtos ſtatuere, id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro noſtrum eſſe non deſinere. [s]

Jure naturæ igitur agrum manere prioris domini, ait: [t] at in graviſſima inundatione facile præſumi agrum habitum derelictum, niſi indicia ſint, quæ retinendi dominii animum notant. [t]

n. 2. Male 3. JCtos Romanos inter modos acquirendi juris gentium referre, ait, acquiſitionem, quæ fit per ventrem; id enim verum non eſſe, niſi pater ignoretur. [u]

n. 3. Male 4. juri gentium tribui, ſtatuit,

(*e*) Lib. 2. C. 8 §. 1. (*f*) Vid. ſupr. Diſſ. prooem. 4. § 16. (*g*) Lib. 3. C. 2. §. 7. n. 4. §. 2. n. 1. & 2. §. 5. & §. 6. C. 10. §. 5. n. 1. C. 13. § 1. n. 2. C. 21. §. 9. (*h*) L. 2. C. 8. §. 1. & 8. (*i*) Lib. 2. C. 8. §. 9. (*k*) Lib. 2. C 8 §. 9. n. 1. & 3. (*l*) d. Cap. 8. §. 9. n. 2. & 3. (*m*) d. C. 8. §. 9 n. 2. (*n*) d. Cap. 8. §. 8. (*o*) d Cap. 8. §. 9. n. 3. (*p*) d. Cap. 8. § 8. (*q*) d. C. 8. §. 10. (*r*) ibid. (*s*) ibid. (*t*) d. Cap. 8. §. 10. n. 1. (*u*) Lib. 2. C. 8. §. 18. Lib. 1. C. 5. §. 29. L. 3. C. 7. §. 2.

ſtatuit, acquiſitionem, quæ fit per ſpecificationem: naturale enim non eſſe, ait, ut qui mala fide materiam alienam attrectant, ſpeciem perdant [w]; quia ſpecies pars ſubſtantiæ eſt, non ſubſtantia tota [x]. Adeoque hoc caſu rem communem fieri, putat, pro rata. [y]

n. 4. Male 5. a JCtis Romanis juri gentium adſcribi, ait, modum acquirendi jure rei prævalentioris; hunc enim modum eſſe mere civilem. [z]

n. 5. Male 6. aſſeri a JCtis, exiſtimat, jure gentium plantata, inſitaque, aut ædificata in alieno ſolo, cedere domino ſoli; cum natura hæ res communes fiant. [a]

n. 6. Male 7. juri gentium tribui, ſtatuit, quod perceptione quis fructus alienos ſuos faciat; cum naturali ratione eos reſtituere debeat domino, deductis ſaltem impenſis in rem, & operam factis [b], ſive bona, ſive mala fide alter perceperit.

n. 7. Traditionem non eſſe modum acquirendi juris gentium, ait 8, quum traditio plane ad translationem dominii non requiratur [c]: adeoque id demum ex jure civili eſſe, ut traditio requiratur. [d]

CAPUT V.

Ubi Grotii ſyſtema de Poſſeſſione explicatur.

§. LII. INTER modos acquirendi jus in re doctores etiam referunt *poſſeſſionem.* Videamus unde poſſeſſoria judicia deducat GROTIUS.

§. LIII. Is autem exiſtimat, jure gentium *poſſidendi jus* dominium ſequi, indeque poſſeſſoria judicia juris civilis eſſe [e]. Hinc arbitros a populo lectos de principali negotio pronunciare teneri, non vero de poſſeſſione. [f]

§. LIV. Ad dominium tamen acquirendum corporalem poſſeſſionem neceſſariam eſſe, ſtatuit [g]: Poſſeſſionis enim initium eſſe corporis ad corpus adjunctionem. [h]

Atque ideo poſſeſſionem manibus, & pedibus noſtris acquiri, quin etiam inſtrumento alieno, ut laqueis. [i]

Hinc infert: [a] per vulnerationem feræ non acquiri ejus poſſeſſionem [k]; nec [b] jaculi miſſione; nedum [c] ſolo viſu.

Præter corporalem adjunctionem recte adhuc requiri, tradit, *animum poſſidendi* [m]. Unde concludit, nec ab ignorante [n], nec ab amente, aut infante, poſſeſſionem capi poſſe, ſed jus in his ſupplere animum. [o]

§. LV. Jure naturæ igitur nullum uſum eſſe poſſeſſionis, exiſtimat, niſi quatenus ſequitur dominium; adeo ut pro prædone habeat eum, qui rogatus de poſſidendi cauſa, nullam aliam affert, niſi quod poſſidet. [p]

§. LVI. Jure gentium voluntario tamen effectum aliquem habere, ait, nudam

(*w*) Lib. 2. C. 8. §. 20. (*x*) d. C. 8. §. 19. (*y*) d. C. 8. §. 19. (*z*) Lib. 2. C. 8. §. 21. (*a*) d. C. 8. §. 22. (*b*) d. C. 8. §. 23. & 24. (*c*) d. C. 8. §. 25. (*d*) Lib. 2. C. 8. §. 1. (*e*) L. 3. C. 20. §. 48. (*f*) d. C. 20. §. 48. (*g*) Lib. 2. C. 7. §. 3. (*h*) Lib. 2. C. 8. §. 6. Conf. Lib. 2. C. 8. §. 4. & 6. (*i*) Lib. 2. C. 8. §. 4. & 6. (*k*) L. 2. C. 8. §. 3. (*m*) Lib. 2. C. 11. §. 14. Lib. 3. C. 21. §. 28. (*n*) d. C. 21. §. 28. (*o*) d. C. 11. §. 14. (*p*) Lib. 2. C. 22. §. 3. n. 1.

Digitized by Google

nudam poſſeſſionem: 1. quod poſſeſſio longi temporis rei alienæ dominium tribuat [q]: 2. quod in bellis juris gentium ſolennibus poſſeſſio ſufficiat ad acquirendum dominium externum [r]: 3. quod ex eodem jure gentium introductum ſit [s], ut populi medii ſequantur poſſeſſionem. [t]

§. LVII. Ceterum, in dubio etiam naturali jure meliorem eſſe conditionem poſſidentis, ait [t], & nihil poſſidere eum, qui poſſidetur. [u]

CAPUT VI.

Ubi ſententia Grotii de Pignore, & de Servitutibus, explicatur.

§. LVIII. Jure Romano præter dominium etiam *pignus*, & *ſervitus* inter *jura in re* referuntur. Grotius id jure naturali quoque verum eſſe, ſtatuit. Supponit enim, populum occupando territorium, præter imperium etiam acquirere dominium privatum, ſed generale. Hoc poſito, ait, occupantem poſſe res particulatim in privatos ita diſtribuere, ut eorum dominium ab illo priori dominio pendeat; & hoc dominium eſſe minus plenum, ait: eoque refert fideicommiſſa, aliaſque ſpecies juris in re [v], in ſpecie *ſervitutes*, & *pignora* [x]. (*Vi l.* §. 18.)

§. LIX. Atque hinc concludit, *pignus* non pertinere ad modos acquirendi dominii originarios [y], ſed eſſe ſpeciem acquiſitionis dominii derivativæ [z]. Dominium enim, quod creditor acquirit, minus plenum eſſe. [a]

§. LX. Immo nec *ſervitutem* eſſe modum acquirendi originarium, tradit [b]; ſed eam pariter ad acquiſitiones derivativas refert. Eum vero, cui ſervitus conſtituitur, itidem tantum acquirere dominium *minus plenum*, ait: id enim de uſufructu diſerte tradit. [c]

§. LXI. In genere autem ſervitutes eſſe vel perſonales, vel reales, aſſerit. Reales dici, exiſtimat, non quod ipſi quoque perſonæ non competant, ſed quia non alii competunt, quam qui rem habet [d]. Ceterum, ſervitutes prædiales eſſe incorporales, nec teneri niſi per res, quibus adhærent, docet. [e]

CAPUT VII.

De modis amittendi Dominium.

§. LXII. Grotius finiri dominium, ait: 1. *derelictione* [f]: 2. *Morte domini*, (niſi aliud diſpoſuerit, vel *voluntate expreſſa*, i. e. per teſta-

(q) Lib. 2. C. 4. §. 2. §. 7. 8. & 9. (r) Lib. 3. C. 6. per. tot. (s) Lib. 1. C. 4. §. 20. (t) Lib. 2. C. 2. §. 8. & Lib. 2. C. 23. §. 11. (u) Lib. 3. C. 8. §. 4. (v) Lib. 2. C. 3. §. 19. (x) Lib. 1. C. 1. §. 5. (y) Lib. 1. C. 1. §. 5. (z) Lib. 2. C. 6. §. 9. junct. Lib. 2. C. 3. §. 2. (a) Lib. 1. C. 1. §. 5. (b) Lib. 2. C. 3. §. 2. (c) Lib. 1. C. 1. §. 5. (d) Lib. 1. C. 1. §. 4. (e) Lib. 2. C. 20. §. 12. n. 2. (f) Lib. 2. C. 9. §. 1. & C. 3. §. 19. r. 1.

teſtamentum, vel *voluntate tacita*, ſi ſcil. ſuperſunt agnati) [g]; unde mortuo domino etiàm ſervos liberos fieri, ait [h]: 3. *Interitu rei* [i], vel 4. *ſpeciei* [k]; non vero 5. amiſſa poſſeſſione [l]; nec 6. per delictum. [m]

§. LXIII. Sed & *imperia* his modis deſinere, ait: nimirum, *derelictione; morte imperantis*; vel ſi imperium eſt hæreditarium, *exſtincta familia; interitu territorii*, vel *populi*; & *mutata ſpecie populi*. Ubi pluribus examinat, quando populus eſſe deſinat. [n]

§. LXIV. Denique Grotius ait, jus commune hominum in res etiam lege civili anteverti, i. e. impediri poſſe; idque jure gentium, & jure civili, ſæpius factum eſſe. [o]

CAPUT VIII.

Monita quædam generalia circa hypotheſin Grotii de Juribus in Re.

§. LXV. MULTA circa principia GROTII notanda ſunt, quæ ad commentarium ipſius operis reſervamus. Nunc generalia ſaltem quædam monebimus.

§. LXVI. *Primo*, deſideramus, quod methodum juris Romani planam, & ſimplicem neglexerit, ac novam viam ingreſſus ſit, adeo ambiguam, ut vix exitus aliquis appareat. Quid, quæſo, facilius, quid ſimplicius, quam principia Romanæ juriſprudentiæ? Quæ ſupponit,

I. Omnes res terræ nullius, i. e. in nullius bonis eſſe.

II. Harum rerum quaſdam natura acquiri, i. e. in noſtram poteſtatem venire non poſſe (quales ſunt res communes, ut aer, aqua profluens, & mare); quaſdam acquiri poſſe.

III. Acquiri autem res, VEL facto noſtro; quo referunt *occupationem rei nullius*, *ſpecificationem*, *capturam rei hoſtilis*, *perceptionem fructuum ex re aliena*, *traditionem*, &c. VEL jure rei noſtræ; quo referunt *jus ventris*, *alluvionem*, *cruſtam*, *inſulam*, *alveum derelictum*, *acceſſionem*, &c. VEL jure familiæ, i. e. per ſucceſſiones ab inteſtato. (Teſtamentaria enim ſucceſſio eſt lege civili introducta.)

Atque juxta hanc methodum *Jus rerum*, ac modos acquirendi dominii naturales, explicavimus in diſſertatione proœm. XII.

§. LXVII. *Secundo*, notandum eſt, GROTIUM titulum *de rerum diviſione* omiſiſſe, cujus tamen tractatio neceſſaria admodum eſt; ut 1. appareat, quænam res naturali jure in dominium venire poſſint, quæ non poſſint. 2. Ut conſtet, an, & quatenus diviſiones rerum in Digeſtis a JCtis Romanis relatæ juri naturæ conveniant. 3. Ut innoteſcat, quid illi per res *communes*, per res *publicas jure gentium*, per res *univerſitatis*, & per res *nullius* intellexerint. Nam præcipua Grotii ratio ſuſcepti operis fuit, ut juri Romano lucem affunderet [p]. Sane 4. nulla in jure Romano occurrit tractatio magis confuſa, magiſque obſcura, quam hæc de rerum divi-

(g) d. C. 9. §. 1. (h) ibid. (i) d. C. 9. §. 3. ſeq. (k) ibid. (l) Lib. 2. C. 8. §. 3. (m) Lib. 2. C. 8. §. 20. Lib. 2. C. 8. §. 3. (n) Lib. 2. C. 9. §. 2. ſeq. uſque ad finem. (o) Lib. 2. C. 8. §. 1. n. 1. §. 5. 7. 21. 26. Conf. indicem voce dominium. (p) Proleg. §. 30.

Digitized by Google

diviſione. Maximopere igitur intereſt, rem ex principiis juris naturalis demonſtrare.

§. LXVIII. *Tertio*, negamus, res terræ natura eſſe communes [q]; infinita enim inde ſequerentur abſurda, infinitæ contradictiones.

Sane 1. ſi ipſæ res omnibus hominibus communes eſſent, ſingulis non competeret facultas rebus terræ utendi pro lubitu, quia per concurſum ſociorum reſtricta eſſet illa facultas; & ſic primis hominibus in communione viventibus alter alterum impedire potuiſſet, quo minus uſum arriperent; quia ex ipſa Grotii opinione, in re communi, naturali ratione melior eſt conditio prohibentis. [r]

2. Si omnes res natura communes eſſent, jus hoc a natura hominibus quæſitum ipſis auferri citra eorum voluntatem non poſſet. Demonſtrari ergo deberet, homines communionem ſuſtuliſſe, & in id conſenſiſſe, ut id, quod quiſque occuparet, jure dominii teneret; at id probari ex rei natura nequit.

Nam 3. conjectura illa voluntatis, quam Grotius allegat, *quaſi aucto hominum numero diſplicuerit communio, atque ideo cum diviſio inſtituta non ſit, cenſeri debeat, inter omnes conveniſſe, ut quod quiſque occupaſſet, id proprium haberet* [s], meram fabulam ſapit. Unde, quæſo, probatur, diſplicuiſſe communionem? Unde probatur, homines ei renunciaſſe? Hoc facti eſt, adeoque ab allegante probari debet.

Poſita ergo 4. communione rerum naturali, ſemper ſalvum maneret jus reliquorum, & occupans talem rem de eorum parte numquam diſponere poſſet. Non ergo injuria ageret potens prædo aliena regna invadendo, & uſum communem rerum vindicando, quia, uti dictum eſt, in re communi melior conditio eſt prohibentis. Quin pauperes hodieque cum divitibus communi dividundo agere poſſent.

5. Syſtema hoc Grotianum ſupponit, humanum genus, ſeu primos homines, proprietatem, ſeu dominium in omnes res terræ habuiſſe. At ſuppoſitum illud aperte fallit, quia inde ſequeretur, omnes res terræ in corporali poteſtate primorum hominum fuiſſe (Dominium enim ſine apprehenſione corporali non acquiri alibi probavit [t]). Qua vero ratione aſſeri poſſet, omnes res terræ in corporali poteſtate primorum hominum fuiſſe, cum pleræque incognitæ humano generi fuerint? Quo argumento ipſe alibi utitur Grotius. [u]

6. Repugnat ipſa hiſtoria ſacra huic hypotheſi; nam Deus ipſo die, quo primos homines e Paradiſo ejecit, tunicas eis pelliceas dedit [v], quæ proinde propriæ illis fuerunt. Porro traditur, Abelem de primogenitis gregis ſui munera Deo obtuliſſe [x]; adeoque grex ille Abeli proprius fuit. Sed & Cainum civitatem condidiſſe, ſacra pagina fidem facit: ei autem cum cognatis nulla rerum communio fuit.

Sed & 7. cum Deus omnes res terræ hominum cauſa condiderit, eiſque dominium omnium rerum conceſſerit [y], neceſſario inde infertur, unicuique

(q) Vid. ſupr. §. 9. ſeq. (r) Lib. 2. C. 2. §. 8. & Cap. 23. §. 11. (s) Lib. 2. C. 2. §. 2. n. 5. (t) Vid. Lib. 2. Cap. 7. §. 6. & 3. Cap. 8. §. 4. & 6. (u) Lib. 2. Cap. 3. §. 2. (v) Gen. Cap. 3. 21. (x) Gen. IV. 4. (y) Vid. Gen. I. v. 28. & VIII. v. 17. IX. v. 1. & ſeq.

Digitized by Google

cuique jus eſſe res illas occupandi, eoque ſuas faciendi. Certum ergo eſt, res ſua natura nullius eſſe, eoque cedere occupanti; quod alibi probavimus. *Vid. Diſſert. procem. XII. Lib. 4.*

Denique & 8. revera nulla quoad effectum differentia eſt inter communionem illam, & dominium. Ipſe Grotius poſtquam rerum communionem ſtatuiſſet, addit, *hinc factum eſſe, ut ſtatim unuſquiſque hominum ad ſuos uſus arripere potuerit quicquid vellet, & quæ conſumi poterant, conſumere, & quod quiſque ſibi arripuerit, id ei eripere alterum niſi per injuriam non potuiſſe* [z]. At quid aliud eſt res ad ſuos uſus arripere, quam dominium rei occupare, vi cujus eam conſumere, & de ea diſponere poſſumus, ita ut alius eam mihi eripere abſque injuria nequeat?

Neque obſtat 9. auctoritas JUSTINI, qui ait [zz]: *ab initio omnia & communia, & indiviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium, fuiſſe.* Reſp. 1. communia Latinis dicuntur, quorum uſus omnibus hominibus communis, proprietas vero nullius eſt; ita enim mare res communis [a], eoque & ejus uſus omnibus hominibus communis eſſe dicitur, uti aëris [b]; & tamen ejus proprietas dicitur eſſe nullius [c]. Communio igitur JUSTINI in eo conſiſtit, quod cum res ab initio indiviſæ, adeoque in bonis, ac dominio ſingulorum non fuerint, omnibus hominibus commune jus competierit res illas nullius occupandi, & ſuas faciendi. Quod vero addit, *veluti unum cunctis patrimonium fuiſſe*, ſatis indigitat, non *vere* unum fuiſſe cunctis patrimonium, ſed id comparate ſaltem aſſeri a Juſtino, Reſp. 2. Primi homines unam conſtituebant familiam; hæc familia infert communionem omnium jurium: adeoque quoad primam hanc familiam vere dici poteſt, unum cunctis fuiſſe patrimonium, quia nemo aliquid proprii habebat, ſed omnia in communem familiam conferebantur. Quæ communio autem non ad univerſas res terræ, ſed ſaltem ad res a familia occupatas, pertinuit, ac diviſis familiis deſiit.

§. LXIX. *Quarto*, facile hinc conſtat, admitti non poſſe figmentum GROTII, *primos homines receſſiſſe ab illa communione, & primum quidem per diviſionem, aucto vero hominum numero tacito conſenſu, conceſſa nimirum facultate occupandi.* (Vid. §. 8. ſeq.) Nam cum nulla unquam rerum communio fuerit, fruſtra aſſeritur, homines ab illa communione receſſiſſe. Sed & talis voluntas recedendi a communione, ſi communio exiſteret, probari deberet; neque vagæ ejuſmodi conjecturæ ſufficiunt.

§. LXX. *Quinto*, admitti non poteſt, quod GROTIUS *mare per partes Jure naturæ occupari* poſſe, ſtatuit, & quod id *Jure gentium* demum prohibitum eſſe, exiſtimat (*vid.* §. 15.). Nam mare quatenus ex aqua marina, & alveo conſiſtit, per rerum naturam occupari, i. e. in poteſtatem noſtram corporalem redigi non poteſt; adeoque male id juri gentium voluntario tribuitur, quale non dari, alibi probavimus.

Sed & negamus, *flumina publica* occupari, & *in proprietatem* venire poſſe. Flumina enim ſunt publica jure gentium: quorum uſus omnibus communis

(z) Lib. 2. C. 2. §. 2. (zz) Lib. 42. pr. (a) §. 1. ff. d. Rer. Diviſ. (b) Lib. 3. §. 1. ff. ne quid in loc. publ. L. 13. pr. ff. Comm. præd. (c) §. 5. R. D.

Digitized by Google

nis eſt. (*Vid. ſupr.* §. 17. *junct. Diſſert. proœm. XII. Lib.* 4.)

§. LXXI. *Sexto*, non agnoſcimus *dominium* aliquod *generale*, quod ex occupatione per univerſitatem acquiratur. (*Vid.* §. 18. & 24.). Rei dominium, etiam generale, naturali ratione non acquiritur, niſi res ſit in noſtra poteſtate corporali, & animus ſit eam tenendi; quod afferi nequit de rebus, quæ vel ſua natura in poteſtatem corporalem tranſire non poſſunt, ut flumen quoad aquam profluentem; vel in poteſtate noſtra corporali non ſunt, ut piſces, & feræ; vel nobis plane incognitæ ſunt, ut theſauri, gemmæ in littore, vel ripa inventæ. &c.

§. LXXII. Verum, *Septimo*, non eſt, in graviſſima neceſſitate, vel ſi innoxia eſt utilitas, jus primævum, i. e. jus commune rerum (quod nunquam exſtitit) reviviſcere. (*Vid.* §.20.)

§. LXXIII. *Octavo*, jus commune, quod Grotius humano generi, etiam poſt introductum dominium, *in actu* competere, ait (*vid.* §. 20.), merum figmentum eſt. Certiſſimum enim eſt, extraneos a conjugiis, & commerciis certarum rerum, ratione naturali excludi poſſe.

§. LXXIV. *Nono*, occupatio rerum nullius non ſequitur ex *Jure naturæ pro certo rerum ſtatu*, uti Grotius exiſtimat (*vid.* §. 21. *ſeq.*). Nam ea introducta eſt jure gentium, quod cum ipſo genere humano originem cepit. (*Vid. Diſſert. proœm. XII.*)

§. LXXV. *Decimo*, omnes diviſiones dominiorum, quas Grotius fingit (*vid.* §. 24.), uſum in jure naturali nullum habent: jure naturæ una faltem ſpecies dominii cognita eſt. Sane, [*a*] *Dominium eminens* male dominium vocatur, & rectius imperii nomine venit. [*b*] Naturæ *dominia minus plena* incognita, eaque ex pactis demum hominum orta ſunt. [*c*] Non datur *dominium externum*, quod jure gentium demum voluntario pro juſto dominio ad effectus externos habeatur, quia jus tale gentium plane non agnoſcimus. Sed & [*d*] *generale* dominium concipi non poſſe, §. 71. demonſtravimus.

§. LXXVI. *Undecimo*, obligatio, quam Grotius ex dominio oriri, ait, vel ex rebus exſtantibus, vel ex rebus non exſtantibus (*vid.* §. 27.), meris nititur figmentis, & conjecturis; & præterea obſcura admodum, & rationi naturali minime conveniens eſt.

Quid, quæſo, minus rationi conveniens afferi poteſt, quam introducto dominio hanc quaſi ſocietatem inter dominos contractam eſſe, ut qui rem haberet in ſua poteſtate, eam domino redderet: vel placuiſſe humano generi, ut quoties ex re mea factus aliquis eſt locupletior, lucrum illud reſtituat rei domino?

Alibi [d] diximus, effectum dominii eſſe, quod jus in rem ipſam habeat dominus; quod hoc jus defendere, & ſi ab alio poſſidetur, eam judicio, vel armis recuperare poſſit. Unde neceſſario ſequitur, poſſeſſorem illam domino vindicanti reſtituere teneri, ex regula generali juſtitiæ, quæ vult, jus ſuum cuique tribui.

Si autem res non exſtat, ſed periit, vel ſi agitur de fructibus ex re illa perceptis, vel de alia utilitate, quam dominus nunquam habuit, illa jura non actione reali, ſed perſonali petuntur, *Vid. diſſ. proœm. XII. Lib.* 5.

§. LXXVII. *Duodecimo*, verum non eſt,

(*d*) Vid. diſſert. proœm. XII. Lib. 4. C. 4.

Digitized by Google

eſt, præſcriptionem fundari in aliqua derelictione tacita, & præſumta (*vid.* §. 29.); ea enim nititur ſolo lapſu temporis, & in pœnam negligentiæ eſt introducta, adeoque mere civilis [o]. Sed nec id admitti poteſt, quod præſumta derelictione jus amittatur, niſi talia ſigna adſint, ex quibus evidentiſſime de animo derelinquendi conſtet; verum ad id non ſufficit lapſus temporis, etſi longiſſimi.

§. LXXVIII. *Decimo tertio*, quod ad modos finiendi dominium attinet, notandum eſt, GROTIUM [p] non tam modos finiendi dominii, quam imperii, propoſuiſſe [q]; obiter enim ſaltem de prioribus agit. [r]

§. LXXIX. *Decimo quarto*, circa acquiſitiones derivativas EX FACTO HOMINIS notandum eſt, 1. quod Grotius nudam alienationem ſufficere, putet, ad transferendum dominium [s], licet traditio non accedat; cum tamen alibi ſatis a nobis demonſtratum ſit, ſolis pactis naturali ratione dominium non transferri. 2. Quod Grotius teſtamenta ſpeciem alienationis naturalem faciat; cum tamen teſtamenta ſint meri juris civilis.

§. LXXX. *Decimo quinto*, circa acquiſitiones derivativas EX LEGE [t] varia notanda veniunt.

Primo enim alienatio, quæ fit per *expletionem juris*, nihil aliud eſt, quam *traditio*; res enim mea fit per traditionem ejus, qui jus tradendi habet, & qui tradit ex juſta dominii transferendi cauſa. [tt]

n. 1. *Secundo*, nulla Grotius magis in re errat, quam in deducenda origine ſucceſſionis naturalis. Quod enim SUCCESSIONEM PRIVATAM attinet, 1. verum non eſt, eam eſſe ſpeciem alienationis, quæ lege fit [u]. Nam ratio naturalis, cur liberi ſuccedant, non conſiſtit in diſpoſitione legis, quaſi lex dominium transferat ex præſumta aliqua voluntate teſtatoris; ſed quia liberi ex voto parentum in corpus familiæ adoptantur, & tamquam partes familiæ eam poſt mortem patris continuant.

2. Verum non eſt, ſucceſſionem tantum eſſe modum acquirendi *dominii*; nam in hæredem etiam *jura perſonalia* tranſeunt: adeoque eſt ſaltem modus acquirendi dominii intuitu rerum, quæ in dominio defuncti fuere, quod dominium jure ſucceſſionis in hæredes tranſit.

n. 2. Verum 3. non eſt, præſumtionem illam, *quod dominus, qui diſponere de re ſua poteſt, nec diſponit, videatur moriens bona ſua derelinquere noluiſſe* [v], naturalem eſſe. Jure naturæ enim ex conjecturis nulla diſpoſitio elici poteſt: præſumtiones, inprimis adeo vagæ, & incertæ, de voluntate defuncti nihil definire poſſunt. Cum ergo de voluntate diſponentis certo non conſtet, nullum jus agnatis in bona defuncti competit.

4. Immo contraria potius conjectura hic obtinere videtur, quod dominus, qui diſponere de re ſua poteſt, nec diſpoſuit, omnino moriens derelinquere bona ſua videatur.

5. Verum non eſt, *credi defunctum voluiſſe*

(o) Vid. Lib. 2. Cap. 4. §. 1. ibique not. (p) Vid. ſupr. §. 62. (q) Lib. 2. Cap. 9. vid. ſupr. §. 63. (r) in d. Cap. 9. §. 1. (s) Vid. ſupr. § 32. (t) Vid. ſupra §. 36. (tt) Vid. ſupr. § 38. (u) Vid. ſupr. §. 37. & 39. (v) Vid. ſupr. §. 39. n. 5.

Digitized by Google

voluiſſe id, quod æquiſſimum eſt [x]: cum enim plane nihil voluerit, ſed abſque declaratione voluntatis mortuus ſit, fruſtra de præſumta voluntate quæritur.

6. Etſi quoque defunctus credatur voluiſſe id, quod æquiſſimum eſt, non tamen inde ſequitur, [*a*] id jus eſſe, i. e. neceſſitatem inferre; nam ex eo, quod honeſtum eſt, nemini jus agendi acquiritur. Nec porro [*b*] inde ſequitur, *æquiſſimum eſſe bona relinquere liberis* [y]; æquius enim eſt ea dividere inter pauperes, inprimis ſi liberi ſunt divites, vel male morati.

7. Omnium minime ratio admitti poteſt, quæ pro ſucceſſione in linea recta a Grotio [z] affertur; *quaſi loco alimentorum ſit.* Nam alibi probatum dedi, ex neceſſitate alendi non ſequi neceſſitatem ſuccedendi; quod etiam inde apparet, quia neceſſitas alendi deſinit, ex quo liberi ſe ipſos alere poſſunt. Adeoque ſucceſſionis jus etiam tunc finiretur.

8. Unde & ficta illa æquitas, *quæ nepotes ob debitum alendi in locum liberorum præmortuorum vocat* [a], mere cerebrina eſt: ea enim ſucceſſio ex plane alia cauſa ſequitur.

9. Sed & verum non eſt, *parentibus alimenta deberi, eoque ſucceſſionem* [b]. Nam præterea quod ex neceſſitate alendi non ſequatur ſucceſſio, uti vidimus, certum eſt, parentes a liberis nullo jure ali debere, adeoque ex ipſa hypotheſi Grotii ceſſat ſucceſſio.

10. Quod vero parentes jure naturæ laxiori, id eſt propter regulas perfectionis, ali debeant, inde non ſequitur jus ſuccedendi inter homines; id enim ex alio capite deduci debet.

11. Jure naturæ ſucceſſio collateralis non ſequitur ex *officio reddendæ gratiæ* [c]. Sane, non ſequitur: bona a proximo venerunt, ergo ejus hæredibus reddi debent. Vera ratio eſt, quod agnati quoque continuent familiam, adeoque jura familiæ. Succeſſiones ergo non deficiunt, quamdiu corpus familiæ ſubſiſtit.

Sed nec ratio, *quod defunctus cenſeatur chariſſimo relinquere voluiſſe bona in noviter quæſitis*, probatur [d]. Sane, res exitum habere non poſſet, & infinitæ inde oriturae eſſent lites; quilibet enim ſe chariſſimum prædicabit. Si ais, chariſſimum eſſe proximiorem, id admodum fallit; odio enim ſæpius proximos perſequimur, & remotiores, quin extraneos ſæpius amiciſſimos habemus.

12. Denique GROTIUS ipſe fatetur, *collateralium ſucceſſionem non ex debito, ſed ex officio ſequi*, & jure gentium demum his præſumtionibus firmitatem inditam eſſe. [e]

13. Nos rationem ſucceſſionis naturalem ex ſimpliciſſimis principiis, nimirum, ex jure familiæ, quod inter parentes, liberos, & agnatos conſtituitur, deduximus. Unde non tantum jus ſuccedendi inter aſcendentes, & deſcendentes, ſed & in aliis gradibus cognationis neceſſario ſequitur. [f]

§. LXXXII.

(*x*) Vid. ſupr. §. 39. n. 6. (*y*) d. §. 39. n. 7. (*z*) d. §. 39. n. 7. (*a*) d. §. 39. n. 8. (*b*) d. §. 39. n. 9. (*c*) Vid. ſupr. §. 39. n. 10. & ſeq. (*d*) Vid. ſupr. §. 39. n. 14. (*e*) d. §. 39. n. 15. (*f*) Vid. Diſſert. proœm. XII. Lib. 4. Cap. 4. Sect. 3. per tot.

§. LXXXI. Quod ad SUCCESSIONEM PUBLICAM attinet, Grotius hanc materiam adhibitis infinitis diſtinctionibus adeo confundit, ut ipſe exitum invenire non poſſit. Omnes enim illæ diſtinctiones [g] [*a*] inter ſucceſſionem in regnis patrimonialibus, & hæreditariis: [*b*] inter ſucceſſionem hæreditariam, cognaticam, agnaticam, & mixtam: [*c*] inter ſucceſſionem in regnis dividuis, & individuis, & [*d*] in regnis, in quibus illud jus repræſentandi obtinet, & in quibus non obtinet &c.; omnes, inquam, hæ diſtinctiones rem magis implicant, quam explicant, quod ex eis, quæ ſupra §. 40. ſeq. excerpta ſunt, ſatis apparet.

n. I. B. PARENS ex paucis, & ſimpliciſſimis principiis totam in regnis ſuccedendi rationem explicavit. In regnis enim ex voluntate populi delatis omnia dependent a voluntate populi, qui ſi regnum *in genere* defert *familiæ*, illud ex natura regni [*a*] defert uni, [*b*] maſculo, [*c*] ejuſque lineæ, idque ex jure tranſmiſſionis naturalis. Adeo ut ſucceſſio linealis ſola ſit naturalis, & tamdiu obtineat, donec vel moribus, vel legibus regni aliud receptum eſſe probetur. [h]

§. LXXXII. *Decimo ſexto*, acquiſitiones dominii, quas GROTIUS [i] *Juri gentium voluntario* tribuit, plane non admittimus, quia jus tale gentium non exiſtit.

Atque hactenus verum eſt, modos acquirendi dominii, quos JCti Romani juri gentium tribuunt, non eſſe juris gentium voluntarii. At id admitti non poteſt, quod Grotius ſtatuit, eos eſſe juris Romani; nam omnes, quotquot in titulo *de acquirendo rerum dominio* extant, acquirendi modi, ſunt juris naturalis. Et hactenus injuria notari JCtos Romanos, alibi [k] demonſtravimus.

§. LXXXIII. *Decimo ſeptimo*, de poſſeſſione, ejuſque jure, GROTIUS [l] pauca ſaltem tradit, & pleraque minus apte. Nam 1. verum non eſt, poſſeſſoria judicia eſſe mere juris civilis, & jure gentium poſſidendi jus dominium ſequi. Etenim naturali quoque jure diverſa ſunt poſſeſſio, & dominium; & alius dominus, alius poſſeſſor rei eſſe poteſt, poſitis terminis habilibus. [m]

Hinc 2. male ſtatuit, arbitros de principali negotio ſtatuere debere, non de poſſeſſione. Quid ſi enim de neutrius jure conſtet, ſed ſaltem de facto poſſeſſionis? tunc de ſolo facto poſſeſſionis (inprimis cum periculum ſit, ne interim partes ad manus veniant) pronuntiare poterunt. Sane, ipſe Grotius 3. concedit, in dubio (i. e. ubi jus dubium eſt) etiam naturali ratione meliorem conditionem eſſe poſſidentis [n]; adeoque poſſeſſionis effectum naturalem ſeparatum a dominio ipſe agnoſcit.

Denique, & 4. omnes illi effectus poſſeſſionis, quos Juri gentium tribuit, partim ficti, partim juris naturalis ſunt, quod ſingulis locis videbimus. [o]

§. LXXXIV.

(*g*) Vid. ſupr. §. 11. ſeq. (*h*) Vid. Diſſert. proœm. XII. Lib. 6. Cap. 7. Sect. 1. (*i*) Vid. ſupr. §. 15. (*k*) Vid. Diſſert. proœm. XII. Lib. 6. Cap. 4. (*l*) Vid. ſupr. §. 52. (*m*) Vid. diſſert. proœm. XII. Lib. 4. Cap. 3. (*n*) Lib. 2. C. 23. §. 11. Lib. 4. Cap. 2. §. 8. (*o*) Conf. ſupr. §. 56.

§. LXXXIV. *Decimo octavo*, naturam *ſervitutum*, & *pignoris*, nullibi rite explicat, ſed obiter ſaltem hæc jura tangit [p]; utramque tamen ſpeciem ad jus in re refert, & quidem ad modos acquirendi dominii derivativos. Nos demonſtrabimus ſuo loco [q], *ſervitutes*, & *jus pignoris* nulla ratione jus in rem ipſam inferre, ſed omne jus hoc ex diſpoſitione, & ex pacto oriri, adeoque ſpecies has pertinere ad obligationes perſonæ. Sane, in utroque hoc negotio vel ſecuritas, vel utilitas in re noſtra aliis pacto conceditur; ex qua diſpoſitione non magis dominium minus plenum in alterum transfertur, quam per commodatum, locationem, & depoſitum.

§. LXXXV. *Decimo nono*, originem dominii, modoſque illud acquirendi, ex veris juris naturæ principiis infra explicabimus. [r]

(p) Vid. ſupr. §. 58. (q) dict. diſſert. procem. XII. Lib. 4. Cap. 4. Sect. 6. & 7. (r) dict. diſſert. procem. XII. Lib. 4. Cap. 4.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS VII.
DE OBLIGATIONE PERSONÆ

Et actionibus, quæ inde oriuntur.

AD HUGONIS GROTII LIBROS

DE JURE BELLI AC PACIS.

Præcipue

Ad Lib. II. Cap. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX, & XXI.

Ubi *tertium Juris objectum* ſecundum hypotheſin GROTII explicatur, ac ratio *Obligationum Perſonæ* exponitur: *Regulæ Interpretationum*, quas GROTIUS, ſi dubia ſunt pacta, ſuppeditat, proponuntur: *Pœnarum Jura* ex ejuſdem GROTII principiis deducuntur: tandem monita quædam generalia ſingulis capitibus ſubjiciuntur.

Digitized by Google

SUMMARIA.

§. I. *Diſpoſitio ſyſtematis* Grotiani. §§. ſeqq.
VIII. *De obligatione perſonarum ex pacto, & contractu.* per tot. Cap. I.
IX. *An ex quolibet pacto jure naturæ oriatur obligatio?*
Refellitur CONNANUS. Ibid.
X. *Cauſa obligationis ex pacto* GROTIO *eſt jus ſociale.*
XI. *Diviſiones pactorum.*
XII. *De pactis publicis, ſpeciatim de fœderibus.*
XIII. *Requiſita pactorum.* §§. ſeqq.
De pacto per errorem contracto. Ibid.
An metus impediat obligationem? Ibid.
An dolus vitiet promiſſionem? Ibid.
XVI. *Objectum pactorum.*
XVIII. *Effectus promiſſorum intuitu privatorum.* cum §. 20.
XIX. *Et intuitu principum, ac ſucceſſorum.*
XX. *Modi finiendi obligationem ex promiſſo.*
XXI. *De adjectione oneris, vel conditionis.*
XXIV. *Differentia pactorum, & contractuum.* §§. ſeqq.
XXVII. *Specialia quædam circa emtionem venditionem.* §§. ſeqq. & §. 35.
XXXI. *Specialia quædam circa locationem conductionem.* §. ſeq.
XXXIII. *De uſuris.*
XXXIV. *Specialia circa ſocietatem.*
XXXVI. *De jurejurando.* §§. ſeqq.
LI. *De interpretationum regulis.* §§. ſeqq.
LVIII. *Monita quædam circa ſyſtema* GROTII *de obligationibus ex promiſſis.* §§. ſeqq.
LIX. *De obligatione perſonarum ex delicto.* §§. ſeqq.
LXV. *De pœnis.* §§. ſeqq.
LXX. *An pœnæ capitales licitæ ſint natura?*
LXXXVI. *Monita quædam circa ſyſtema* GROTII *de obligatione ex delictis.* §§. ſeqq.
XCI. *De obligatione ex quaſi contractu, & ex quaſi delicto, juxta hypotheſin* GROTII. §§. ſeqq.
XCV. *Vera ratio hujus obligationis.* §§. ſeqq.
XCIX. *De obligatione, quæ oritur ex Jure gentium voluntario.*
C. 1. *Intuitu legatorum.* §§. ſeqq.
CVIII. 2. *Ex jure ſepulturæ.* §§. ſeqq.
CXI. 3. *Ex aliis diverſis capitibus.*
CXII. *Monita quædam circa has obligationes Juris gentium.*

PROOEMIUM.

§. I. GROTIUS ex injuria facta obligationem oriri, ſtatuit, aut *ut reparetur*, aut *ut puniatur*. [a]

Quod reparandum venit, aut ſpectare, ait, id, quod *noſtrum eſt*, *vel fuit* (quo refert acquiſitiones jurium in perſo-

(a) Lib. 2. Cap. 2. §. 2.

Digitized by Google

perſonas, & res): aut id, quod nobis *debetur* (ſcilicet ex obligatione perſonæ).

§. II. Abſolvimus priorem ſpeciem, nimirum, quod ideo reparandum venit, quia aliquid *noſtrum eſt, vel fuit:* ſequitur jam ſpecies poſterior.

§. III. *Deberi* autem nobis aliquid, exiſtimat, vel ex *jure naturæ*, vel ex *jure gentium*. JURE NATURÆ ſive ex *pactione*, ſive ex *maleficio*, ſive ex *lege*; quo refert quaſi contractus, & quaſi delicta [b]. JURE GENTIUM 1. ex jure legationum, 2. ex jure ſepulturæ, 3. ex variis cauſis. [c]

§. IV. *Primo* igitur agemus de eo, quod juxta ſyſtema Grotii *Jure naturæ* nobis debetur ex promiſſo. Ubi explicabimus 1. ſyſtema Grotii de promiſſione in genere [d]. 2. In ſpecie differentiam indagabimus, quam inter pacta, & contractus conſtituit [e]. 3. Examinabimus juramenta, quæ firmandorum contractuum cauſa accedere ſolent [f]? nec non 4. regulas interpretationum in dubia conventione [g]. Quibus 5. monita quædam addemus.

§. V. *Secundo* proponemus id, quod ex hypotheſi GROTII *Jure naturæ* nobis debetur *ex maleficio* [i]: eaque occaſione materiam de pœnis explicabimus [k], & monita quædam ſubjiciemus. [l]

§. VI. *Tertio* explicabimus id, quod juxta ſententiam Grotii *Jure naturæ* nobis debetur *ex lege*, i. e. ex quaſi contractu, vel quaſi delicto, adjectis quibuſdam monitis. [m]

§. VII. *Quarto* examinabimus doctrinam Grotii de eo, quod nobis debetur *Jure gentium voluntario* [n]; ubi de legatis, & jure ſepeliendi agetur.

CAPUT I.

De Obligatione Perſonarum ex pacto, & contractu, juxta hypotheſin GROTII.

§. VIII. GROTIUS naturale, ait, eſſe, ſtare pactis [o]; idque ex eo probat, quod voluntate ſufficienter declarata transferri dominium rei poſſit: quidni ergo jus in perſonam, ut illa aut præſtet aliquid, aut agat? Quippe cum in actiones noſtras par jus habeamus, ac in res noſtras, nihilque tam congruum ſit fidei humanæ, quam ea, quæ inter paciſcentes placuerunt, ſervare. [p]

§. IX. His principiis poſitis Grotius examinat quæſtionem, *an ex omni pacto jure naturæ oriatur obligatio?* Quidam id negant, & ex eo demum pacto obligationem naturali ratione oriri, ſtatuunt, *cui ſynallagma ineſt*, i. e. quoties ejus, cui aliquid promittitur, intereſt

(b) Lib. 2. Cap. 2. §. 2. Cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. (c) Lib. 2. Cap 18. & 19. (d) Vid. infr. Cap. 1. per tot. (e) Vid. infr. §. 24. ſeq. (f) Vid. infr. §. 36. ſeq. (g) Vid. infr. §. 51. ſeq. (i) Vid. infr. Cap. 11. (k) Vid. infr. Cap. 11. Sect. 1. (l) Vid. infr. C. 11. Sect. 2. (m) Vid. Cap. 3. (n) Vid. infr. Cap. 4. (o) Proleg. §. 15. Lib. 2. Cap. 11. §. 1. ſeq. (p) Lib. 2. C. 11. §. 1. n. 3. & 4.

tereſt [q]. Atque his Grotius advocatum dat CONNANUM, qui ſequentibus rationibus ſententiam ſuam adſtruit. 1. Quia æque culpa eſt ejus, qui temere nulla de cauſa pollicenti credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit promiſſionis. 2. Quod fortunis omnium magnum immineat periculum, ſi promiſſo, quod ſæpius ex oſtentatione magis, quam ex voluntate proficiſcitur, aut ex voluntate quidem, ſed levi, & parum conſiderata, homines tenerentur. 3. Quod juſtum fuerit, quædam honeſtati cujuſque relinquere, nec ad neceſſitatem obligationis exigere. Unde concludit 4. turpe eſſe promiſſa non implere, non quod injuſte id fiat, ſed quod detegatur promiſſionis levitas. Idque 5. confirmat CICERONIS auctoritate, qui ait, promiſſa ſervanda non eſſe, quæ illis, quibus promiſeris, inutilia ſunt, vel quæ plus ſibi nocent, quam illi proſunt, cui promiſeris. Atque hanc 6. rationem eſſe, ait, cur jure Romano pacta vim, quam ex ſe non habent, accipiant aut ex contractibus quibus inſunt, vel adjiciuntur; aut ex lege traditioni adjecta; aut ex legum beneficio, v. gr. ſtipulatione accedente: & cur 7. ſi res integra non ſit, non debeatur id, quod promiſſum eſt, ſed quod intereſt.

n. 1. Grotius rejicit hanc CONNANI ſententiam generaliter nimis propoſitam his rationibus. 1. Quia inde ſequeretur, nullum effectum fore pactorum inter ſummas poteſtates, quamdiu ex illis nihil præſtitum eſt. 2. Quia nulla ratio reperiri poſſit, cur lege, i. e. pacto populi, obligatio introduci poſſit, non autem voluntate cujuſque hoc omni modo agentis, ut ſe obliget. 3. Quia dominium rei voluntate domini in alium transferri poteſt, quidni & jus in perſonam? Idque probat 4. ex ſapientum conſenſu [r]: in quem finem allegat JCtorum Romanorum regulam, nihil eſſe tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare. [s]

Porro & 5. concedit, leges Romanas ſpecialia quædam ſigna, ex quibus animus deliberatus obligandi appareret, conſtituiſſe, uti ſtipulationem; at ratione naturali alia quoque deliberati animi ſigna dari: CICERONEM autem nimis laxe locutum eſſe. [t]

n. 2. Rejecta ergo hac opinione Grotius explicat ſuam ſententiam, & omnem vim obligandi, quæ ex pactis oritur, dependere, ait, a triplici gradu loquendi de rebus futuris, quæ noſtræ ſunt, aut fore putantur [u]. Vel enim 1. aliquis in genere declarat, ſe animum habere dandi 100 Titio, at in ea cogitatione non perſeverat: hoc caſu nullam ex tali declaratione obligationem oriri, & mutari proinde hoc conſilium poſſe, ait; vitio tamen eam non carere, ſi tempore aſſertionis id non ſerio cogitavit [v]. 2. Si voluntas ſe pro futuro tempore actu determinat cum perſeverandi neceſſitate, altero licet ignorante (quam declarationem vocat pollicitationem) obligationem inde oriri, exiſtimat, ex jure naturæ laxiori, unde ſcilicet alteri jus non quæritur [x]. Si quis vero 3. non tantum voluntatem declarat præſentem, & ſignum perſeverantiæ addit, ſed præterea

(*q*) Lib. 2. C. 11. §. 2. (*r*) Lib. 2. C. 11. §. 1. n. 4. (*s*) Vid. Leg. 1. ff. de pactis. §. 4c. Inſt. rer. diviſ. Conf. Leg. 1. ff. conſt. pec. Leg. 84. §. 1. de R. J. (*t*) d. §. 4. n. 3. junct. Lib. 2. C. 16. §. 22. n. 2. (*u*) Lib. 2. Cap. 11. §. 11. n. 5. (*v*) Lib. 2. Cap. 11. §. 2. (*x*) Lib. 2. Cap. 11. §. 3. & 4. n. 1.

terea jus proprium in alterum transfert, *i. e.* præſenti, vel acceptanti promittit; hanc demum perfectam eſſe promiſſionem, ſtatuit, unde plena oriatur obligatio: idque conſenſu gentium probat.

n. 3. Pactum igitur, ſeu perfecta promiſſio, ex hypotheſi Grotii definitur: *Voluntas, quæ ſe ipſam pro futuro tempore determinat, cum ſigno ſufficiente ad indicandam perſeverandi neceſſitatem, & ad transferendum alteri jus proprium.* [y]

§. X. Cauſam obligationis ex tali pacto Grotius ſtatuit jus ſociale; ita enim diſerte eo refert promiſſorum implendorum obligationem [z]. Nam id, quod debetur, ad facultatem, ad id, quod noſtrum eſt, adeoque ad jus proprie, & ſtricte dictum, refert [a], ex quo datur actio ad reparandum. [b]

Promiſſiones autem dandi, ait, oriri ex *Jure naturæ pro certo rerum ſtatu*; poſtquam, nimirum, dominia, eoque facultas de rebus diſponendi, introducta eſt, i.e. ex quo conſenſu tacito primorum hominum a primæva rerum communione diſceſſum, & voluntate humana facultas occupandi ſingulis conceſſa eſt. [c]

§. XI. Grotius dividit promiſſiones 1. in pacta ſimplicia, & contractus [d]; de quibus agemus ſectione ſequenti: 2. in reales, & perſonales [e]: 3. in tacitas, & expreſſas [f]: 4. in promiſſiones dandi, & faciendi [g]: 5. in publicas, & privatas. [h]

§. XII. Publicæ conventiones Grotio dicuntur, quæ niſi jure imperii majoris, aut minoris, fieri nequeunt; eaſque dividit in *fœdera*, *ſponſiones*, & *alias pactiones*. [i]

n. 1. Foedera fieri, ait, juſſu ſummæ poteſtatis: eorumque quædam idem conſtituere, quod eſt juris naturalis; quædam aliquid ei adjicere. [k]

n. 2. Poſteriora eſſe vel *æqualia*, vel *inæqualia*. *Illa* definit, quæ utrinque eodem modo ſe habent; *hæc*, quæ minus dignos reſpiciunt. [l]

n. 3. Quærit Grotius: 1. an liceat fœdera inire cum his, qui a vera religione alieni ſunt [m]? Simulque eam quæſtionem affirmat, & talia fœdera neque jure naturæ, neque jure Moſaico improbari, ait [n]; eamque regulam ex ipſo exemplo populorum damnatorum probat [o]: immo nec legem Evangelii hac in parte aliquid mutaſſe, tradit [p]. Ubi tamen monita quædam adhibet. [q]

n. 4. Quærit 2. ſi plures bellum gerunt, utri potius opem ferre debeat qui utrique eſt fœderatus? Reſpondet, præferri eum, qui juſtam habet cauſam, etſi cum antiquiori fœderato res ſit [r]: ſi utriuſque cauſa injuſta eſt, neutri mittenda eſſe auxilia [s]: ſi uterque juſta ex cauſa bellum gerit, utrique mitti debere [t]: ſi præſentia promit-

(*y*) Lib. 2. C. 2. §. 3. pr. & §. 4. pr. (*z*) Prol. §. 8. §. 15. Lib. 2. C. 11. §. 1. n. 3. ſeq. & §. 4. Lib. 3. C. 19. §. 1. & 2. (*a*) Lib. 1. C. 1. §. 5. (*b*) Lib. 2. C. 1. §. 2. (*c*) Vid. diſſert. proem. 8. fin. (*d*) Lib. 2. C. 11. §. 1. n. 2. & Cap. 12. per. tot. (*e*) Lib. 2. C. 16. §. 16. n. 1. & 3. (*f*) Lib. 3. C 1. §. 18. (*g*) Lib. 2. C. 11. §. 4. n. 1. (*h*) Lib. 2. C. 15. §. 1. (*i*) Lib. 2. C. 15. §. 1. (*k*) Lib. 2. C. 15. §. 4. & 5. (*l*) d. C. 15. §. 4. & 5. (*m*) d. C. 15. §. 8. (*n*) d. §. 8. (*o*) d. C. 15. §. 9. (*p*) d. C. 15. §. 10. (*q*) d. C. 15. §. 9. 10. 11. & 12. (*r*) d. C. 15. §. 13. Lib. 2. C. 25. §. 4. (*s*) d. C. 15. §. 13. n. 2. (*t*) d. C. 15. §. 13. n. 3.

mittentis requiritur, præferri antiquiorem [u]; niſi poſterius fœdus ſubjectionem quandam contineat. [v]

n. 5. Finiri fœdus, ait, [*a*] finito tempore; adeo ut elapſo tempore nec tacite renovatum intelligatur [x]: [*b*] violato fœdere ab altera parte. [y]

n. 6. SPONSIONES ſunt, quoties hi, qui a poteſtate ſumma mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt, quod illam proprie tangit. [z]

n. 7. Grotius ſponſionum tot eſſe materias poſſe, ait, quot fœderum. [a]

Ex tali ſponſione, ſi a ſumma poteſtate improbatur, hanc quidem non obligari, exiſtimat; at ſponſores obligari ad rem reſtituendam in eum ſtatum, in quo erat ante ſponſionem. Si non poteſt reſtitui, bona, & operas ſponſorum, non vitam, obligari [b]. Sed & milites obligatos eſſe, ait, ſi ipſorum juſſu, ac nomine ſponſio facta ſit. [c]

n. 8. Quærit Grotius, an ſponſio obliget ſummam poteſtatem ex notitia, & ſilentio? Quod affirmat, ſi pure ſponſio facta eſt; non, ſi ſub conditione inita, *ſi rata haberetur a ſumma poteſtate.* [d]

Modo præter ſilentium res aliqua acceſſerit, quæ probabiliter ad aliam cauſam referri nequeat. [e]

n. 9. ALIÆ PACTIONES PUBLICÆ ſunt, quas duces, & milites de re privata ſua; aut ſibi permiſſa, faciunt; uti ſi hoſti fidem dant, de quo Grotius alibi agit. [f]

§. XIII. Ut quis valide obligari poſſit, Grotius requirit 1. *ut diſponens habeat uſum rationis* [g]. Unde excludit furioſos, & infantes; non vero minores, & fœminas [h]. 2. *Ut voluntas promittentis ſatis ſit declarata per actum aliquem externum* [i]. Juris enim effectus, qui ab animo pendent, non poſſe tamen ad ſolum animi actum conſequi, ait, niſi is actus ſignis quibusdam indicatus ſit; quia nudis animi actibus efficientiam tribuere non fuerat congruum naturæ humanæ, quæ niſi ex ſignis actus cognoſcere non poſſit. Actibus autem humanis ſufficienter indicatis, non pati naturam humanæ ſocietatis, ut nulla ejus actus ſit efficacia. Unde concludit, id, quod ſufficienter indicatum eſt, pro vero haberi adverſus eum, qui indicavit. [k]

n. 1. Non ergo ex promiſſione obligari, ait, 1. illos, qui ex *errore* promittunt; ſi ſcilicet error ſe fundat in promiſſione quadam facti, quod non ita ſe habet: aliud autem obtinere, ſi fuit talis error, in quo promiſſio non fundatur [l]. Rationem addit, quia id, quod per errorem creditum eſt, in mente agentis vim habet conditionis [m]. Convaleſcere tamen promiſſionem, ait, ſi re cognita promiſſor ſtare velit pacto. [n]

n. 2. An 2. *metus* impedit obligationem? Negat Grotius, quia actio, quæ ex metu oritur, eſt voluntaria. [o]

Attamen eum, qui infert metum injuſtum, jus inde non conſequi, ſtatuit [p], ſed eum teneri ad liberandum promiſſorem [q]; non quod inefficax fuerit promiſſio; ſed ob damnum injuria datum,

(*u*) d. C. 15. §. 13. n. 3. (*v*) d. C. 15. §. 13. n. 4. (*x*) d. C. 15. §. 14. (*y*) d. C. 15. §. 15. (*z*) Lib. 2. C. 15. §. 3. (*a*) Lib. 2. C. 15. §. 16. n. 1. (*b*) d. C. 15. §. 16. n. 1. 2. 3. & 4. (*c*) d. C. 15. §. 16. n. 3. (*d*) d. C. 15. §. 17. n. 1. Lib. 3. C. 22. §. 12. (*e*) d. C. 15. §. 17. n. 2. & 3. (*f*) Lib. 3. C. 22. (*g*) Lib. 2. C. 11. §. 5. n. 5. (*h*) Lib. 2. C. 11. §. 5. n. 1. & 2. Lib. 2. C. 23. §. 3. (*i*) Lib. 2. C. 11. §. 12. (*k*) Lib. 2. C. 4. §. 3. & C. 20. §. 18. (*l*) L. 2. C. 11. §. 6. (*m*) Lib. 3. C. 23. §. 2. (*n*) Lib. 2. C. 11. §. 20. (*o*) Lib. 2. C. 11. §. 7. (*p*) Lib. 2. C. 11. §. 7. n. 2. & C. 13. §. 14. (*q*) d. C. 13. §. 14. L. 2. C. 17. §. 17. Lib. 3. C. 19. §. 4.

Digitized by Google

datum, cujus aut reſtitutionem petere, aut ſi alter reſtituere nolit, ipſe ſibi eam præſtare poſſit [r]. Atque ex hac ratione leges quoque civiles actus tales reſcindere, exiſtimat. [s]

Excipit autem ab allegata regula, *quod metum inferens liberare promiſſorem teneatur*, 1. ſi ipſe promiſſor cauſam metui dedit [t], 2. ſi metus juſtus eſt, ut in juſto bello [u]; quia quod promiſſum eſt hoſti, irritum fieri nequit [v], adeo ut nec ſolutum repeti poſſit. [x]

n. 3. An 3. *dolus* impedit obligationem? Grotius diſtinctiones juris Romani, nimirum, an dolus cauſam dederit contractui, an non? an alter ſciverit dolum, an ignoraverit? an actus ſit ſtricti juris, an bonæ fidei? Juris civilis eſſe, ait [y]; & tandem concludit, contrahentem dolo alterum in integrum teneri reſtituere. [z]

n. 4. Voluntatem autem etiam per alium declarari poſſe, ait, ſi is noſtra voluntate electus ſit ut inſtrumentum: adeo ut ſi ſub generali notione electus ſit, nos obliget etſi contra voluntatem noſtram agat [a]. Unde præpoſitos negotiationi obligare dominos jure naturæ, ait [b], non tamen in ſolidum. [c]

§. XIV. *III.* Ut quis valide obligari poſſit, requiri, ait, *ut alter acceptet* [d]. Pro acceptione autem haberi, ſtatuit; ſi ante forte idem rogavit, quod nunc promittitur, quia durare voluntas videtur [e]. Neque opus eſſe, putat, ut acceptatio innoteſcat promiſſori, niſi in ſpecie ita promiſſum ſit; *Volo ut valeat, ſi acceptatum intellexero.* [f]

n. 1. Acceptare vero promiſſionem poſſe, ait, omnes, qui uſum rationis habent; non ergo infantes, & furioſos. [g]

n. 2. Qamdiu autem nondum acceptavit is, cui promittitur [h], vel ſi præmoritur, revocari promiſſionem poſſe, tradit. [i]

n. 3. Quæritur, utrum revocari poſſit promiſſum, quod per nuncium declaratur? GROTIUS diſtinguit, an nudus nuncius ſit, an vero electus ſit ut ipſe promittat? *Priori* caſu valere revocationem, ait, quia vox nuncii eſt vox domini, adeoque ea revocata hujus vox nullum effectum habere, putat, etſi nuncius id neſciverit, & detulerit [k]. *Hoc* caſu irritam eſſe revocationem, quod vox deferentis ſeparata videatur a voce domini, adeoque ex ſua promiſſione teneatur [l]. Sed & *priori* caſu mortuo donatore poſſe acceptari donationem, ait, quia facta eſt; *altero* caſu non, quia non facta eſt, ſed mandata fieri. [m]

n. 4. In dubio tamen mandantis voluntatem fuiſſe cenſeri, ut impleatur donatio; niſi magna mutatio intervenerit, v. gr. mors, vel conjecturæ adſint, quæ contrarium ſuadeant; uti ſi quid piæ cauſæ dari mandatum eſt. Atque hac ratione decidi poſſe, ait, quæſtionem, an in hæredem detur mandati actio. [n]

n.

(*r*) Lib. 3. C. 23. §. 2. d. C. 11. §. 7. n. 2. (*s*) Lib. 2. C. XI. §. 7. n. 3. (*t*) d. Lib. 2. C. 17. §. 18. (*u*) d. Lib. 3. C. 19. §. 12. Lib. 2. C. 17. 19. (*v*) d. C. 19. §. 11. n. 2. (*x*) Lib. 2. C. 17. §. 19. (*y*) Lib. 2. C. 11. §. 6. (*z*) Lib. 2. C. 17. §. 17. Lib. 3. C. 21. §. 25. (*a*) Lib. 2. C. 11. §. 12. (*b*) Lib. 2. C. 11. §. 13. (*c*) d. §. 13. (*d*) Lib. 2. C. 11. §. 14. & C. 16. §. 32. Conf. 2. C. 2. (*e*) Lib. 2. C. 11. §. 14. (*f*) d. C. 11. §. 15. (*g*) Lib. 3. C. 19. §. 1. n. 2. (*h*) Lib. 2. C. 11. §. 16. (*i*) d. C. 11. §. 16. (*k*) Lib. 2. C. 11. §. 17. (*l*) Lib 2. C. 11. §. 17. (*m*) Lib. 2. C. 11. §. 17. (*n*) Lib. 2. C. 11. §. 17. n. 2.

n. 5. Si quis pro altero acceptat, diſtinguit Grotius, *an* promiſſio mihi fiat de re alteri danda, *an* promiſſio in ipſius nomen ſit collata, cui res danda eſt? *Priori* caſu jus mihi dari efficiendi ut ad alterum jus perveniat, ſi & is acceptet; cujus effectum eſſe, ait, quod promittentem medio tempore pœnitere non poſſit, ego autem remittere promiſſori obligationem poſſim [o]. *Poſteriori* caſu, ſi promiſſio in nomen ejus collata eſt, cui danda res eſt, & ego acceptans ſpeciale mandatum acceptandi pro alio habeo, ſtatim perfici promiſſionem, ait, etſi acceptatio ſit alieni juris; ſi mandatum non habeo, hactenus promiſſionem valere, ut pœnitere non poſſit promiſſorem ante, quam is, quem ſpectat promiſſio, eam ratam habuerit, aut irritam: ſed & acceptantem remittere non poſſe obligationem promiſſori, quia hic non adhibitus eſt ad jus aliquod acceptandum, ſed ad adſtringendam promiſſionis fidem in ſuſtentando beneficio, ita ut promiſſor etſi non contra jus alterius faciat, faciat tamen contra fidem. [p]

§. XV. *IV.* Requiri, ait, ad validitatem obligationis, ut *jus proprium ex promiſſione in alterum translatum ſit* [q]: hinc pollicitationis, miſericordiæ, gratiæ reponendæ, fidelitatis, ſeu conſtantiæ debitum, obligare quidem, ſed proprium jus alteri non conferre [r]; indeque jus exigendi non competere. (*Vid. Diſſert. proœm. II.*)

§. XVI. Promittere juxta hypotheſin Grotii poſſunt omnes homines ratione utentes [s]; adeoque etiam minores [t], ſervi [u], fœminæ [v]; reges ſubditis [w], & hoſtis hoſti. [x]

§. XVII. Grotius objectum promiſſionum eſſe, ait, 1. res, 2. facta.

n. 1. *Re* promiſſa requirit, ut res ſint in jure promittentis, vel ſaltem eſſe poſſint [y]: etiam futuræ [z], etſi noxiæ ſint promiſſori. [a]

Non vero valere, ait, promiſſionem 1. rei illicitæ [b], 2. impoſſibilis [c], 3. quæ cauſam vitioſam habet [d]; cum alter impellatur ad malum, niſi perpetratum jam ſit crimen [e]. 4. Si de cauſa publica agitur [f]; uti ſi miles promittit hoſti, ſe nolle in eum arma vertere [g]. 5. Si lex civilis pacta irrita reddit. [h]

n. 2. *Factum* quoque promitti poſſe, tradit, etiam alienum; & tunc liberari promittentem operam præſtando. [i]

§. XVIII. Effectum promiſſionum a parte ejus, qui promittit, eſſe, ait, 1. quod re promiſſa transferatur dominium, etiamſi traditio non accedat [k]; niſi id actum ſit ut dominium non niſi per traditionem tranſeat. [l]

2. Quod præciſe teneatur promiſſa implere is, qui promiſit [m], ejuſque hæredes [n], etſi [*a*] cauſa promittendi non ſubſit [o], vel [*b*] cauſa expreſſa non ſit [p], vel [*c*] promittatur ob cauſam ante debitam. [q]

§. XIX. Addit, principem quoque ex promiſſo teneri, ſi promittat pri-

va-

(*o*) Lib. 2. C. 28. §. 18. (*p*) Lib. 2. C. 11. §. 18. (*q*) Lib. 2. C. 11. §. 3. §. 4. n. 1. & n. 3. C. 13. §. 14. ſeq. C. 14. §. 5. §. 6. n. 1. Lib. 1. C. 3. §. 16. n. 3. (*r*) Lib. 2. C. 11. §. 3. (*s*) Lib. 2. C. 11. §. 5. (*t*) Lib. 2. C. 5. §. 2. C. 11. §. 5. n. 1. L. 3. C. 22. n. 3. (*u*) Lib. 3. C. 14. §. 6. n. 2. & 3. (*v*) Lib. 2. C. 11. §. 5. (*w*) Lib. 2. C. 14. §. 6. n. 1. & 2. (*x*) Lib. 3. C. 19. §. 2. ſeq. (*y*) Lib. 2. C. 11. §. 8. n. 1. & n. 2. (*z*) Lib. 2. C. 11. §. 8. n. 2. (*a*) Lib. 2. C. 16. §. 27. n. 2. (*b*) d. §. 8. n. 1. & 2. (*c*) d. C. 11. §. 22. (*d*) d. C. 11. §. 9. (*e*) ibid. (*f*) Lib. 3. C. 23. §. 8. (*g*) d. C. 25. §. 8. (*h*) d. C. 11. §. 8. n. 2. (*i*) d. §. 22. (*k*) Lib. 2. C. 6. §. 2. C. 8. §. 3. & §. 25. C. 11. §. 1. n. 3. §. 4. §. 10. n. 1. & §. 11. (*l*) dict. locis (*m*) Proleg. §. 8. & 15. d. C. 11. §. 1. pr. & §. 4. (*n*) Lib. 2. C. 11. §. 2. (*o*) Lib. 2. C. 11. §. 10. (*p*) ibid. §. 21. (*q*) d. §. 10.

Digitized by Google

vatis [r]. Adeoque ex promiſſis obligari regem etiam ſubditis ſuis, & civiliter, & naturaliter [s]; etiam ſi ſine cauſa promiſit. [t]

n. 1. At 1. Principem jus ex tali promiſſione quæſitum in pœnam, vel ob utilitatem publicam, ei, cui promiſſum eſt, auferre poſſe, docet [u]. 2. Principem quoque contra promiſſionem reſtitui, ſi juſta ſubeſt cauſa; uti ſi dolo inductus ſit [v]: niſi ut rex contraxerit; in actibus enim regiis ceſſare reſtitutionem, ait. [x]

n. 2. Atque hac occaſione quærit Grotius 1. an pacta regum ſint leges? Et merito id negat. [y]

n. 3. Quærit 2. an ſucceſſores ex pacto anteceſſorum teneantur? Et diſtinguit, an ſucceſſores ſint omnium bonorum ſimul hæredes, ut in regno patrimoniali? *an* ſucceſſores tantum regni, ut in regno uſufructuario? *an* vero mixto jure ſuccedant [z]? Succeſſores omnium bonorum omnino teneri, ait [a]: *poſteriores* directo non obligari, quia jus non a prædeceſſore, ſed a populo accepere; at per interpoſitam civitatem obligari, quia populus in principem jus ſingulos obligandi tranſtulit [b]. Sed id verum tantum eſſe, tradit, ſi contractus probabilem habent rationem, quod in dubio ob regentium auctoritatem præſumi debeat [c]: Adeo ut nec inſpiciatur, an utiliter contractum ſit [d], vel an immodice læſa ſit civitas [e]; niſi contractus omni ratione careat, vel notorie ad perniciem publicam tendat. [f]

Eandem diſtinctionem adhibendam eſſe, ait, in largitionibus pecuniæ publicæ [g]. De alienatione regni, & quatenus ea ſucceſſori noceat, alibi Grotius egit [h], & nos infra agemus.

n. 4. Grotius quærit 3. an beneficia principum, ſeu privilegia a principe conceſſa, revocari poſſint? Reſpondet, ſi rex de ſuo concedit, ſucceſſorem teneri; niſi [*a*] precario conceſſa ſint, vel [*b*] vi imperii auferantur ob utilitatem publicam, aut in pœnam. Secus eſſe, ait, ſi beneficia principum vinculum duntaxat legis demunt ſine ullo contractu; tunc enim beneficia eſſe irrevocabilia: nullum enim jus conſtitutum eſſe adverſus legis auctorem. [i]

§. XX. A parte ejus, cui promittitur, GROTIUS effectum promiſſionis eſſe, ait, facultatem petendi, & exigendi id, quod promiſſum eſt. [k]

§. XXI. Modos finiendæ obligationis, quæ ex promiſſo oritur, GROTIUS omiſit, & obiter ſaltem notavit, revocatione eam tolli. [l]

§. XXII. Ceterum, bene obſervat, præter id, quod promiſſum eſt, aliquando etiam peti poſſe 1. uſuras, ſi pro penſando damno petantur; alias non [m]: 2. id, quod intereſt [n]: 3. impenſas [o]: 4 fructus. [p]

§. XXIII. Denique onus quoque pro-

(*r*) Lib. 2. C. 14. §. 6. (*s*) Lib. 2. C. 14. §. 6. (*t*) Lib. 2. C. 14. §. 6. (*u*) Lib. 2. C. 14. §. 7. (*v*) Lib. 2. C. 14. §. 1. & §. 2. & §. 5. (*x*) d. C. 14. §. 1. n. 2. §. 2. & 5. (*y*) Lib. 2. C. 14. §. 9. (*z*) Lib. 2. C. 14. §. 10. & 11. (*a*) d. §. 10. (*b*) Lib. 2. C. 14. §. 11. (*c*) d. C. 14. §. 12. (*d*) Lib. 2. C. 14. §. 12. n. 1. (*e*) Lib. 2. C. 14. §. 12. n. 2. (*f*) Lib. 2. C. 14. §. 12. n. 2. & 4. (*g*) Lib. 2. C. 14. §. 12. n. 5. (*h*) Lib. 1. C. 3. §. 12. n. 3. ſeq. Lib. 2. C. 13. §. 3. ſeq. Lib. 3. C. 20. §. 5. Lib. 2. C. 14. §. 12. Lib. 1. C. 4. §. 10. (*i*) Lib. 2. C. 14. §. 11. (*k*) Lib. 2. C. 11. §. 4. n. 3. (*l*) Lib. 3. C. 6. §. 16. & 17. (*m*) Lib. 2. C. 12. §. 20. n. 3. L. 3. C. 21. §. 43. n. 4. Lib. 2. C. 10. §. 21. & 22. (*n*) Lib. 2. C. 12. §. 21. (*o*) Lib. 2. C. 12. §. 21. Lib. 3. C. 20. §. 22. (*p*) Lib. 2. C. 10. §. 1. n. 5. d. C. 20. §. 22.

promiſſioni adjici poſſe [q], & conditionem [r]; qua pendente nihil deberi [s], ea autem deficiente liberari promittentem, ait. [t]

SECTIO I.

De differentia Pactorum, & Contractuum naturali, ex hypotheſi GROTII.

§. XXIV. DIVIDIT GROTIUS perfectas promiſſiones in *pacta in ſpecie*, & *contractus*. Ut vero indigitet naturam contractuum, eorumque a pactis differentiam naturalem demonſtret, ait, 1. actuum humanorum, qui ad aliorum utilitatem tendunt, alios eſſe *ſimplices*, alios *compoſitos*: 2. SIMPLICES actus iterum diſtinguit in *beneficos*, & *permutatorios*.

3. *Beneficos* ſubdiſtinguit in *meros*, aut *cum mutua obligatione*. 4. *Beneficos meros* aut in præſens abſolvi, ait, aut in futurum prominere. De *prioribus* hic non agi, quia utilitatem quidem, at nullum effectum juris pariunt: de *poſterioribus* hactenus actum eſſe, nimirum, de promiſſionibus dandi, vel faciendi. 5. *Beneficos cum mutua obligatione* aut de re diſponere ſine alienatione, aut de facto, ita ut aliquis effectus ſuperſit. [u]

PERMUTATORIOS 6. iterum dividit in *diremtorios*, & *communicatorios* [v]. Hos *aut* facta communicare, ait, *aut* res; *aut* hinc res, inde facta.

COMPOSITOS, ſeu mixtos actus 7. ait, eſſe *aut* principaliter, *aut* per acceſſionem alterius. Tandem, & 8. concludit, actus hominum ſimplices aliis utiles, ſi mere benefici ſunt, vocari *pacta*: omnes alios hominum actus, extra ſimplices mere beneficos, vocari Contractus.

Adeoque ad CONTRACTUS refert 1. omnes actus ſimplices, qui benefici ſunt cum mutua obligatione: 2. omnes actus ſimplices permutatorios, eoſque ſive diremtorios, ſive communicatorios: 3. omnes actus compoſitos.

§. XXV. Regulam autem generalem GROTIUS circa contractus hanc ponit: *Naturam in omnibus contractibus imperare æqualitatem, indeque ex inæqualitate jus oriri minus habenti* [x]. Æqualitatem autem illam, ait, deſiderari *I.* in *actibus*, iiſque VEL *præcedaneis*, uti ſi res vitioſa ſit; nam tunc æqualitatem requirere ut venditor vitia ſignificet [y], vel emtor ea ſciat [z]; idem eſſe putat, ſi voluntas ſit vitioſa, uti ſi quis metu injuſto ad contrahendum inducitur, tunc enim ex lege æqualitatis requiri, ut dematur metus [a]: VEL *principalibus*, ne plus exigatur, quam par eſt; quod ſaltem in permutatoriis (non vero beneficis) obtinere ſtatuit, quia creduntur promittere voluiſſe tamquam æquale. [b]

II. In eo, de quo agitur; ſi nimirum nec celatum quid ſit, nec plus exactum, in re tamen ipſa reperiatur inæqualitas: uti ſi vitium lateat, aut in pretio ſit erratum (quod juriſconſultos Romanos limitaſſe, ait, ad dimidium veri pretii); quia in contractibus propoſitum eſſe debet, ut uterque tantundem haberet. [c]

Notat autem Grotius, in contractibus beneficis æqualitatem ſpectari *ex ſuppoſitione ejus, quod agitur*, ne quis

(q) Lib. 2. C. 11. §. 19. (r) Lib. 3. C. 20. §. 29. (s) L. 3. C. 19. §. 14. (t) ibid. (u) Lib. 2. C. 12. §. 2. (v) d. C. 12. §. 3. (x) Lib. 2. C. 12. §. 8. (y) Lib. 2. C. 12. §. 9. n. 2. (z) ibid. n. 3. (a) Lib. 2. C. 12. §. 10. (b) Lib. 2. C. 12. §. 11. (c) Lib. 2. C. 12. §. 12.

Digitized by Google

quis ex beneficio damnum ſentiat [d]. Atque ex hac ratione concludit, mandatario contrariam actionem dari: commodatarium caſum præſtare, non depoſitarium: ſed & in pignore latam culpam præſtari; accedere enim ſolere contractui oneroſo, indeque non eſſe mere gratuitum [e]. Et tandem in genere aſſerit, ad hanc formam de ceteris quoque contractibus judicium faciendum eſſe. [f]

§. XXVI. Abſoluta generali tractatione de contractibus admodum confuſa, obſcura, & novis terminis rem nullatenus exhaurientibus explicata, GROTIUS ſpeciales quaſdam contractuum quæſtiones percurrit. [g]

§. XXVII. *I.* Indigitat, quodnam ſit verum pretium, veraque rerum æſtimatio, & quæ ejus menſura? Ubi ARISTOTELEM, qui indigentiam menſuram rerum eſſe tradit, refellit, & ait, rem tanti æſtimari, quantum communiter offerri, & dari pro tali re ſolet; ubi rationem habendam eſſe, putat, laborum, expenſarum, copiæ, & inopiæ, damni conſequentis, lucri ceſſantis, etiam quod ex dilata ſolutione oritur. [h]

§. XXVIII. *II.* Circa emtionem, & venditionem notat GROTIUS; dominium transferri in emtione, & venditione, ſine traditione, niſi actum ſit ne ſtatim tranſeat. Hinc concludit, 1. jure naturæ ſi nihil dictum eſt, periculum eſſe emtoris; lege autem illa addita, periculum eſſe venditoris: indeque doctrinam JCtorum Romanorum, qui re nondum tradita periculum ſemper venditoris eſſe voluerunt, ad rationes civiles pertinere [i]. 2. Re duobus vendita, eum præferri, in quem pacto dominium prius translatum eſt, etiamſi traditio non ſit ſecuta. [k]

§. XXIX. *III.* Monopolia permitti a principe poſſe, ſtatuit, juſta de cauſa, & pretio conſtituto; quin & a privatis inſtitui poſſe æquo lucro: uti ſi coemunt merces, ut eas majori, æquo tamen, pretio vendant. [l]

§. XXX. *IV.* Ad æſtimandas res requiri, ait, rem fungibilem: talem autem maxime eſſe pecuniam, quæ ex auro, & ære plerumque conſtet; æſtimationem autem faciendam tempore, & loco ſolutionis. [m]

§. XXXI. *V. Locationem, & conductionem* ſimilem eſſe emtioni, & venditioni, docet, etiam ratione periculi; indeque rem domino, i. e. locatori, perire: ſterilitatem autem, & alios caſus uſum impedientes conductori damno eſſe; adeo ut hic nihilominus mercedem ſolvere teneatur, niſi interim aliunde mercedem acceperit locator. [n]

§. XXXII. *VI.* In *locatione* itidem majorem, vel minorem mercedem conſtitui poſſe, tradit, ſi in gratiam alterius locetur, vel conducatur res alias non locanda, &c. Quibus addit, quod ſi una opera pluribus utilis eſt, locator de ſingulis paciſci mercedem poſſit. [o]

§. XXXIII. *VII.* In *mutuo* obſervat, jure naturæ vetitas non eſſe uſuras; jus enim non reddendi rem mutuo datam, niſi poſt certum tempus, eſſe aliquid æſtimabile: at jure divino, ait, eas prohiberi; idque inter Chriſtianos jus facere [p]. Non autem veras uſu-

(*d*) Lib. 2. C. 12. §. 13. (*e*) d. C. 12. §. 13. (*f*) d. C. 12. §. 13 (*g*) d. C. 12. §. 13. n. 2. (*h*) Lib. 2. C. 12. §. 14. (*i*) Lib. 2. C. 12. §. 15. n. 1. (*k*) d. C. 12. §. 15. n. 2. (*l*) d. C. 12. §. 16. (*m*) Lib. 2. C. 12. §. 17. (*n*) Lib. 2. C. 12. §. 18. (*o*) Lib. 2. C. 12. §. 19. (*p*) L. 2. C. 12. §. 20.

uſuras eſſe, ait, quæ ſolvuntur 1. pro penſando damno, quod facit qui pecuniam dat mutuam, eo, quod diu pecunia careat: Vel 2. ob lucrum per mutui dationem ceſſans; deducto, ſcilicet, incerto ſpei, & labore, qui ſubeundus fuerat: 3. Pro impenſis ejus, qui multis dat pecuniam mutuam, & in hoc paratam habet. 4. Veras quoque non eſſe uſuras, ſi aliquid exigitur pro periculo amittendæ ſortis: 5. Si modica ſit uſura [q]. Sed & 6. leges, quæ ſtipulari aliquid pro uſu pecuniæ concedunt, illicitas non eſſe, ait, ſi ſtant intra compenſationem ejus, quod abeſt, aut abeſſe poteſt [r]. Ubi notat, *aſſecurationem*, qua aliquid ſolvitur pro periculo avertendo, illicitam eſſe, ſi periculum non ſit. [s]

§. XXXIV. *VIII.* In *ſocietate negotiatoria* æqualitatem GROTIUS requirit lucri, & damni, pro rata collationis, ſive pecuniæ, ſive operæ. [t]

Collationem autem fieri poſſe, ait, *vel* ſolius uſus, & tunc rem ipſam non communem fieri, indeque eam perire ſoli domino; *vel* ipſius pecuniæ; *vel* operæ cum pecunia, & tunc rem ipſam communem fieri.

Porro, ait, paciſci poſſe ſocios, ut alter de lucro participet, non de damno; non autem ut damnum ſentiat ſine lucro. Non expreſſis partibus autem æquales intelligi, tradit, ſi quæ conferuntur ſunt æqualia: at in ſocietate omnium bonorum ſemper æquales partes venire, quia non id, quod confertur, ibi inſpicitur, ſed quod ſperari per ſucceſſiones, legata, &c. poterit. [u]

§. XXXV. Denique GROTIUS docet, *Jure gentium voluntario* nihil hactenus mutatum eſſe, niſi quod inæqualitas rerum in exterioribus habeatur pro æqualitate. Et ad hoc jus gentium reſpexiſſe JCtos, qui ſtatuerunt, *naturaliter invicem circumvenire licere* [v]. Licere enim hic ſumi, ait, pro actione exteriori, quod ſaltem permittat lex, non quod fas ſit [x]. Evidentem autem eſſe hujus juris gentium utilitatem, inde concludit, quia cum incerta ſint rerum pretia, infinitæ difficultates deficiente hac deciſione gentium orituræ eſſent. [y]

SECTIO II.

De Jurejurando.

§. XXXVI. GROTIUS promiſſis, & contractibus firmitatem accedere, ait, a JUREJURANDO [z]. His enim juramentis magnam vim ineſſe, ex gentium conſenſu probat [a]. Definit autem juramentum, quod ſit affirmatio religioſa. [b]

§. XXXVII. In jurante requirit animum rationis compotem, ac deliberatum, nempe ut quis jurare voluerit [c]. Verba autem jurantis obligare, ait, in ſenſu, quo ea creditur accepiſſe, cui juratum eſt. [d]

§. XXXVIII. Hinc concludit 1. non obligare juramentum dolo elicitum: ſi nimirum is, qui juravit, factum aliquod ſuppoſuit, quod revera ſe ita non habuit, non promiſſurus ſi id ſciviſſet [e]. Aliud autem obtinere, ſi dubium ſit, an non etiam ſine eo idem fuiſſet

(q) Lib. 2. C. 12. §. 21. (r) Lib. 2. C. 12. §. 22. (s) Lib. 2. C. 12. §. 23. (t) Lib. 2. C. 12. §. 24. n. 1. (u) Lib. 2. C. 12. §. 25. n. 2. & 3. (v) Lib. 2. C. 12. §. 26. n. 1. (x) Lib. 2. C. 12. §. 26. n. 2. (y) Lib. 2. C. 12. §. 26. n. 3. (z) Lib. 2. C. 13. §. 1. (a) d. C. 13. §. 1. (b) d. Cap. 13. §. 1. n. 3. (c) d. C. 13. §. 2. (d) d. C. 13. §. 3. & §. 13. n. 3. (e) Lib. 2. C. 13. §. 4.

Digitized by Google

fuiſſet juraturus: quo refert juramentum Joſuæ. [f]

§. XXXIX. 2. Juramenti verba non extendenda eſſe ultra receptum loquendi morem [g]; deficere enim hactenus animum deliberatum.

§. XL. Juramentum ſaltem valere, ait, de re licita [h]. Non ergo 1. ſi illicita, aut 2. licita quidem ſit, ſed majus bonum morale impediat [i]; quo refert formulam notam *Korban eſto*! Nec 3. ſi impoſſibilis ſit [k]; niſi poſſibilis fieri poſſit. [l]

§. XLI. Formas juramenti verbis diſferre, re convenire, recte ſtatuit [m]; intentionem enim jurantium eſſe, ut Deus teſtis adhibeatur, eoque vindex [n]: hinc nominatis quoque rebus, perſoniſve aliis, jurare, veterem fuiſſe morem [o]. Denique aſſerit, obligari jurantem etiam ſi per falſos Deos juret. [p]

§. XLII. Effectum jurisjurandi eſſe, ait, quod finiat controverſias [q], & quod homini æque, ac Deo inde jus oriatur [r], ſi ſcilicet verba concepta etiam ad hominem referuntur. [s]

Soli autem Deo inde jus oriri, exiſtimat, 1. ſi verba non reſpiciunt hominem, jus ei conferendo: 2. ſi reſpiciunt quidem hominem, ſit tamen aliquid, quod ei poſſit opponi; uti ſi quis metu injuſto cauſam promiſſioni juratæ dedit [t], ſi pirata, aut tyrannus, item ſi perfidus juramentum exigit [u]. Atque his caſibus hæredem non teneri, ait. [v]

§. XLIII. Ex jurejurando æque obligari principes, ac privatos, ſtatuit [x]: Si tamen princeps læſus ſit, eum ſe eximere obligatione, ſeque reſtituere in integrum poſſe, in actibus, ſcilicet, privatis, non in actibus regiis. [y]

§. XLIV. Finiri, ait, obligationem ex jurejurando, 1. ſi is, cui juratum eſt, juri ſuo renunciat: 2. Si qualitas ejus, cui ſub illa qualitate juratur, ſublata eſt. [z]

§. XLV. Quærit GROTIUS, an ea, quæ contra juramentum fiunt, irrita ſint? Negat, ſi ſola fides ſit obſtricta, & actus aliquis contra juramentum fiat; aliud eſſe, ait, ſi juramentum ſimul contineat abdicationem plenam poteſtatis ad actum. [a]

§. XLVI. Porro quærit, an magiſtratus jus aliquod habeat in id, quod ſubditus juravit, & in id, quod ſubdito juratum eſt? Reſpondet, duplicem poſſe eſſe actum ſuperiorum circa id, quod juratur: 1. *quatenus dirigitur in perſonam jurantis*, nimirum, juramentum antequam præſtetur irritum reddendo; prohibendo ne præſtetur; vel poſtquam juratum eſt, vetando ne impleatur; vel denique ſtatuendo ne valeat certis caſibus, niſi a ſuperiore probetur. His enim caſibus ſuperiorum actus efficere poſſe, ne impleatur quod juratum eſt. Addit rationem, quia actus noſtri hactenus non plene ſunt in noſtra poteſtate: ſubditum enim ſe obligare non poſſe, niſi quatenus ſuperiori placiturum eſt [b]. 2. *Quatenus dirigitur in perſonam ejus, cui juratur*, tollendo ab eo jus, quod ei partum eſt; aut vetando, ne quis ex tali juramento accipiat. Nam his quoque

(f) d. C. 13. §. 4. n. 2. (g) d. C. 13. §. 5. (h) d. C. 13. §. 6. (i) d. C. 13. §. 7. (k) Lib. 2. C. 13. §. 8. Lib. 2. C. 16. §. 1. (l) d. C. 13. §. 10. (m) Lib 2. C. 13. §. 10. (n) d. §. 10. (o) Lib. 2. C. 13. §. 11. (p) Lib. 2. C. 13. §. 12. (q) Lib. 2. C. 13. §. 13. (r) d. C. 13. §. 14. (s) d. C. 13. §. 14. (t) d. §. 14. (u) d. C. 13. §. 15. & 16. (v) d. C. 13. §. 17. (x) Grot. Lib. 2. C. 14. §. 1. & 2. (y) d. C. 14. §. 1. 2. & 3. (z) d. C. 13. §. 18. (a) d. C. 13. §. 19. (b) Lib. 2. C. 13. §. 20. n. 1. & 2.

que caſibus juramentum non eſſe præſtandum, docet Grotius, quia hi quoque actus non ſunt plene in noſtra poteſtate, ſed ita ut a ſuperioribus dependeant. [c]

§. XLVII. Ceterum, teneri eum, ait, qui nocenti qua tali aliquid jurato promiſit; nec compenſari poſſe promiſſum juratum cum eo, quod ante controverſum fuit. [d]

§. XLVIII. Sed & legem humanam impedimentum, quod certi generis actibus poſuerat, tollere poſſe, tradit, ſi juramentum acceſſit; multos enim jure Romano, & moribus, eſſe actus prohibitos, qui accedente juramento valeant. [e]

§. XLIX. Præceptum Chriſti de non jurando non pertinere, putat, ad aſſertorium juramentum, ſed ſaltem ad promiſſorium. [f]

§. L. Denique fidem quoque injuratam aliquando vim juramenti ex more habere, aſſerit. [g]

SECTIO III.

De Interpretatione Conventionis, quæ dubia eſt.

§. LI. SÆPIUS contingit, conventionem obſcuram, eoque dubiam eſſe, parteſque mentem diſpoſitionis diverſo modo explicare. Hic jam quæritur, quid juris ſit? GROTIUS ait, promittentem, ſi eum ſolum ſpectemus, non obligari, niſi in quod obligari voluit: at quia ita liberum cuique foret, ſenſum, quem vellet, ſibi affingendo, liberare ſe ab obligatione, jure naturæ promiſſorem cogi poſſe ad id, quod recta interpretatio ſuggerit; quia alias res exitum habere non poſſet. [h]

§. LII. Menſuram autem interpretationis, ait, eſſe ſigna maxime probabilia; ſigna autem eſſe vel VERBA, vel CONJECTURAS ALIAS: atque hæc ſigna aut *ſeorſim* conſiderari, aut *conjunctim*. [i]

§. LIII. Circa VERBA, ubi aliæ non adſunt conjecturæ, regulam ponit: *verba intelligenda eſſe ex proprietate vocis communi, in artium vocabulis ex uſu peritorum* [k]. At conjecturis aſſumtis opus eſſe, ait, ſi vel verba plures habent ſignificationes, vel ſi in pactis *ſpecies* quædam repugnantiæ eſt (ſi enim pugna certa eſt, valere quod poſterius inter contrahentes placuit). Denique ſi ita evidentia ſunt, ut ſponte ſe ingerant, etiam contra receptiorem verborum ſignificatum, conjecturam voluntatis promi præcipue debere, ait, ex *materia*, ex *effectu*, ex *conjunctis*, vel origine, vel etiam loco [l]. Atque hos locos exemplis illuſtrat Grotius. [m]

Porro diſtinguit 1. ſignificationes vocum in *laxas*, & *ſtrictas* [n]: 2. promiſſa autem in *favorabilia, odioſa, mixta*, aut *media* [o]. 3. Differentiam inter actus *bonæ fidei*, & *ſtricti juris*, ait, eſſe juris civilis; applicari tamen juri gentium aliquo ſenſu poſſe. [p]

§. LIV. Atque ex his Principiis varias interpretationum regulas deducit. 1. In non odioſis ſumenda verba ſecun-

(c) Lib. 2. C. 13. §. 20. n. 1. & n. 3. (d) Lib. 2. C. 13. §. 20. n. 4. (e) d. C. 13. §. 20. n. 3. (f) d. C. 13. §. 21. (g) d. C. 13. §. 41. (h) Lib. 2. C. 16. §. 1. n. 1. (i) Lib. 2. C. 16. §. 1. n. 1. (k) Lib. 2. C. 16. §. 2. & 3. (l) d. C. 16. §. 4. ſeq. (m) d. C. 16. §. 5. 6. 7. & 8. (n) Lib. 2. C. 16. §. 19. (o) d. C. 16. §. 10. (p) d. C. 16. §. 11.

cundum totam proprietatem uſus popularis, & ſi plures ſunt, eam, quæ latiſſima eſt [q]. 2. In favorabilibus, ſi is, qui loquitur, jus intelligat, aut peritorum juris conſilio utatur, verba laxius ſumenda, ut etiam includant ſignificationem artis, aut quam lex dedit [r]. 3. Ad ſignificationes improprias plane non eſſe recurrendum, niſi pactum exitu cariturum eſſet, aut abſurdi aliquid inde ſequeretur. Econtrario verba etiam ſtrictius ſumenda eſſe, ſi id neceſſarium erit ad vitandam iniquitatem, vel abſurditatem; alias ſubſiſtendum eſſe intra arctiſſimos terminos proprietatis, niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant [s]. 4. In odioſis etiam ſermonem figuratum aliquando admitti, quo onus vitetur. [t]

§. LV. Hinc jam varias decidit quæſtiones inter gentes celebratas. 1. An ſociorum nomine contineantur etiam futuri [u]? 2. An ſi fœdere promiſſum ſit, ne injuſſu populi Romani bellum geratur, contineatur quoque, ne repellant injuriam [v]. 3. An ſub conditione, liberam fore Cathaginem, cives ſoli contineantur, an etiam urbs [x]? 4. An fœdera in dubio ſint realia, an perſonalia [y]? 5. Si primo, qui ad metam perveniſſet, promiſſum quid eſt, & plures pervenerint ſimul, quomodo diſtributio fieri debeat [z]?

§. LVI. Circa CONJECTURAS, quæ extra *verborum* ſignificationem oriuntur, aliud, ait, interpretandi genus eſſe, vel *extendens*, vel *coarctans* [a]. ILLUD obtinere ſi conſtet, rationem, ſub quam venit caſus, quem volumus comprehendere, eſſe cauſam moventem unicam, & efficacem [a]. Unde decidit quæſtionem, an mandatum impleri poſſit per idem [b]? HOC genus interpretandi *vel* peti ex defectu originario voluntatis [c], eumque defectum intelligi vel ex abſurdo, vel ex ceſſatione rationis [d] (ſub qua tamen comprehendi ſæpe, ait, quaſdam res non ſecundum exiſtentiam, ſed ſecundum potentiam moraliter conſideratam) [e], vel ex materiæ defectu [f]: *Vel* ex caſus emergentis repugnantia cum voluntate [g], quæ voluntas vel ex naturali ratione, aut ex alio ſigno voluntatis colligitur [h]. Indicia autem hujus repugnantiæ eſſe 1. ſi quo caſu ſequi verba illicitum eſſet [i]: 2. ſi verba ſequi, nimis grave, ac intolerabile [k]: 3. cum verba inter ſe committuntur [l]. Ubi varias regulas ponit, utra pars ſcripti prævalere debeat?

§. LVII. Atque ex his principiis itidem varias Grotius decidit quæſtiones. 1. An in dubio contractus perfectus ſit, antequam ſcriptura, & traditio accedat [m]? 2. An contractus regum ex jure Romano interpretationem accipiant [n]? 3. An offerentis, an accipientis verba attendi magis debeant? [o]

SECTIO IV.

Monita circa Syſtema GROTII *de Obligatione Perſonarum ex Promiſſione.*

§. LVIII. SINGULA, quæ circa ſyſtema hoc monenda ſunt, ad ipſum opus Gro-

(q) d. C. 16. §. 12. n. 1. (r) §. 12. n. 2. (s) ibid. (t) d. C. 16. §. 12. n. 3. (u) Lib. 2. C. 16. §. 13. (v) d. C. 16. §. 14. (x) d. C. 16. §. 15. (y) d. C. 16. §. 16. 17. & 18. (z) d. C. 16. §. 19. (a) d. C. 16. §. 20. (b) Lib. 3. C. 16. §. 21. (c) d. C. 16. §. 22. (d) d. C. 16. §. 22. (e) d. C. 16. §. 25. (f) d. C. 16. §. 22. (g) d. C. 1. §. 22. (h) d. C. 19. §. 26. (i) d. C. 16. §. 26. n. 2. (k) d. C. 16. §. 27. (l) d. C. 16. §. 28. (m) Lib. 2. C. 16. §. 30. (n) d. C. 16. §. 31. (o) d. C. 16. §. 32.

Digitized by Google

Grotianum reſervamus. Hic ſaltem generalia quædam monita ſubjiciemus.

I. Grotius nullibi verum principium obligationum perſonalium exponit [p]. Non enim fundamentum obligationis in eo poni poteſt: *Rem ſuam quis licite in alium transferre poteſt*; ergo *etiam ex pacto obligatur*. Priori enim caſu res deſinit in noſtra poteſtate, & cuſtodia eſſe, dum in alium voluntate noſtra transfertur, eoque omne jus, quod in rem habuimus, finitur; hæc autem ratio nullo modo ad pacta applicari poteſt, ubi res alii ſaltem promittitur, non vero in eum actu transfertur. Alia igitur obligationum cauſa dari debet, quam explicavimus in *Diſſert. proœm. XII.*

II. Minus curate, ait, omnem vim obligandi, quæ ex pacto oritur, dependere a triplici gradu loquendi de rebus futuris, quæ noſtræ ſunt, aut fore putantur. [q]

III. Cauſa obligationis non poteſt referri ad *Jus naturæ ſociale*, quale non datur; nedum ad *Jus naturæ pro certo rerum ſtatu.* [r]

IV. Quæ circa fœdera, & ſponſiones monenda ſunt [s], ad ipſum commentatium reſervamus.

V. Error non ideo vitiat negotium, quia promiſſor ſe fundat in promiſſione quadam facti, quod non ita ſe habet, adeoque quod in mente agentis vim habet conditionis [t]; ſed quia deficit conſenſus. [u]

VI. Is, qui metum infert [v], verum jus ex conſenſu metuentis conſequitur. Nec metus liberare promiſſorem poteſt, ſed hic ſeparata actione ob injuriam illatam convenire cogentem tenetur.

VII. Cum circa obligationem, quæ per alium contrahitur, nec non circa revocationem promiſſi [x], non in omnibus nobis cum Grotio conveniat, lectorem ad commentarium remittimus.

VIII. Quod Grotius [y] ſtatuit, ex promiſſione de re danda dominium transferri, id alibi refutavimus. *Vid. Diſſert. proœm. XII.*

IX. Quæſtionem, an ſucceſſores obligentur ex pactis anteceſſorum, infeliciter admodum decidit Grotius. Veriora principia ſuppeditabimus in Diſſertatione proœmiali XII.

X. Grotium modos finiendi obligationes perſonæ plane omiſiſſe, ſupra §. 21. notavimus. Supplevimus hunc defectum in Diſſertatione proœmiali XII.

XI. Omiſit Grotius alias obligationes, quæ ex variis cauſarum figuris oriuntur, in ſpecie interdictorum materiam, quam itidem in dicta diſſertatione ſupplevimus.

XII. Grotius ſingulas ſpecies obligationum perſonæ, quæ ex contractu oriuntur, ordine tractare, & definitiones ſaltem, ac requiſita cujuſque negotii exponere, eoque juri Romano lucem affundere debuiſſet; at præter pauciſſimas quæſtiones inter doctores controverſas, & quas infeliciter ſatis plerumque decidit, nobiliſſimam hanc juris naturalis materiam intactam relinquit.

Sed nec eorum jurium, quæ occaſione contractuum alicui debentur, principia expoſuit; nam materiam de fructi-

(p) Vid. ſupra §. 8. (q) Vid. ſupra §. 9. n. 2. (r) Supr. §. 9. (s) d. ſupr. §. 12. (t) Supr. §. 13. n. 1. (u) Vid. diſſert. proœm. XII. (v) Supra §. 13. n. 2. (x) Vid. ſupr. §. 14. (y) Vid. ſupr. §. 19. n. 3.

fructibus, de eo, quod intereſt, de acceſſionibus, de mora, de dolo, de culpa, quin & de conditionibus, &c. vix verbo, & obiter ſaltem tangit.

XIII. Differentia inter pacta nuda, & contractus, quam Grotius * affert, tot diſtinctionibus, & ſubdiſtinctionibus involuta eſt, ut vix intelligi poſſit, quid Grotius ſenſerit. Res ipſa tamen ſimpliciſſimis nititur principiis, quæ itidem expoſuimus in Diſſertatione proœmiali XII.

XIV. Verum non eſt, 1. in contractibus æqualitatem ſpectari: 2. Caſum præſtari in negotiis non mere gratuitis [c]: 3. Indigentiam non conſtituere verum rei pretium [d]: 4. Dominium in emtione venditione transferri nudo conſenſu, citra traditionem [e]: 5. Jure naturæ quamlibet inæqualitatem corrigi debere: Jure gentium vero id de majori, non leviori ſtatutum eſſe. [f]

XV. Circa regulas interpretandi dubias promiſſiones [g] notandum [a] eſt, eas adeo eſſe obſcuras, & ratione deſtitutas, ut nemo illas pro præceptis naturæ ſibi obtrudi patiatur. Quis, quæſo, Princeps, quis populus, unquam convinci poterit, ex vagis hujuſmodi præſumtionibus pacta, & fœdera vim accipere debere? Sane, nihil in ulla promiſſione continetur, quod non ex his interpretandi regulis vel affirmari, vel negari, atque pro lubitu æque pro promittente, ac contra eum interpretationem pati poſſet.

Sed & [b] Grotius omnes interpretandi regulas ex locis Rhetorum deſumſit, adeoque vere Rhetoricam expoſuit. Rhetorica autem non ſuppeditat regulas naturales, quibus mens, voluntas, & intentio diſponentium probari poſſit, ſi dubia eſt; ſed modos oſtendit, quibus orator thema ſibi propoſitum illuſtrare, exaggerare, & amplificare poteſt, etſi forte ad probandam veritatem thematis nihil faciant.

Tota igitur hæc tractatio ad diſciplinam juris naturalis non pertinet.

[c] Confundit quoque regulas interpretandi circa voluntatem duorum diſponentium, cum ea interpretatione, quæ circa voluntatem unius, v. g. legiſlatoris, teſtatoris, &c. obtinet. In *priori* diſpoſitione quæritur, quid uterque ſenſerit; nam utriuſque conſenſus in commune placitum pactum efficit. In *poſteriori* diſpoſitione quæritur, quid *legiſlator*, quid *teſtator &c.* ſenſerit.

[d] Confundit regulas interpretandi naturales cum civilibus. Etenim tum in pactis duorum, tum in diſpoſitionibus unius, jure civili ad evitandas controverſias variæ inventæ ſunt regulæ, quæ nullum in ratione naturali fundamentum habent, licet æquitati conveniant. Sane, regula illa, quod in *pacto dubio* interpretatio contra eum, qui clarius loqui potuit, facienda ſit, ex jure civili eſt.

CAPUT

(a) Vid. ſupr. §. 24. (b) Vid. ſupr. §. 25. (c) d. §. 25. (d) Vid. ſupr. §. 25. (e) Vid. ſupr. §. 28. (f) Vid. ſupr. §. 35. (g) Vid. ſupr. § 57. & ſeq.

C A P U T II.

De origine Obligationum ex Delicto: item de Pœnis. Ubi monita quædam generalia ſubjiciuntur.

§. LIX. EXPLICAVIMUS ſyſtema Grotii circa id, quod nobis debetur ex *promiſſione* [h]. Sequitur nunc tractatio de eo, quod nobis debetur ex *maleficio.* [i]

§. LX. *Maleficium* GROTIO eſt omnis culpa, ſive in faciendo [k], ſive in omittendo commiſſa [l]. Unde oriri, ait, obligationem, ut damnum reſarciatur. [m]

Damnum a demendo dictum ait, quando, ſcilicet, jus noſtrum minuitur [n]. Jus autem noſtrum eſſe poſſe vel ex mera natura, ut vita, vel accedente facto humano, puta dominio, aut pacto, ſive ex lege.

Minus quis habere, adeoque damnum datum Grotio videtur 1. in re: 2. in fructibus, ſi alius exinde locupletior factus eſt cum mea jactura; ubi 3. ſpem quoque æſtimari, docet. [o]

§. LXI. Minui autem jus noſtrum, ait, etiam ab eis, qui cauſa ſunt damni dati (etſi ipſi non dent); idque VEL faciendo, & quidem [*a*] *primario*, v. gr. jubendo, juvando, aut alias de crimine participando [p]; [*b*] *ſecundario*, conſilium dando, laudando, aſſentando [q]: VEL non faciendo, aut *primario*, uti ſi is, qui debet vetare, vel opem ferre, id non fecit [r]; aut *ſecundario*, qui aut non diſſuadet cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debet [s]. Modo hi omnes vera cauſa damni dati fuerint. [t]

§. LXII. Atque ex hoc principio concludit *I.* mandantem, & mandatarium æque obligari [u]. *II.* Eum, qui de actu tenetur, ſimul teneri de his, quæ illum ex actus vi ſequuntur. [v]

Exempla refert [*a*] in homicida, & vulnerante, qui & ad impenſas, & ad *Werigeldum* tenentur [x]: [*b*] in adultero, qui tenetur indemnem præſtare maritum, & legitimos liberos [y]: [*c*] In fure, qui tenetur ad omne damnum, & lucrum ceſſans. [z]

III. Eum, qui promiſſioni cauſam dedit dolo, vi, aut metu injuſto, teneri, eum, qui promiſit, in integrum reſtituere; niſi ipſe cauſa ſit quod vi, vel metu aliquid ab ipſo exigatur [a]: vel niſi metus juſtus ſit; uti ſemper eſſe, ait, in bello jure gentium ſolenni. [b]

IV. Denique Principem ex neglectis teneri; uti ſi latrocinia non prohibet, indeque damnum datur: non vero ſi milites ejus ſine imperio ſuperioris nocent. [c]

V.

(*h*) Vid. ſupr. §. 3. (*i*) Lib. 2. Cap. 17. §. 3. (*k*) Leg. 13. §. 4. ff. de injur. (*l*) Leg. 121. ff de R. J. (*m*) Lib. 2. C. 17. §. 2. n. 1. (*n*) Lib. 2. C. 17. §. 2. & 3. (*o*) d. Cap. 17. §. 4. & 5. (*p*) d. Cap. 17. §. 6. (*q*) d. Cap. 17. §. 7. (*r*) d. Cap. 17. §. 8. (*s*) d. Cap. 17. §. 9. (*t*) d. C. 17. §. 10. (*u*) d. Cap. 17. §. 11. (*v*) d. Cap. 17. §. 12. (*x*) d. Cap. 17. §. 13. & 14. (*y*) d. Cap. 17. §. 14. (*z*) d. C. 17. §. 16. (*a*) d. Cap. 17. §. 17. & 18. (*b*) d. C. 17. §. 19. (*c*) d. C. 17. §. 20.

V. Actiones, quæ contra nautas dantur, item actiones noxales, eſſe mere civiles. [d]

VI. Denique damnum etiam adverſus honorem, & famam dari poſſe, ſcil. verberibus, contumeliis, &c. Indeque reparari illud debere, etiam pecunia. [e]

§. LXIII. Hactenus GROTIUS egit de *reparatione* injuriæ factæ [f]: jam de *punienda* ea agitur. [g]

SECTIO I.

De Pœnis.

§. LXIV. FUNDAMENTI loco ponit, naturale eſſe ut is, qui malum facit, malum ferat. *Inter ea*, ait, *quæ natura ipſa dictat licita eſſe, & non iniqua, eſſe & hoc, ut qui male fecit, malum ferat* [h]. Idque jus ex delicto nocentis naſci, tradit, quia qui deliquit, ſua voluntate ſe videtur obligaſſe pœnæ. [i]

§. LXV. Hoc modo jam certum eſſe, exiſtimat, rationem dictare, maleficium puniri poſſe: at non determinatum eſſe, ait, quis punire debeat [k]? Equidem, pergit, naturæ convenientiſſimum eſſe, ut id fiat ab eo, qui ſuperior eſt: id tamen neceſſarium non eſſe, ſed nocentem poſſe puniri a quolibet, qui ejuſdem delicti reus non eſt [l]; adeoque non tantum ab eo, qui læſus eſt, ſed a quovis alio privato: vindicem enim certo reſpectu ſemper ſuperiorem eſſe nocente [m]; indeque jure naturæ unumquemque privatum eſſe vindicem & ſuæ injuriæ, & alienæ [o]. Idque exemplis probat, pœnaſque illas etiam in alieno territorio infligi poſſe, ſtatuit. [p]

§. LXVI. Atque hoc jus puniendi non tantum inter privatos locum habere, ait, ſed gentes quoque pœnas ſumere poſſe a qualibet alia gente; etiam ob delicta, & injurias, quæ illas peculiariter non tangunt: quia ſufficit ad hoc naturæ humanæ communio [q]. Idque multo magis verum eſſe, ait, ſi jus naturæ, aut gentium, immaniter violatum eſt. [r]

§. LXVII. Ex hac hypotheſi GROTII ſequitur, JURE NATURÆ 1. unumquemque jus habere, id, quod ſibi non tantum, ſed & alii debetur, exigendi a debitore; etiam adhibita vi, & armis, ſi aliter conſequi debitum non poſſit: 2. unumquemque poſſe pœnas a reo poſcere ob injurias ſibi, vel alii illatas, etiam in alieno territorio; neque id tantum privatis licere, ſed & populis, eorumque rectoribus.

§. LXVIII.

(*d*) d. Cap. 17. §. 20. n. 1. §. 21. (*e*) d. Cap. 17. §. 22. (*f*) Conf. Lib. 2. Cap. 1. §. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 1. (*g*) d. Cap. 1. §. 2. d. C. 20. §. 1. (*h*) Lib. 2. Cap. 20. §. 1. n. 2. Lib. 1. Cap. 2. §. 5. n. 3. Lib. 2. Cap. 20. §. 22. n. 1. (*i*) d. Cap. §. 2. n. 3. (*k*) d. Cap. 20. §. 3. n. 1. (*l*) d. C. 20. §. 3. n. 1. & 2. §. 4. §. 7. n. 2. §. 9. n. 2. §. 10. Cap. 21. §. 3. n. 1. (*m*) Lib. 2. Cap. 20. §. 3. n. 1. & §. 9. n. 2. (*o*) L. 1. Cap. 5. §. 1. in fin. & §. 2. n. 2. Cap. 3. §. 2. n. 1. & §. 17. n. 1. Lib. 2. Cap. 25. §. 1. n. 1. §. 3. n. 4. & §. 8. Lib. 2. C. 14. §. 6. n. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 4. n. 3. §. 5. n. 3. & 4. §. 7. n. 2. §. 40. §. 44. & 46. Lib. 2. Cap. 16. §. 3. Cap. 21. §. 3. n. 1. Cap. 19. §. 3. Lib. 1. Cap. 4. §. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 8. n. 3. & 6. §. 9. n. 2. Conf. Lib. 2. C. 25. §. 4. §. 6. & §. 8. per tot. Lib. 2. Cap. 20. §. 40. n. 1. (*p*) Lib. 3. Cap. 4. §. 8. n. 1. & 2. (*q*) Lib. 1. C. 5. §. 1. in fin. junct. §. 2. (*r*) Lib. 2. C. 20. §. 40. per tot. §. 44. §. 46. n. 4.

Digitized by Google

§. LXVIII. At Jure gentium id mutatum, & *I.* communi gentium conſenſu, introductis nimirum civitatibus (eoque judiciis), conſtitutum eſſe, fingit, ut nemo poſſit ſive ſuam, ſive alienam injuriam, privata auctoritate vindicare, ſed coram judice [s]; adeo ut extraneus læſus rei magiſtratum interpellare teneatur, qui vel punire reum, vel eum dedere debeat [t], non obſtante aſyli jure [tt]. *II.* Eodem gentium jure introductum eſſe, ne gentes alienam injuriam vindicent, niſi crimen ſpectet humanam ſocietatem [u]. *III.* Sed & in ſpecie eo jure ſtatutum eſſe, ne quis alienos ſubditos defendat contra injuriam Principis ſui; quia ex quo civiles ſocietates ſunt introductæ, certum ſit, rectoribus cujuſque civitatis ſpeciale quoddam jus in ſuos ſubditos quæſitum eſſe [v]; niſi manifeſta ſit injuria [x]. *IV.* Maxime autem eo jure prohibitum eſſe, ne ſubditi principem ſuum delinquentem punire [z]: & *V.* ne ſubditi hoſtis in alieno territorio interfici poſſint. [zz]

§. LXIX. Remanſiſſe tamen, ait, veſtigium juris naturalis, eoque & juris puniendi privata auctoritate ob injurias ſibi illatas: 1. ſi contra ſocietatem humanam aliquid committitur (*vid.* §. *præced.*): 2. in caſu neceſſariæ defenſionis [a], ſola excepta injuria a principe illata [b] (Principi enim, nec jure neceſſariæ defenſionis reſiſti poſſe, ait, niſi vitæ periculum immineat [c]): 3. ſi lex vindictam privatam permittit, ut apud Hebræos in vindicta ſanguinis proximi; in adulteros apud Romanos; & moribus in bannitos [d]; alicubi in liberos. [e]

§. LXX. De capitalibus pœnis quæri ſolet, an jure naturæ licitæ ſint? Equidem toto capite ſecundo libri primi Grotius contra Anabaptiſtas licentiam judiciorum capitalium, tum ex jure naturæ, tum ex legibus divinis, inprimis autem ex doctrina Evangelii defendit, ac probat; quo nos remittimus.

§. LXXI. Sed alia quæſtio eſt, an extra homicidium pœna capitalis in alia crimina vel natura ſtatuta ſit, vel ſtatui a Principe poſſit? Videtur id negandum, quia in ſolo homicidio talionis ratio conſiſtit in effuſione ſanguinis pro ſanguine, cum in reliquis criminibus omnibus hæc ratio ceſſare videatur. Grotius contrariam defendit opinionem, & aſſerit, conjecturam divinæ voluntatis ipſa naturali ratione adjuvante a ſimilibus ad ſimilia proceſſiſſe, ut quod in homicidam conſtitutum erat, in alios quoque eximie nocentes non iniquum viſum fuerit: quia quædam ſint, quæ vitæ æquiparantur, ut exiſtimatio, pudor virginalis, fides matrimonii; aut ſine quibus vita tuta eſſe non poteſt, ut imperii ſocietatem continentis reverentia: adver-

(s) Lib. 2. Cap. 21. §. 3. n. 1. Lib. 1. C. 3. §. 1. n. 2. & §. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 8. n. 4. §. 9. n. 4. prol. §. 19. (t) Lib. 2. Cap. 21. §. 4. §. 5. n. 4. (tt) d. Cap. 21. §. 5. 6. (u) Lib. 2. Cap. 21. §. 3. n. 2. §. 4. & §. 5. n. 4. §. 6. Lib. 2. Cap. 20. §. 40. Lib. 3. Cap. 18. §. 2. n. 3. (v) L. 2. Cap. 25. §. 8. (x) d. §. 8. n. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 40. n. 1. & 2. (z) Lib. 1. Cap. 4. §. 2. n. 1. (zz) Lib. 3. C. 4. §. 8. n. 1. & 2. (a) Lib. 1. C. 3. §. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 8. n. 5. Lib. 2. Cap. 20. §. 9. n. 5. & 6. Lib. 1. Cap. 2. §. 5. n. 5. & 6. Lib. 2. Cap. 7. §. 2. n. 2. (b) L. 1. C. 4. §. 2. 3. & 4. (c) d. Lib. 1. C. 4. (d) L. 1. Cap. 2. §. 5. n. 5. Lib. 2. Cap. 20. §. 17. n. 1. (e) L. 2. C. 5. §. 7. L. 3. C. 14. §. 8. n. 2.

adverſum quæ qui faciunt, eos homicidis meliores non videri [f]. Atque hinc capitalia ſupplicia non in homicidas tantum, ſed in alios facinoroſos uſurpata fuiſſe, ait, apud ipſos piæ doctrinæ alumnos. [g]

Veterem quoque traditionem apud Hebræos exſtare, docet, legibus Noachi adulteria, inceſtus, &c. morte punitos fuiſſe [h]. Moſen poſtea ſupplicia capitalia in plurimis delictis ſtatuiſſe, & rationes adjeciſſe, quæ non tantum apud Judæos, ſed & apud alias gentes valent [i]. Unde concludit, illicitum non eſſe imitari leges MOSIS, & abſurdum cogitatu eſſe, Hebræo populo licuiſſe pœnis capitalibus munire ſecuritatem, aliis autem gentibus id non licuiſſe [k]: neque Prophetas gentes unquam admonuiſſe, improbari a Deo uſum capitalium ſuppliciorum, ſicut de aliis peccatis admoniti fuerint. [l]

§. LXXII. Cum autem pœna ſaltem ad certum finem ab hominibus punientibus infligi, homoque homini nocere non poſſit, niſi boni alicujus conſequendi [m] (non ergo ſolius vindictæ [n]) cauſa; ideo triplicem GROTIUS pœnarum finem conſtituit [o]: *Emendationem* ejus, qui peccavit: *Utilitatem* ejus, cujus intererat non peccatum eſſe: & *Exemplum.*

§. LXXIII. De *Emendatione* ejus, qui peccavit, ait [oo], cuique hominum licitum eſſe infligere punitionem, quæ huic fini inſervit [p]: ad mortem tamen pertingere hoc puniendi genus non poſſe [q], niſi ita deperditus ſit reus, ut ad ſanitatem perduci nequeat; quod cum valde dubium ſit, pœnam hoc fine raro locum habere poſſe. [r]

§. LXXIV. *Utilitatem* ejus, cujus intererat peccatum non eſſe [s], Grotius in eo conſtituit, ne in poſterum tale quid patiatur ab eo, aut ab aliis [t]. Ad hunc quoque finem jure naturæ cuique hominum pœnam ſumere licitum eſſe, ſtatuit [u]; idque conſenſu gentium probare nititur [v]. At civitatibus conſtitutis, ait, deſiiſſe hoc jus, & in judices collatum eſſe [x]: manere tamen veſtigia naturalis libertatis, ſi judicia nulla ſunt, vel ſi lege id permittitur, ut in duellis, in homicidis extra locum aſyli inventis. [y]

§. LXXV. Tertius pœnarum finis Grotio eſt *Exemplum* [z], ne ſcilicet alii, impunitate illecti, aliis quibusvis moleſti ſint [a]. Hujus autem juris poteſtatem naturaliter quoque penes unumquemque eſſe, ait [b]; at placuiſſe hominibus, civitate conſtituta, etiam hunc finem committere judicibus [c]: ſupereſſe tamen veſtigia in judicio Zeli, in jure patriæ, & dominicæ poteſtatis apud Romanos, &c. [d]

§. LXXVI. LEGE EVANGELICA circa pœnam, quæ animum dolentis

(f) Lib. 1. Cap. 2. §. 5. n. 7. (g) Geneſ. 38. v. 24. Grot. d. §. 5. n. 6. (h) Grot. d. §. 5. n. 8. (i) Lib. 1. Cap. 2. §. 5. n. 9. (k) d. §. 5. n. 9. & 10. junct. Lib. 1. Cap. 1. §. 51. n. 3. (l) d. §. 5. n. 9. (m) d. Cap 20. §. 4. n. 1. 2. & 3. §. 5. ſeq. §. 22. (n) Lib. 2. Cap. 20. §. 4 n. 3. §. 5. n. 1. & 4. (o) d. Cap. 20. §. 6. 13. & 37. (oo) d. Cap. 20. §. 7. (p) d. C. 20. §. 7. n. 2. (q) d. C. 20. §. 7. n. 3. (r) d. C. 20. §. 7. n. 3. & 4. (s) Lib. 2. Cap. 20. §. 8. (t) d. §. 8. (u) d. §. 8. n. 2. (v) d. §. 8. n. 3. (x) d. §. 8. n. 4. (y) d. §. 8. n. 3. & 6. (z) Lib. 2. Cap. 20. §. 9. (a) d. §. 9. (b) d. §. 9. n. 2. & 3. (c) d. §. 9. n. 4. (d) d. §. 9. n. 5. & 6.

lentis ſaltem exſatiat, vetari, ait, non tantum id, quod natura permittit, ſed & quod leges civiles libertati hominum in quibuſdam caſibus reliquerunt [e]; adeo ut nec judicem ideo adire liceat [f], etſi ſaltem agatur de ultione in futurum cavenda [g]. Excipit autem eas pœnas, quæ non privato, ſed bono publico conſulunt, partim tollendo reum, partim deterrendo alios ſeveritate exempli [h]. Unde concludit, *lege evangelica* non prohiberi pœnas, quæ a magiſtratu infliguntur. [i]

Dubia, quæ Anabaptiſtæ movere ſolent, Grotius removet [k], ſimulque monet privatos, ne ipſi, ſive ſui, ſive boni publici cauſa, pœnas lege licet permittente ſumant [l]; & ne ſe ingerant ad munera publica, quæ de ſanguine judicium habent [m]. Qua occaſione quæſtionem tractat, an is, qui lege permittente aliquem occidit, verum jus habeat, an ſaltem impunis ſit. [n]

§. LXXVII. OBJECTUM pœnarum Grotio eſt *malum actionis* [o]. Non ergo puniri poſſe, ait, 1. actus internos [p]; 2. actus inevitabiles naturæ humanæ [q]; 3. quæ nec directe, nec indirecte ſpectant ad ſocietatem humanam [r]; 4. actus oppoſitos virtutibus. [s]

§. LXXVIII. Quærit GROTIUS, an remitti poſſit pœna? Idque affirmat, etiam poſt legem pœnalem conſtitutam [t]. Cauſas autem liberandi a pœna late recenſet [v]; eaſque vel intrinſecas facit, vel extrinſecas. [x]

§. LXXIX. Pœnas ſaltem infligi debere juxta meritum, tradit, & merito. Unde infert, ultra meritum neminem puniendum eſſe [y]. In merito autem, ait, examinandam eſſe cauſam, quæ impulit [z]; cauſam, quæ a delinquendo retrahere debet [a]; & perſonæ aptitudinem ad utrumque. [b]

Menſuram meriti ſtatuit *Talionem*, cujus naturam explicat [c]; inque ea pœnam non nude ſpectari, ait, ſed reſpectu habito ad patientem, num ſit dives, num vilis perſona, &c. Ubi in genere monet, ad minimum ducere charitatem ejus, qui punitur, niſi juſtior charitas ob cauſam extrinſecam aliud ſuadeat. Cauſam autem illam naſci ſolere ex generalibus invitamentis ad peccandum, qualia præcipue ſint conſuetudo, & facilitas: ubi clementiam in dubio commendat. [e]

§. LXXX. Porro Grotius ait, bella quoque pœnæ expetendæ cauſa geri ſolere [f]: non tamen id fieri debere ob quævis delicta [g], nec ob voluntatem lædendi mente reſervatam [h], nec ſi inchoata ſaltem delicta ſint. [i]

§. LXXXI. Hæc bella pœnalia geri poſſe, exiſtimat, ob quævis delicta in jus naturæ, & gentium commiſſa, etſi nos in ſpecie non tangant [k]: uti ſi pecca-

(e) Lib. 2. C. 10. §. 10. n. 1. & 2. (f) d. §. 10. n. 2. ſeq. (g) d. §. 10. n. 6. (h) d. §. 10. n. 8. (i) d. §. 10. n. 1. & 8. (k) Lib. 2. Cap. 20. §. 11. & 12. (l) d. Cap. 20. §. 14. & 15. (m) d. Cap. 20. §. 16. (n) d. Cap. 20. §. 17. (o) Lib. 2. C. 20. §. 1. n. 1. (p) d. Cap. 20. §. 18. (q) d. Cap. 20. §. 19. (r) d. Cap. 20. §. 20. (s) d. §. 20. n. 1. fin. n. & n. 2. (t) Lib. 2. Cap. 20. (u) d. Cap. 20. §. 22. 23. & 24. (v) d. Cap. 20. §. 25. (x) d. C. 20. §. 26. (y) d. C. 20. §. 28. (z) d. C. 20. §. 29. (a) d. Cap. 20. §. 30. (b) d. C. 20. §. 31. (c) d. Cap. 20. §. 32. (d) d. C. 20. §. 34. & 35. (e) d. Cap. 20. §. 36. (f) d. Cap. 20. §. 38. (g) d. C. 20. §. 38. (h) d. Cap. 20. §. 39. (i) d. Cap. 20. §. 39. n. 3. & ſeq. (k) Lib. 2. Cap. 20. §. 40.

peccatur in humanam ſocietatem [l], etiamſi ſaltem indirecte, v.g. per Sodomiam [m]. Atque hinc bello puniri poſſe, ait, eos, qui in parentes impii ſunt, qui humanam carnem epulantur, qui piraticam exercent, qui in naturam delinquunt, &c. [n]

§. LXXXII. Cavendum autem, Grotius ait, 1. ne mores civiles plurium gentium pro jure naturæ ſumantur [o]: 2. Ne vetitis a natura annumeremus ea, de quibus ratio prohibitionis non conſtat [p]. 3. Excuſandos eſſe, exiſtimat, eos, quibus aut ratiocinationis imbecillitas, aut prava educatio obſtant; quo refert gentes hebetioris ingenii. [q]

§. LXXXIII. Quærit Grotius, an ob delicta, quæ in Deum committuntur, bellum geri poſſit? Affirmat id ſi de principiis, & notionibus univerſalibus religionis quæſtio ſit; nimirum, Deum eſſe, & ab eo curari res humanas [r]. Non vero ſi de aliis notionibus quæſtio ſit, nimirum, an Deus ſit unus? an mundus, ſeu univerſum Deus ſit? an mundus ſit æternus? quum difficilior harum rerum ſit conceptus. [s]

§. LXXXIV. Quærit porro [t], an arma inferri poſſint illis, qui religionem Chriſtianam ſibi propoſitam amplecti nolunt? Et recte id negat [u]. Sed & eos improbat, qui Chriſtianiſmum docentes, aut profitentes, pœnis eam ob cauſam ſubdunt [x]; nedum qui ſuppliciis graſſantur in eos, qui in quibuſdam ſaltem articulis fidei diſſentiunt [y]. Probat vero illos, qui puniunt gentes, quæ in Deos irreverentes ſunt. [z]

Sectio II.

Ubi circa Syſtema Grotii *de Delictis, & Pœnis, quædam monentur.*

§. LXXXV. In genere, *primo*, monendum eſt, Grotium (*vid. ſupr.* §. 61.) regulam quidem ſtatuere, quod damnum injuria datum reparari debeat: at cauſam, cur jure naturæ id præciſe fieri debeat, nullibi explicat. Nos ex ſimpliciſſimis principiis eam demonſtravimus in diſſertatione prooemiali XII.

§. LXXXVI. *Secundo*, verum non eſt, actiones, quæ contra nautas dantur, eſſe ex jure civili [a]; oriuntur enim ex conſenſu, ſed tacito, (*dict. Diſſert. proœm. XII.*); adeoque ex ipſo naturæ jure.

§. LXXXVII. *Tertio*, verum non eſt, unumquemque eſſe ſuæ, & alienæ injuriæ vindicem, etiam in territorio alieno, ſi ejuſdem delicti reus non eſt. Verum quoque non eſt, id jure gentium demum mutatum eſſe. (*Vid. ſupr.* §. 66. *ſeqq.*). Judicia enim a natura ſunt, eaque naturali ratione familiis a divino rerum creatore conceſſa eſſe, alibi demonſtravimus.

§. LXXXVIII. *Quarto*, fines pœnarum, quos Grotius (*vid. ſupr.* §. 72. *ſeq.*) tam late recenſet, ſunt mere civiles.

(*l*) d. Cap. 20. §. 40. n. 1. & 2. (*m*) d. C. 20. §. 20 (*n*) d. Cap. 20. §. 40. n. 3. & 4. (*o*) d. Cap. 20. §. 41. (*p*) Lib. 2. Cap. 30. §. 42. (*q*) d. Cap. 20. §. 43. (*r*) d. Cap. 20. §. 44. (*s*) d. C. 20. §. 45. & 46. (*t*) d. Cap. 20. §. 47. (*u*) d. Cap. 20. §. 48. (*v*) d. C. 20. §. 48. (*x*) d. C. 20. §. 49. (*y*) d. C. 20. §. 50. (*z*) d. Cap 20. §. 51. junct. §. 47. n. 2. & ſeq. (*a*) Vid. ſupr. §. 36.

viles. Finis naturalis unicus pœnarum eſt reparatio injuriæ, ſive Deo, ſive hominibus illatæ, quæ fit ſi reus tantundem mali patitur.

§. XC. Reliqua, quæ in Grotio deſideramus, in ipſa explicatione operis notabimus.

CAPUT III.

De eo, quod nobis debetur ex Quaſi Contractu, vel Quaſi Delicto.

§. XCI. GROTIUS in genere aliquid nobis deberi ſive ex *pactione*, ſive ex *maleficio*, ſive ex *lege* (ſcil. civili), initio Libri II. aſſeruit. [b]

§. XCII. Ad id, quod LEGE debetur, retulit *quaſi contractus*, & *quaſi delicta*; atque ex his duobus capitibus etiam *condictiones* naſci, docuit [c]: & eas ſaltem condictiones excepit, *quibus repetitur id, quod noſtrum fuit, & noſtra voluntate in alium vel ex errore, vel ſine cauſa, translatum eſt.* Hanc enim obligationem reſtituendi ſequi ex dominio, ait [d]; adeoque non ex *lege*, ſed ex jure naturæ pro certo rerum ſtatu.

Hinc apparet ratio, cur nullibi materiam *quaſi contractuum*, & *quaſi delictorum*, ex profeſſo tractaverit, quia ex lege civili debita hæc orta eſſe, ſupponit.

§. XCIII. De QUASI CONTRACTIBUS id non tantum in genere aſſerit [e], ſed & in ſpecie id affirmat de negotiorum geſtione [f], de condictionibus, quibus non repetitur id, quod antea noſtrum fuit [g], de tutela, &c. [h]

§. XCIV. De QUASI DELICTIS ſimiliter in genere id affirmat [i]: ſed & in ſpecie id aſſerit de actione in factum, qua vectores contra cauponem, nautam, & ſtabularium agunt, ob furtum, vel damnum in caupona, nave, & ſtabulo ab aliis factum, qui ibi habitandi, vel operarum præſtandarum cauſa ſunt. [k]

§. XCV. Admodum autem errat Grotius, dum nobiliſſimam hanc juris partem legum civilium diſpoſitioni tribuit, cum ea ex ipſa ratione naturali, & quidem ex ſimpliciſſimis principiis, ſequatur.

§. XCVI. Certum enim eſt, & ipſe Grotius fatetur, Deum cuique hominum jus in ſuas res, & in ſuas actiones conceſſiſſe. [l]

Hinc neceſſario duo ſequuntur: *I. nemini alii jus in res, & actiones meas competere*; adeoque neminem utilitatem ex rebus, & actionibus meis ſibi arrogare poſſe. Si proinde quis lucrum capit ex re mea, jus alienum in bonis ſuis habet, quod jus ex generali juſtitiæ regula tribuere debet ei, cujus eſt. Atque hæc obligatio JCtis Romanis deſcendere dicitur ex QUASI CONTRACTU, & toties locum habet, quoties quis facto aliquo licito locupletior fit cum alterius jactura.

Ex

(*b*) Lib. 2. C. 1. §. 2. n. 1. add. C. 17. §. 1. & §. 2. n. 1. (*c*) d. C. 1. §. 2. n. 1. C. 10. §. 12. Lib. 3. C. 21. §. 30. (*d*) d. C. 1. §. 2. n. 1. junct. C. 10. §. 2. n. 1. & n. 2. lit. d. (*e*) Lib. 2. C. 1. §. 2. n. 1. (*f*) Lib. 2. C. 10. §. 9. n. 1. (*g*) d. C. 1. §. 2. n. 1. C. 10. §. 17. (*h*) Lib. 2. C. 17. §. 2. (*i*) Lib. 2. C. 1. §. 2. n. 1. (*k*) Lib. 2. C. 17. §. 20. n. 2. (*l*) Lib. 2. C. 6. §. 1. n. 1. C. 11. §. 1. n. 3. in fin.

Ex his jam apparet, 1. *actionem negotiorum geſtorum* ex ipſo jure naturæ oriri, *tam* intuitu ejus, cujus negotia geſta ſunt, utpote qui agit ad reliqua præſtanda, *quam* intuitu ejus, qui geſſit, & qui agit ad damna, & impenſas; uterque enim agit ad id, in quo alter locupletior factus eſt. Eadem ratio 2. obtinet in *tutela*, quæ eſt ſpecies negotiorum geſtionis. Sed & 3. omnes *condictiones*, etiam illæ, per quas res condicitur, quæ mea fuit, ad quaſi contractus pertinent; at perſona alterius mihi obligatur, quia meo errore, vel ex cauſa lege prohibita, vel in genere ſine ulla cauſa, locupletior fit ex re mea. (*Vid.* §. 98.)

Ipſe Grotius 4. fatetur, contra naturam eſſe ex aliena jactura lucrum quærere [m]. At hac ipſa regula natura omnium quaſi contractuum abſolvitur. In omnibus quaſi contractibus obligatio ideo oritur, quia alienis ſpoliis opes noſtras augeremus, quod ex ſingulis ſpeciebus, quæ a JUSTINIANO tot. tit. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contr. & a JCtis in Leg. 5. ff. de oblig. & act. proponuntur, apparet.

§. XCVII. *II. Quod nemo jus mihi naturali ratione quæſitum culpa ſua auferre poſſit.* Quando enim quis providere potuit, & debuit, jus meum ex facto ſuo lædi poſſe, ipſa ratione naturali ex hoc facto tenetur. Atque hæc obligatio JCtis Romanis deſcendere dicitur QUASI EX DELICTO: ac toties obtinet, quoties jus alterius abſque propoſito læditur facto meo culpoſo (excepto ſolo caſu, ubi corpore in corpus culpa damnum datum eſt; hoc enim factum inter vera delicta JCti retulerunt [n]).

Hinc jam conſtat, 1. actionem in factum contra nautas, caupones, & ſtabularios oriri ex ipſo jure naturæ; nimirum, ex mala electione, dum nautæ &c. cognitam habere debent conditionem eorum, quibus habitationem concedunt, & quorum opera utuntur. Atque hac ratione 2. nituntur omnia quaſi delicta, quæ a JCtis hoc nomine venire ſolent: nituntur, nimirum, *culpa*, vel quia male elegerunt, vel quia profitentur imperitiam, vel quia providere potuerunt, & debuerunt, damnum inde oriri poſſe. Vid. tot. tit. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex delicto. L. 5. ff. oblig. & act. Sane 3. ipſe Grotius actus culpa admiſſos natura prohibitos eſſe, concedit; indeque homines ex eis, quæ vel per imperitiam fiunt, vel ex neglectu, obligari, ſtatuit. Sed in eo errat, quod actus illos ad maleficia referat [o], cum JCti Romani ad delicta tantum illa facta referant, quæ dolo admittuntur.

Conſtat ergo ex præmiſſis, omnes actus, quos JCti ad quaſi contractus, & ad quaſi delicta referunt, non ex LEGE CIVILI, ſed ex ipſo jure naturæ ortum habere.

§. XCVIII. Denique hic notandum eſt, condictiones, quibus repetimus id, quod noſtrum fuit, & per errorem, vel ſine cauſa, in alium translatum eſt, nulla ratione ad obligationes, quæ ex dominio, adeoque ex jure in re oriuntur, referri poſſe. Pugnat id cum analogia juris; inſtituta enim actione reali, rem meam eſſe dico;

(m) Lib. 2. C. 10. §. 2. per. tot. (n) tot. tit. ff. ad. leg. Aquil. (o) Lib. 2. C. 17. §. 3. & 26. 20. (p) Lib. 2. C. 17. §. 1.

Digitized by Google

co, eamque a poſſeſſore repeto. Qua ratione autem rem meam dicere poſſum, quæ voluntate mea in alterum translata eſt, vel quæ non amplius exſtat, ſed periit? Sane, omne jus dominii exſtinguitur his duobus caſibus, etiam naturali jure.

At alia quæſtio eſt, an is, qui per errorem, vel ex cauſa lege prohibita, in alterum rem ſuam tranſtulit, eoque *dominium* amiſit, *actione perſonali* contra eum, qui rem meam tenet, agere poſſit, ut quod ex meo errore penes ſe habet, mihi reſtituat? Et merito id affirmatur; quia alias alter ex meo errore, vel ex cauſa lege prohibita, locupletior fieret mea jactura. Hæc ergo condictio indebiti eſt mere perſonalis, & deſcendit ex obligatione perſonæ, non ex jure in re, utpote quod totum exſtinctum eſt. Atque hinc JCti Romani omnes condictiones indebiti ad quaſi contractus, adeoque ad obligationes perſonæ retulerunt.

C A P U T IV.

De Obligatione, quæ oritur ex Jure Gentium voluntario.

§. XCIX. HACTENUS explicavimus principia GROTII circa *obligationem perſonæ*, quatenus ex JURE NATURÆ oritur (paucis duntaxat additis de gentium jure voluntario quatenus ab eo aliquid ſuperadditum juri naturæ fingit [q], nimirum, ex contractu, delicto, quaſi contractu, & quaſi delicto. Sequuntur nunc obligationes perſonæ, quas ipſum *Jus gentium* per ſe induxiſſe, ſupponit, vel quia jus gentium novi aliquid conſtituit [r], vel quia actibus quibuſdam, in quibus naturalis quædam æquitas obtinere videtur, firmitatem addit [s]. Atque huc refert 1. jus legatorum [t], 2. jus ſepeliendi [u], & 3. quædam alia jura, quæ ſingula nunc explicabimus.

S E C T I O I.

De Jure Legatorum.

§. C. GROTIUS jura legatorum non ex *Jure naturæ*, ſed ex *Jure gentium voluntario* oriri, & hactenus jus gentium novi aliquid conſtituere, exiſtimat. [v]

§. CI. Jus legatorum jure gentium ſanctum, illudque violare non injuſtum tantum, ſed & impium eſſe, ſtatuit [x]. Nam quædam, quæ juris gentium, & ſanctiora ſunt, ad Deos referri, & Diis abſcribi [y], quin ſæpius ad jus naturæ referri ſolere, ait. [z]

§. CII. Rationem hujus privilegii ex voluntate gentium dijudicari debere, exiſtimat, quum hoc jus non, ut jus naturæ, ex certis rationibus oriatur [a]: indeque recurrendum eſſe, ait, tum

(q) Lib. 2. C. 18. §. 1. (r) Lib. 2. C. 18. §. 1. (s) Lib. 2. C. 19. §. 6. (u) d.C.18.§.1.junct. C. 19. §. 1. (v) Lib. 2. C. 18. §. 1. (x) d. C. 18.§. 1. & 2. (y) Lib. 3.C.. 4. §. 16. n. 1. (z) Lib. 2. C. 19. §. 12. (a) Lib. 2. C. 18. §. 4. n. 2. ſeq.

tum ad judicia ſapientum, tum ad conjecturas; adeoque ſpectandum eſſe, quid gentibus placuerit [b]. Placuiſſe autem gentibus, ut legati per fictionem juris extra territorium conſtituantur, indeque imperio loci, ubi degunt, non ſubſint [c]. Unde Grotius concludit, nec delictorum reos fieri poſſe, niſi in ſolo caſu neceſſariæ defenſionis [d]. Si tamen ſumma neceſſitas adſit, etiam facultatem detinendi, interrogandi, &c. legatum, concedit. [e]

§. CIII. Jure naturali mittunt legatos omnes, qui jus belli habent, adeoque ſolæ ſummæ poteſtates. Quales etiam ſunt cognati, qui de eodem imperio decertant [f]; & illi, qui certo reſpectu ſaltem ſubditi ſunt [g], ſed & inæquali fœdere juncti. [h]

Non ergo mittunt legatos 1. provinciæ mediatæ, aut civitates municipales [i]; nedum 2. ſubditi in bello civili [k]; nec 3. prædones [l]: niſi & ſubditis, & prædoni fides data ſit. [m]

§. CIV. Legatos neceſſario admitti non debere, Grotius ait, ſi juſta ſit rejiciendi cauſa [n]: tamen denunciari mittenti debere, ne legatus mittatur. [o]

§. CV. Legatum admiſſum ex jure gentium tutum eſſe, ait, apud eum, ad quem mittitur; inprimis apud hoſtes, & inimicos [p]: adeo ut nec jure talionis violari, & male haberi [q], immo nec ex delicto, nec ex contractu conveniri poſſit. [r]

Atque hanc ſecuritatem etiam ad familiam, comites, vaſa, &c. legati pertinere, tradit.

§. CVI. Ceterum 1. legatis in alieno territorio, ad quorum rectores miſſi non ſunt, ſecuritatem illam juris gentium non competere, exiſtimat [s]: an vero 2. juriſdictionem in familiam, & 3. aſyli jus in domo ſibi arrogare poſſint, dependere ab eo, ad quem mittitur. [u]

§. CVII. Ob violatos legatos ſæpius bella geſta eſſe, coronidis loco addit. [v]

Sectio II.

De Jure Sepulturæ.

§. CVIII. Ex *Jure gentium* quoque deberi corporum mortuorum ſepulturam, Grotius ait [x], & gentes uti jus legationum, ita & jus ſepulturæ, ob æquitatem ad Deos retuliſſe, exiſtimat. [y]

§. CIX. Varias *opiniones* circa receptam inter gentes ſepulturam recenſet [z]. Moschion occaſionem natam, putat, ex gigantea feritate mandendi homines, cujus abolitæ ſignum ſepultura ſit. 2. Alii terræ corpus deberi crediderunt, quia e terra ortum eſt. 3. Alii reſurrectionis ſpem a primis humani generis parentibus hoc veluti monumento poſteris conſignatam putant. 4. Grotius verius eſſe, ait, indignum viſum eſſe ſi corpore hominis, cæteris animantibus præſtantioris, alia animantia paſcerentur. Sed & 5. alienum videri ab humanæ naturæ dignitate,

(b) d. §. 4. n. 2. ſeq (c) d. §. 4. n. 5. (d) d. §. 4. n. 2. 3. & 7. (e) d. §. 4. n. 6. (f) Lib. 2. C. 18. §. 2. n. 3. (g) Lib. 2. C. 18. §. 2. n. 2. (h) d. C. 18. §. 2. n. 2. (i) d. C. 18. §. 2. n. 1. (k) d. C. 18. §. 2. n. 3. (l) d. C. 18. §. 2. n. 3. in fin. (m) ibid.

(n) d. C. 18. §. 3. (o) d. C. 18. §. 5. (p) d. C. 18. §. 5. (q) d. C. 18. §. 6. (r) d. C. 18. §. 7. 9. & 10. (s) d. C. 18. §. 8. (t) d. C. 18. §. 5. (u) d. C. 18. §. 8. n. 2. (v) d. C. 18. §. 11. (x) Lib. 2. C. 19. §. 1. (y) d. C. 19. §. 1. n. 2. (z) d. C. 19. §. 2.

tate, proteri, ac laniari corpus humanum; indeque 6. ſepulturam officium humanitatis dici, quum non tam homini, quam humanitati, i. e. humanæ naturæ, præſtetur.

§. CX. Hinc concludit 1. etiam hoſtibus deberi ſepulturam [a]; non vero 2. inſigniter facinoroſis [b]: indeque apud ipſos Hebræos illos, qui mortem ſibi conſciverant, exceptos fuiſſe, tradit. [c]

Sectio III.

De aliis Juribus, quæ Perſonæ debentur ex Jure Gentium voluntario.

§. CXI. Ex jure gentium voluntario præterea alia quædam debita deducit: nempe 1. *ſucceſſiones ab inteſtato agnatorum.* Proximis enim agnatis ex præſumta defunctorum voluntate deberi quidem ſucceſſionem, exiſtimat; Sed hanc conjecturam naturalem non eſſe jure neceſſariam, indeque a jure gentium demum firmitatem accipere [d]. 2. *Præſcriptiones*: ei enim, qui longo tempore aliquid poſſedit, ideo deberi rem alienam, ſtatuit, quia priſtinus dominus tacite eam dereliquiſſe videtur; quia vero conjectura hæc incerta eſſet, fingit, jure gentium inductam eſſe hanc legem, ut poſſeſſio memoriam excedens dominium transferret [e]. 3. Quod ob *læſionem*, quæ non eſt ultra duplum, non reſcindatur contractus, ſed etiam ex inæqualitate debeatur. Etſi enim æqualitas ex jure naturæ ortum habeat tamen, eam ex lege humana firmitatem quandam accipere, ait, adverſus exceptiones quaſdam, quas alias ratio naturalis videtur ſuggerere. [f]

Sectio IV.

Ubi monita circa Obligationes, quæ ex Jure Gentium oriuntur, continentur.

§. CXII. Ratio omnium harum obligationum, quas ex jure gentium Grotius deducit, ſponte corruit, ex quo certum fit, non dari jus gentium voluntarium: uti vere non dari, ſupra probavimus. *Vide Diſſertat. proœm. IV.*

§. CXIII. Sane, *legatorum jura* (Vid. ſupr. §. 100. & ſeq.) non demum ex jure gentium voluntario, ſed ex ipſo jure naturæ ſequuntur. Dantur etiam inter hoſtes jura quædam, & officia, quæ præſtari invicem non poſſent, niſi legati mitterentur. Bella geruntur ea intentione, ut injuria reparetur; qua vero ratione reparatio illa offerri poſſet, niſi voluntas per legatos declararetur? Neque legatus venit animo lædendi, ſed reparandi, & reparationem offerendi; in eum ergo jura belli ceſſant. [h]

§. CXIV. *Sepeliendi neceſſitas* (Vid. ſupr. §. 108. & ſeq.) eſt mere civilis, quam pudor, & neceſſitas apud omnes fere gentes introduxit. Apud Romanos, & Græcos, pro debito juris naturæ habitum fuit, ſed ex falſo religionis

(a) Lib. 2. C. 19. §. 3. (b) d. C. 19. §. 4. (c) d. C. 19. §. 5. (d) Lib. 2. C. 7. §. 4. n. 1. §. 10. n. 1. & C. 19. §. 6. Diſſ. procem. 6. §. 39. (e) d. C. 19. §. 6. L. 2. C. 4. §. 9. Dict. Diſſ. procem §. 9. (f) d. C. 19. §. 6. Diſſ. procem. 7. §. 35. (g) Lib. 2. C. 12. §. 26. d. §. 6. (h) Vid. Grot. Lib. 2. C. 18. ibique Comment.

Digitized by Google

gionis principio; quia crediderunt, manes circa oſſa defunctorum vagari, neque quieſcere poſſe niſi iis conditis. Religionis igitur pars fuit ſepelire defunctos. [i]

§. CXV. *Succeſſiones ab inteſtato* (Vid. ſupr. §. III.) quatenus agnatis debentur, ſunt ex ipſo jure naturæ, & ſequuntur ex continuatione familiæ, cujus partes, & membra ſunt agnati, ad quos proinde omnia jura, & bona familiæ pertinent. [k]

§. CXVI. *Præſcriptiones*, quæ hominum viventium memoriam excedunt, (*vid. ſupr.* §. III.) ſunt merum inventum Juris Romani, quod in ipſo Commentario ad GROTIUM [l] demonſtrabimus. Sane, injuria non minuitur poſſeſſione longi temporis, ſed augetur potius.

§. CXVII. *Reſciſſio contractus ob læſionem, quæ duplum excedit* (*dict.* §. III.), eſt inventum Juris civilis. Jure naturæ pretium rei ſuæ quiſque pro lubitu ſtatuere poteſt; & hactenus verum eſt, quod naturaliter alium circumvenire liceat, nimirum, pretium etiam ultra triplum &c. exigendo, modo dolus abſit.

(*i*) Vid. Grot. Lib. 2. C. 19. ibique Comment.
(*k*) Vid. Grot. Lib. 2. C. 7. §. 9. ſeq. ibique comment. (*l*) Lib. 2. C. 4. ibique comment.

Digitized by Google

DISSER.

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS VIII.
DE DEFENSIONE JURIUM

Natura cuique hominum quæſitorum, per Judicia;

AD HUGONIS GROTII LIBROS

DE JURE BELLI AC PACIS:

Præcipue

Ad Lib. I. Cap. III, & IV.

Ubi *origo Judiciorum*, id eſt *ſummæ Poteſtatis*, ex mente Epicuri, Hobbesii, & aliorum, explicatur; præcipue autem Grotii ſyſtema proponitur; ac in quo conſiſtat *Civilis Poteſtas*, & quis eam habere videatur, ex ejus hypotheſi explicatur: ac denique monita quædam ſubjiciuntur.

Digitized by Google

SUMMARIA.

§. I. *Connexio cum prioribus Diſſertationibus.*
II. *Ratio judiciorum naturalis* §§. ſeqq.
VII. *De origine judiciorum ex hypotheſi eorum, qui Jus naturæ negant.*
IX. *Ut Glauco.*
X. *Epicurus.*
XI. *Horatius.*
XII. *Et Hobbeſius.*
XIII. *Exponitur ſyſtema Hobbeſii, & refutatur.*
XIV. *Syſtema eorum proponitur, qui toti humano generi delegatum eſſe imperium, ſtatuunt.*
XV. *Simulque refutatur.*
XVI. *Syſtema* GROTII *explicatur.* §. ſeq.
XVI. *Unuſquiſque ex hypotheſi* GROTII *natura eſt vindex ſui, & alieni juris.*
XV. *Quod rationibus probat.*
XVI. *Mutatum hoc eſſe inſtitutis civitatibus, adeoque ex voluntate gentium.*
n. 2. *Quo modo Judicia dicantur juris naturalis, nimirum, pro certo rerum ſtatu:*
n. 4. *Conſectaria ex illa hypotheſi.*
XVII. *In quo conſiſtat poteſtas civilis?* §. ſeq.
XIX. *Quis ſummam poteſtatem habere videatur?*
XX. *Effectus Imperii.*
XXI. *Quibus modis finiatur imperium?*
XXII. *Monita circa hypotheſin* GROTII §§. ſeqq.

PROOEMIUM.

§. I. EXAMINAVIMUS ſyſtema Grotii ſecundum tria objecta Juris Romani; & vidimus, quale jus naturali ratione hominibus competat 1. *ex ſtatu hominum*, 2. *in res*, 3. *ex obligatione perſonæ.*

Hæc igitur jura a creatore conceſſa a nemine hominum auferri nobis poſſunt, & ſi auferuntur, injuria id fit, quæ reparari, i. e. ſuum cuique tribui debet.

§. II. Si autem is, qui jus noſtrum aufert, vel violat, illud reparare nolit, ratio naturalis nos docet, eum adigi ad id debere. Cum enim ex fine creationis appareat, Deum jura quædam hominibus conceſſiſſe, eiſque propria eſſe voluiſſe, ex medii neceſſitate ſequitur, eum facultatem quoque hominibus conceſſiſſe jura illa defendendi, quia alias fruſtra finem illum voluiſſet.

§. III. Cum igitur jura illa *vel* ab eis, qui in una civitate nobiſcum ſunt conſtituti, violari poſſint, *vel* ab extraneis, diverſa quoque ſunt defendendi media. Contra *priores* enim JUDICIA obtinent, de quorum origine, & jure, hic agimus. Contra poſteriores REPRESSALIIS utimur, & BELLUM gerimus; de quibus defenſionis mediis ſequenti Diſſertatione agemus.

§. IV,

§. IV. De origine judiciorum acturi, *primo* examinabimus ſyſtema eorum, qui nullum Jus naturæ, adeoque nec judicium in ſtatu naturæ agnoſcunt. (*Vid. Cap.* 1.)

§. V. *Secundo*, ſyſtema GROTII de origine ſummæ poteſtatis explicabimus. (*Vid. Cap.* 2.)

§. VI. *Tertio*, hypotheſin B. PARENTIS de origine ſummæ poteſtatis illuſtrabimus. (*Vid. Cap.* 3.)

CAPUT I.

Ubi examinatur ſyſtema eorum, qui nullum Jus Naturæ admittunt, adeoque nec ejus Executorem, id eſt, Judicem naturalem, ſtatuunt.

§. VII. ILLI, qui exiſtentiam juris naturalis negant, eo ipſo executorem juris naturali ratione non dari, ſtatuunt. Fruſtra enim de executione juris quæritur, quod plane non exiſtere putant.

§. VIII. Hi igitur ſupponunt, natura nihil vetitum eſſe, & unicuique hominum facultatem naturalem agendi competere quicquid lubet. Cum vero in hoc ſtatu quilibet alterius violentiæ expoſitus eſſet, & non niſi mutuæ cædes inde oriri potuiſſent, fabulantur, homines in ſe invicem ſævire in ſtatu naturæ poſſe, & ob mutuum metum demum in civitates coiviſſe, ac ſuas lites aliorum judicio ſubmiſiſſe; indeque judicia, ſummaſque poteſtates metu injuriæ ex pacto, & diſpoſitione hominum ortas eſſe.

§. IX. GLAUCO hanc ſententiam apud PLATONEM his verbis proponit [a]: *Enimvero quod primum de hoc dicere pollicitus ſum, jam audi, qualis ſit, & unde orta ſit juſtitia. Natura quidem, aiunt, injuriam facere bonum eſſe, injuriam autem affici malum; ſed longe plus mali eſſe in patiendo injuriam, quam in inferendo boni. Quamobrem poſtquam viciſſim injuriam & intulerint, & acceperint, & utrumque guſtaverint, qui nequeunt vitare, illud conſequi operæ pretium fore dicunt, ut ita inter ſe paciſcantur, ut neque inferri, neque accipi poſſit injuria; hincque voluit originem habuiſſe leges, placitaque ipſarum, & nominata eſſe præcepta legum legitima, atque juſta. Hanc itaque juſtitiæ originem habuiſſe leges, & ejus ſubſtantiam ita eſſe, volunt.*

§. X. EPICURUS hæc principia magis perſpicua fecit, cujus mentem ita refert STANLEJUS [b]: *Nam initio cum homines ferarum ritu vagarentur, ac incommoda varia tum a feris, tum ab inclementia cæli paterentur, præſtitit quidem naturalis quædam eorum inter ſe ſe conciliatio (quippe ob formæ, animæque, ſeu morum convenientiam) ut in varios cœtus coirent, ac illis etiam incommodis aliquatenus providerent (exſtructis videlicet caſis, comparatisque tum adverſus feras, tum adverſus ipſum frigus munimentis); verum, quod unuſquiſque bene ſibi eſſe, quam alteri mallet, ideo frequentes erant rixæ de cibatu, de fœminis, de commodis aliis, quæ ſibi invicem præripiebant, quouſque*

(*a*) Lib. 2. de rep. p. m. 51. (*b*) Hiſt. phil. vet. part. 12. fol. 1098.

quouſque animadverterunt, non poſſe ſe tuto, commodeque degere, niſi pacta inirent de non lædendo ſe invicem, atque ita quidem, ut ſi quis alterum læderet, cæteri lædentem punirent: itaque is primus fuit ſocietatis nexus. Talis autem nexus, ſive talis pactio, nihil aliud fuit, quam communis lex, ad cujus obſervationem omnes tenerentur, & quæ attribueret, faceretque certum unicuique jus, ſive facultatem utendi re ſua; unde & ipſa lex quoque fuit quaſi commune, ſicuti jam dixi, ſocietatis jus. Et mox rem ita explicat [e]: *Leges ſcriptas ab initio nullas fuiſſe, ſed mero utentium conſenſu homines tutos fuiſſe; ingruente vero malitia leges ſcriptas, pœnaſque ſtatutas fuiſſe.* Tandemque concludit: *In animalibus nullam eſſe juris, injuriæve, ſeu juſti, & injuſti rationem, quia inter ea convenire non potuit, ut nec læderent, nec læderentur ab invicem; indeque NB. nec ullam cenſendam eſſe inter eas nationes, quæcunque non potuerunt, aut noluerunt ut ad invicem neque læderent, neque læderentur, paciſci.* d

§. XI. Horatius, ſectator Epicuri, totum hoc ſyſtema nervoſe ita deſcribit [f]:

Atque ipſa utilitas, juſti prope mater, & æqui.
Quum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem, atque cubilia propter,
Unguibus, & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces, ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere; dehinc abſiſtere bello.
Oppida cœperunt munire, & ponere leges.
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſa. — — — —
Jura inventa metu injuſti, fateare neceſſe eſt.
Tempora ſi, faſtoſque velis evolvere mundi,
Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.

§. XII. Hobbesius idem principium, ſed alio ordine, aliaque ratione in ſcenam produxit, ac jura inter homines ex *mutuo metu*, vel, quod idem eſt, *metu injuriæ*, exorta eſſe, ſtatuit.

Equidem Hobbesius legem, & præcepta naturæ admittit, indeque tranſgreſſores pœnam debere, aſſerit; verum id ſaltem obtinere *intuitu Dei*, non autem *inter homines ipſos*. Inter hos enim natura nihil juſtum, aut injuſtum eſſe, ait, ſed mutuum metum demum homines induxiſſe ut in civitates coiverint, & jus ſuum invicem graſſandi judicio civitatis ſubjecerint. Syſtema ejus hoc eſt.

n. 1. Supponit, homini facultate prædito agendi quicquid lubet in ſtatu naturali jus eſſe ſe conſervandi. [f]

n. 2. Eidem ergo jus eſſe omnibus utendi mediis ad eum finem neceſſariis. [g]

n. 3. Media autem neceſſaria eſſe, quæ ipſe talia judicabit [h]; eumque judicem eſſe utrum actio, quam perficere vult, ad conſervationem ſui neceſſaria ſit, an non [i]: adeoque ipſius facientis judicio id, quod fit, jure fieri, vel injuria. [k]

n. 4. Præterea ſupponit, cuique homini jus eſſe in omnia; quod his verbis

(*c*) ibid. fol. 1101. (*d*) ibid. fol. 1100. Conf. Gaſſend. ad Laert. Lib. 10. p. m. 1519. (*e*) Lib. 1, ſat. 3. (*f*) de Civ. C. 1. §. 7. in fin. (*g*) d. C. 1. §. 8. & 9. (*h*) d. Civ. C. 1. §. 9. (*i*) d. C. 1. §. 9. & C. 2. §. 1. (*k*) C. 1. §. 9. 10. & 11. C. 2. §. 1.

bis declarat: *Natura cuique dedit jus in omnia; h. e. in ſtatu mere naturali unicuique licebat facere quæcunque, & in quoſcunque libebat, & poſſidere, uti, frui omnibus, quæ volebat, & poterat* [l]. Et alibi: *In conditione hominum naturali omnium in omnia jus eſt, ipſis hominum corporibus non exceptis.* [m]

Cum igitur omnes homines hactenus æquales ſint, inde oriri, ait, æquale ſe occidendi jus [n], & æqualem unicuique ea, quæ cupit, acquirendi ſpem [o]. Verba ejus hæc ſunt: *Cauſa metus mutui conſiſtit partim in naturali hominum æqualitate (quia æquali jure ſe mutuo occidere poſſunt), partim in mutua lædendi voluntate.* [p]

n. 5. Quoties ergo duo idem cupiunt, quo frui ambo non poſſunt, ex ſententia Hobbeſii alter alterius hoſtis fit, & ad obtinendum ſuum finem alterum conatur ſubjugare, vel interficere, & ſi imbecillis ſit, aliorum vires ſibi jungere [r]: quum eodem jure, quo alter vult, alter nolle; alter invadere, alter reſiſtere poſſit [s]. Hoc jus, i. e. hanc libertatem, revera non jus eſſe, ait; ſed potius perpetuas ſuſpiciones, & ſtudia inde oriri, ac mutuum metum. [t]

n. 6. Cum vero unicuique jus competat ſe conſervandi, Hobbeſius in tanto, & mutuo hominum metu ſecuritatis viam meliorem nullam eſſe, exiſtimat, quam præventionem: i. e. ut tamdiu alios ſibi vi, vel dolo ſubjiciat, quamdiu illi metuendi ſunt. [u]

n. 7. Hinc ſtatum naturæ, i. e. conditionem hominum, natura conſiſtere in bello uniuſcujusque contra unumquemque, ſtatuit. [v]

n. 8. Huic bello omnium contra omnes conſequens eſſe, ait, ut nihil injuſtum ſit [x]: indeque in hoc ſtatu utrumque jure facere, & lædentem, & illum, qui lædentem repellit [y]; menſuram enim juris ibi eſſe ſolam utilitatem, adeoque nemini hominum injuriam fieri poſſe [z]. Vim ergo, & dolum in hoc bello eſſe virtutes cardinales; juſtitiam, & injuſtitiam non eſſe corporis, nec animæ facultates [a]; ſed omnia ibi licita eſſe, quæ a cujuſque robore, & genio exſpectari poſſunt [b]. Paucis rem ita deſcribit: *Ceſſante poteſtate civili ceſſant crimina; juſtum, & injuſtum propter jus omnium in omnia nihil eſt.* [c]

n. 9. Concludit igitur, naturam homines non ſociabiles procreaſſe, ſed potius diſſociaſſe, & ad mutuas cædes aptos feciſſe; idque exemplo primorum fratrum probat, & ſummarum poteſtatum conditionem inter ſe hodieque in mutuo metu conſiſtere, putat. [d]

n. 10. Huic igitur ſtatui conveniens eſſe, ait, ut nullum ſit dominium, nulla proprietas, nihil meum, & tuum: *Quamquam enim* (quæ ſunt verba Hobbeſii) *quis de re omni poterat dicere, hoc meum eſt; frui tamen ea non poterat propter vicinum, qui æquali jure, & æquali vi prætendebat idem ſuum eſſe* [e]. Sed uniuſcujuſque eſſe, ait, quod ſive

(*l*) de Civ. C. 1. §. 10. (*m*) Leviat. C. 14. p. 2. (*n*) de Civ. C. 1. §. 3. 4. 5. & 6. (*o*) Leviath. C. 13. pag. 63. de cive C. 1. §. 3. ſeq. (*p*) de cive C. 1. §. 3. 4. 5. & 6. (*r*) Leviatn. C. 13. p. 64. (*s*) d. Civ. C. 1. p. 12. (*t*) de Civ. C. 1. §. 3. ſeq. &. §. 11. (*u*) d. C. 13. §. 64. (*v*) Leviat. C. 13. p. 65. C. 14. pr. de Civ. C. 1. §. 12. (*x*) Leviat. d. p. 65. (*y*) de Civ. C. 1. §. 12. (*z*) de Civ. C. 1. §. 10. (*a*) Leviath. C. 13. p. 6[illegible] (*b*) Leviath. C. 13. p. 64. & C. 14. pr. [illegible] Leviat. C. 22. p. 138. (*d*) Leviat. C. 13 p. 65. (*e*) de Civ. C. 1. §. 11. Leviat. C. 14. p 66. & C. 15. pr. de Cive. C. 3. §. 21. C. 14. §. 9.

ve vi, ſive dolo acquiſivit, & quamdiu id conſervare vi, vel dolo poteſt.

n. 11. Fatetur tamen, miſeram hanc fuiſſe hominum conditionem in ſtatu naturæ, & minime utile hominibus fuiſſe *jus illud omnium in omnia* [f], neque iis conſultum, in ſtatu illo manere [g]. Hinc media ſuppeditat, quibus potuere homines ab illa conditione, partim paſſionibus, magis vero ratione, i. e. concluſiones rectæ rationis ſequendo, liberari: atque has concluſiones vocat *leges naturæ.* [h]

n. 12. Cum igitur ratio naturalis nobis dictitet, *bellum tale omnium contra omnes* non eſſe bonum, ac *mutuum illum metum* omnem vitæ jucunditatem auferre, eandem rationem nobis dictare, ait, *pacem quærendam eſſe* [i]. Cum enim lex naturæ ſit dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda ſunt ad vitæ, membrorumque conſervationem [k], primam ejus legem eſſe, ait, *quærendam eſſe pacem, vel ſi haberi non poteſt, belli auxilia*, i. e. civilem ſocietatem, per quam a jure illo omnium in omnia homines recedant. [l]

n. 13. Ad pacem illam, & ſecuritatem obtinendam non ſufficere, exiſtimat, pactum plurium inter ſe de non lædendo, quia ſola promiſſorum conſcientia homines in officio non continerentur [m]; adeoque ſecuritati non pactis ſolis, ſed pœnis providendum eſſe, tunc autem ſatis proviſum eſſe, cum pœnæ tantæ in ſingulas injurias conſtituuntur, ut aperte malum majus ſit feciſſe, quam non feciſſe. [n]

n. 14. Hinc neceſſarium eſſe, ait, ut potentia cogendi, & puniendi ſimul a ſingulis in unum transferatur, & uni concedatur: indeque concludit, univerſam ſecuritatis viam hanc eſſe, ut potentiam, & vim ſuam in hominem unum, vel cœtum hominum, unuſquiſque transferat [o]; unde voluntates omnium ad unicam reducantur, i. e. ut unus homo, vel cœtus, unus, perſonam gerat uniuſcujuſque hominis ſingularis; ut unuſquiſque auctorem ſe eſſe fateatur omnium actionum, quas gerit perſona illa, ejuſque voluntati, ac judicio ſuam voluntatem ſubmittat. [p]

n. 15. Ex quo igitur homines jus ſuum omnia agendi in unum ſolum conferunt, huic jam omnia licere, docet, quæ & ipſi, & ſingulis antea licebant.

Hinc arbitrium abſolutum agendi eſſe penes imperantem; quicquid ab eo factum fuerit, impune eſſe debere [q], nec proprii aliquid eſſe civibus contra eum [r]. Unde concludit, imperantem pro lubitu cives occidere, ſpoliare, & res eorum rapere poſſe, nec ſubditis fieri injuriam, ſed ſoli Deo [s]. Quin eum nec præceptis decalogi (de parentibus honorandis, de non occidendo homine, de non violando thoro alieno, de non contrectanda re alterius, de non dicendo falſo teſtimonio) obligari, ſed ea eſſe mere civilia [t], quibus nec ſubditi obligarentur, ſi leges civiles hos actus non pro-

(*f*) de Civ. C. 1. §. 12. (*g*) de Civ. C. 1. §. 13. [illegible] & 15. (*h*) Leviat. C. 13. in. fin. & C. [illegible] (*i*) de Cive C. 1. §. 13. & 15. C. 2. §. 1. in fine p. m. 20. (*k*) de cive C. 2. §. 1. (*l*) de cive C. 1. §. 15. & C. 2. §. 2. 3. C. 15. §. 5. Leviat. C. 14. p. 67. (*m*) de cive C. 6. §. 4. Leviat. C. 14. §. 71. (*n*) d. C. 6. §. 4. Leviat. C. 17. §. 85. (*o*) d. C. 6. & 7. Leviat. C. 17. p. 85. (*p*) Leviat. d. C. 17. p. m. 85. (*q*) de cive Cap. 6. §. 12. Leviat. C. 18. pag. m. 87. (*r*) d. Cap. 6. §. 15. (*s*) d. Cap. 6. §. 13. Leviat. C. 18. pag. m. 88. (*t*) Leviat. Cap. 14. §. 9. & 10.

Digitized by Google

prohiberent *u*. Denique, ait, imperantem ob nullam actionem in jus vocari, puniri, nedum occidi a ſubditis poſſe *v*. Addit, durum id eſſe, ſed res humanas ſine incommodo eſſe non poſſe. *x*

n. 16. Atque hanc eſſe generationem magni illius *Leviathan*, ait, i. e. mortalis Dei, cui pacem, & protectionem ſub Deo immortali debeamus omnem; auctoritatem enim tantam ab omnibus, & ſingulis collatam, tantam potentiam, & tantarum virium uſum habere, ut terrore earum voluntates omnium ad pacem inter ſe, & ad conjunctionem contra hoſtes, conformare poſſit. *y*

§. XIII. Syſtema hoc HOBBESII non tantum impium, ſed & periculoſum, ac plurimis contradictionibus refertum eſt, quod nunc demonſtrandum erit.

n. I. PRIMO enim impium eſt hoc ſyſtema, quia ſupponit, natura inter homines nihil juſtum, vel injuſtum eſſe; negat, præcepta naturæ dari, quæ hominibus inter ſe neceſſitatem imponant aliquid agendi, vel non agendi: adeoque pactis demum hominum jus ortum eſſe, aſſerit, dum in civitates coiverunt, i. e. actus ſuos civitatis arbitrio ſubmiſerunt. Quæ ſententia parum ab Atheiſmo differt.

Equidem negari nequit, Hobbeſium leges naturæ ſtatuere, quæ homines obligent, & pœnas quoque minentur transgredientibus. *Vid. Diſſert. proœm. XI.* §. 6. *n.* 10. *ſeq.*

At I. obligatio, quam ipſe legi naturæ tribuit, non jus dat homini in hominem, neque homini ab homine injuriam fieri, ait, ſi leges naturæ negligit; ſed ſaltem Deo, cui ſoli pœnam ideo dare dicitur, quod homo rationi regulas ſecutus non fuerit, i. e. quod pacem non quæſiverit. Per pœnas autem 2. non intelligit malum aliquod paſſionis propter malum actionis, a ſuperiore infligendum, ſed incommoda, quæ ex natura actuum vitioſorum, adeoque tantum vivente homine, ſequuntur; v. gr. morbos ex Venere, & Baccho, metum vindictæ ex cæde, & adulterio, &c. Ex quo 3. apparet, revera neque obligationem naturalem, neque veram pœnam hic ſubeſſe, adeoque veram legem naturæ ab eo non admitti; quod alibi plenius demonſtravimus. *Vid. Diſſert. proœm. XI. C.* I.

n. 2. SECUNDO, impia eſt aſſertio HOBBESII, in ſtatu naturali, ſeu jure naturæ, jus eſſe omnium in omnia; adeoque unumquemque hominum jure agere alterum occidendo, res ejus rapiendo, thorum alienum violando, &c.

Qua quæſo ratione [*a*] homini Chriſtiano, quin homini ratione prædito, in mentem venire poteſt, ut ſtatum aliquem ſupponat, in quo Creator, ens illud perfectiſſimum, exiſtere voluerit creaturam ratione præditam, quæ facultatem habeat promiſcue ſæviendi non tantum in alios homines in genere, ſed & in conjuges, in parentes, in fratres, &c. Sane, hæc idea non creatori humani generis, ſed tyranno, deſtructori ejus, convenit.

Equidem [*b*] Hobbeſius ut evitet hanc impietatem, ſupponit, ſtatum hunc

(*u*) Leviat. d. §. 9. 10. (*v*) Leviat. C. 18. p. m. 88. (*x*) de cive Cap. 6. §. 13. Lev. Cap. 18. pag. m. 91. (*y*) Leviat. C. 18. p. 85.

Digitized by Google

hunc violentum repugnare rationi, indeque legem a Deo, auctore rationis, hominibus datam eſſe, ut pacem quærant, & a ſtatu illo violento recedant; & homines in conſcientia, & metu pœnæ obligatos eſſe, ut legem illam naturæ obſervent. Sed annon hæc apertam contradictionem inferunt, Deum ens perfectiſſimum creaturam ratione præditam cum libertate agendi quicquid vult creaſſe, hominemque vi hujus facultatis omnia jure agere, adeoque promiſcue alios occidere, adulteria committere &c. poſſe, & tamen facultatem illam rationi repugnare? Si facultas illa rationi repugnat, eo ipſo neceſſario ſequitur, hominem jure non agere. Pugna igitur aperta eſt, Deum facultates creaturæ ſuæ dediſſe pro lubitu ſæviendi, & tamen eundem creaturæ ſuæ mediante ratione id prohibuiſſe: Deum velle, aliquid ab hominibus non fieri, & tamen homines faciendo jure agere. Nos alibi probavimus, Deum homines quidem liberos naſci voluiſſe, i. e. facultatem naturalem agendi hominibus conceſſiſſe, ſed ſaltem ad certum finem. Hæc igitur ſola facultas cum intentione, & ad certum finem conceſſa, jus dat hominibus; & ſic homo jure agit, non qui juxta facultates mere naturales agit, ſed qui agit juxta facultates rationi convenientes.

Ex hoc fine apparet, *jus non eſſe omnium in omnia:* cum enim facultas occupandi res terræ ratione naturali conceſſa appareat ſingulis hominibus ad ſuas neceſſitates, negari nequit, id, quod occupando in poteſtatem noſtram redigimus, jus noſtrum eſſe. Unde ratio naturalis concludit, alium jus hoc ex voluntate creatoris nobis quæſitum auferre non poſſe, quia contra intentionem, & voluntatem divinam ageret. Sane, ſi uni conceſſiſſet facultates agendi, vel habendi, alter autem turbare, ac auferre illam facultatem poſſet, fruſtra Deus jura illa conceſſiſſet; quod cum perfectione divina pugnaret.

Qui proinde res terræ occupat, eaſque ſuas facit, jure agit, nimirum, juxta voluntatem Dei; & qui occupantem turbat, injuria agit, quia contra voluntatem Dei jus alterius turbat. Hactenus res occupantis eſt, & ex voluntate Creatoris ejus utilitati cedit, quod autem occupantis eſt, ei ſoli competit, alias non eſſet occupantis, ſed cum alio commune. Unde neceſſario ſequitur, alium eandem rem ſuam dicere, atque ejus utilitates ſibi arrogare non poſſe. Idem multo magis de vita, juribus thori, &c. obtinet: indeque non dari jus omnium in omnia, extra omne dubium poſitum eſt.

n. 3. TERTIO, abſque impietate aſſeri non poteſt, homines jus omnium in omnia, i. e. facultatem promiſcue graſſandi, & ſæviendi, in civitates, ſeu Principes transtuliſſe, vel potius uni principi jus, quod jam ante habuit, reliquiſſe.

Nam 1. initio hujus §. probavimus, talem hominum ſtatum naturalem numquam fuiſſe, adeoque fruſtra de renunciatione, & translatione ejus juris quæri.

Hac theſi poſita, 2. unicuique liceret, ſocietati, (utpote quam ſui commodi gratia ex Hobbeſii hypotheſi iniit), renunciare, ac naturali ſtatui ſe reſtituere, & ita jus priſtinum aliis ſibi junctis vindicare, eoque cædes, adulteria, furta, &c. committere, cum in ſocietate nemo invitus manere cogatur.

Sed

Sed & 3. periculoſiſſima hæc eſt ſententia, quæ criminibus, & rebellioni inprimis, media, & occaſionem præbet. Homini enim, etiam in ſocietate degenti, abſque ullo metu ſævire in concivem liceret, modo clam id facere poſſit, aut eo potentiæ pervenerit, ut vindictam vel concivis, vel ſuperioris metuere neceſſe non habeat. Nihil enim eſt, quod eum deterrere ab eo facto poſſit.

Quin 4. ipſe Princeps tutus non foret, nec contra inſidias, nec contra vim ſubditorum, ſi hæc tanta eſt, ut ei Princeps reſiſtere non poſſit: quid enim deterrere poſſit ſubditûm, non video. HOBBESIUS enim rationem obligationis non in pacto ponit, (id enim non ſufficere, ait, ad adigendum hominem) ſed in potentia irreſiſtibili, qua princeps ſubditos adigere poſſit, ne a pacto recedant. Ceſſante igitur illa potentia, & prævalente ſubditorum potentia, tuto recedere ſubditus a pacto poſſet.

Neque 5. ſubditos metus aliquis pœnæ divinæ deterrebit, quia Hobbeſius pœnas naturales non ſtatuit, præter incommoda ex actibus vitioſis natura ſequentia, quæ cum non ſemper, nec neceſſario actus comitentur, facile negligi, & ſperni ſolent.

Unde ſimul conſtat, Hobbeſium patricidium in Carolum I. commiſſum, cujus injuriám ex ſuo ſyſtemate probare voluit, potius approbare, & defendere, quam confutare.

6. Ex hoc ſyſtemate ſequitur, Principes inter ſe jus illud omnium in omnia conſervaſſe, & inter gentes hodieque obtinere facultatem naturalem agendi quicquid lubet, i. e. jus omnium in omnia: indeque gentes promiſcue ſævire invicem poſſe, neque ſævientem alteri facere injuriam, ſed ſuo jure uti; proinde inter Principes nihil juſtum, nihil injuſtum eſſe. [a]

Neque 7. pro HOBBESIO allegari poteſt, gentes lege naturæ obligari ad pacem quærendam; & ſi non quærunt, contra legem rationis, i. e. Dei, agere, eoque pœnam mereri. Nam dictum jam eſt, hanc obligationem ex hypotheſi Hobbeſii in gentium arbitrio poni, quia ſi incommodis, (quæ naturaliter inde ſequi poſſunt, rariſſime tamen ſequuntur,) ſe exponunt, vel ob potentiam nihil viciſſim metuunt, aliis pœnis divinis non deterrentur.

Denique & 8. Principi talem poteſtatem (quæ ſufficiat deſcriptionis illius amplitudinis explendæ, nedum conſtituendæ auctoritati hominis vicariæ), a civibus concedi non poſſe, rationibus probat B. PARENS in diſputatione, quam *Leviathan* inſcribit.

n. 4. QUARTO, contradicere ſibi HOBBESIUS videtur. Supponit enim, Principi jubenti reſiſti non poſſe, & tamen alibi [a] ſtatuit, *obediendum non eſſe principi, ſi aliquid contra leges naturales injungit*, i. e. ſi jubet ſubditos, ne pacem quærant. Si enim non obedire præceptis Principis licet, verum non eſt, omne jus agendi quicquid lubet, adeoque jus occidendi, thorum violandi, &c. in principem translatum eſſe. Si vero omne jus in eum translatum eſt, neceſſario ſequitur, principem eodem jure, quo in ſubditos ſævire poteſt, eis quoque poſſe injungere, ut ſubmittant ſe pœnis divinis, i. e. incommodis, quæ actus lege naturæ improbatos ſequuntur, & cum vita finiuntur.

Z 2 CA-

(a) Leviat. Cap. 13. pag. 65.

(a) Leviat Lib 13 pag. 166.

CAPUT II.

Ubi examinatur ſyſtema eorum, qui toti humano generi imperium delegatum eſſe, ſtatuunt.

§. XIV. EXPLICAVIMUS hactenus ſyſtema eorum, qui exiſtentiam juris naturalis negant, adeoque executionem illius juris naturali ratione nullam eſſe, nedum executorem natura dari, contendunt.

n. 1. Illi, qui admittunt jus naturæ, ſupponunt, Deum ſingulis hominibus jura quædam propria eſſe voluiſſe, ſimulque prohibuiſſe, ne jura ſingulis a natura quæſita ab aliis turbentur, vel auferantur.

n. 2. Si quis ergo contra hanc prohibitionem jus ſingulorum turbat, certum eſt, eum injuria agere, indeque damnum ſi dedit, reſtituere, ac ob delictum talionem pati debere.

n. 3. Cum vero contingere poſſit, ut is, qui jus noſtrum violavit, vel damnum inferendo, vel alias nocendo, nolit injuriam reparare, quin reparationi reſiſtat, quærunt, quis compellere poſſit lædentem ad id, ut reparet?

n. 4. Equidem extra omne dubium poſitum eſt, Deum auctorem, & vindicem eſſe ſuarum legum, adeoque eum adigere poſſe homines ad reparandam injuriam aliis hominibus illatam. At cum Deus ipſe ſuas leges non immediate in hac vita exequatur, porro quærunt, an Deus poteſtatem ſuam exequendi, adeoque judicium, ac imperium cuidam hominum delegaverit?

n. 5. Mirum eſt, quam variæ hac de re doctorum ſint opiniones. *Alii* affirmant, talem delegationem factam eſſe, eamque vel *toti humano generi* factam, ajunt, vel ſoli *Adamo*, vel *ſingulis patribus familias* in membra familiæ imperium delegatum, ſtatuunt. *Alii* negant, Deum jus imperii alicui delegaſſe: ſed contendunt, Deum ſingulis hominibus facultatem conceſſiſſe jura ſua defendendi; homines autem propter varias utilitates jus vi agendi in civitates contuliſſe; indeque judicia ex pactis hominum originem ducere. De ſingulis nunc agemus.

n. 6. Illi, qui toti humano generi imperium delegatum eſſe, ſtatuunt, ſupponunt, & merito, Deum eſſe executorem legum naturalium, utpote quarum ipſe auctor eſt. Quia vero hanc poteſtatem Deus immediate in homines exercere non ſolet, inde concludunt, Deum eam delegaſſe ſocietati humanæ, i. e. toti humano generi.

n. 7. Probant autem hanc delegationem ſequenti argumento. Dum Deus vult ſuum cuique tribui, neceſſario etiam vult poteſtatem, qua compelli homines, & neceſſitate juris illius obſervandi adſtringi poſſint, cum neceſſitas talis nulla ſit, niſi ſit poteſtas, quæ non parentes compellat [b]: at poteſtatem non exercet Deus ipſe; ergo per alios.

Si per alios exercet, porro quæritur, per quos illam poteſtatem exerceat?

(b) Conf. Lib. 2. §. 13. O. J.

ceat? Reſpondent, Deum vel *uni*, vel *pluribus*, vel *omnibus* delegaſſe. Non autem apparere delegatam eſſe *uni*, vel *pluribus* (neutrum enim definitum, omneſque homines natura æquales eſſe); ergo delegatam eſſe *omnibus*, vel qui omnium electione conſtitutus omnes repræſentat. Quam rationem ex conſenſu omnium gentium, & ſacræ inprimis ſcripturæ confirmant. *Vid. Diſſert. proœm. X. poſit. XIII.*

n. 8. Hoc imperium aucto humano genere, & per univerſum terrarum orbem diſperſo, non poſſe expediri, ajunt, ab uno corpore; ſed neceſſe fuiſſe dividi in plura hominum, civitatum, ſeu populorum, corpora, & quaſi collegia. Qua partitione unicuique corpori, ſeu civitati, ſeu populo, intra hos terrarum ſuarum fines eandem poteſtatem competere in omnes, & omnia his finibus comprehenſa ſtatuunt, quæ ante diviſionem toti humano generi in omnes homines, & res totius terrarum orbis, competierunt. *Diſſ. poſ. XIII.*

n. 9. Cum igitur illi, qui ad hanc poteſtatem eliguntur, non vi hujus electionis, ſed vi delegationis, quaſi a divino numine cuivis electo factæ, eam exerceant; hinc concludunt, *vicarios Dei* dici Principes, ac *Dei gratia* imperium exercere. [bb]

§. XV. Equidem ingenioſa admodum hæc eſt hypotheſis de imperiorum origine: at fateri neceſſe eſt, eam dubiis non carere.

n. 1. Illi enim, qui delegatum imperium plane non admittunt, totum concedunt argumentum. Nimirum, nec *uni*, nec *pluribus*, nec *omnibus* delegatum eſſe imperium; ſed ſingulos jure neceſſariæ defenſionis jus ſuum privata auctoritate vindicare, & vim vi repellere poſſe: eodem modo, quo etiam poſt civitates inſtitutas gentibus inter ſe, vel cuique privato ceſſante judicio, proprio jure jus ſuum defendere licet. (*Vid. Cap. ſeq.*)

n. 2. Sed & 2. non video, cur non magis *uni*, vel *pluribus* delegatum videatur imperium, quam *omnibus*. Sane, imperium patrifamilias in domum ſuam, i. e. in membra familiæ, competere, ratio nos docet, & in Diſſ. proœm. XII. demonſtrabitur. Pater igitur judex naturalis eſt uxoris, & liberorum; indeque natura imperium vel *uni* delegatum eſt, ſi primus homo ſolus fuit, vel *pluribus*, i. e. cuique patrifamilias, ſi ſepoſita revelatione fingitur, vel plures homines ſimul creatos fuiſſe, vel plures ab æterno exſtitiſſe.

n. 3. *Si omnibus* conceſſum fuit imperium, 3. tota Adami familia *per omnes* intelligenda eſſet, utpote quæ ab initio totum humanum genus continebat. At hoc principio poſito ſequeretur, imperium uxori, & liberis æque in maritum, & patrem, ac his in uxorem, & liberos competere; quod cum ratione pugnat.

n. 4. Denique ſi *omnibus* imperium delegatum eſſet, 4. res exitum habere non poſſet, quia auctis familiis, & diſcretis gentibus *omnes* convocari amplius ad commune concilium non potuerunt.

Neque admitti poteſt, quod *diviſo humano*

(*bb*) Conf. B. Parentis diſputatio, quæ inſcribitur Leviathan refutatus. Ejuſd. diſp. de ſumma poteſtate. Ejuſdem Exercit. 2. ad Grotium Lib. 1. §. 12. ſeq. §. 24. Vid. infr. Diſſert. X. poſ. XIII.

humano genere ſingulis civitatibus idem jus competat, quod ante diviſionem omnibus proprium fuit. Nam familiæ, & gentes, in alia loca migrantes, imperium reliquo humano generi quæſitum facto ſuo auferre non potuerunt, niſi accedente humani generis conſenſu, qui per naturam probari nequit.

CAPUT III.

Ubi ſyſtema eorum proponitur, qui ſingulis facultatem jura ſua defendendi, & vindicandi natura conceſſam eſſe, tradunt.

§. XVI. PLURIMI negant, Deum ſpecialem juris naturalis vindicem elegiſſe, neque talem delegationem vel uni, vel pluribus, vel omnibus factam, probari poſſe. (*Vid.* §. 14. *n.* 7.). Sed ſupponunt, cuique hominum jus eſſe vi privata agendi, contra eum, qui injuriam ei infert.

n. 1. Hanc facultatem probant 1. *ex motu naturali* omnibus animantibus indito; quia omnia natura ducente feruntur ad ſui defenſionem.

n. 2. Probant eam 2. ex *actione creatoris*, & *ejus fine.* Creatorem enim non tantum motus illos creaturis ſuis indidiſſe, ſed & arma ſuppeditaſſe, ajunt, quibus ſe defenderent.

n. 3. Jus illud vi privata agendi probant 3. ex *medii neceſſitate.* Quia enim Deus jura quædam cuique hominum propria eſſe voluit, inde concludunt, eum media quoque hominibus permiſiſſe, ſine quibus jure illo uti non poſſunt, adeoque & facultatem jura illa defendendi contra injuriam aliorum.

n. 4. Confirmant hæc 4. ex *natura entis perfectiſſimi*; quia Deus fruſtra jura illa cuique hominum propria eſſe voluiſſet, fruſtra motus illos indidiſſet, & fruſtra arma ſuppeditaſſet, ſi alii turbare jura illa poſſent, & media defenſionis licita non eſſent.

n. 5. Provocant 5. ad conſenſum omnium gentium; omnes enim convenire, ajunt, initio rerum judicia nulla fuiſſe, adeoque unicuique jus fuiſſe privata vi agendi: immo & experientiam docere, poſt inſtitutas civitates, & hodienum, gentes inter ſe propria auctoritate vindicare injurias ſibi illatas, non jure imperii, ſed jure neceſſariæ defenſionis; quin cuique privato jus eſſe vi arcendi injuriam, ſi judicis copia non eſt.

Nullam igitur rationem allegari poſſe, exiſtimant, cur gentibus id, quod cuique privato hodieque licitum eſt, ante inſtitutas civitates, ubi ſuperior non erat, illicitum fuerit.

Illuſtrant ſuam opinionem exemplo Caini, qui occiſo Abele metuebat vindictam ſingulorum: *Quicunque conveniet me, occidet me.* Nec non exemplo Lamech, qui ejuſdem criminis reus, & vindictam reliquorum hominum metuens, cauſabatur, Deum ſibi æque, ac Caino gratiam feciſſe, & ut deterreret inſidiantes, vindictam divinam eis minabatur. Unde concludunt, judicia tunc temporis non fuiſſe, & unicuique privato jus competiiſſe, pœnas ab iis, qui injuriam intulerant, ſumendi.

n. 6. Neque 6. obſtare, ajunt, regulam,

Digitized by Google

gulam, quod nemo judex eſſe poſſit in propria cauſa, & quod fruſtra conditæ videantur leges, ſi ſuperior non ſit, qui eas exequatur. Regulas enim has veras eſſe, reſpondent, circa leges civiles: leges autem naturales non opus habere ſuperiore (ſcilicet, inter homines), quia ipſe Deus ſuperior eſt, qui dum ſingulis facultatem concedit jura ſua defendendi, arbiter eſt illius litis, & pro juſtitia cauſæ eam decidit, eodem modo uti adhuc hodie inter gentes, & ceſſante judicio inter privatos, eventus belli inſtar ſententiæ eſſe ſolet.

n. 7. Sed nec 7. credendum eſſe, putant, in primævo hominum ſtatu magna inde incommoda oritura fuiſſe; vix enim lites eo tempore exſurgere potuiſſe, ubi omnia omnibus ſufficiebant: naturam ipſam tranquillitati humani generis ſatis proſpexiſſe, tum per motum generalem, qui creaturas ejuſdem generis unire ſolet, tum per favorem ſpecialem, quo illi, qui ejuſdem gentis ſunt (uti ab initio omnes fuerunt) ſeſe proſequuntur. Atque hanc auream illam ætatem eſſe, ajunt, adeo a Poëtis decantatam, ubi homines ſine vindice tuti fuerunt.

n. 8. Unde 8. concludunt, natura ſuperiorem inter homines non dari, ſed ſingulos jura ſua, dirigente Deo, privata auctoritate defendere poſſe.

§. XVII. Grotius quoque in ea eſt opinione, naturali jure unumquemque vindicem eſſe non tantum ſui juris, ſed & juris alieni. *Vid. Diſſert. proœm. I.* §. 80. Immo tanto honeſtius eſſe, exiſtimat, alienas injurias, quam ſuas vindicare, quanto in ſuis magis metuendum eſt, ne quis doloris ſui ſenſus, aut modum excedat, aut certe animum inficiat [c], modo ejuſdem criminis reus non ſit. [d]

n. 1. At inſtitutis civitatibus jus vi privata agendi ſublatum eſſe, ait (*vid. dict. Diſſ. proœm. I.* §. 80.); idque ſequentibus rationibus firmat.

Quum enim in rebus noſtris, & noſtrorum affectu facile corrumpamur [e], prætorea facti inquiſitio ſæpe magnam diligentiam, & pœnæ æſtimatio multum prudentiæ, & æquitatis deſideret, ne dum quiſque de ſe nimium præſumit, aliis non credentibus, rixæ oriantur, &c. [f]; multo honeſtius, & ad ſecuritatem hominum conducibilius gentes crediditſe, ab eo, cujus nihil intereſt, rem cognoſci, quam homines ſingulos, nimium ſæpe amantes ſui, quod jus putent, id manu exequi [g]: atque ideo placuiſſe hominum juſtis communitatibus, eos deligere, quos optimos, ac prudentiſſimos putabant, aut fore ſperabant [h]; & his judicibus ſolis datam fuiſſe poteſtatem vindicandi læſos, ademta ceteris, quam natura indulſerat, libertate [i]; eoque reſtrictam eſſe, quæ ante conſtituta judicia fuerat, licentiam. [k]

n. 2. Etſi autem hæc judicia facto demum hominum, & voluntate plurium familiarum, quæ in unum locum convenerunt, introducta ſint [l], Grotius tamen exiſtimat, ea aliquo ſenſu *juris naturalis* dici, & ordinationem divinam vocari poſſe; tum quia

(*c*) Lib. 2. Cap. 20. §. 40. n. 2. (*d*) Lib. 2. Cap. 21. §. 3. n. 1. Cap. 20. §. 6. n. 1. §. 3. n. 2. (*e*) Lib. 2. Cap. 21. §. 3. (*f*) Lib. 2. C. 20. §. 9. n. 4. (*g*) Lib. 1. Cap. 3. §. 1. n. 2. (*h*) Lib. 2. C. 20. §. 9. n. 4. (*i*) Lib. 2. C. 20. §. 8. n. 4. Proleg. §. 19. (*k*) Lib. 1. C. 3. §. 2. n. 1. (*l*) dict. C. 20. §. 8. n. 4.

quia tam laudabili inſtituto obſequendum eſſe, ipſa dictat æquitas, & ratio naturalis [m]; tum quia Deus tam ſalubre inſtitutum hominum approbavit, eamque voluntatem declaravit [n]; cui voluntati homines obligantur. [o]

n. 3. Hinc jam conſtat ratio, cur GROTIUS judicia referat ad *jus naturæ pro certo rerum ſtatu*, quod nimirum ſupponit factum hominum, ſeu voluntatem eorum, qui ſe in civitatem contulerunt. In *eo* enim *ſtatu naturæ*, ubi cuique jus erat vi agendi, naturale fuiſſe, ait, ut quilibet eſſet vindex ſui, & alieni juris: at in *altero ſtatu*, poſtquam nimirum voluntate hominum jus vi agendi in civitatem collatum eſt, naturale eſſe, út unuſquiſque jus ſuum non ipſe, ſed per judicem vindicet. Quod inventum Grotii alibi expoſuimus, & refutavimus. Vid. *Diſſert. proœm. I.* §. 80.

n. 4. Conſectaria, quæ GROTIUS ex hypotheſi præmiſſa deducit, ſunt ſequentia. Ait enim, jure gentium 1. poſt introducta judicia neminem privata auctoritate jus ſuum a concive exigere vi poſſe, ſed judicis arbitrio id commiſſum eſſe. 2. Neminem pœnas poſcere a concive nocente poſſe, niſi per judicem. 3. Neminem jus alterius, vel injuriam alii illatam vindicare poſſe; idque inprimis inter gentes locum habere, indeque neminem alii bellum inferre ob alienas injurias poſſe, propter difficultatem, & periculum de juſtitia inter duas gentes cognoſcendi [p]. Unde concludit, 4. alienos ſubditos, prætextu injuriæ ab eorum rectore illis illatæ, defendi non poſſe [q]; addita ratione, quod ex quo civiles ſocietates inſtitutæ ſunt, rectoribus eujuſque civitatis ſpeciale quoddam jus in ſuos quæſitum ſit [r]. Excipit tamen caſum, niſi manifeſta, & notoria ſit injuria, quæ ſubditis infertur [s]. 5. Debitorem, vel nocentem alienæ civitatis, non poſſe a creditore, vel a læſo, vel ab ejus magiſtratu, in loco domicilii compelli ad ſatisfaciendum, quum civitates non ſoleant permittere, ut civitas altera armata intra fines ſuos pœnæ expetendæ cauſa veniat, neque id expediat [t]; ſed potius inſtitutis civitatibus conveniſſe, ut ſingulorum delicta ipſis, ipſarumque rectoribus pro arbitrio punienda, aut diſſimulanda relinquerentur. [u]

Duos tamen excipit caſus ab hac regula: 1. Si humana ſocietas læſa ſit [v]; quoties, nimirum, jus naturæ, aut gentium, immaniter violatur. Rationem hanc affert, quia libertas humanæ ſocietati conſulendi per pœnas, quæ initio penes ſingulos fuerat, civitatibus, ac judiciis inſtitutis penes ſummas poteſtates reſedit, non proprie qua aliis imperant, ſed qua nemini parent: nam ſubjectionem aliis id jus abſtuliſſe, ait [x]. 2. Si alia civitas, ejuſque rector peculiariter læſus ſit; hoc enim nomine illum, illamve, ob dignitatem, aut ſecuritatem ſuam jus habere pœnæ exigendæ. Hoc ergo jus civitatem, apud quam nocens degit, ejuſque rectorem, impedire non debere. [y]

§. XVIII. Demonſtrata origine judicio-

(*m*) Lib. 1. C. 3. §. 1. n. 2. (*n*) Lib. 1. C. 4. §. 2. (*o*) Lib. 1. C. 2. §. 7. n. 3. Proleg. § 11. (*p*) Lib. 3. Cap. 4. §. 3. & 4. (*q*) Lib. 2. C. 25. §. 8. (*r*) d. C. 25. §. 8. (*s*) Lib. 2. C. 25. §. 8. n. 2. Lib. 2. Cap. 20. §. 40 n. 1. & 2. (*t*) Lib. 2. C. 21. §. 5. (*u*) Lib. 2. Cap. 21. §. 3. n. 1. (*v*) Lib. 2. C. 21. §. 3. n. 2. C. 20. §. 40. (*x*) Lib. 2. C. 20. §. 40. n. 1. (*y*) L. 2. Cap. 21. §. 3. n. 2.

diciorum, & civitatum, i. e. imperii, & ſummæ poteſtatis, GROTIUS ulterius progreditur, & prolixe ſatis examinat, *quæ ſit ſumma poteſtas* [z] *? & quis eam habeat?* Hinc 1. quærit, in quo conſiſtat poteſtas civilis [a]: 2. quis ſummam poteſtatem habere videatur. [b]

§. XIX. Quod ad *primam* quæſtionem attinet, GROTIUS [c] varias recenſet opiniones circa partes illius poteſtatis. *Alii* enim eam conſiſtere, ajunt, in jure ſuis utendi legibus, judiciis, & magiſtratibus: *alii* in conſultatione de rebus communibus, in cura legendorum magiſtratuum, & judiciis: *alii* in magiſtratuum creandorum jure, legum condendarum, & tollendarum, ac jure decernendi de bello, & pace. Ipſe Grotius partes poteſtatis civilis confuſe admodum proponit. [d]

§. XX. Summam autem (quæ *altera* eſt quæſtio) tunc demum eſſe poteſtatem civilem, ait, *ſi actus ejus alterius poteſtati non ſubſint, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi.* [e]

Talem autem ſummam poteſtatem inhærere tradit, VEL civitati [f] 1. i. e. cœtui perfecto liberorum hominum juris fruendi cauſa congregato; unde excludit [*a*] populos, qui in alterius ditionem conceſſere, ut provinciæ Romanæ [g]; [*b*] plures populos liberos, quorum unum caput eſt [h]; 3. plures civitates arctiſſimo fœdere junctos, quæ unum Syſtema conſtituunt [i]: VEL perſonæ uni, aut pluribus. [k]

n. 1. Hinc rejicit eorum opinionem, qui volunt, ſummam poteſtatem ſemper realiter manere penes populum. Conceſſa enim uni, vel pluribus, ſumma poteſtate, populum adeo omne jus ſuum transtuliſſe in regem, ait [l], ut nulla amplius poteſtatis ſummæ particula penes eum reſideat: adeoque verum non eſſe, ſummam poteſtatem manere populi, ita ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur, & coercere, & punire liceat [m]; vel mutuam eſſe ſubjectionem, ut populus regi recte gubernanti parere debeat, rex autem male imperans populo ſubjiciatur. [n]

n. 2. Rejectis falſis de ſumma poteſtate opinionibus cautiones quaſdam præmittit, quæ viam nobis monſtrare poſſint ad recte dijudicandum, cui jus ſummæ poteſtatis in quaque gente competat. Cavendum ergo, ait, 1. ne jus ſummæ poteſtatis dijudicemus ex titulo, aut agendi facultate [o]: nec 2. ex delatione imperii per electionem, aut ſucceſſionem [p]: nec 3. ex modo habendi, ſeu habendi plenitudine; quum idem jus, eandemque ſummam poteſtatem, alius habere poſſit jure temporario, alius jure uſusfructus, alius jure proprietatis [q] (ubi effectus regni patrimonialis recenſet, ac quomodo ab uſufructuario differat, exponit) [r]: nec 4. ex obligatione imperantis, ſi quædam promittit vel ſubditis ſuis, vel vicinis, etiam quæ ad imperii rationem

(z) Lib. 1. C. 3. §. 5. n. 7. §. 6. uſque ad finem. (*a*) d. C. 3. §. 6. (*b*) d. Cap. 3. §. 7. ſeq. (*c*) d. C. 3. §. 6. n. 1. (*d*) Lib. 1. C. 3. §. 6. n. 2. (*e*) d. C. 3. §. 7. n. 1. (*f*) d. §. 7. n. 1. in fin. & n. 3. L. 1. C. 1. §. 14. n. 1. (*g*) d. Cap. 7. n. 2. (*h*) d. §. 7. n. 2. (*i*) d. §. 7. n. 2. (*k*) d. §. 7. n. 3. (*l*) d. Cap. 3. §. 8. tot. (*m*) d. §. 8. pr. n. 1. (*n*) d. Cap. 3. §. 9. (*o*) d. §. 10. n. 1. & §. 19. in fin. (*p*) d. §. 10. n. 5. (*q*) d. C. 3. §. 11. & §. 12. n. 3. (*r*) d. §. 12. n. 3. ſeq. §. 15. vid. infr. §. 20.

Digitized by Google

tionem pertinent [s]; quum non ex lege ſuperioris, ſed ex pacto id præſtet. [t]

Denique & 5. notandum eſſe, ait, ſummum imperium ſua natura unum eſſe; at dividi poſſe, ſive per partes, quas vocant potentiales, ſive per partes ſubjectivas [u]: qui ſtatus mixtus ei dicitur. [v]

Huc refert 1. ſtatum Romani Imperii, cum alius orientem, alius occidentem teneret [x]: & 2. cum tres etiam tripartito orbem regerent [y]: 3. ſi populus quoſdam actus ſibi, quoſdam regi tribuit pleno jure [z]. 4. GROTIUS inter regna mixta porro refert regnum Hebræorum, quia ibi concurrebat in quibuſdam caſibus Synedrium [a]: 5. Macedoniæ: item 6. Gothorum regnum: 7. Phæacum rempublicam, quam mixtam fuiſſe, tradit, ex regis, & procerum poteſtate [b]: 8. Romanorum Imperium tempore Romuli, ubi provocatio quædam ad populum valebat [c]; nec non 9. tempore interregni, & ſub primis Conſulibus [d]: 10. Athenienſium rempublicam tempore Solonis, ubi optimatum poteſtatem populari mixtam fuiſſe, tradit. [e]

Non vero ad mixtum ſtatum pertinere, ait, 1. quoties rex promiſſis quibuſdam [g] obligatur: nec 2. cum reges acta quædam ſua nolunt eſſe rata, niſi a Senatu, aut alio cœtu probentur [h]: nec 3. ſtatum Romanum tempore Polybii, ubi per Senatum, & Conſules adminiſtrabatur reſpublica. [i]

n. 4. His cautelis præmiſſis, quæſtiones quaſdam, quæ frequentem in hoc argumento uſum habent, decidit.

n. 5. *Primo* enim quærit, an imperium habere poſſit is, qui inæquali fœdere tenetur? Et affirmat, quia inæqualitas non oritur ex ſubjectione, ſed ex pacto. [k]

n. 6. *Secundo*, an illi ſummum imperium habeant, qui certum quid penſitant, aut ad redimendas injurias, aut ad tutelam comparandam? Quod pariter affirmat ex eadem ratione; confeſſionem tamen infirmitatis aliquid de dignitate delibare, ait. [l]

n. 7. *Tertio* quærit, quid de nexu feudali dicendum? Reſpondet, talem nexum non impedire ſummum imperium, ſed continere conditionem ut ſervitia præſtet, & ut familia exſtincta redeat ad concedentem.

n. 8. Ultimo loco monet, in dominio æque, ac in imperio, diſtinguendum eſſe inter jus imperii, ejuſque adminiſtrationem [m]; Regem enim infantem, furioſum, captivum, ejectum, &c. jus imperii habere, non exercitium, ait.

§. XXI. Effectum imperii alium eſſe, tradit, in regnis *patrimonialibus*, alium in regnis *uſufructuariis* [n]: *illa* enim alienari pro lubitu poſſe; *hæc* non poſſe, niſi conſenſu populi [o]: in *illis* regem tutorem dare poſſe regno quem vult; in *his* autem tutelam eſſe eorum, quibus lex publica, aut ea deficiente, conſenſus populi eam mandat [p]: in *illis* ſuccedi juxta ordinem ſucce-

(s) d. L. §. 16. & §. 17. n. 1. (t) d. §. 17. n. 1. (u) d. C. 3. §. 17. (v) d. C. 3. §. 19. & §. 20. n. 6. & 7. (x) d. Cap. 3. §. 12. n. 1. (y) ibid. (z) ibid. (a) d. §. 20. n. 1. & 3. (b) d. §. 20. n. 4. (c) d. §. 20. n. 5. (d) d. §. 20. n. 6. (e) d. §. 20. n. 7.

(g) d. §. 17. n. 1. & §. 16. (h) d. L. §. 18. (i) d. L. §. 19. (k) Lib. 2. Cap. 3. §. 21. (l) Lib. 1. C. 3. §. 22. (m) d. C. 3. §. 24. (n) Lib. 1. Cap. 3. §. 11. n. 1. (o) Lib. 1. Cap. 3. §. 12. & 13. (p) d. Cap. 3. §. 15.

Digitized by Google

ſuccedendi naturalem (quem ex hypotheſi Grotii late alibi explicavimus [r]) ; in *his* juxta delationem populi ; ejuſque præſumtam voluntatem. [s]

Finiri autem, ait, imperium, ſi Princeps incidit in tyrannidem, id eſt, ſtatum evertit (non ergo ſi privatas injurias committit) [u]. Præterea deſinit imperium, 1. ſi abdicat ſe regno [x]: 2. Si lex commiſſoria addita ſit [y]: 3. ſi in ſtatu mixto alter involat in jura alterius ſtatus [z]: 5. ſublato eo, qui jus habet, non exiſtente ſucceſſore [a]: 6. exſtincta familia [b]: 7. ſi populi jus deſinat ; quod fit ſublatis partibus neceſſariis, v. gr. ſublato corpore populi : 8. ſublata forma civitatis [c]: 9. Derelictione [d]: 10. Alienatione [e]: non vero 11. Migratione, nec mutato regimine, nec unione plurium populorum, nec diviſione, &c. [f]

SECTIO UNICA.

Quæ monita quædam generalia circa hypotheſin GROTII *de origine Poteſtatis civilis exhibet.*

§. XXII. PRINCIPIUM Grotii, *quod unuſquiſque natura ſit vindex ſui juris*, admitti non poteſt. Nam infra Diſſertatione XII. ex rationibus naturæ demonſtrabimus, imperium patribusfamilias in ſuæ familiæ membra delegatum eſſe.

§. XXIII. Unde ſponte corruit limitatio a Grotio huic principio addita, quod tunc demum unuſquiſque vindex ſit ſui juris, *ſi ipſe ejuſmodi criminis reus non eſt.* Quis, quæſo, judex erit, an vindex ipſe ejuſdem criminis reus ſit ?

§. XXIV. Omnium minime autem admitti poteſt, *quod unuſquiſque etiam ſit vindex alienæ injuriæ.* Regula generalis juſtitiæ eſt, quod unicuique jus ſuum tribui debeat ; quomodo autem tribui jus poteſt ei, cui facto meo nihil abeſt ? Neque jus agendi ad reparationem injuriæ competere poteſt ei, cui injuria facta non eſt.

§. XXV. Abſurda ſequerentur ex illo principio. Sane, poſita hac theſi uxor a marito, & liberi a parentibus, ob injurias ſibi, vel aliis illatas, pœnas ſumere poſſent.

§. XXVI. Negamus, judicia eſſe *juris naturalis pro certo rerum ſtatu.* Judicia cum ipſis familiis orta eſſe, alibi demonſtravimus. Sed poſtquam plures familiæ ſua voluntate in unum cœtum coiverunt, & ſe, ſuaque arbitrio, & judicio civitatis ſubmiſerunt, civitates inde ortæ ſunt ; atque hæc demum judiciorum ſpecies ex voluntate hominum orta eſt. Figmentum autem *de jure naturæ pro certo rerum ſtatu* ſupra refutavimus, *Diſſert. I. proœm.* §. 77.

§. XXVII. Omnia conſectaria, quæ Grotius ex erronea illa hypotheſi deducit, (*vid. ſupr.* §. 16. *n.* 4.) ſponte ſua corruunt.

§. XXVIII. Partitiones jurium, quæ ex ſententia Grotii (*vid. ſupr.* §. 18.) poteſtatem civilem conſtituunt, tanta obſcuritate laborant, ut nihil certi exinde

(*q*) L. 2. C. 12. §. 12. (*r*) Conf. Diſſ. proœm. 6. §. 40. ſeq. (*s*) L. 2. C. 7. §. 13. (*t*) L. 1. C. 4. §. 11. (*u*) L. 1. C. 4. §. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. (*x*) L. 1. C. 4. §. 9. (*y*) L. 2. Cap. 4. §. 12. & 14. (*z*) d. C. 4. §. 13. (*a*) L. 2. C. 9. §. 1. (*b*) L. 2. C. 9. §. 2. (*c*) L. 2. C. 9. §. 3. 4. 5. & 6. (*d*) L. 2. C. 9. §. 1. (*e*) L. 1. C. 4. §. 10. (*f*) L. 2. C. 9. §. 7. ſeq.

exinde concludi poſſit. Omnis poteſtatis civilis ratio conſiſtit in defenſione jurium, tum publicorum, tum privatorum civitatis.

§. XXIX. Diſtinctio in regna patrimonialia, & uſufructuaria (*vid.* §. 19. *n.* 2. §. 20.) limitationes quaſdam patitur, quas in ipſo commentario explicabimus.

§. XXX. Imperia mixta non dari, nec allegata exempla talia probare, (*vid.* §. 19. *n.* 3.) itidem in commentario demonſtrabimus.

§. XXXI. Denique circa modos finiendi imperium varia notabimus ad ipſum opus Grotianum.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS IX.
DE DEFENSIONE JURIUM
NATURALI RATIONE NOBIS QUÆSITORUM
CONTRA EXTRANEOS.
AD HUGONIS GROTII LIBROS
DE JURE BELLI AC PACIS.

Præcipue

Ad Lib. I. Cap. II. IV, & V. *Lib. II.* Cap. XVIII. XXII. XXIII. XXIV, & XXV.

Item

Ad totum Librum tertium.

Ubi de *Repreſſaliis*, de *Bello*, ejuſque *Jure*, de *Poſtliminio*, de *Fide hoſti data*, & de his, qui in bello *Medii* ſunt, agitur.

Digitized by Google

S U M M A R I A.

§. I. *Tranſitus ad jura belli.* §§. ſeqq.
II. *Ordo hujus diſſertationis.* §§. ſeqq.
XV. *Quid ſit bellum.* §. ſeq.
XVII. *Quid jus, de quo quæritur.*
XVIII. *An aliquod bellum juſtum ſit?*
XIX. *Diviſiones bellorum* [a] *in plena, vel minus plena.* §. ſeq.
XXI. [b] *In privata, publica, & mixta.* §§. ſeqq.
XIX. *Bellum publicum ſubdividitur in ſolenne jure gentium, & minus ſolenne.* & §. 23.
XXV. [c] *In offenſiva, & defenſiva.*
XXVI. [d] *In reparatoria, & punitiva.*
XXVII. *De bello minus pleno, i. e. de repreſſaliis.* §§. ſeqq.
XXX. *Repreſſaliæ introductæ jure gentium voluntario.* §§. ſeqq.
XXXIII. *Non extenduntur ad vitam.*
XXXV. *Quando obtineant.* §§. ſeqq.
Effectus repreſſaliarum. n. 38.
XL. *De bello privato*, §§. ſeqq.
XLV. *Et an tale in principem ullo caſu licitum ſit?* §. ſeq.
XLVII. *Ex quibus cauſis bellum privatum licite geri poſſit?*
XLIX. *De bello publico.*
L. *Varie diſtinguitur circa licentiam in bello publico.*
LIII. *Quid jure naturæ in* bello publico, & juſto *liceat?* §§. ſeqq.
LVII. *An mentiri hoſti liceat?*
LVIII. *An alii bellum gerenti aſſiſtere liceat?*
LIX. *An ſubditi abſque mandato privatim hoſti nocere poſſint?*
LX. *Quando bellum publicum jure naturæ juſtum ſit.* §§. ſeqq.
LXI. *Effectus juſtæ cauſæ, & injuſtæ.*
LXIII. *Quid jure gentium liceat in bello* publico ſolenni? §§. ſeqq.
LXVI. *Differentia juris naturalis, & juris gentium circa actus bellicos.* §. ſeq.
LXVIII. *De bello* minus ſolenni. §§. ſeqq.
LXXVI. *Quatenus interficere hoſtem liceat?* §§. ſeqq.
LXXXIII. *Quatenus vaſtare res hoſtium liceat?* §§. ſeqq.
LXXXVI. *Quatenus capere res hoſtium liceat?* §§. ſeqq.
XCIX. *Quatenus capere perſonas hoſtis liceat?* §§. ſeqq.
CIII. *De jure poſtliminii.* §§. ſeqq.
CXII. *De fide hoſti data in genere.* §§. ſeqq.
CXVIII. *De fide publica, qua bellum finitur.* §§. ſeqq. *& quidem*
CXIX. Primo *per pacem.*
CXXII. *Quæritur: An ſucceſſores ex promiſſo regis obligentur.*
CXXIII. *Regulæ interpretationum circa pacta dubia. In ſpecie circa damna tempore belli data, ſi in pace nihil de iis dictum eſt.* ibid. n. 5.
CXXIV. *Quando pax rupta cenſeatur?*
CXXV. Secundo *per ſortem.*
CXXVI. Tertio *per ſingulare certamen.*
CXXVII. Quarto *arbitrio.*
CXXVIII. Quinto *per deditionem.*
CXXIX. *De obſidibus.*
CXXX. *De pignoribus.*
CXXXI. *De fide manente bello.*
CXXXII. *Ubi* [a] *de induciis.* §§. ſeqq.
CXLII. [b] *De jure commeandi.*
CXLIII. [c] *De captivorum redemtione.*
CXLIV. *De fide minorum poteſtatum in bello, ejuſque effectu.* §§. ſeqq.
CLII. *De fide privata in bellis, ejuſque effectu.* §§. ſeqq.
CLVIII. *De fide tacita.*
CLXI. *De his, qui in bello medii ſunt.*
CLXII. *Monita quædam generalia circa ſyſtema* Grotii.

PRO-

PROOEMIUM.

§. I. EXAMINAVIMUS media defendendi jura naturali ratione nobis quæſita, contra eos, qui vel ſub una familia, vel ſub eodem cœtu continentur, nimirum, per *judicia*. Sequuntur nunc media jura illa defendendi contra extraneos, nimirum, per *repreſſalias*, vel per *bellum*. Cum vero ſyſtema Grotii ejuſque ordinem ſequi oporteat, ordinis hujus ratio præmittenda eſt.

GROTIUS in elaborando opere de jure belli, & pacis, hunc præcipue finem ſibi propoſuit, *ut probaret eſſe aliquod jus inter populos, quod & ad bella, & in bellis valeret* [a]; *ut reprimeret vel barbaris gentibus pudendam licentiam* [b]; *& ut demonſtraret, quid, & quantum in bellis valeat, & liceat.* [c]

§. II. Potiorem igitur tractatus Grotiani partem nunc aggredimur, nimirum, *bella*, eorumque *jura*.

§. III. *Primo* autem demonſtrabimus, quid GROTIO ſit bellum, & an bellare licitum ſit? *Vid. Cap.* 1.

§. IV. *Secundo*, exponemus bellorum diviſiones. *Vid. Cap.* 2.

§. V. *Tertio*, examinabimus, quinam ex hypotheſi Grotii bellum gerere poſſint, in quos bella gerantur, & ex quibus cauſis. *Vid. Cap.* 3.

§. VI. *Quarto*, in genere demonſtrabimus, quid ex ſententia Grotii in bello liceat *Jure naturæ*, quid *Jure gentium? Vid. Cap.* 4. Ubi de repreſſaliis, (*vid. Sect. I.*) de bello jure gentium ſolenni, (*vid. Sect. II.*) ac de bello minus ſolenni (*vid. Sect. III.*) agemus.

§. VII. *Quinto*, ſpeciatim explicabimus, an, & quatenus interficere hoſtem liceat? *Vid. Cap.* 5.

§. VIII. *Sexto*, an, & quatenus vaſtare res hoſtium permiſſum ſit? *Vid. Cap.* 6.

§. IX. *Septimo*, an, & quatenus capere res, & perſonas hoſtium liceat? *Vid. Cap.* 7. & 8.

§. X. *Octavo*, de imperio in victos agemus. *Vid. Cap.* 9.

§. XI. *Nono*, explicabimus materiam poſtliminii, quatenus, nimirum, res, & perſonæ captæ priſtinum jus recipiant? *Vid. Cap.* 10.

§. XII. *Decimo*, de fide hoſti data agemus (*vid. Cap.* 11.); & quidem [*a*] de fide in genere (*vid. Sect. I.*): [*b*] de fide publica, qua bellum finitur; ubi de pacis pactione, de ſorte, de certamine ſingulari, de arbitris, obſidibus, & pignoribus agitur (*vid. Sect. II.*): [*c*] de fide minorum poteſtatum (*vid. Sect. III.*): [*d*] de fide privata in bello (*vid. Sect. IV.*): [*e*] de fide tacita. (*Vid. Sect. V.*).

§. XIII. *Undecimo*, officia eorum proponemus, qui in bello medii ſunt. *Vid. Cap.* 12.

§. XIV. *Duodecimo*, monita quædam circa hæc principia Grotii ſubjiciemus. *Vid. Cap.* 13.

CAPUT I.

Quid ſit Bellum, & an bellare licitum ſit?

§. XV. GROTIUS de belli jure acturus duo examinanda eſſe, ait: 1. quid *bellum* ſit, de quo quæritur? 2. quid *jus*, quod quæritur. [d]

§. XVI.

(*a*) Proleg. §. 28. & 29. (*b*) d. §. 28. (*c*) Lib. 3. C. 1. §. 1. (*d*) Lib. 1. C. 1. §. 2. n. 1. & n. 3. §. 3. n. 1.

Digitized by Google

§. XVI. BELLUM definit, ſtatum per vim certantium, qua tales ſunt. Et ſub hac definitione etiam bella privata comprehendit. [e]

§. XVII. JUSTUM autem intelligit, non tantum quod ex jure ſociali tale eſt [f], ſed & quod jure naturali laxiori [g], voluntario divino [h], & voluntario humano, ſeu jure gentium [i], juſtum eſt. De quibus juribus quatuor prioribus diſſertationibus egimus.

§. XVIII. His expoſitis Grotius procedit ad quæſtionem generalem: *An bellum aliquod juſtum ſit?* ſive, an bellare unquam liceat [k]? Eamque affirmat, & affirmativam probat 1. *ex inſtinctu*, quo omne animal ad ſui conſervationem fertur [l]: 2. *ex recta ratione*, & *natura ſocietatis*, quæ non omnem vim inhibet, ſed eam ſaltem, quæ ſocietati repugnat, id eſt, quæ jus alterius tollit; unde concludit, vim, quæ jus alterius non violat, illicitam non eſſe [m]. Idque confirmat ex ſacra hiſtoria, exemplo ABRAHAMI, & MOSIS, nec non ex legibus de modo gerendi belli datis [n], & denique ex conſenſu omnium gentium [o]. Porro & 3. probat licentiam bellorum ex *jure gentium voluntario*, i. e. ex hiſtoria omnium gentium [p]. Nec 4. damnari bella, ait, *jure divino voluntario*, ubi contraria reſolvit, & inprimis legem NOACHICAM de non effundendo ſanguine nova ratione explicat [q]. Neque 5. repugnare, ait, *legem Evangelii* [r]; ubi ad argumenta contraria generalem parat reſponſionem, & tum loca tam pro bello, quam contra bellum facientia explicat [s]. Denique patrum auctoritate dicta firmat, & eorum ſententiam, ac mentem illuſtrat. [t]

CAPUT II.
De Bellorum Diviſione.

§. XIX. POSTQUAM Grotius probavit, *dari quædam bella juſta*, tranſit ad bellorum diviſiones, eaque eſſe, ait, 1. vel *plena*, vel *minus plena* [u]: 2. vel privata, vel publica, vel mixta [v]. Publica iterum dividit *in ſolennia jure gentium*, & *minus ſolennia* [x]: 3. in *offenſiva*, vel *defenſiva* [y]: 4. in *reparatoria*, vel *punitiva*. [z]

§. XX. BELLUM PLENUM Grotius eſſe ait, quod populus populo infert [a]: MINUS PLENUM, quod quidem inter diverſos populos geritur [b], ſed ubi quilibet læſus civitatem, quæ jus denegat, pignorare poteſt; adeoque ubi non ad illam plenitudinem belli ventum eſt, ut omnia in alterum populum liceant, attamen violenta quadam executione ad jus obtinendum opus eſt [c]. (*Vid. Sect. I.*)

§. XXI. PRIVATUM BELLUM Grotio eſt, quod a privatis geritur [d], vel quod non a publica poteſtate geritur [e]. De quo agemus *Sectione I.*

§. XXII.

(*e*) d. C. 1. §. 1. (*f*) L. 1. C. 1. §. 3. (*g*) Lib. 1. C. 1. §. 4. ſeq. (*h*) L. 1. C. 1. §. 15. (*i*) Lib. 1. C. 1. §. 14. (*k*) L. 1. C. 2. §. 1. & C. 3. §. 1. n. 2. (*l*) L. 1. C. 2. §. 1. n. 1. & ſeq. (*m*) d. C. 2. §. 1. n. 5. & 6. C. 3 §. 1. n. 2. (*n*) d. C. 2. §. 2. (*o*) d. C. 2 §. 3. (*p*) d. C. 2. §. 4. (*q*) d. C. 2. §. 5. (*r*) d. C. 2. §. 6. (*s*) Lib. 1. C. 2. §. 7. & 8. (*t*) L. 1. C. 2. §. 9. & 10. (*u*) L. 3. C. 1. §. 2. n. 1. (*v*) Lib. 1. C. 3. §. 1. Lib. 1. C. 5. §. 1. (*x*) Lib. 1. C. 3. §. 4. vid. indicem voce bellum. (*y*) L. 2. C. 6. §. 10. (*z*) Lib. 2. C. 1. §. 2. L. 2. C. 20. §. 1. n. 1. (*a*) L. 3. C. 2. §. 2. n. 3. pr. (*b*) d. C. 2. §. 4. (*c*) d. C. 2. §. 2. n. 3. & §. 4. (*d*) L. 1. C. 3. §. 1. (*e*) L. 1. C. 5. §. 1.

Digitized by Google

§. XXII. PUBLICUM BELLUM deſcribit, quod ab eo geritur, qui juriſdictionem habet [f], vel ut alibi loquitur, quod a publica poteſtate, maxime ſumma, geritur. [g]

§. XXIII. *Bellum publicum jure gentium ſolenne* Grotius definit, quod inter duas ſummas poteſtates geritur, & denunciatum eſt: huic enim bello gentes peculiares quoſdam effectus tribuiſſe, ait, dominium nimirum *externum*, & *impunitatem.* [h] Vid. *Sect. III.*

Ad bellum jure gentium minus ſolenne refert omnia reliqua bella publica, quæ nimirum ab eo, qui poteſtatem habet, at non ſummam, geruntur; vel quæ a ſumma poteſtate geruntur, et denunciatæ non ſunt [i]. *Vid. Sect. III.* §. 68.

§. XXIV. MIXTUM BELLUM eſſe, ait, quod una ex parte publicum eſt, ex altera parte privatum [k]; de qua belli ſpecie infra §. 162. ex profeſſo agemus.

§. XXV. BELLA OFFENSIVA Grotio ſunt, quoties populo lædenti, qui injuriam reparare recuſat, arma inferuntur [l]; atque in his bellis indictione opus eſſe, ait. DEFENSIVA ei dicuntur, quando quis vim ſibi illatam a ſe arcet: hoc bellum non indigere indictione, & [m] favorabilius eſſe offenſivo, tradit; & addit, eum, qui ſe defendit, pacem rumpere dici non poſſe. [n]

§. XXVI. *Bella reparatoria* Grotio dicuntur, quæ geruntur in eum finem, ut *reparetur* injuria facta.

Punitiva, quando bellum ſuſcipitur *pœnæ cauſa*, ſeu ut injuria facta puniatur. [o]

§. XXVII. Cum vero Grotius aliam licentiam bellum gerentibus tribuat in bello *minus pleno*, aliam in bello *privato*, aliam in *bello publico ſolenni*, aliam in *bello publico minus ſolenni*; ſequentibus capitibus explicabimus, quidnam per bellum minus plenum, per bellum privatum, & per bellum publicum, ſive ſolenne, ſive minus ſolenne, intelligat, & quid in unaquaque belli ſpecie in hoſtem liceat.

§. XXVIII. Initium autem faciemus a *bello minus pleno*, quia Grotius illud bellum, i. e. morem pignorandi res civium innocentium, in *omni bello* obtinere, contendit. [p]

CAPUT III.

De Bello minus pleno, (ſeu de Repreſſaliis,) & quid in eo liceat?

§. XXIX. BELLUM MINUS PLENUM Grotio eſt; quod fit per pignorationem ob injuriam ab alia civitate illatam [q]. Hinc tantum geri dicitur inter diverſos populos. [r]

§. XXX. Cauſam hujus belli GROTIUS non ex jure naturæ, ſed ex jure [ſ] gentium voluntario deducit. [s]

Jure naturæ enim neminem ex facto alieno, adeoque nec civem ex facto civitatis teneri, ait. [t]

At *jure gentium* introductum eſſe, ut pro eo, quod debet præſtare aliqua civitas, aut ejus caput, ſive per ſe primo, ſive

(f) Lib. 1. C. 3. §. 1. & §. 5. n. 1. (g) Lib. 1. C. 5. §. 8. (h) Lib. 1. C. 3. §. 4. (i) Lib. 1. C. 3. §. 4. (k) Lib. 1. C. 3. §. 1. n. 1. (l) Lib. 3. C. 3. §. 6. n. 2. (m) Lib. 3. C. 3. §. 6. n. 1. (n) Lib. 3. C. 20. §. 38. (o) Lib. 2. C. 1. § 2. C. 20. §. 1. & §. 38. (p) Lib. 3. C. 2. §. 1. (q) Lib. 3. C. 2. §. 2. n. 1. & §. 4. & 5. (r) d. C. 2 §. 4. (s) Lib. 3. C. 2 § 5. n. 2. (t) Lib. 3. C. 2. §. 1. §. 5. n. 2.

Digitized by Google

ſive quod alieno debito jus non reddendo ſe quoque obſtrinxerit, teneantur, & obligata ſint bona omnia corporalia, & incorporalia eorum, qui tali ſocietati, aut capiti ſubſunt [u]; idque non tantum obtinere, ait, in *plenis bellis*, quæ populi populis inferunt, verum etiam in illis, ubi *ad eam belli plenitudinem nondum ventum eſt*, ſed tamen violenta quadam juris executione, i. e. bello imperfecto, opus eſt. [v]

Obtinere igitur hunc morem pignorandi, ait, in quovis bello, tam privato, quam publico, tam ſolenni, quam minus ſolenni. [x]

§. XXXI. Cauſam, quæ gentes induxit ut tale jus introducerent, hanc allegat, quod neceſſitas quædam illud expreſſerit, quia alias magna daretur injuriis faciendis licentia, cum bona imperantium ſæpe non tam facile poſſint in manus venire, quam privatorum, qui plures ſunt. [y]

§. XXXII. Hanc *conſtitutionem gentium* naturæ non repugnare, ait [z]; adeoque hoc jus refert ad ea gentium jura, quæ ex omni parte juſta ſunt. [a]

Addit tamen, eos, qui non ſolvendo quod debebant, aut jus non reddendo, cauſam dederunt pignorationibus, *ipſo naturali, ac divino jure* teneri ad refarcienda damna aliis, quibus eam ob cauſam aliquid decedit. [b]

§. XXXIII. Hoc jus gentium non extendi ad vitam, ait, etſi quidam id afferant [c]. Morem enim hunc ſaltem ſubſiſtere intra debitum, quod ex inæqualitate oritur, non autem extenſum eſſe ad delicta; odioſam enim eſſe talem rerum-alienarum obligationem, ideoque latius produci non debere, quam actum apparet. Rationem differentiæ hanc allegat, quod in poſteriore hoc debendi genere non par ſit utilitas, cum prius debitum in bonis ſit, hoc non ſit, ideoque perſecutio ejus ſine damno omitti poſſit. [d]

Ex accidenti tamen fieri poſſe, tradit, ut occidantur qui executionem juris per vim impedire voluerunt, quamquam ſi id prævideatur, ex charitatis lege omittendum potius eſſe, contendat. [e]

§. XXXIV. Hujus executiones ſpeciem fuiſſe, ait, *ἀνδροληψίαν*, quæ apud Athenienſes obtinuit; ubi pro morte per vim illata tres viciſſim homines capere licebat, donec aut homicida dederetur, aut pœna ab eo ſumeretur. [f]

§. XXXV. Simile violentæ executionis exemplum eſſe, ait, in *pignoratione inter duos diverſos populos*, (non ergo inter membra ejuſdem civitatis) quod *jus repreſſaliarum* vocant, & quod obtinet, quoties alter populus alteri populo jus denegat. [g]

Jus autem denegari videtur, [a] ſi in eum, qui injuriam fecit, vel mihi debet, judicium intra debitum tempus obtineri nequit: vel [b] ſi contra jus in re minime dubia judicatum ſit; quia natura debitor manet. [h]

§. XXXVI. Jure gentium ſingulis læſis pignorandi jus eſſe, putat, nec opus eſſe id peti a ſumma poteſtate, vel judicibus; jure autem civili multorum locorum id mutatum eſſe. [i]

§. XXXVII. Pignorari, ſeu capi ex tali cauſa poſſe aut corpora, aut res mobiles ſubditorum ejus, qui jus non reddit. [k]

Sub-

(u) Lib. 3. C. 2. §. 2. (v) d. C. 2. §. 2. n. 3. (x) d. C. 2. §. 1. n. 1. (y) d. C. 2. §. 2. n. 1. (z) d. C. 2. §. 2. n. 2. §. 5. & 6. n. 1. C. 13. §. 1. n. 2. C. 21. §. 9. (a) Vid. Diſſert. prooœm. IV. §. 18. ſeq. Conf. L. 3. C. 3. §. 1. n. 2. (b) L. 3. C. 2. §. 7. n. 4. (c) L. 3. C. 13. §. 1. n. 2. C. 6. §. 2. n. 5. & §. 5. Lib. 3. C. 2. §. 6. (d) L. 3. C. 13. §. 2. (e) Lib. 3. C. 2. §. 6. (f) L. 3. C. 2. §. 3. (g) Lib. 3. C. 2. §. 4. (h) d. C. 2. §. 5. n. 1. (i) d. C. 2. §. 7. (k) d. C. 2. §. 5. n. 2.

Digitized by Google

Subditos autem Grotius intelligit, qui ta'es ſunt ex cauſa permanente, ſive indigenæ ſint, ſive advenæ; non qui tranſeundi, aut moræ exiguæ cauſa alicubi ſunt. A numero tamen ſubditorum jure gentium excipi, ait, legatos, non ad hoſtes noſtros miſſos, & res eorum.[l]

§. XXXVIII. Effectus hujus *Juris gentium* eſſe, tradit, quod capiens ipſo facto dominium acquirat ad ſummam debiti, & ſumtuum: & quod ipſa quoque vita ex tali cauſa obligetur.

§. XXXIX. Monitum addit, ne confundamus ea, quæ juris gentium ſunt proprie, & ea, quæ jure civili, aut pactis populorum conſtituuntur.[m]

1. *Jure gentium* enim omnes ſubditos capi poſſe; *Jure civili* populorum ſæpe excipi infantes, mulieres, & res eorum, qui literis operam dant, & ad mercatus veniunt.[n]

2. *Jure gentium* ſingulis pignorandi jus eſſe; *Jure civili* multorum locorum peti id ſolere a ſumma poteſtate, alibi a judicibus.

3. *Jure gentium* dominium rerum captarum acquiri ad ſummam debiti, & ſumtuum; *Jure civili* citari dominos, & publice res diſtribui ſolere.[o]

CAPUT IV.

De Bello privato, & quid in eo liceat.

§. XL. DIXIMUS, Bellum privatum Grotio eſſe, quod a privato geritur[p], & nihil aliud eſt, quam *jus neceſſariæ defenſionis.*

§. XLI. Privatum bellum ante inſtituta judicia, i. e. in *primævo naturæ ſtatu*, licitum adeoque cuivis læſo vi agendi jus fuiſſe, GROTIUS ex eo probat, quia juri naturali non repugnat injuriam etiam vi a ſe arcere.[q]

§. XLII. Etſi vero *Jure gentium*, poſtquam judicia facto hominum introducta fuerunt, hoc jus vi agendi ſublatum fingat, id tamen verum tantum eſſe, ait, quoties judicis copia eſt: ſecus ergo ſi judicia ceſſant.[r]

§. XLIII. Ceſſare autem judicia vel *momentanee*, ubi exſpectari judex ſine certo periculo, aut damno non poteſt; vel *continue*, ſi dimicantes in loco verſantur, ubi judicia non ſunt, vel ſi ſubditi judicem non audiunt.[s]

§. XLIV. Atque hæc bella privata, ſeu hoc jus neceſſariæ defenſionis, neque lege MOSIS[t], neque lege Evangelii[u] ſublatum eſſe, ſtatuit.

§. XLV. GROTIUS igitur exiſtimat, bellum privatum a quocunque privato geri poſſe, contra quemcunque, ſive concivem, ſive extraneum; imo & in bello publico contra hoſtem jure agentem, qui vitam, vel res mihi eripere vult[v]. Quod jure gentium etiam extenſum eſſe, ait, contra civitatem vicinam, quæ jus denegavit, ad eum effectum, ut læſi, etiam ſinguli, res non tantum civitatis, ſed & ſubditorum innocentium capere poſſint[x]; quem morem non repugnare naturæ, ſupra docuit. (*Vid.* §. 32.)

§. XLVI.

(*l*) d. C. 2. §. 7. n. 2. (*m*) d. C. 2. §. 7. n. 1. (*n*) d. §. 7. (*o*) d. §. 7. n. 3. (*p*) Grot. Lib. 1. Cap. 3. §. 1. C. 4. §. 16. (*q*) Lib. 1. C. 3. §. 1. n. 2. (*r*) Lib. 1. C. 3. §. 2. n. 2. §. 2. n. 2. §. 16. (*s*) Lib. 1. C. 3. §. 2. (*t*) d. C. 3. §. 2. n. 2. (*u*) d C. 3. §. 3. (*v*) Lib. 3. C. 18. §. 5. (*x*) Lib. 3. C. 2. §. 1. n. 1. junct. §. 7. n. 3.

§. XLVI. Grotius quærit, an aut privatis, aut publicis perſonis bellum gerere liceat in eos, quorum imperio ſive ſummo, ſive minori, ſubſunt *y*? & merito id negat, ac omnem vim contra Principem illicitam eſſe, ſtatuit; adeo ut ſi injuriam nobis inferat ideo, quod agere recuſemus ea, quæ juri naturæ contraria imperat, toleranda potius ſit injuria, quam vi reſiſtendum. *z*

Ex quo enim homines omne ſuum arbitrium in civitatem contulerunt, hanc reſiſtendi licentiam prohiberi potuiſſe, ait, & actu prohibitam fuiſſe exemplis, & auctoritatibus inprimis ex lege Moſaica, lege Evangelii, & conſuetudine veterum Chriſtianorum, probat. *a*

n. 1. Hinc rejicit eos, qui hanc prohibitionem ad privatos reſtringunt, magiſtratibus autem inferioribus jus eſſe, putant, reſiſtendi injuriis ejus, cujus ſummum eſt imperium; immo & peccare cos, qui id omittunt. *b*

n. 2. Addit tamen, legem hanc de non reſiſtendo nos non obligare 1. in graviſſimo, & certiſſimo diſcrimine, quum leges etiam divinæ tacitam habeant exceptionem ſummæ neceſſitatis *c*; in tali tamen periculo perſonæ Principis omnino parcendum eſſe *d*. Sed & 2. omnia, ait, in Principem licere, ſi ea lege delatum eſt imperium, ut ſi in rempublicam peccet, puniri poſſit *e*: 3. ſi quis deſiit eſſe rex per abdicationem, &c. *f*: 4. ſi regnum alienat, & illud actu in alterum transferre vult *g*: 5. ſi rex vere hoſtili animo in totius populi exitium feratur *h*: 6. ſi is, qui feudi jure regnum tenet, feloniam committat *i*: 7. in ſtatu mixto ſi alter in alterius partem involat *k*. 8. In uſurpatorem licere quoque, ait, quicquid in hoſtem *l*; inprimis ſi accedit auctoritas ejus, qui verum jus imperandi habet *m*. At id tantum verum eſſe, aſſerit, ſi bello injuſto, & cui juris gentium requiſita non adſunt, imperium arripuerit *n*: ſecus autem eſſe in bello jure gentium ſolenni *o*, quia fieri poſſet, ut is, qui jus habet imperii, malit invaſorem in poſſeſſione relinqui, quam perículoſis, & cruentis motibus occaſionem dare.

n. 3. Tandem conſilium dat ſubditis, ut in re inter duos principes controverſa poſſeſſionem ſequantur. *p*

§. XLVII. Cauſas, ex quibus bellum privatum geri poteſt, i. e. ob quas defenſio neceſſaria redditur, ſequentes recenſet: 1. ſi quis corpus meum impetat vi præſenti, cum periculo vitæ non aliter vitabili, etiamſi invaſor peccato careat, uti ſi furioſus eſt *q*, &c. (adeo ut etiam innocentes, qui interpoſiti defenſionem, aut fugam, ſine qua mors effugi non poteſt, impediunt, transfodi, aut obteri poſſint.) *r*; modo periculum præſens ſit; non ergo ſi ſaltem paratur, aut metuitur *s*: 2. ſi de periculo mutilationis membri evitando agitur *t*: item 3. pro conſervanda pudicitia. *u*

His tamen caſibus eum, cui imminet periculum, laudabilius facere, ait, ſi occidi, quam occidere malit; idque verum eſſe etſi perſona, quæ jure hoc defenſionis utitur, multis ſit utilis: niſi

(*y*) Lib. 1. C. 4. §. 1. n. 2. (*z*) L. 1. C. 4. §. 1. n. 3. (*a*) Lib. 1. C. 4. § 2. §. 3. § 4. §. 5. (*b*) Lib. 1. C. 4. §. 6. (*c*) Lib. 1. C. 4. §. 7. n. 1. (*d*) d. §. 7. n. 6. (*e*) d. C. 4. §. 8. (*f*) d. C. 4. §. 9. (*g*) d. C. 4. §. 10. & 12. & §. 14. (*h*) d. C. 4. §. 11. (*i*) d. C. 4 §. 12. (*k*) d. C. 4. §. 13. (*l*) d. C. 4. §. 14. 15. 16. 17. (*m*) d. C. 4. §. 18. (*n*) d. C. 4. §. 16. (*o*) d. C. 4. §. 19. n. 1. (*p*) d. C. 4. §. 20. (*q*) Lib. 2. C. 1. §. 3. (*r*) Lib. 2. C. 1. §. 4. (*s*) d. Lib. 2. C. 1. §. 5. & §. 17. (*t*) Lib. 2. C. 1. §. 6. (*u*) Lib. 2. C. 1. §. 7.

Digitized by Google

niſi officium eorum ſit, ab aliis vim arcere [v]. Immo invaſorem aliquando jure naturæ laxiori ſine peccato occidi non poſſe, ſi perſona multis ſit utilis, uti de Principe id aſſeruit [x]. 4. Eum, cui periculum alapæ accipiendæ imminet, jus habere, ait, arcendi hanc maculam cum cæde inimici (niſi fugere potuerit); at lege Evangelii id prohiberi [y]. 5. Ad res noſtras conſervandas raptorem interfici poſſe, niſi res ſit, quæ minimum valeat [z]; lege autem Evangelii deſeri potius rem debere, ait. [a]

Atque hac occaſione quærit, an is, cui lex facultatem dat interficiendi furem, ab omni culpa liber ſit? quod negat. [b]

Denique quærit, an duella licita ſint? Reſpondet, duplici caſu licita eſſe: 1. jure neceſſariæ defenſionis: 2. ſi magiſtratus duos mortem meritos inter ſe committit. [c]

CAPUT V.

De Bello publico, inter quos geratur, & quid in eo liceat.

§. XLVIII. HACTENUS de *bello privato* actum eſt; ſequitur nunc bellum publicum.

§. XLIX. *Bellum publicum* deſcribit GROTIUS, *quod ab eo geritur, qui juriſdictionem habet* [d]; vel ut alibi loquitur [e], a *publica poteſtate maxime ſumma*: illudque duplex facit, vel *ſolenne jure gentium*, *vel minus ſolenne.* [f]

§. L. In his bellis publicis quædam licere, ait, aut NUDE; idque vel *Jure naturæ*, vel *Jure gentium*: aut ACCEDENTE PROMISSIONE; ſi nimirum fides hoſti qua tali datur. [g]

§. LI. De his, quæ *nude*, & ex *Jure naturæ* licent, agemus *Sect. I.* de iis autem, quæ nude ex *Jure gentium* licent, *Sect. II.*

Circa ea, quæ *Jure gentium* licent, monet [b], quædam ſpectare *ad quodvis bellum*, quo refert jus pignorandi, nimirum, ut non tantum res lædentis, ſed & civitatis, quæ jus denegavit, capi, ſeu pignorari poſſint; de quo jure egimus ſupra §. 35: vel *ad certam belli ſpeciem*, nimirum, ad ſolum bellum, quod certas ſolennitates ex jure gentium habet, & cui ex ea ratione ſingulares quidam tribuuntur effectus; de quo bello dicta *Sect. II.* agetur.

§. LII. Quid ſit bellum *minus ſolenne*, & quid in eo liceat, agemus *Sect. III.*

§. LIII. De his, *quæ in bello publico licent, accedente promiſſione* [i], agemus capite ſequenti; ubi examinabimus doctrinam GROTII: 1. an, & quatenus fides dari poſſit hoſti in genere. 2. Agemus de fide, quæ hoſti datur a ſumma poteſtate, tum ad finiendum bellum, tum manente bello: 3. de fide a minori poteſtate hoſti data: 4. de fide a privatis hoſti data: & tandem 5. de fide tacita.

SEC-

(v) Lib. 2. C. 1. §. 8. (x) Lib. 2. C. 1. §. 9. junct. Lib. 1. C. 4. §. 7. n. 6. ſeq. (y) Lib. 2. C. 1. §. 10. (z) Lib. 2. C. 1. §. 11. (a) Lib. 2. C. 1. §. 13. (b) Lib. 2. C. 1. §. 14. (c) L. 2. C. 1. §. 15. (d) L. 1. C. 3. §. 1. & §. 5. n. 1. (e) Lib. 1. C. 5. §. 1. (f) d. C. 3. §. 4. & 5. per tot. (g) L. 3. C. 1. §. 1. junct. C. 19. §. 1. (b) L. 3. C. 2. §. 1. n. 1. (i) L. 3. C. 19. uſq. ad C. 24.

SECTIO I.

Quid Jure naturæ in Bello publico, & juſto liceat?

§. LIV. GROTIUS regulam generalem ponit, *in bello publico, & juſto, jure naturæ omnia licere, quæ ad finem juris conſequendi ſunt neceſſaria* [k]. Adeoque & licere arcere hoſtem vi qualicunque, ſi vitam aliter ſervare non poſſumus [l], etiamſi is forte peccato vacet. [m]

Deinde rem meam, quam alius detinet, ei eripere jus eſſe, vel tantundem; immo & agere contra eum debiti conſequendi cauſa. [n]

Addit, rem quoque alienam, ex qua mihi jus meum vindicanti citra culpam domini periculum imminet, invadi poſſe, ſed ſaltem ad effectum cuſtodiæ, & donec ſecuritati meæ cautum ſit. [o]

Denique, ubi de hoſte puniendo agitur, omnem vim licitam eſſe, ait, ſine qua læſus ad pœnam venire non poteſt, & omne, quod pœnæ pars eſt, ut vaſtatio, captura rerum. &c. [p]

§. LV. Addit, *Jure naturæ* vim illam licitam eſſe non tantum in hoſtem, ſed & in eos, qui hoſti opem ferunt, ſive ſubditi, ſive milites, ſive ſocii ſint. Nam & hos, quia cauſæ injuſtæ accedunt, non tantum damna reſarcire, ſed & puniri debere. [q]

§. LVI. Immo & jus quandoque eſſe nocendi innocentibus indirecte, & extra agentis propoſitum: uti ſi in navi, vel in urbe, quæ tormentis petitur, ſocii, amici, infantes, &c. inveniuntur. Quamquam hoc caſu tutius eſſe, exiſtimet, aliis, quam ſibi, & ſuis commodis conſulere [r]; neque exempla divina nobis imitanda eſſe.

§. LVII. Sed & iis, qui hoſtes non ſunt, ſed hoſtibus neceſſaria ſubminiſtrant, nocere licere, ait, ſi neceſſaria illa uſum in bello habent. [s]

§. LVIII. Prolixe GROTIUS celebrem illam quæſtionem examinat, *an mentiri hoſti, & dolis uti in eum ad jus noſtrum conſequendum, liceat* [t]. Alii enim id affirmant, alii negant [u]. Ipſe quæſtionis deciſionem ex eo pendere, ait, *an dolus ſua natura ſit malus, an vero indifferens, ita ut bonus quoque eſſe poſſit?* [v]

n. 1. His præmiſſis notat, *dolum* alium conſiſtere in *actu negativo*, alium in *actu poſitivo*. ILLUM vocari *dolum bonum*, ubi quis per diſſimulationem tuetur ſua, vel aliena [x]; hunc dolum licitum eſſe, ſtatuit, quia nec quæ ſcias, nec quæ velis, omnia aperire teneris; quin talem diſſimulationem aliquando eſſe neceſſariam, & inevitabilem [y], quod exemplis ſacræ ſcripturæ probat: HUNC dolum, qui in *actu poſitivo* conſiſtit, *ſimulationem* vocari, ſi in *rebus* conſiſtit; *mendacium*, ſi in *ſermone*.

n. 2. Quoſdam differentiam inter *hæc duo* hanc conſtituere, ait, quod dicant, *voces* naturaliter ſigna eſſe intellectuum, *res* non item. At eam rejicit, quum mendacium non tantum ſermone, ſed & nutu, ac aliis voluntatis declarandæ ſignis, fieri dici poſſit. [z]

n. 3. Aliam igitur diſtinctionem *inter res*, & *ſermonem*, i. e. inter ſimulationem, & mendacium, adhibendam putat, quæ eo redit, quod jure gentium *voces*,

(*k*) L. 3. C. 1. §. 2. (*l*) d. C. 1. §. 2. n. 1. & §. 6. n. 1. C. 6. ſeq. (*m*) d. §. 2. n. 1. & L. 2. C. 1. §. 3. (*n*) L. 3. C. 1. § 2. n. 2. (*o*) L. 3. C. 1. §. 2. n. 2. (*p*) L. 3. C. 1. §. 2. n. 4. (*q*) L. 3. C. 1. §. 3. (*r*) L. 3. C. 1. §. 4. n. 3, & 4. (*s*) Lib. 4. C. 1. §. 5. (*t*) Lib. 3, C. 1. §. 6. uſque ad finem (*u*) d. C. 1. §. 6. (*v*) d. C. 1. §. 6. n. 4. (*x*) d. C. 1. §. 7. (*y*) d. C. 1. §. 7. (*z*) d. C. 1. §. 8.

voces, & *nutus*, reperta, ac recepta ſint cum mutua obligatione; *res alia* non item [a]. Utrumque exemplis ex ſacra hiſtoria illuſtrat. [b]

n. 4. *Rebus aliis* uti, adeoque *ſimulare* licere, ait, etiamſi provideamus futurum, ut alter inde falſam concipiat opinionem [c]: uti ſi quis hoſtium armis, ſignis, velis, veſtibus, &c. utatur, ut eos decipiat; hæc enim talia eſſe, ait, quæ non communi conſenſu introducta ſunt, ſed ſingulorum arbitrio, adeoque abſque mutua obligatione. [d]

Excipit autem eam ſimulationem, unde nocumentum ſequitur ei, cui nocere non licet [e]. Sed & ſæpius hujuſmodi fraudes naturaliter conceſſas, repudiatas ex generoſitate, ait. [f]

n. 5. Graviorem diſputationem eſſe, putat, de *vocibus*, de *nutu*, & de *notis*, quæ in commercio hominum quaſi verſantur, & in quo genere proprie *mendacium* conſiſtere, ait [g]. Ubi in genere docet, multa in ſacris, & apud philoſophos, contra mendacium, multa pro eo afferri.

n. 6. GROTIUS diſſidentium ſententiarum conciliationem forte reperiri poſſe, ait, ex *largiori*, aut *ſtrictiori* mendacii acceptione. [i]

Mendacium *laxiori* ſenſu dictum deſcribit, quod *ſcienter profertur cum ſignificatione, quæ mentis conceptui, ſive in intelligendo, ſive in volendo, diſconveniat*; adeoque ad communem mendacii notionem requiri, ait, *ut quod dicitur, ſcribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat, quam in eum ſenſum, qui a mente proferentis diſcrepet* [k]. Significationis ergo falſitatem communem mendacii naturam conſtituere [l]. Adeoque mendacium eſſe, ſi quis rem veram quidem, ſed quam falſam putat, mentitur: non vero ſi quis falſum dicit, quod verum putat; nec ſi obſcure loquitur.

Mendacium tale non ſemper improbat Grotius. Hinc mendacium non eſſe illicitum, ait, ſi vox plures uno ſignificatus admittit, modo conceptus animi uni iſtarum ſignificationum congruat, etiamſi putetur is, qui audit, in aliam partem id accepturus [m]; quod exemplis Chriſti, & Apoſtolorum illuſtrat. Aliud autem dicendum eſſe, ſi Dei honos, aut amor proximo debitus, aut reverentia adverſus ſuperiorem, aut rei, quæ agitur, natura, exigunt, ut quod animo cogitatur, omnino pateſiat [n]; vel ſi hoſti publico aliquid promittitur, etiam tacite [mm], vel ſi aliquid aſſeritur ſub fide juramenti. [o]

n. 7. Ad mendacium *ſtricte* ſic dictum, præter illam communem mendacii notam, requirit *repugnantiam cum jure exiſtente, ac manente ejus, ad quem ſermo, aut nota dirigitur.* Atque hoc ſolo ſenſu mendacium illicitum eſſe, ait. [q]

Fingit enim, jure gentium voces, nutus, & notas inter homines introductas eſſe cum mutua obligatione [r]; mutuam autem obligationem in eo conſiſtere, ut homo loquens ei, cum quo loquitur, ex tacito pacto debeat libertatem judicandi, an agere, vel loqui velit juxta ſenſum verborum, quæ alter

(*a*) d. C. 1. §. 8. n. 2. & §. 9. (*b*) d. C. 1. §. 3. & 4. (*c*) d. C. 1. §. 8. n. 2. (*d*) d. C. 1. §. 8. n. 4. (*e*) d. C. 1. §. 8. n. 2. & 4. (*f*) L. 3. C. 1. §. 20. (*g*) d. C. 1. §. 9. pr. (*h*) d. C. 1. §. 9. n. 1. & ſeq. (*i*) d. C. 1. §. 10. n. 1.

(*k*) L. 3. C. 1. §. 11. pr. (*l*) d. C. 1. §. 10. n. 1. (*m*) d. C. 1. §. 10. n. 1. in fin. & n. 2. pr. (*n*) d. C. 1. §. 10. n. 3. (*mm*) d. C. 1. §. 18. (*o*) d. C. 1. §. 19. (*q*) Lib. 3. C. 1. §. 11. n. 1. (*r*) Lib. 3. C. 1. §. 8. §. 11. n. 1.

Digitized by Google

alter protulit [s]: hanc libertatem judicandi eſſe jus aliquod exiſtens, ac manens ejus, ad quem ſermo, aut nota dirigitur; & ſic contra jus gentium agere, qui notis illis, ad certum uſum a gentibus introductis, aliter utitur, & jus ex pacto ei, cum quo loquitur, quæſitum aufert. [t]

Ubi tamen requirit, ut jus illud ſubſiſtat, ac maneat eo tempore, quo ſermo fit [u], & ut jus, quod læditur, ejus ſit, cum quo loquimur. Addit tamen [v], tolli illud jus poſſe conſenſu ejus, cum quo agimus, ſive expreſſo, ſive tacito. [x]

n. 8. His recte intellectis multas nobis ſuppeditari illationes, ait, quæ ad concilianda diſſidia non parum valituræ ſint.

Hinc 1. infert, mendacium eſſe, ſed non mendacii culpam, in iis, qui judicandi facultatem non habent; his enim circa eam libertatem injuriam fieri non poſſe [y]: nec 2. ſi ſermo dirigitur ad eum, qui non decipitur, adeoque cui libertas judicandi manet integra, etſi tertius inde hauriat falſam perſuaſionem, quia cum hoc nihil actum, adeoque nulla ad illum eſt obligatio [z]: nec 3. ſi de commodo ejus agitur, ad quem ſermo dirigitur, quia velle præſumitur, indeque judicandi libertas non læditur [a]: nec 4. ſi ſuperior mendacio utitur bono ipſius, ſive proprio, ſive publico [b]: nec 5. ſi vita innocentis aliter ſervari nequit. [c]

n. 9. Præmiſſa generali definitione mendacii, qua nimirum illicitum eſt, ſpeciatim quærit, *an apud hoſtem falſo ſermone uti liceat* [d]? Sapientes paſſim ſtatuunt, mentiri hoſti licere. Scholæ actorum ante ſeculorum, ſecutæ AUGUSTINUM, id improbant: at tot exceptiones fingunt, ut regulam ipſam evertant. [e]

GROTIUS ea, quæ latius a Sapientibus extenduntur, partim improbat, partim ad illationes, ſeu obſervationes præfatas refert. [f]

n. 10. Denique non licere nobis, ait [h], aliquem impellere, aut ſollicitare ad id, quod nobis non licet; adeoque non licere ſubditum permovere ut ſuum regem occidat, &c. licere tamen uti opera ultro oblata.

§. LIX. Quæritur, an alii bellum gerenti opem ferre, ejuſque cauſam defendere liceat? Affirmat id GROTIUS, & alteri aſſiſtere laudabile maxime eſſe, docet. [i]

Aſſiſtere autem teneri, ait, SUBDITOS, niſi ſciant bellum injuſtum eſſe [k]; dubitantibus vero potius tributa imperanda, quam opera militaria. [l]

Sed & EXTRANEOS nobis aſſiſtere poſſe, ait, vel tanquam *ſocios*, (vid. Differt. procem. XII.) vel tanquam *amicos*, vel propter *communem hominum inter ſe conjunctionem.* [m]

§ LX. Quærit GROTIUS, an ſubditi ejus, qui bellum gerit, abſque mandato privatim hoſti nocere poſſint? Atque in ſolvenda hac quæſtione ſpeciali capite [n] occupatus eſt, & diſtinguit inter *jus naturæ*, *jus gentium*, & *jus civile.* [o]

n. 1. *Jure naturæ* in bello juſto cuilibet conceſſum eſſe, ait, facere, quæ parti

(*s*) d. §. 11. n. 1. (*t*) d. §. 11. n. 1. §. 17. in fin. & §. 14. (*u*) d. §. 11. n. 2. (*v*) d. §. 11. n. 2. (*x*) d. §. 11. n. 3. (*y*) d. C. 1. §. 12. (*z*) d. C. 1. §. 13. (*a*) d. C. 1. §. 14. junct. §. 11. n. 3. (*b*) d. C. 1. §. 15. (*c*) d. C. 1. §. 16. (*d*) Lib. 3. C. 1. §. 17. (*e*) d. C. 1. §. 17 n. 1. 2. 3. & 4. (*f*) d. C. 1. §. 17. (*h*) d C. 1. § 2 . & 22. (*i*) L. 1. C. 5. §. 4. L. 2. C. 26. §. 1. (*k*) L. 2. C. 26. §. 3. (*l*) d. C. 26. §. 5. n. 1. (*m*) L. 2. C. 25. §. 4. 5. 6. & 7. (*n*) L. 3. C. 18. (*o*) Lib. 3. C. 18. §. 1.

Digitized by Google

parti innocenti intra juſtum bellandi modum profutura confidit. [p]

n. 2. At capientem non acquirere res captas, quia ipſi nihil debetur: niſi forte pœnam juſtam exigat communi hominum jure. [q]

n. 3. *Jure gentium* externo itidem licitum eſſe hoſti nocere, quia illo jure hoſtes pro nullis haberi, putat. [r]

n. 4. *Jure civili* Romano autem privatim hoſti nocere non licere, niſi ex mandato civitatis [s]. Mandatum autem videri vel generaliter, ut in ſumma reipublicæ neceſſitate [t]; vel ſpecialiter, ſi ſtipendia dantur, ſi ſuis ſumtibus quis militat ea lege, ut capta ſua faciat, &c. [u]

Quærit Grotius, ſi privati, qui ſuis ſumtibus militant, plus exigunt, quam impenderunt, an contra jus hoſtis agant, & ideo teneantur? Reſpondet, non teneri *hoſti*, utpote cui omnium rerum poſſeſſionem ſecuritatis cauſa, quin dominium ipſum, aut ad compenſationem injuriæ, aut totum in pœnam auferri poſſe, ait [v]: at teneri *civitati*, pro qua militat, ſi contractui inæqualitas inſit, & is plus exegit, ac debetur. [x]

n. 5. Legem tamen charitatis præſcribere, ait, ne ſubditis, vel aliis ſuo ſumtu militantibus, talis deprædatio permittatur, ſi ea non tam hoſtium univerſitati, quam innocentibus nocitura eſt; inprimis ſi neque ad minuendas vires hoſtis notabile aliquod momentum habet. [y]

n. 6. Addit, ſubditum etiam ſine mandato aliquando jure Romano nocere poſſe hoſti, nimirum, jure neceſſariæ defenſionis, ſi quis in hoſtes inciderit, & vitæ, aut rerum adeat periculum. [z]

n. 7. Denique ſubditum, vel quemlibet alium, etiam in *bello juſto* damnum hoſti dantem citra mandatum, teneri ad reſtitutionem damni, &c. Si autem *bellum injuſtum* eſt, non teneri hoſti, ſed civitati, cujus leges tranſgreſſus eſt. [a]

§. LXI. Ut igitur bellum publicum jure naturali juſtum ſit, duo GROTIUS requirit: 1. ut ex *juſta cauſa* ſuſcipiatur: 2. *ut tantum agatur ad debiti*, & *pœnæ reparationem*, non ultra. [b]

§. LXII. *Primo* igitur requirit GROTIUS, ut bellum geratur ex *juſta cauſa*, i. e. ut agatur ad juris noſtri reparationem: alias enim bella mera eſſe latrocinia, ait. [c]

n. 1. Quænam autem ſint *juſtæ cauſæ*, expoſuit Grotius in libro II; & in genere ſpectant vel *injuriam factam*, vel *non factam*: *factam* autem ut *reparetur*, vel *puniatur* [d]. Ut terminis magis uſitatis mentem Grotii exprimam, res eo redit: Juſtas belli cauſas eſſe, quoties violatur jus, quod cuique competit vel ex *ſtatu hominum*, vel *ex jure in re*, vel *ex obligatione perſonæ*. Vid. Diſſertat. prooem. V. VI. & VII. Ad juſtas cauſas autem refert etiam eas, quæ durante bello ſubnaſcuntur. [e]

n. 2. Etſi vero expoſitis juſtis cauſis facile

(*p*) Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 3. (*q*) Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 3. (*r*) Lib. 3. Cap. 18. §. 1. n. 2. (*s*) Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 2. (*t*) Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 4. (*u*) Lib. 3. C. 18. §. 2. (*v*) Lib. 3. C. 18. §. 2. (*x*) Lib. 3. C. 18. §. 3. (*y*) Lib. 3. C. 18. §. 4. (*z*) Lib. 3. C. 18. §. 5. (*a*) Lib. 3. C. 18. §. 6. (*b*) Lib. 1. C. 2. §. 1. n. 5. & 6. Lib. 2. C. 1. §. 1. per tot. & §. 2. n. 1. Lib. 2. C. 2. §. 1. pr. Lib. 3. C. 1. §. 2. Proleg. §. 25. Lib. 2. C. 20. §. 40. (*c*) Lib. 2. C. 1. §. 1. n. 3. Lib. 2. C. 22. §. 3. Lib. 3. C. 16. §. 1. Lib. 2. C. 6. §. 1. n. 2. (*d*) Vid. Lib. 2. C. 1. §. 1. n. 1. & C. 2. §. 1. (*e*) Lib. 2. C. 1. §. 16. L. 3. C. 1. §. 3. & C. 13. §. 3.

facile conſtet, quænam ſint cauſæ injuſtæ belli, neceſſarium tamen duxit Grotius, ſpeciali capite eas recenſere. [f]

n. 3. Quid ſi cauſa dubia ſit? Reſpondet Grotius, bene examinandam eſſe cauſam [g], prudentiorum conſilia adhibenda [h], & ſi argumenta utrinque ſunt æqualia, cauſaque magni momenti, tutiorem in eligendo præferendam eſſe. [i]

Atque his caſibus tres modos ſuppeditat, quibus vitari poſſe putat, ne controverſiæ in bellum erumpant [k]: 1. Colloquium [l]: 2. Compromiſſum [m]: 3. Sortem [n]. Affine autem ſorti eſſe certamen ſingulare [o]; atque hoc non improbat, ſi duo, quorum controverſiæ alioqui totos populos graviſſimis malis ſint implicituræ, parati ſint armis decernere. [p]

n. 4. Regulas quoque quaſdam prudentiæ ſuppeditat in cauſis dubiis: nimirum, 1. magis eum teneri quærere pacis conditiones, qui petit, quam qui poſſidet [q]; 2. ſi jus ambiguum, & neuter poſſidet, iniquum cenſeri eum, qui diviſionem oblatam repudiat. [r]

n. 5. Grotius egregia monita addit, de non temere etiam ex juſtis cauſis ſuſcipiendo bello, inprimis ſi pœnæ cauſa ſuſcipitur; ubi mala bellorum ob oculos ponit [s]: quæ legi merentur.

n. 6. Denique Grotius examinat gravem illam quæſtionem, an ab utraque parte juſta cauſa adeſſe, i. e. an utrinque bellum juſtum eſſe poſſit? Et tandem plurimis præmiſſis diſtinctionibus, ait, utrumque jure agere poſſe, 1. quatenus aliquid juſtum eſt, quod omni culpa caret; uti caret, ſi bona fide credit ſe jure agere, inprimis ſi quis non ſuo nomine agit, ſed vi officii: 2. jure gentium bellum publicum ſolenne juſtum utrinque eſſe poſſe quoad effectus juris externos. [t]

n. 7. Effectus *juſtæ cauſæ* in bellis Grotio eſt, 1. quod is, qui læſus eſt, & illi, qui ejus cauſam defendunt, omnia agere poſſint, quæ ad juris ſui reparationem ſunt neceſſaria [u]. Hinc 2. interficere hoſtem licere, ait, ſi vitam aliter ſervare non poſſumus [v]: 3. eripi hoſti poſſe poſſeſſionem omnium rerum, ſed non ultra, quam cauſa ſubeſt debendi in hoſte [x]; ubi tamen excipit caſum neceſſitatis: tunc enim etiam ultra debitum capi poſſe, ait, ſub lege reddendi ceſſante periculo. [y]

Ceterum, dominium ipſum per hanc capturam acquiri quoque, putat, ad compenſationem uſque ejus, quod aut ab initio belli, aut ex poſt facto, civitati juſtum bellum gerenti debetur [z]. Sed & ultra debitum nocentibus in pœnam auferri poſſe dominium [a]. 4. Capi quoque perſonas hoſtium poſſe intra debiti, & pœnæ modum; at jus vitæ, & necis in captos non competere [b]. 5. Vaſtari poſſe res hoſtiles, vel ob neceſſitatem, vel in pœnam, intra fines ſcilicet talionis. [c]

n. 8. Si quis igitur ex *injuſta cauſa* bellum gerit, juxta juſtitiam internam, i. e. *jure naturæ*, quicquid agit, illicitum

(f) L. 2. C. 25. (g) Lib. 2. C. 23. §. 2. & 5. (h) d. C. 23. §. 4. (i) d. C. 23. §. 5. (k) L. 2. C. 23. §. 6. (l) d. C. 23. §. 7. (m) d. C. 23. §. 10. (n) d. C. 23. §. 9. (o) d. C. 23. §. 10. (p) ibid. n. 1. (q) d. C. 23. §. 11. (r) d. C. 23. §. 12. (s) Lib. 2. C. 24. (t) Lib. 2. C. 23. §. fin. (u) Lib. 3. C. 1. §. 2. n. 1. (v) Lib. 3. C. 1. §. 2. n. 1. (x) Lib. 3. C. 13. §. 1. C. 14. §. 1. (y) Lib. 3. Cap. 13. §. 1. C. 18. §. 2. (z) Lib. 3. C. 13. §. 2. (a) Lib. 3. Cap. 13. §. 2. (b) Lib. 3. Cap. 14. §. 1. & 3. (c) L. 2. C. 12. §. 1.

Digitized by Google

illicitum [d], omnes actus, qui ex tali bello naſcuntur, injuſtos eſſe, ait [e]. Unde ex hypotheſi Grotii illi, qui tales actus ſcienter operantur, inſtar prædonum ſunt [f], ita ut qui actus illos ſcienter peragunt, ſine pœnitentia ad regnum cœlorum pervenire non poſſint. Veram autem pœnitentiam requirere, ait, ut is, qui damnum dedit, ſive interficiendo, ſive res corrumpendo, ſive prædas agendo, id ipſum reſarciat [g]: neque injuſte ſaltem agere ipſos, qui bellum injuſtum gerunt, ſed & ſocios eorum [h], duces, & milites; & hos teneri in ſolidum ſi actus ſint individui. [i]

Addit, his omnibus æque reſtituendi, ac reparandi neceſſitatem incumbere [k], & conſequenter damnum datum, ac expenſas, ſub ea reſtituendi neceſſitate contineri [l]: neque retinere rem poſſe illos, qui cauſam a tali hoſte habent [m], ſed teneri eam domino reſtituere; quia nemo plus juris in alium transferre poteſt, ac ipſe habet.

Et cum jure naturæ quemlibet hominem alienæ injuriæ vindicem eſſe, fingat, inde infert, eum, qui ex injuſta cauſa bellum gerit, ſi in alio forte territorio deprehendatur, tamquam homicidam, aut furem puniri [n], & rem a tali hoſte ereptam, ſi ibi invenitur, vindicari a domino poſſe, etiam judiciali auctoritate [o], etſi poſſeſſio ad alium bona fide pervenerit. [p]

§. LXII. *Secundo*, ut *Jure naturæ* juſtum bellum dici poſſit, GROTIUS requirit, ut *intra modum debiti*, & *pœnæ* geratur, i. e. ut non plus exigatur, quam quod alter debet, vel meritus eſt [q]. Rationem hanc affert, quod bellum jure naturæ tantum juris noſtri tuendi cauſa gerere licitum ſit [r]: ſi igitur recuperavimus id, quod nobis defuit, omnem licentiam bellandi ceſſare, exiſtimat.

n. 1. Si quis proinde *ultra debiti quantitatem, vel modum pœnæ* ab alio aliquid exigit, Grotius ait, *Jure naturæ* omnem vim injuſtam eſſe [s], & ſi excedatur, etiam in bello juſto actum illum juſtitia carere [t], & nullum jus inde quæri hoſti, etiam juſtam cauſam habenti [u]: immo inde oriri reſtituendi ablati neceſſitatem, conſequenter etiam damni dati reparationem, & expenſarum ſolutionem [v]. Eamque obligationem non tantum in eo eſſe, ait, cujus nomine bellum geritur, ſed & ratione ſociorum, Ducum belli, & militum [x], eorumque, qui cauſam ab his habent [y]: quin jus puniendi aliis gentibus quæri, & gentes dominis res ſuas ereptas vindicantibus illas judiciali auctoritate reſtituere debere. [z]

SEC-

(*d*) Lib. 2. C. 1. §. 1. n. 3. (*e*) Lib. 3. C. 10. §. 3. (*f*) L. 3. C. 10. §. 1. 3. & 5. C. 16. §. 1. n. 2. (*g*) d. Lib. 3. C. 10. §. 3. & 5. (*h*) Lib. 3. C. 1. §. 3. (*i*) Lib. 3. C. 10. §. 4. & 5. (*k*) Lib. 2. C. 22. §. 17. n. 3. (*l*) Lib. 3. C. 10. §. 3. 4. 5. & 6. C. 13. §. 1. C. 6. §. 1. (*m*) Lib. 3. C. 16. §. 1. n. 1. & 2. §. 2. & 3. C. 10. §. 6. & C. 9. §. 16. (*n*) Lib. 3. C. 4. §. 3. C. 10. §. 3. 4. & 5. C. 18. §. 6. (*o*) Lib. 3. C. 6. §. 2. n. 1. (*p*) Lib. 3. C. 6. §. 7. n. 1. (*q*) Lib. 3. C. 1. §. 2. n. 2. & 3. §. 5. n. 3. C. 6. §. 1. n. 1. §. 27. C. 14. §. 1. C. 4. §. 3. Lib. 3. C. 5. §. 1. §. 2. n. 2. in fin. C. 13. §. 1. C. 16. §. 1. (*r*) Lib. 3 C. 1. §. 2. (*s*) Lib. 3. C. 1. § 2. n. 2. 3. §. 5. n. 3. C. 6. §. 1. n. 1. §. 27. C. 20. §. 32. C. 7. §. 2. C. 5. §. 1. C. 4. §. 3. C. 14. §. 1. C. 8. §. 1. C. 12. §. 1. n. 1. C. 16. §. 1. (*t*) Lib. 3. C. 11. §. 1. (*u*) Lib. 3. C. 10. §. 3. 5. 6. C. 6. §. 1. (*v*) Lib. 3. C. 10. §. 3. 4. & 5. C. 13. §. 1. (*x*) d. C. 10. §. 4. & 5. C. 18. §. 6. (*y*) d. C. 10. §. 5. n. 1. §. 6. C. 9. §. 16. C. 16. §. 1. 2. & 3. (*z*) Lib. 3. C. 13. §. 1. n. 1.

SECTIO II.

De Bello publico, Jure gentium ſolenni, & minus ſolenni.

§. LXIII. GROTIUS duo illa requiſita juris naturalis, præcedenti Sectione expoſita, jure gentium voluntario mutata eſſe, ac communi gentium conſenſu ſtatutum eſſe, ait, 1. ne de juſtitia cauſæ inter partes quæratur, ſed ut id, quod utraque pars in bello peragit, pro jure habeatur; unde concludit, eo jure bellum utrinque juſtum eſſe: 2. Ne præciſe agatur ad juris noſtri conſecutionem, id eſt, intra modum ſaltem debiti, vel pœnæ; ſed ut occidere hoſtem in infinitum liceat, & ut id, quod quiſque occupaverit ab hoſte, in infinitum ſibi acquirat. Verba Grotii hæc ſunt: *Hoc ergo modo* (ſcilicet jure gentium) *lædere hoſti hoſtem licet, i. e. non ei tantum, qui ex juſta cauſa bellum gerit, quique lædit intra modum debiti, & pœnæ, ſed ex utraque parte, & indiſtincte, ita ut eam ob cauſam nec puniri poſſit in alio forte territorio deprehenſus, tanquam homicida, aut fur, nec bellum ipſi ab alio talis facti nomine inferri.* a

n. 1. Cauſam cur *prius* gentibus placuerit, hanc affert, *quod inter duos populos de jure belli pronunciare velle, periculoſum fuerat aliis populis, qui ea ratione bello alieno implicarentur* b. Quod alibi ita explicat: *Reges, aut populi, qui bellum ſuſcipiunt, credi volunt juſtas ſibi fuiſſe cauſas cur id facerent; contra autem injuriam facere eos, qui adverſum ſe arma ferrent: quod cum utraque pars credi vellet, nec tutum eſſet pacem ſervare cupientibus huic ſe controverſiæ interponere, nihil melius facere potuerunt populi pacati, quam ut id, quod eveniſſet, pro jure haberent.* c

n. 2. *Poſterioris* conſtitutionis rationem hanc affert d, *quod etiam in bello juſto inter duos populos vix ſatis cognoſci poſſit ex indiciis externis, quis juſtus ſit ſe tuendi, ſua recuperandi, aut pœnas exigendi modus; quod periculoſum ſit deſuper pronunciare aliis populis, qui ea ratione alieno bello implicarentur: præſtitiſſe igitur hæc religioni bellantium relinquere, quam ad aliena arbitria vocare.* Et alibi e: *ut vero pacati populi certi quid haberent, quod ſequerentur, nec bello implicarentur inviti, ſufficiebat introductio externi dominii.* (In rebus ſcil. captis ultra quantitatem debiti, & pœnæ.)

n. 3. Jure gentium igitur in *bello ſolenni* naturæ jus mutatum eſſe, ait; nam ei, qui ſive ex juſta cauſa, ſive ex injuſta bellum gerit, licentiam lædendi hoſtem ubivis, & quovis modo, indiſtincte, i. e. ultra modum debiti, ac pœnæ, hoc jure conceſſam eſſe, fingit. f

Atque ex hac licentia occupantes jus aliquod externum, & rerum hoſtilium dominium acquirere, tradit; adeo ut nec damna, nec impenſas reſtituere teneantur, nec puniri ab aliis poſſint, ſed potius apud omnes gentes in poſſeſſione juris hujus tuendi ſint; g quod mox plenius, & ex ipſis exemplis Grotii demonſtrabitur.

n. 4. Non tamen in *quovis bello publico* hanc mutationem a gentibus factam eſſe, Grotius ait, ſed ſaltem in *eo bello*, quod 1. utrinque a ſumma poteſtate geritur, & 2. quod publice decretum, & indictum eſt. In reliquis

(a) Lib. 3. C. 4. §. 4. (b) Lib. 3. C. 9. §. 4. n. 2. (c) Lib. 3. C. 10. §. 5. n. 1. (d) Lib 3. C. 4. §. 4. (e) Lib. 3. C. 10. §. 5. n. 1. (f) Lib. 3. C. 6. §. 2. C. 4. §. 3. (g) d. C. 4. §. 3. & 4.

liquis ergo bellis publicis, quæ vel non inter duas ſummas poteſtates geruntur, ſed ab eis, qui juriſdictionem ſaltem minorem habent, vel non indicta ſunt, jus naturæ manere, putat; indeque talia bella vocat bella minus ſolennia, de quibus §. 68. agemus.

n. 5. Duo ergo requirit Grotius, ut jus hoc gentium obtineat: 1. *ut bellum a ſumma utrinque poſtate geratur.* Equidem jure naturæ ſufficere ad juſtum, & publicum bellum, ut ab eo geratur, qui juriſdictionem habet, ſi vis adhiberi debet [b]. At ut effectus peculiares ex jure illo gentium obtineant, fingit, gentes voluiſſe ut geratur utrinque ab eo, qui ſummam poteſtatem habet in civitate [i]. Nam gentes tantum gentibus, non vero qui plane gens non ſunt, aut gentis ſaltem pars ſunt, proſpicere voluiſſe [k]; adeoque jus gentium in bello ſolenni ſpectare ſaltem ad populos extraneos, & ad hoſtes, non ad cives. [l]

2. *Ut bellum publicum decretum, & indictum ſit.* Nam ex hypotheſi Grotii *Jure naturæ* indictione opus non eſt ſi quis pœnam ab alia gente ſumit, vel ſi rem ſuam vindicat, quia rem meam propria auctoritate repetere poſſum [m]: ſed tunc demum, ſi vel una res pro alia, aut pro debito res debitoris invaditur, vel ſi Princeps pro debito ſubditi interpellatur; quia tunc demum conſtat, alio modo fieri non poſſe ut noſtrum, aut nobis debitum conſequamur: adeoque hæc interpellatio demum alterum in culpa conſtituit, ex qua aut damnum dare cenſeatur, aut & ipſe delinquere [n]. At *Jure gentium*, ad obtinendos effectus illos juris particularis, etiam prioribus caſibus indictionem requiri, ait [o]. Cauſam autem, cur gentes ad bellum illud, quod jure gentium juſtum dixit, denunciationem requirant, non eam fuiſſe, ait, quam nonnulli afferunt, ne quid clam, aut dolo agerent, ſed ut certe conſtaret, non privato auſu, ſed voluntate utriuſque populi, aut populi capitum, geri bellum.

Duo autem hæc conjunctim requiri, indeque alterum ſine altero non ſufficere, ait. [p]

n. 6. His ſolennitatibus accedentibus Grotius tali bello effectus illos peculiares a gentibus tributos eſſe, fingit. Unde BELLUM hoc vocat PUBLICUM, & EX JURE GENTIUM SOLENNE: quod hæc forma jure gentium demum præſcripta ſit, indeque in aliis bellis non ſolennibus non obtineat. Hos ergo effectus juri gentium proprios, & peculiares eſſe [q], eoſque variis ex cauſis jure gentium tribui, ait: 1. majoris mali vitandi cauſa [r]: 2. juris ſui conſequendi cauſa [s]: 3. damni, quod metuitur, evitandi cauſa. [t]

Solenne autem *bellum* vocat eo ſenſu, quo juſtum teſtamentum codicillis, & juſtæ nuptiæ ſervili contubernio opponuntur; quia etiam teſtamenta, & nuptiæ ſolennes, peculiares quoſdam ex jure civili effectus habent. [u]

§. LXIV.

(*b*) Lib. 1. C. 3. §. 4. n. 2. (*i*) Lib. 1. C. 3. 1. & §. 4. n. 1. & §. 5. n. 1. Lib. 2. C. 17. §. 19. Lib. 3. C. 19. §. 11. Lib. 3. C. 4. §. 2. (*k*) Lib. 3. C. 3. §. 12. (*l*) Lib. 3. C. 20. §. 8. & 11. (*m*) Lib. 3. C. 2. §. 2. (*n*) Lib. 3. C. 3. §. 6. (*o*) Lib. 1. C. 3. §. 4. n. 1. Lib. 3. C. 4. §. 3. Lib. 3. C. 3 §. 1. §. 5. & 6. n. 1. C. 3. §. 6. n. 3. Lib. 2. C. 17. §. 19. Lib. 3. C. 19. §. 11. Lib. 1. C. 3. §. 5. n. 1. (*p*) Lib. 1. C. 3. § 4. n. 1. (*q*) Lib. 1. C. 4. §. 11. & 12. Lib. 3. C. 3. §. 6. n. 1. & n. 10. §. 10. (*r*) Lib. 3. C. 13. §. 1. n. 2. C. 6. § 6. n. 4. (*s*) Lib. 3. C. 13. §. 1. n. 2. & Lib. 3. C. 6. §. 6. n. 4. (*t*) Lib. 3. C. 4. §. 2. (*u*) Lib. 1. C. 3. § 4. n. 1.

§. LXIV. Bellum ergo *publicum ex jure gentium ſolenne* Grotio eſt, quod & utrinque a ſumma poteſtate geritur, ac publice decretum, & indictum eſt [v]. (*Vid.* §. 63. *n.* 4.)

Equidem ipſe Grotius fatetur, ex hoc jure gentium in pleriſque actibus verum jus, & internum [x], (utpote quod ex ſolo jure naturæ ſequitur [y]) non oriri: adeoque vitio, peccato, & perfidia non carere actus [z]; nec probe facere, qui eo jure utitur [a]; nec id, quod ex tali jure gentium debetur, ſalva pietate, & officio boni viri exigi poſſe [b]: quia jus gentium aliquid contrarium juri naturæ permittere (quoad jus ſcil. internum) non poteſt [c]. Hinc, ait, jus hoc gentium jus ſaltem eſſe quoad effectus quoſdam; injuriam autem, ſi id, quod intrinſecum eſt, ſpectetur [d]. Indeque concludit, jus gentium animis agentium religionis vinculum non injicere [e]. Denique plures gentes jus externum iterum ad jus internum reduxiſſe, tradit. [f]

Hinc jus, quod ex jure tali gentium oritur, vocat jus externum [g], jus improprium [h]; quia ſaltem peculiares quoſdam effectus juris ex jure gentium habet [i], qui effectus ſaltem ſunt externi, ad inſtar juris illius primævi, i. e. naturalis [l]: unde ſaltem externum judicium ſpectant [m]; eodem modo, uti ſententia injuria judicis lata, & poſſeſſio prædonea, jure Romano auctoritate judiciali defenditur [n]; uti jus teſtamenta nulla dicendi hæredibus ab inteſtato datur ob defectum ſolennitatum [o]; & uti præſcriptio, & uſucapio dominium tribuit: nam jura civilia præſcribentes ut dominos tuentur. [p]

Atque hoc juris ſenſu bellum ab utraque parte juſtum eſſe poſſe, ait [q], non quoad juſtitiam internam [r], ſed ex juſtitia externa. [s]

§. LXV. Curatius igitur examinandum eſt, quinam ex hypotheſi Grotii ſint effectus hujus belli jure gentium ſolennis. Primo autem ſupponit, eum, qui rem hoſtilem capit bello publico ſolenni, acquirere Dominium externum [t] ſine fine, & modo [u]: idque jus adeo firmum inter gentes eſſe, ait, ut modum hunc certo modo naturalem dici poſſe, putet. [v]

Hinc concludit [a] apud medios quoque eum, qui talem rem hoſtilem quæſivit, judiciaria manu pro domino tuendum eſſe [x]: [b] non tantum ipſum, ſed & omnes, qui cauſam ab eo habent, in poſſeſſione talium rerum defendendos eſſe [y]; adeo ut quæ hoſtibus erepta per nos ſunt, vindicari ab his non poſſint, qui ante hoſtes

(v) Lib. 1. C. 3. §. 4. n. 1. Lib. 3. C. 3. §. 5. C. 19. §. 11. (x) Lib. 2. C. 12. §. 26. n. 1. (y) Lib. 2. C. 12. §. 26. n. 1. Lib. 3. C. 10. §. 1. 3. 5. (z) Lib. 2. C. 1. & 3. Lib. 3. C. 9. §. 5. n. 2. §. 18. n. 6. C. 19. §. 11. (a) Lib. 3. C. 16. §. 1. n. 1. (b) Lib. 3. C. 19. §. 11. n. 2. (c) Lib. 2. C. 3. §. 6. (d) Lib. 3. C. 7. §. 6. n. 4. (e) Lib. 3. C. 7. §. 6. & 7. (f) Lib. 3. C. 14. §. 6. n. 4. (g) Lib. 3. C. 6. §. 27. C. 17. §. 1. n. 1. C. 7. §. 6. n. 3. (h) Lib. 2. C. 5. §. 28. (i) Lib. 1. C. 2. §. 4. n. 2. Lib. 3. C. 3. §. 1. n. 1. §. 6. n. 1. §. 10. Lib. 2. C. 23. §. 13. n. 1. & 5. (l) prol. §. 41. Lib. 2. C. 17. §. 9. Lib. 3. C. 6. §. 1. C. 4. §. 4. in fin. (m) Lib. 3. C. 7. §. 6. (n) Lib. 2. C. 1. §. 1. n. 3. & C. 23. §. 13. n. 5. (o) Lib. 3. C. 7. §. 6. n. 2. & 6. (p) Lib. 3. C. 7. §. 6. n. 2. & 7. (q) Lib. 2. C. 23. §. f. n. 5. (r) d. C. 23. §. 13. n. 5. (s) Lib 2. C. 17. §. 19. n. 2. (t) Lib. 2. C. 5. §. 20. L. 3. C. 4. §. 4. C. 6. §. 2. & §. 7. C. 7. §. 6. n. 1. & 2. (u) d. C. 6. §. 2. (v) Lib. 3. C. 6. §. 2. n. 4. (x) Lib. 3. C. 16. §. 1. n. 1. Lib. 2. C. 5. §. 29. n. 3. (y) Lib. 3. C. 6. §. 2. & §. 7. n. 1. C. 7. §. 6. n. 1. & 2. & §. 7. Lib. 3. C. 10. §. 1. & 5. n. 1. & 5. n. 1. C. 4. §. 4.

hoſtes noſtros ea poſſederant, & bello amiſerant, quia jus gentium hoſtes primum dominos fecit dominio externo, deinde nos [z]: [*c*] res noſtras captas ab hoſte, ſi poſtliminii jure ad ſocios belli redeunt, nomine publico tutas eſſe ex jure illo gentium incipere [a]: [*d*] bello captos, ſi ad alias gentes fugiunt, vindicanti domino a territorii poteſtate reddi debere [b]: [*e*] idem obtinere ſi pace facta etiam ad ſuos fugiunt [c]: [*f*] quod vi, metuque hoſtis injuſti promiſſum eſt, exigi, & armis quoque peti poſſe [d]: [*g*] Eum, qui contra jus gentium aliquid agit, & v. g. dominium illud externum eripit, a qualibet gente puniri, & bello peti poſſe, ac [*h*] infamem fieri. [e]

Addit, verum dominium hic non ſubeſſe, at jus gentium omnes effectus externos ei tribuere, adeo ut judiciorum tutela hoc dominium gaudeat [f]; & ideo juſtum dici, quia judicia coactiva auctoritatem illi accommodant [g]: indeque hoc dominium ſaltem in judicio humano, & quidem coactivo, valere. [h]

SECUNDO Grotius ait, hoc jus gentium agentibus tribuere IMPUNITATEM [i]. Unde concludit, [*a*] actus illos, etſi juri naturæ contrarios, inter homines pœnæ non ſubjacere; adeoque eum, qui in bello jure gentium permittente aliquid agit, pœnam eo nomine apud gentes non debere [k]; nec [*b*] talis facti nomine bellum ab alio jure inferri [l]; neque [*c*] deprehenſum in alieno territorio tanquam homicidam, aut furem, puniri poſſe. [m]

At hoc verum tantum eſſe, ait, inter illas gentes, inter quas ſolennitates illæ juris gentium receptæ ſunt; reliquas enim gentes, quæ jure naturæ utuntur, eos, qui jus ſibi ex illa conſtitutione gentium arrogant, bello petere poſſe. [n]

§. LXVI. Ut vero plenius conſtet, quinam ſint illi actus, quibus jus gentium in bello ſolenni *effectus illos peculiares, & externos* contra *jus internum*, i. e. *contra rationem juris naturalis* tribuerit, eos ex toto opere Grotiano excerptos ordine nunc indicabimus.

Cum vero Grotius fingat, *Jus gentium* effectus aliquos peculiares in bello ſolenni introduxiſſe, non tantum intuitu ejus, *qui ſine juſta cauſa bellum gerit*, ſed & ratione ejus, *qui juſtam belli gerendi cauſam habet*, at ultra debiti, & pœnæ modum agit; de utriſque ſigillatim agemus, ac differentiam juris gentium a jure naturali ex hypotheſi Grotii indagabimus.

§. LXVII. Initium faciemus ab eo, qui *ſine juſta cauſa* bellum gerit; de quo ipſum GROTIUM loquentem audiamus.

I. Jure naturæ is, qui *ſine juſta cauſa* bellum gerit, (verbis Grotii loquimur) ſemper injuria agit, & omnes ejus actus nulli ſunt ipſo jure, adeo ut apud omnes gentes pro fure, latrone &c. habeatur, & qua talis a quolibet puniri poſſit (*vid.* §. *61.* & *62*). *Jure gentium* vero, ſi bellum eſt ſolenne, actus illi liciti ſunt, & jure gentium ſubſiſtunt, indeque tantum abeſt ut puniri a gentibus poſſint, ut potius in

(z) Lib. 3. C. 6. §. 7. n. 1. (a) Lib. 3. C. 9. §. 2. (b) Lib. 3. C. 7. §. 6. (c) Lib. 3. C. 7. §. 6. & 7. (d) Lib. 3. C. 19. §. 1. & 2. (e) Lib. 3. C. 4. §. 15. n. 1. (f) Lib. 3. C. 7. §. 7. (g) Lib. 3. C. 7. §. 6. C. 10. §. 1. n. 3. (h) Lib. 3. C. 7. §. 6. n. 1. & 2. (i) Lib. 3. C. 4. §. 3. & 4. §. 5. n. 3. junct. C. 6. §. 1. n. 1. Lib. 3. C. 10. §. 1. n. 1. (k) Lib. 3. C. 19. §. 5. C. 4. §. 2. n. 2. (l) Lib. 3. C. 4. §. 2. n. 2. & §. 3. 4. 5. 6. §. 27. C. 10. §. 1. n. 1. (m) Lib. 3. C. 4. §. 3. & §. 5. n. 2. (n) Lib. 3. C. 4. §. 18. n. 2.

in præſenti poſſeſſione defendi debeant. (*Vid.* §. 65.)

II. Jure naturæ is, qui juſtam belli cauſam non habet, interficere hoſtem abſque peccato, & reparandi neceſſitate, nequit [o]. *Jure gentium* in bello ſolenni etiam ex injuſta cauſa hoſtem occidere licet, qualicunque vi, & quovis modo.[p]

III. Jure naturæ is, qui *ſine juſta cauſa* bellum gerit, capere perſonas hoſtis, eaſque in ſervitutem redigere nequit; adeo ut nec jus operarum, nec jus in res capti, nedum jus in vitam ejus, aut ejus poſteros, capienti quæratur, quia omnes actus, qui ex bello injuſto naſcuntur, injuſti ſunt [q]. *Jure gentium* in bello ſolenni, ubi de juſtitia non quæritur, capti fiunt ſervi, non tantum quoad operas, ſed & quoad res, & vitam. Idque extenditur etiam ad captorum poſteros. (*Vid. infr.* §. 99. *ſeq.*)

IV. Jure naturæ is, qui *injuſtam cauſam* defendit, capere res hoſtis, eaſque ſibi acquirere nequit, ſed eas reſtituere domino tenetur, adeo ut ſi non reſtituat, non poſſit ad regnum cœleſte pervenire [r]. *Jure gentium* in bello ſolenni etiam is, qui *injuria* bellum gerit, ſine fine, & modo, dominus ſit eorum, quæ hoſti eripit. [s]

V. Jure naturæ is, *qui injuria bellum gerit*, corrumpere, & vaſtare res hoſtiles citra reparandi obligationem nequit, in primis ſi res ſacræ ſint, aut religioſæ [t]. *Jure gentium* in bello ſolenni, ubi quævis in hoſtem licent, ubi interfici, & capi hoſtis poteſt, multo magis vaſtari res hoſtiles poſſunt. [u]

VI. Jure naturæ capere ſaltem licet res lædentis, non vero res ſubditorum innocentium [w]; quia res ſubditorum pro Principe non obligantur. [x]

Jure gentium, ſi bellum ſolenne eſt, etiam res ſubditorum innocentium capi poſſunt, non tantum ad conſecutionem debiti primarii, unde ortum eſt bellum, ſed & ad conſecutionem debiti ſubnaſcentis. [y]

VII. Jure naturæ vaſtare non licet res ſubditorum innocentium, etiam in bello juſto [z], uti nec res deditorum, nedum res ſacras, & religioſas [a]. At *Jure gentium* in bello ſolenni vaſtare licet etiam res non nocentium, quin & res ſacras. [b]

VIII. Jure naturæ quilibet, etiamſi læſus non ſit, eum, qui injuſtum bellum gerit, occidere, & capere res ejus poteſt [c], modo profit innocenti intra juſtum bellandi modum [d], etſi res captas ſuas non faciat, quia ei nihil debetur [e]. *Jure gentium* vero in bello ſolenni is, qui alterius jus defendit, in infinitum hoſti nocere poteſt, quin & res captas ſuas facit, quia hoſtes pro nullis habentur. [f]

IX. Jure naturæ is, qui juſtam cauſam non habet, ſalva pietate, & ſalvis boni viri officiis, id, quod ab hoſte metu belli promiſſum eſt, nec exigere, nec petere, nec retinere poteſt [g]. Vitio enim non caret ille metus; intus igitur,

(o) Lib. 3. C. 10. §. 1. (p) Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 1. C. 4. §. 3. Conf. infr. §. 76. ſeq. (q) Lib. 3. C. 10. §. 3. (r) Lib. 3. C. 10. §. 3. C. 6. §. 1. & 2. C. 16. §. 1. C. 4. §. 3. C. 18. §. 1. n. 1. (s) Lib. 3. C. 6. §. 2. C. 4. §. 3. (t) Lib. 3. C. 13. §. 1. n. 2. & §. 2. Lib. 3. C. 2. §. 5. n. 2. (u) Lib. 3. C. 2. §. 6. (w) Lib. 3. C. 1. §. 3. (x) Lib. 3. C. 1. §. 3. (y) Lib. 3. C. 1. §. 2. n. 3. C. 5. §. 1. & 2. C. 12. §. 5. 6. 7.

(z) Lib. 3. C. 5. §. 1, 2. & 3 (a) Lib. 3. C. 10. §. 3. junct. Lib. 3. C. 1. §. 2. n. 3. C. 5. §. 1. & 2. C. 12. §. 5. 6. 7. (b) Lib. 3. C. 5. §. 1. 2. & 3. (c) Lib. 1. C. 4. §. 16. Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 1. (d) Lib. 3. C. 18. §. 1. n. 2. & 3. (e) d. C. 18. §. 1. n. 3. (f) d. C. 18. §. 1. n. 2. (g) Lib. 3. C. 19. §. 11, n. 2. C. 23. §. 2.

Digitized by Google

igitur, & juſtitia interna, id injuſtum manet [h]. Unde cogere promittentem non poteſt, ut ſtet pactis ſive juratis, ſive injuratis [i]: adeo ut nec magiſtratus ſubditos hoſti injuſto aliquid promittentes adigere ad implendum teneatur [k]. *Jure gentium* in bello ſolenni omnis vis bellica juſta eſt [l]. Uti enim bellum ſolenne alia habet peculiaria in jure externo poſita, ita & hoc, ut quæ quis in bello, aut ejus finiendi cauſa promittit, adeo ſint valida, ut ex cauſa metus injuſti invito eo, cui promiſſa ſunt, in irritum deduci nequeant [m]; quia ſicut alia multa, quamvis vitio non carentia, ex jure gentium pro juſtis habentur, ita & metus, qui tali bello infertur [n]: (Placiti inter gentes rationem Grotius hanc affert, quia alias finis non eſſet bellorum, quod tamen intereſt humani generis [o]) modo jus gentium non improbet metum, uti ſi metuitur ſtuprum [p]. Quod igitur tali bello obtentum eſt, nec repeti [q], nec in irritum duci invito eo, cui promiſſa ſunt, poteſt [r]. Immo & magiſtratus ſubditum cogere debet, ut fidem datam tali hoſti impleat. [s]

X. *Jure naturæ* bello injuſto capti, aut ex iis nati, fugere poſſunt. *Jure gentium* (certarum ſcil. nationum) [u] fugere nequeunt, propter jus externum, quod ex conventione gentium in tales captos competit: & fugitivi tales, ſi ad ſuos revertuntur, priſtina jura nonniſi poſtliminii jure recipiunt; ſi ad alios pacatos, vel tempore pacis ad ſuos revertuntur, reddi debent domino vindicanti. [v]

Equidem ei, quod ſalva conſcientia fugere capti poſſint, Grotius objicit, quod ex dominii natura obligatio non fugiendi ſequi videatur. Sed reſpondet, dominium illud ſaltem eſſe externum, noluiſſe autem ideo gentes vinculum religionis injicere animis captorum, ne ſalva conſcientia fugere poſſint [x]: nullam enim cauſam fingi poſſe, cur gentes aliud ſpectaverint, quam dominium externum, cum facultas vindicandi ſervum, & cogendi, & vinciendi, & res ejus habendi, ſufficere viſa fuerit ut captis captores vellent parcere [y]. Accedit, quod cum lex hæc de non fugiendo non ex æquitate naturali, ſed majoris mali vitandi cauſa, lata ſit, non temere ea ſumenda ſit interpretatio, quæ peccato obnoxium faciat actum ceteroquin licitum. [z]

Porro Grotius ad dubium, quod fuga talis, & ſubductio deprehenſa graviter puniri ſoleat, reſpondet, hoc potentiores facere, non quia æquum eſt, ſed quia illis expedit.

Atque hinc concludit, *Jure naturæ* ſervum talem, ſi res ſuas, aut laboris ſui mercedem ſubducat, furti crimine animum non contaminare; modo ipſe neque ſuo, neque publico nomine quicquam debeat aut domino, aut ei, cujus jus dominus accepit. [zz]

At alia quæſtio eſt, an reſiſtere etiam domino retrahenti fugitivus poſſit? Grotius ait, ſervum domino jus illud externum exſequenti reſiſtere illæſo juſtitiæ officio non poſſe. Externum enim jus, quod quidem non ſola agendi impunitate, ſed & judiciorum

(b) L. 3. C. 19. §. 11. n. 1. & 2. (i) d. C. 19. §. 5. (k) Lib. 3. C. 23. §. 10. (l) Lib. 3. C. 23. §. 2. (m) Lib. 3. C. 19 §. 11. (n) d C. 19. §. 11. (o) d. C. 19. §. 11. (p) d. C. 19. §. 11. & §. 12. (q) Lib. 2. C. 17. §. 19. (r) d. C. 17. §. 19. (s) Lib. 3. C. 23. §. 10. (t) Lib. 3. C. 7. §. 6. n. 3. 4. & 5. (u) Lib. 3. C. 7. §. 8. (v) Lib. 3. C. 7. §. 6. n. 1. (x) d. C. 7. §. 6. n. 1. (y) d. C. 7. §. 6. n. 4. (z) d. C. 6. §. 6. n. 4. (zz) ibid.

ciorum tutela conſtat, inane fore, ſi ex adverſo reſiſtendi jus maneat: nam ſi domino vi reſiſtere liceret, licere & magiſtratui dominum tuenti; cum tamen magiſtratus ex jure gentium dominum in illo dominio, ejuſque uſu defendere debeat. [a]

XI. Jure naturæ perſonæ, & res injuſto bello captæ ſi revertuntur ſive bello, ſive pace, ipſo jure recipiunt omnia priſtina jura [b] (niſi animus derelinquendi appareat [c]); adeo ut reſtituendæ ſint priſtinis dominis ab omnibus, ad quos quoquo modo res pervenit [d]. *Jure gentium* in bello ſolenni perſona, & res capta acquiritur jure dominii externi occupanti, etiam ex cauſa injuſta [e]; adeoque perſona non revertitur, nec res recipitur ipſo jure, ſed jure poſtliminii [f], ſi ad limen noſtrum, i. e. in fines publicos, redierit. [g]

XII. Jure naturæ, ſi induciis pactis res noſtræ ex hoſtis *injuſti* poteſtate ad nos revertuntur, reddi non debent [h]: *Jure gentium* ob dominium externum hoſti quæſitum debent reddi. [i]

XIII. Jure naturæ poſtliminio tantum recipiuntur res, quæ ad *limen* ſuæ civitatis redeunt: *Jure gentium* illæ quoque, quæ ad ſociorum, non vero ad mediorum, limen perveniunt. [k]

XIV. Jure naturæ is, qui juſtam cauſam habet, hoſtem occidere quovis modo poteſt, etiam per percuſſorem [l]; quia naturali ratione ubique locorum hoſtem interficere licet, nec refert quot ſint, qui faciant, aut patiantur [m]: adeoque non tantum qui hæc faciunt, ſed & qui aliis faciendi auctores ſunt, inculpati habentur [n]. Neque hoſtis juſtitia interna punire percuſſorem poteſt [o]: modo abſit perfidia, i. e. modo non violetur fides a percuſſoribus ſive expreſſe, ſive tacite hoſti debita [p]; incitare enim alium ad maleficiendum non poſſum, quum qui alii peccandi cauſam dat, peccet ipſe [q]: indeque opera malorum hominum uti non licet. [r]

Occidere ergo hoſtem licet aliorum opera, non perfidos, & perjuros facere. [s]

Jus gentium etſi in bello ſolenni promiſcue in hoſtem ſævire permittat, itidem ab ea regula perfidiam excipit, & hactenus jus naturæ confirmat, ne nimium intenderentur pericula, eorum maxime, qui eminent [t]. Unde is, qui aliena perfidia utitur, violat non tantum jus naturæ, ſed & gentium. [u]

Interim *Jus gentium* duo ſingularia introduxit: 1. quod percuſſor, & explorator in bello ſolenni occidi ab altero, in quem mittitur, poſſit jure belli ſolennis [v]: 2. quod in bello minus ſolenni contra rebelles, & piratas perfidia quoque permiſſa ſit, indeque incitari aliquis ad perfidiam committendam poſſit [x]; idque odio eorum, in quos committitur perfidia [y]. Odio enim

(a) Lib. 3. C. 7. §. 7. (b) Lib 3. C. 16. §. 1. 2. 3. 4. (c) d. C. 16. §. 5. (d) d. C. 16. §. 1. & §. 2. n. 1. §. 4. (e) d. C. 16. §. 1. n. 1. (f) Lib. 3. C. 9. §. 1. n. 1. & §. 2. (g) d. §. 2. (h) Lib. 3. C. 19. §. 11. n. 2. (i) Lib. 3. C. 21. §. 6. n. 2. (k) Lib. 3. C. 9. §. 2. (l) Lib. 3. C. 1. §. 2. n. 1. & 3. C. 4. §. 18. n. 2. & 3. (m) Lib. 3. C. 4. §. 18. n. 2. & 3. in fin. (n) d. C. 4. §. 18. n. 2. (o) ibid. n. 3. (p) Lib. 3. C. 4. §. 18. n. 1. & 6. (q) Lib. 3. C. 1. §. 21. (r) Lib. 3. C. 4. §. 18. n. 3. (s) d. C. 4. §. 18. n. 4. (t) Lib. 3. C. 4 §. 18. n. 4 & 5. (u) d. C. 4. §. 18. n. 4. (v) d. C. 4. §. 18. n. 3. (x) Lib. 3. §. 18. n. 2. (y) L. 1. C. 1. §. 6. & 7. C. 5. §. 4. C. 4. §. 18 n. 6.

Digitized by Google

enim prædonum placuit gentibus, quæ adverſus eos etiam vitioſe committuntur, diſſimulare [z]. Et ex eadem ratione nec fides his data ſervanda eſt, etſi jurata ſit. [a]

XV. Dolo quoque *Jure naturæ* is, qui juſtam belli cauſam habet, uti poteſt contra alterum, modo perfidia abſit [b]. Cujus rei rationem ex hypotheſi Grotiana modo explicavimus.

Jure gentium dolus illicitus eſt ſi in actu poſitivo conſiſtit [c], i. e. ſi vel ſimulationem, vel mendacium infert; quia nutus, & voces a gentibus cum mutua obligatione introductæ ſunt [d], inprimis ſi juratum ſit [e]. Adeoque in bello ſolenni ſimulare, vel mentiri hoſti non licet: ſed in bello ſolenni in rebus eripiendis alienam perfidiam irritare etiam permiſſum eſt [f]. Nam ad minora, & frequentia hæc delicta ita connivere cœpit *Jus gentium*, ſicut leges civiles ad meretricium, & improba fœnera. [g]

XVI. Jure naturæ is, qui juſtam belli cauſam habet, veneno interficere hoſtem poteſt. Nam quem interficere licet, gladio, an veneno interficias, nihil intereſt [h]: & licet generoſius ſit abſtinere, hoc tamen non debetur cuiquam, qui mori meruit [i]; atque hinc ſpicula veneno inficere, & geminare mortis cauſam [k], fontes [l], & aquas [m] veneno corrumpere licet. &c.

Jus gentium, & ſpeciatim Europæarum, hanc licentiam naturalem prohibuit [n]. Id enim inter gentes communi conſenſu ſtatutum eſt reſpectu communis utilitatis, ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperunt, nimium intenderentur; & credibile eſt, a regibus id profectum, quorum vita, quæ ab armis ante alios defenditur, a veneno minus, quam aliorum, tuta eſt, niſi defendatur juris aliqua religione [o]: adeo ut qui veneno utitur, pro infami inter gentes habeatur. [p]

XVII. Jure naturæ ſtupra fœminarum hoſtilium ſunt prohibita, quia non tendunt ad finem juris conſequendi [q]: at *Jure gentium* certarum nationum in bello ſolenni ex principio illo, quod quicquid hoſtile eſt injuriæ obnoxium ſit, ſtupra illa permittuntur. [r]

XVIII. Jure naturæ ſervi fiunt ſoli nocentes, non ergo innocentes, ut ſubditi: Jure enim naturæ homo in ſervitutem detrudi nequit, niſi ob delictum, aut ex pacto. [s]

Jure gentium etiam ſubditi hoſtiles capti ſervi fiunt: non enim delictum hoc jure requiritur, ſed par omnium captorum ſors eſt. [t]

XIX. Jure naturæ in ſervos juſto bello captos ſaltem competit jus operarum ad ſummam convenientem [v]: nam perpetua iſta obligatio compenſatur perpetua illa alimentorum certitudine. [x]

Non vero *I.* jus competit in eorum res. Quicquid igitur ſervus diligentia ſua quæſivit, id ipſius eſt [y]: at-

que

(z) Lib. 3. C. 19. §. 5. (*a*) d. C. 17. §. 19. d. C. 19. §. 5. (*b*) Lib. 3. C. 1. §. 6. & 7. C. 5. §. 4. C. 4. §. 18. n. 6. (*c*) Lib. 3. C. 1. §. 8. (*d*) d C 4. §. 8. n. 2. §. 11. n. 1. §. 17. (*e*) d. C. 4. §. 9 (*f*) Lib 3. C. 5. §. 4. (*g*) Lib. 3. c. 5. §. 4. (*h*) Lib. 3. c. 4. §. 15. n. 1. & n. 2. in fin. (*i*) d c. 4 §. 15. (*k*) Lib. 3. c. 4. §. 16. n. 1. (*l*) d. c. 4. §. 16. n. 2. (*m*) d. c. 4. §. 17. (*n*) Lib. 3. c. 4. §. 15. n. 1. (*o*) L. 3. c. 4. §. 15. n. 1. (*p*) d. c. 4. §. 15. n. 1. (*q*) L. 3. c. 1. §. 2. (*r*) Lib. 3. c. 4. §. 19. (*s*) Lib. 3. c. 7. §. 1. n. 1. Lib. 2. c. 5. §. 27. n. 2. (*t*) Lib. 3. c. 7. §. 1. n. 2. (*v*) Lib. 2. c. 5. §. 27. n. 2. c. 22. §. 11. Lib. 3. c. 7. §. 1. n. 1. (*x*) d. c. 5. §. 27. n. 2. Lib. 3. c. 14. §. 2. n. 2 §. 6. & 8. (*y*) Lib. 3. c. 14. §. 6. n. 2.

que hoc peculium ei ſine cauſa, i. e. niſi in pœnam, vel ob domini neceſſitatem, auferri nequit. [z]

Neque *II.* jus competit in eorum vitam; adeoque homo hominem plena, & interna juſtitia non poteſt interficere [a], niſi accedat delictum morte dignum [b]. Verum & minores pœnæ cum æquitate, & moderatione adhibendæ ſunt [c], quin & in operis exigendis humanitatis ratio habenda. [d]

• *Jure gentium* 1. res omnes, quæ captæ fuere, cum perſona acquiruntur domino, quia qui ipſe in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt [e], & acquiſitio univerſalis eſt acceſſio dominii in perſonam [f]. Sed & res poſtea quæſitas acquirit domino.

2. Etiam in eorum vitam domino jus competit; idque non tantum populorum quorundam legibus ſtatutum [g], ſed & effectus juris gentium eſt [h]. Victus ergo poſt deditionem nihil non patiendum habet, quippe jam ſubditus, & ſi jus belli externi reſpicimus, eo in loco ut ei nihil non eripi poſſit, etiam vita, etiam libertas perſonalis, multo magis bona, non publica tantum ſed & ſingulorum.

Cauſam hujus introducti juris Grotius adfert, ut tot commodis deliniti captores libenter abſtinerent a ſummo illo rigore, quo captos & ſtatim, & poſt moram interficere poterant [k]. Ceterum jus hoc externum apud multas gentes abolitum, & illud ad juſtitiam internam retractum eſſe, ait. [l]

XX. Jure naturæ nati e ſervis juſto bello capti non fiunt ſervi: ratione naturali enim partus ſervilis non magis matrem, quam patrem ſequitur. [m]

At 1. ex medii neceſſitate, ſi alia nulla fuerit ratio educandi partum, poſſunt parentes prolem ſibi naſcituram in ſervitutem ſecum addicere [n]; quippe cum tali ex cauſa etiam in libertate natos vendere parentibus liceat. Adeoque jus dominorum in partum ſervilem hoc caſu naſcetur ex ipſa alimentorum, & eorum, quæ vitæ neceſſaria ſunt, præbitione [o]. 2. Si parentes ſuo delicto pœnam mortis erant commeriti, poterunt eorum poſteri, qui ſperabantur, ad vitam ſervandam obſtringi ſervitio, quia alioqui exſtituri non fuerant. [p]

Jure gentium poſteri quoque ſervi fiunt in perpetuum [q], quia jure gentium partus matrem ſequitur. [r]

Cauſa hujus *Juris gentium*, & porrecti ad poſteros dominii, hæc allegatur, quia alioqui ſi ſummo jure captores uterentur, illi ipſi naſcituri non erant: cui conſequens eſt, ut nati ante calamitatem, niſi ipſi capiantur, ſervi non fiant. Ideo autem natos maternæ eſſe conditionis placuit gentibus, quia ſerviles concubitus nec lege, nec certa cuſtodia erant conſtricti, ita ut nulla ſufficiens præſumtio patrem indicaret. [s]

Neque fruſtra hæc jura introducta a gentibus eſſe, apparet exemplo bellorum civilium, in quibus occiduntur capti, quia ſervi fieri non poſſunt. [t]

Diverſa

(z) d. c. 14. §. 6. n. 2. & 3. (a) Lib. 2. c. 5. §. 28. n. 1. Lib. 3. c. 14. §. 2. & 3. (b) Lib. 2. c. 5. §. 28. n. 1. Lib. 3. c. 14. §. 3. c. 20. §. 50. (c) Lib. 3. c. 14. §. 4. (d) d. cap. 14. §. 5. (e) L. 3. c. 7. §. 3. n. 2. (f) Lib. 3. c. 21. §. 28. (g) Lib. 2. c. 5. §. 28. n. 1. (h) Lib. 3. c. 7. §. 3. n. 2. (i) Lib. 3. c. 20. §. 49. (k) Lib. 3. c. 7. §. 5. n. 1. (l) Lib. 3. c. 14. §. 6. n. 4. (m) Lib. 2. c. 5. §. 29. n. 1. & 2. (n) d. c. 5. §. 29. n. 1. & 3. (o) d. c. 5. §. 29. n. 2. Lib. 3. c. 14. §. 7. n. 1. (p) Lib. 3. c. 14. §. 8. n. 1. (q) Lib. 3. c. 7. §. 2. (r) Lib. 2. c. 5. §. 29. n. 1. (s) Lib. 3. c. 7. §. 5. n. 2. (t) Lib. 3. c. 7. §. 5. n. 3.

Digitized by Google

Diverſa autem eſt ratio natorum, & naſciturorum. *Priores* enim pro debito (non pro pœna) civitatis obligantur tamquam fidejuſſores, ut parentes ipſi. *Hi* autem obligantur aut ex parentum conſenſu expreſſo, accedente alendi neceſſitate in perpetuum, aut ex ipſa alimentorum præſtatione; idque duntaxat uſque dum operæ totum, quod impenſum eſt, expunxerint. [u]

XXI. Jure naturæ victor juſtum bellum gerens in populum victum nihil ſtatuere poteſt tamquam in ſubditum, niſi ante, vel poſt crimen commiſerit. *Jure gentium* victor imperium, ſimulque jus in vitam, libertatem, & bona populi, acquirit. [v]

XXII. Jure naturæ in bello juſto hoſtis ubique, adeoque & in ſuo, & in pacato territorio, occidi, ac res ejus ubicunque inveniuntur capi poſſunt. [x]

Jure gentium civiles ſocietates inter ſe conſtituerunt, ne in ſuo territorio ab extraneis aliquid per vim ageretur, niſi judicio tentato [y]; adeoque impedimentum hic non ex jure hoſtis, ſed ex jure territorii eſt.

XXIII. Jure naturæ præda cedit ei, cui injuria facta eſt, non ergo militibus, aliiſque capientibus.

Jure gentium in bello ſolenni diſtinguendum eſt, an res captæ ſint in actibus bellicis, an in actibus privatis, qui fiunt occaſione belli publici. [z]

Quæ in *actibus bellicis*, adeoque tamquam ab inſtrumento, & miniſtris Principum capiuntur, (uti ſemper fit in rebus immobilibus [a]) cedunt principi [b] (qui plerumque diſtribuere prædam inter milites, vel ducibus eam relinquere ſolet [c]): niſi ſuis ſumtibus militent; tunc enim ſibi capiunt pro modo impenſarum [d]. Quæ vero in *actibus privatis*, adeoque extra miniſterium Principis capiuntur, cedunt capienti. [e]

XXIII. Jure naturæ res non videtur capta, niſi in corporali noſtra ſit poteſtate. [f]

Jure gentium ſufficit ſi intra præſidia ſit [g]: Jure gentium arctiori, ſi 24. horarum ſpatio in poteſtate hoſtium fuerit.

XXIV. Jure naturæ is, qui finitis induciis in civitate hoſtili manet, capi tantum poteſt quoad bona, & actiones: *Jure gentium* jure belli ſolennis, etiam ad effectum vitæ, & necis. [h]

XXV. Jure naturæ cuique ſubdito, aliique privato, in bello juſto licet ea facere, quæ intra juſtum bellandi modum profutura confidit, etſi ſibi nihil acquirere poſſit, niſi ad quantitatem ſumtuum. [i]

Jure gentium autem cuique privato licet hoſtem occidere, ejuſque res occupare in infinitum, & prædam quoque ſibi acquirere, quia hoſtes illi jure pro nullis habentur. [k]

XXVI. Jure naturæ in caſibus, ubi indictio requiritur, in bello juſto tempus aliquod poſt indictionem dandum eſt, ut appareat an alter ſatisfacere velit.

Jure gentium id in bello ſolenni non opus eſt, ſed ſtatim vis inferri indictione facta poteſt. [l]

XXVII.

(u) Lib. 3. c. 14. § 8. n. 1. (v) Lib. 3. c. 20. §. 49. n. 2. (x) Lib 3. c. 6. §. 26. n. 2. c. 4. §. 8. n. 2. (y) Lib. 3. c. 4. § 8. n. 2. c. 6. §. 26. n. 2. (z) Lib. 3. c. 6. § 8. ſeq. §. 10. 12. 14. ſeq. (a) Lib. 3. c. 6. §. 11. ſeq. (b) Lib. 3. c. 6. §. 10. usque ad §. 15. (c) d. c. 6. §. 12. §. 15. ſeq. (d) Lib. 3. c. 6. §. 23. & 24. c. 18. §. 2. n. 1. §. 3. (e) Lib. 3. c. 6. §. 10. & 14. (f) Lib. 2. c. 8. §. 2. (g) Lib. 3. c. 6. §. 3. c. 9. §. 16. (h) Lib. 3. c. 21. §. 9. junct. c. 9. §. 4. (i) Lib. 3. c. 18. §. 1. n. 3. (k) Lib. 3. c. 18 §. 1. n. 2. Lib. 3. c. 6. §. 8. (l) Lib. 3. c 3. §. 13.

XXVII. Jure naturæ certamina ſingulorum, vel paucorum, etiam in bello juſto, cum hoſte ſunt prohibita; quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum [m]: idque verum eſt etſi majoris mali vitandi cauſa fiant [n]; & ſolus caſus excipitur, ſi is, qui injuſtam cauſam fovet, victor futurus eſſet cum magna innocentium ſtrage [o]. *Jus gentium* talia certamina permittit, quia hoſtium cædes eo jure indiſcrete licitæ ſunt. [p]

XXVIII. Jure naturæ in pactionibus cum hoſte initis interpretatio eo ducenda eſt, ut qui juſta arma habuit, id conſequatur, ob quod arma ſumſit, & damna, ſumtuſque recuperet: non item ut pœnæ nomine quicquam lucretur. [q]

Jure gentium autem, quia ad pacem, veniri vix ſolet injuriæ confeſſione, ſumenda eſt interpretatio, quæ partes quoad belli juſtitiam quam maxime æquet: idque duobus modis fieri, Grotius ait, aut ut quarum rerum turbato bello poſſeſſio eſt, ex formula juris antiqui componatur, aut ut res maneant quo ſunt loco. [r]

Adeoque *Jure gentium* in quæſtione de interpretandis pactis non quæritur, quid melius ſit, immo nec quid a quoque religio, & pietas expoſcat; ſed ad quid cogi poſſit: quod totum verſatur in eo jure, quod externum dicitur. [s]

§. LXVIII. Sequuntur nunc differentiæ inter *Jus naturæ*, & *Jus gentium* (quod in bello ſolenni obtinere, Grotius ait) circa eos, qui ex juſta quidem cauſa bellum gerunt, *ſed ultra debiti*, & *pœnæ modum aliquid exigunt.* (Vid. §. 66.)

I. GROTIUS fingit, *Jure naturæ* hoſti quidem noceri poſſe, ſed non in infinitum, quia nullam vim licitam eſſe, putat, niſi quatenus tendit ad conſecutionem juris noſtri [u]. Unde concludit, *Jure naturæ* ultra modum debiti, & pœnæ, omnem vim injuſtam eſſe [v], nimirum, ad effectum acquirendi dominii: at ſecuritatis cauſa res capi poſſe in infinitum, ſub lege reſtituendi ſi periculum ceſſat. [x]

Aliud autem obtinere *Jure gentium* in bello publico ſolenni; ibi enim in infinitum hoſti noceri poſſe [y]: indeque ita agentem jure agere, ſcilicet jure gentium, & quoad effectus externos.

II. Quicquid igitur ultra modum debiti, & pœnæ exigitur, juſtitia carere exiſtimat [z], nec jus inde quæri hoſti [a]; ſed potius inde oriri reſtituendi ablati neceſſitatem, damni dati reparationem, & expenſarum ſolutionem. [b]

Eamque obligationem non tantum in eo eſſe, ait, cujus nomine bellum geritur, ſed & obtinere ratione ſociorum, ducum belli, & militum [c]; quin & ratione eorum, qui cauſam ab eis habent. [d]

Hoc adeo verum eſſe, tradit, ut propter hunc exceſſum aliæ gentes bellum gerentem punire poſſint, & magiſtratus gentium dominis res ſuas

ereptas

(*m*) Lib. 3, C. 20, §. 43. (*n*) d. C. 20, §. 43, n. 4, & 5, junct. Lib. 2, C. 23, §. 20, n. 1. (*o*) Lib. 3, C. 20, §. 43, n. 4. (*p*) Lib. 3, C. 20, §. 43, n. 2. (*q*) Lib. 3, C. 20, §. 11, n. 1. (*r*) Lib. 3, C. 20, §. 11, n. 2. (*s*) L. 6. §. 25. (*t*) Lib. 3, C. 20, §. 25. (*u*) Lib. 3, C. 1, §. 2. (*v*) Lib. 3, C. 1, §. 2, n. 2, & 3, §. 5, n. 5, C. 6, §. 1, n. 1, §. 27, C. 20, §. 32, C. 7, §. 2, C. 5, §. 1, C. 4. §. 3, C. 14, §. 1. C. 8, §. 1, C. 2, §. 1, n. 1, C. 16, §. 1. (*x*) Lib. 3, C. 13, §. 2, 3, 4, n. 2, & 3, C. 1, §. 2, n. 2. (*y*) Lib. 3, C. 4, §. 3, & 4. (*z*) Lib. 3, C. 11, §. 1. (*a*) Lib. 3, C. 10, §. 3, & 5, C. 6, §. 1, (*b*) d. C. 10, §. 4, 5, & 6, C. 13, §. 6. (*c*) d. C. 10, §. 4, & 5, C. 18, §. 6. (*d*) d. C. 10, §. 5, n. 1, & §. 6, C. 9, §. 16, C. 16. §. 1, 2. 3.

Digitized by Google

ereptas vindicantibus etiam vi judiciali reſtituere teneantur. [e]

Jure gentium omnia hæc ſecus ſe habere, & capientem non tantum jure gentium dominium externum acquirere, ſed & impunitatem, ait.

III. Hinc concludit, *Jure naturæ* eum, qui juſtum bellum gerit, interficere ſaltem hoſtem poſſe intra juſtum, & qui peccato reſpondet, modum, & quatenus ad finem juris conſequendum neceſſarium eſt [f]: atque ſic conſequenter *ſolos auctores belli interfici poſſe* [g], non vero innocentes [h], quales ſunt ſubditi, imprimis illi, qui arma non gerunt, ut infantes, fœminæ, ſenes [k], ſacerdotes, monachi, agricolæ, mercatores [l], & advenæ, qui in hoſtili territorio deprehenduntur [m]. Porro ab hac licentia interficiendi excipit eos, *qui amplius juri noſtro non reſiſtunt*, ut captos [n], deditos [o], ſupplices [p], obſides [q], &c: adeo ut nec jure talionis, nec ob reſiſtentiam nimis contumacem interfici poſſint. [r]

Jure gentium autem, etiam in *bello injuſto*, ſi ſolenne eſt, occidere hoſtem licere in infinitum [s], & promiſcue [t]. Idque extenſum eſſe, ait, etiam ad innocentes ſubditos [u], (niſi bellum ſit pœnale [v]) infantes, fœminas, ac ſenes [x], quin ad advenas, qui intra fines hoſtiles reperiuntur, quum ab his quoque damnum metui poſſit, quod ſufficere, ait, ut locum habeat jus gentium [y]. Denique & eos, qui amplius non reſiſtunt, ſub hac licentia comprehendi, ut capti, dediti, ſupplices, & obſides [z]: quem rigorem juris gentium tum præcipue probari, putat, ſi contumaciter hoſtis reſiſtit, aut talionis jure contra eum agitur. [a]

IV. Jure naturæ eum, qui *juſtam belli cauſam* habet, ſpoliare hoſtem, eique res ſuas eripere poſſe, ſed tantum intra modum debiti, & pœnæ, adeoque quatenus debendi cauſa ſubeſt, nimirum, ad effectum acquirendi dominii [b], (nam ad effectum ſecuritatis in infinitum & perſonam, & res hoſtiles capi poſſe [c]).

Sed & jus imperantis acquiri populo victori, quatenus ſcilicet fert aut pœnæ naſcentis ex delicto, aut alterius debiti modus. [d]

Jure gentium autem res hoſtiles [e], quin & imperium [f], in infinitum, & ultra debiti, & pœnæ modum, capi, & ratione dominii quoque acquiri poſſe.

V. Jure naturæ in bello juſto vaſtare rem hoſtis ſaltem licere intra modum debiti, & pœnæ, i. e. quatenus tendit ad reparationem juris [g]. At *jure gentium*, ſi bellum eſt ſolenne, vaſtare licere res hoſtium in infinitum. [h]

§. LXIX.

(e) Lib. 3, C. 13, §. 1, n. 1. (f) Lib. 3, C. 1, §. 2, n. 1, C. 11, §. 1, C. 6, §. 1, n. 1, 2, 5. (g) Lib. 3, C. 11, §. 5, 6, 7. (h) Lib. 3, C. 4. §. 5, n. 2, C. 11, §. 8, & 17. (i) Lib. 3, C. 14, §. 2, n. 1, C. 4, § 8, Lib. 2, C. 26, §. 6. (k) Lib. 3, C. 4, §. 5, n. 1, §. 9, C. 11, §. 9. (l) Lib. 3, C. 11, §. 10, 11, 12. (m) Lib. 3, C. 4, §. 6, & 7. (n) Lib. 3, C. 4, §. 10, C. 11, §. 13. (o) Lib. 3, C. 4, §. 12, C. 11, §. 14, & 15. (p) Lib. 3, C. 4, §. 11, & 13, C. 11, §. 16. (q) Lib. 3, C. 4, §. 14, C. 11, §. 18, (r) Lib. 3, C. 4, §. 13, C. 11, §. 16. (s) Lib. 3, C. 4, §. 5, & 6. (t) d. C. 4, §. 8, n. 1, & 2, & §. 18, n. 1. (u) Lib. 2, C. 13, §. 2, n. 1, Lib. 3, C. 4, §. 8, n. 1, 2. (v) Lib. 2, C. 14, §. 2. (x) Lib. 3, C. 4, §. 9. (y) L. 3, C. 4, §. 6, & 7. (z) Lib. 3, C. 4, §. 10, 11, 12, & 13. (a) d. c. 4, §. 13, n. 2, c. 11, §. 16. (b) Lib. 3, c. 1, §. 1, c. 4, §. 4, in fin. c. 17, §. 1, n. 1. (c) Lib. 3, c. 13, §. 1, 3, 4, n. 2, & 3, c. 1, §. 2, n. 2. (d) Lib. 3, c. 15, §. 1. (e) Lib. 3, c. 6, §. 1, & 2, c. 5, §. 1. (f) Lib. 3, c. 8, per tot. & c. 15, per tot. (g) Lib. 3, c. 1, §. 2, n. 3, c. 12, §. 1, n. 1, & 3, c. 11, §. 19, c. 5, §. 1. (h) Lib. 3, c. 5, §. 1, 2, 3.

§. LXIX. Atque hoc eſt monſtrum illud *belli Jure gentium ſolennis*, quod meris fictionibus conſtat, vagiſque præſumtionibus; de quo invento adeo ſibi gloriatur Grotius: at nullibi ſyſtema ſatis explicat. Sane, ex infinitis concluſionibus, ex ipſo Grotio collectis, demum veram ejus ſententiam expiſcari potui.

Sectio III.

De Bello minus ſolenni.

§. LXX. Explicavimus in ſectione præcedenti hypotheſin Grotii de bello publico, *quod certas ſolennitates ex Jure gentium accepit*, vi quarum ſolennitatum effectus quoſdam particulares juris, (nimirum *impunitatem*, & *dominium externum*,) bellum gerentibus conceſſos eſſe, ſtatuit.

In reliquis igitur bellis publicis, *ubi ſolennitates tales non adſunt*, rigorem juris naturalis remanere, nec jus gentium ibi obtinere, putat. [i]

§. LXXI. Cum vero bellum publicum ſolenne Grotio ſit, quod 1. inter ſummas poteſtates geritur, & 2. publice decretum, ac indictum eſt, facile apparet, quænam ſint bella publica minus ſollennia.

Nimirum, 1. quod princeps in ſuos ſubditos adhibitis armis gerit [k]; 2. quod minor magiſtratus ſive cum ſuis ſubditis, ſive cum ſubditis extraneis gerit [l]; 3. quod in piratas, & latrones geritur [m]; 4. quod indictum non eſt, etſi inter ſummas poteſtates geratur. [n]

§. LXXII. In his *bellis* igitur *minus ſolennibus* non procedi, ait, ex privilegio illo gentium, ſed ex jure naturæ [o]. Addit rationem, quia jus gentium tantum proſpicit gentibus, non illis, qui gens non ſunt, vel pars gentis. Atque hinc fingit, his bellis jus gentium non aſſiſtere, ſed nec reſiſtere. [q]

In his igitur bellis juxta mentem Grotii nemo poteſt bellum gerere, niſi qui juſtam cauſam habet [r]: & 2. ſi quoque juſta cauſa adeſt, bellum gerens non indiſtincte, & ſine fine, ac modo, lædere hoſtem poteſt, ſed tantum intra quantitatem debiti, & pœnæ [s], i. e. in compenſationem debiti, quod aliter obtineri nequit. [t]

§. LXXIII. Quicquid igitur is, qui juſtam cauſam non habet, agit, ex hypotheſi Grotii injuria eſt; nihil capiendo acquirit; in bellis his nulla fit mutatio domini [u]: unde res a capientibus alienatæ vindicari, & repeti a quocunque poſſeſſore poſſunt, reſtitutis expenſis [v]. Servi non fiunt capti [x]; finito bello res captæ domino ſunt reſtituendæ; unicuique genti licet eum, qui vel ex injuſta cauſa hoſtem lædit, vel ultra quantitatem debiti, vel pœnæ aliquid exigit, tanquam furem, vel homicidam punire (*vid. ſupr.* §. 61. *n.* 7.); ſubditi regem, qui ſine requiſitis juris gentium occupat imperium, pro hoſte habere, eumque interficere poſſunt. [y]

§. LXXIV. Sed & porro Grotius ſtatuit, indictione opus non eſſe ſi quis pœnam ab alia gente ſumit, vel ſi rem ſuam vindicat [z]; adeo ut finito bello etiam in ſocios ſine nova indictione continuari bellum poſſit. [a]

§. LXXV. In his bellis etiam percuſ-

ſore

(i) Lib. 1, c. 3, §. 4, n. 1, & 2. (k) Lib. 1, c. 3, §. 4, n. 2, Lib. 3, c. 3, §. 11. (l) Lib. 1, c. 3, §. 4, n. 2, & 3, §. 5, n. 1. (m) Lib 3, c. 3, §. 11, c. 4, §. 18, n. 6, c. 19, §. 2. (n) Lib. 1, c. 3, §. 4, n. 1, Lib. 3, c. 3, §. 5. c. 6, §. 27. (o) Lib. 1, c. 3, §. 4, n. 1, Lib. 3, c. 3, §. 6.

(p) Lib. 3, c. 3, §. 12. (q) Lib. 1, c. 2, §. 4, n. 2. (r) Lib. 3, c. 1, §. 1. (s) Lib. 3, c. 6, §. 27. (t) d. c. 6, §. 26. (u) d. c. 6, §. 26. (v) d. c. 6, §. 26. (x) Lib. 1, c. 3, §. 5. (y) Lib. 1, c. 4, §. 16. (z) Lib. 3, c. 3. §. 6, & 15. (a) Lib. 3, c. 3, §. 12.

Digitized by Google

ſore uti licere, ait, nec arma illicita dari contra eum, qui injuria bellum gerit. [b]

§. LXXVI. Denique, cum jus naturæ in his bellis pleniſſime obſervetur, omnia, quæ jus gentium contra jus naturæ permittit, & quæ late expoſuimus ſectione præcedenti, hic non obtinere, docet. [bb]

CAPUT VI.

De jure interficiendi hoſtes.

§. LXXVII. In genere hactenus explicavimus, quid ex hypotheſi Grotii liceat in hoſtem *Jure naturæ*, & quid in eum liceat *Jure gentium in bello ſolenni.* GROTIUS porro ſingulos actus hoſtiles ſingulis capitibus examinat, & licentiam bellorum juxta duplex illud jus interpretatur. Videamus, quænam ejus ſit ſententia de jure interficiendi hoſtes.

§. LXXVIII. *Jure naturæ*, ait, hoſtem occidere non licere, niſi 1. bellum ex juſta cauſa geratur [c]; & 2. ſi juſta cauſa adeſt, id licere tantum intra modum debiti, & pœnæ. (*Vid. ſupr.* §. 65. *ſeq.*)

Hinc concludit, etiam in bello juſto licentiam non eſſe indeterminatam [d]; adeoque ex propoſito neminem juſte interfici, niſi in pœnam, & pro modo delicti, aut ex medii neceſſitate. [e]

§. LXXIX. Non ergo interfici poſſe, putat, eos, qui non injuſti ſunt, ſed infortunati [f], vel qui culpa ſaltem peccarunt [g]. Sed & diſtinguendos, ait, auctores belli ab his, qui ducentes ſequuntur, plerumque coacti [h]. Addit, in ipſis auctoribus quoque aliquando poſſe dari probabiles militandi rationes [i]. Cæterum, majoris virtutis eſſe, illis quoque parcere, qui morte digni ſunt. [k]

Præcipue cavendum eſſe, ait, ne innocentes pueri, fœminæ, ſenes, ſacerdotes, agricolæ, mercatores, item ne capti, & obſides interficiantur [l]: ſed & ob multitudinem delinquentibus parcendum eſſe [m]; denique abſtinendum eſſe ab omni dimicatione inutili. [n]

§. LXXX. Hæc omnia ſecus ſe habere, ait, in bello ſolenni ex *Jure gentium*; in tali enim bello multa licere, quæ *Jure naturæ* vetita ſunt. Eo enim jure hoſtem occidi poſſe, tradit, etſi 1. juſta cauſa non ſit [o], & 2. licet occidatur ultra modum debiti, & pœnæ [p]; adeo ut nec puniri in alio forte territorio deprehenſus tamquam homicida [q], nec bellum ipſi ab alio talis facti nomine inferri poſſit.

Addit

(*b*) Lib. 3. c. 4, §. 18, n. 4, & 6. (*bb*) Lib. 1, c. 3, §. 4, n. 2. (*c*) Lib. 3, c. 1, §. 2. (*d*) Lib. 3, c. 11, §. 1. (*e*) Lib. 3, c. 11, § 2. (*f*) Lib. 3, c. 11, §. 2. (*g*) Lib. 3, c. 11, §. 4. (*h*) Lib. 3, c. 11, §. 15. (*i*) Lib. 3, c. 11, §. 6.

(*k*) Lib. 3, c. 11. §. 7. (*l*) Lib. 3, c. 11, §. 8, uſque ad §. 18. (*m*) Lib. 3, c. 11, §. 17. (*n*) Lib. 3, c. 11. §. fin. (*o*) Vid ſupr. §. 68, & Lib. 3, c. 4, §. 3. (*p*) Vid. ſupr. §. 65, ſeq. & Lib. 3, c. 4, §. 3, (*q*) Lib. 3, c. 4. §. 3.

Digitized by Google

Addit tamen, hoc jus occidendi non eſſe jus internum, ſed externum, quod ſolum impunitatem dat. [r]

§. LXXXI. Porro jus illud impune lædendi hoſtem *Jure gentium* competere, docet, non tantum 1. in eos, qui actu ipſo arma gerunt [s]; ſed & 2. in eos, qui bellum moventis ſubditi ſunt [t]: 3. in omnes, qui intra fines hoſtiles ſunt, etſi peregrini [u]; & 4. qui ante bellum eo iverant, nec diſceſſerunt bello inchoato [v]: 5. In infantes, & fœminas [x]: 6. In captivos [y], ſupplices [z], deditos [a], (ubi refutat eorum opinionem, qui vel ad jus talionis, vel ad pertinaciam reſiſtentium jus ſæviendi in deditos referunt [b]) & obſides. [c]

§. LXXXII. Addit, hoc jus occidendi impune hoſtem ubique competere; non tantum in ſolo proprio, ſed etiam in ſolo hoſtili, & ſolo nullius: non in territorio pacato, quia fingit, civiles poteſtates inter ſe conſtituiſſe, ne in eos, qui in aliquo ſunt territorio, per vim aliquid agatur. [d]

§. LXXXIII. Atque hæc talia eſſe, ait, quæ *Jus gentium* permittit, licet *Jure naturæ* vetita ſint.

At idem *Jus gentium* vetare quædam, putat, quæ *Jure naturæ* permiſſa ſunt [e]: nam *Jure gentium* 1. non licere veneno hoſtem necare [f]; nec 2. veneno inficere fontes, & ſpicula [g]; nec 4. percuſſoribus uti ſi perfidia conjuncta eſt [h], exceptis latronibus [i]; nec 5. ſtuprare fœminas. [k]

CAPUT VII.

De jure vaſtandi res hoſtium.

§. LXXXIV. GROTIUS *Jure naturæ* vaſtare res hoſtiles non licere, ait, niſi 1. juſta cauſa ſit belli [l], & 2. intra modum debiti, & pœnæ. [m]

§. LXXXV. Atque hinc concludit, 1. jus vaſtandi non competere ei, qui ex injuſta cauſa bellum gerit [n]: 2. nec vaſtari res hoſtiles poſſe, etiam ex juſta cauſa, ultra modum debiti, & pœnæ. Unde abſtinendum eſſe, ait, ab arboribus frugiferis, quas in noſtra poteſtate habemus [o]; nec non 3. ab iis rebus, quæ mox in noſtra poteſtate futuræ ſunt [p]: inprimis 4. ſi hoſtium vires ex ea devaſtatione non minuuntur, vel res noſtræ inde non augentur [q]; niſi populatio tendat ad pacem brevi procurandam [r]: 5. a rebus ſacris, & religioſis.

§. LXXXVI. *Jure gentium* autem, ſi bellum ſolenne eſt, vaſtare res hoſtis licere, ſtatuit 1. etiam ex cauſa injuſta, & 2. ultra modum prætenſi debiti, & pœnæ.

(r) Lib. 3, C. 4, §. 6. (s) Lib. 3, C. 4, §. 5. (t) d. C. 4, §. 6, & §. 8. (u) d. C. 4, §. 6. (v) Lib. 3, C. 4, §. 7. (x) Lib. 3, C. 4, §. 9. (y) Lib. 3, C. 4, §. 10. (z) Lib. 3. C. 4. §. 11. (a) Lib. 3, C. 4, §. 12. (b) Lib. 3, C. 4, §. 13. (c) Lib. 3, C. 4, §. 14, Lib. 3, C. 11, §. 18, Lib. 2, C. 21, §. 11. (d) Lib. 3, C. 4, §. 8. (e) Lib. 3, C. 4, §. 15, n. 1, & n. 6. (f) Lib. 3, C. 4, §. 15. (g) Lib. 3, C. 4, §. 16, & 17. (h) Lib. 3, C. 4, §. 18. (i) d. C. 4, §. 18, n. 6. (k) Lib. 3, C. 4, §. 19. (l) Lib. 3, C. 1, §. 2, 3, 5, & C. 10, §. 3. (m) Lib. 3, C. 1, §. 2, n. 3, & C. 12, §. 1, n. 1. (n) Lib. 3, C. 1, §. 2, ſeq. d. C. 10, §. 3. (o) Lib. 3, C. 12, §. 2. (p) ibid. §. 3. (q) Lib. 3, C. 12, §. 4, & 5. (r) Lib. 3, C. 12, §. 1, in fin.

Digitized by Google

pœnæ. Cum enim jus gentium accedentibus ſolennibus permiſerit interficere promiſcue hoſtem, inde infert, multo magis permiſiſſe res hoſtiles quovis modo corrumpere [s], etiamſi hoſtis deditione in noſtram poteſtatem pervenerit. [t]

Sed & res ſacras vaſtari hoc jure poſſe, ait [u], quia ſua natura non ſunt extra uſus humanos; quod vel ex eo probat, quia divina quoque victori deduntur, & populi voluntate profana fieri poſſunt [v]: niſi res hoſti quoque ſacræ ſint.

Idem obtinere, putat, in rebus religioſis [x], modo corpora mortuorum non male tractentur. [y]

CAPUT VIII.

De jure capiendi res hoſtis.

§. LXXXVII. HACTENUS explicavimus principia Grotii quid *Jure naturæ* liceat circa *occiſionem* hoſtis, & *vaſtationem* rerum hoſtilium; & quid liceat *Jure gentium* in bello publico ſolenni. Sequitur nunc tractatio, quid *Jure naturæ* liceat circa *capturam rerum hoſtilium*, & quid ibi liceat *Jure gentium* in bello publico ſolenni, ad effectum dominii externi. [z]

§. LXXXVIII. GROTIUS ſtatuit, *Jure naturæ* capere res hoſtiles ſaltem licere, 1. ſi juſta cauſa belli ſit [a], & 2. intra modum debiti, & pœnæ. [b]

§. LXXXIX. Hinc concludit, 1. ſi juſta non eſt belli cauſa, omnia injuria fieri: 2. ſi ultra modum debiti, & pœnæ aliquid exigitur, id reſtituendum eſſe: 3. bona ſubditorum nec pro debito civitatis capi poſſe [c]: 4. per capturam rerum hoſtilium non acquiri dominium (ſed ſolam cuſtodiam, donec ſecuritati debiti, vel pœnæ cautum ſit [d]); niſi ad compenſationem uſque ejus, quod aut initio belli, aut ex poſt facto, civitati juſtum bellum gerenti debetur: vel ſi in pœnam bona vere nocentibus adimuntur. Monet tamen, ne ſuo jure utantur capientes ſi deprædatio innocentibus eſt nocitura. [e]

At *Jure gentium* aliud ſtatutum eſſe, fingit, in *bello ſolenni*. Ibi enim 1. etiam eum, qui juſtam belli cauſam non habet [f], vel 2. ultra modum debiti, ac pœnæ aliquid exigit [g], jure agere, ait: atque hinc 3. capi quoque poſſe bona ſubditorum innocentium pro debito civitatis [h], etiam pro eo, quod in bello ſubnaſcitur [i] (non vero pro delicto civitatis) [k]. At humanitatem commendat in deprædatione etiam nocentium [l]. Ceterum capi poſſe, ait, ſolam rem hoſtilem, non eam, quæ hoſtium non fuit, etſi in hoſtili territorio,

(s) Lib. 3, C. 5, §. 1. (t) Lib. 3, C. 5, §. 1, in fin. (u) Lib. 3, C. 5, §. 2. (v) Lib. 3, C. 5, §. 2, n. 1, 2, & 3. (x) d. C. 5, §. 2, n. 4. (y) d. C. 5, §. 3. (z) Lib. 2, C. 6. §. 1, & §. 2, n. 1, Lib. 3, C. 13, §. 1, & Lib. 3, C. 2, §. 2. (a) d. C. 6, §. 1, Lib. 3, C. 1. §. 2, C. 10, §. 3, C. 18, §. 2. (b) d. C. 6, §. 1, Lib. 3, C. 1, §. 2, C. 13, §. 1, C. 18, §. 2. (c) Lib. 3, C. 1, §. 2. C. 13, §. 1, n. 2, §. 2, & §. 3. (d) Lib. 3, C. 1, §. 2, n. 1, C. 13, §. 1, Lib. 3, C. 18, §. 2, junct. Lib. 2, C. 2, §. 10. (e) d. C. 18, §. 2, & 3. (f) Lib. 3, C. 4, §. 2, & 3, C. 6, §. 1, & 2. (g) Lib. 3, C. 4, §. 4, C. 6, §. 1, n. a, & §. 2, C. 2, §. 2, C. 13, §. 1, & 3. (h) d. C. 13, §. 2. (i) d. C. 13, §. 3, d. C. 18, §. 2. (k) d. C. 13, §. 2. (l) d. C. 13, §. 4.

ritorio, vel in hoſtium navi deprehendatur [m]. Quo caſu Grotius duo notat: [α] probari debere, rem non eſſe hoſtilem, ab eo, qui id aſſerit: [β] alienam non eſſe, quæ juſto bello ab hoſte ante fuit occupata, adeoque in quam ei dominium externum ſemel quæſitum fuit [n]. Sed & 4. per capturam rerum hoſtilium ipſum dominium acquiri capienti in infinitum, ſtatuit. [o]

§. XC. Quærit GROTIUS, an res hoſtilis apud medios capta fiat capientis? Idque affirmat, tum jure naturæ, tum jure gentium; quia interfici quoque hoſtis poteſt ubicunque reperitur. At eum, qui imperium ibi habet, prohibere poſſe, ait, ne vi agatur. [p]

§. XCI. *Jure naturæ* captam rem videri, tradit, ſtatim, ac capta, & occupata eſt: *Jure gentium* vero *antiquo* tunc demum captam cenſeri, ſi *res mobilis* intra præſidia noſtra pervenerit; jure gentium *recentiori*, ubi per viginti quatuor horas in poteſtate hoſtium fuerit [q]. In *rebus immobilibus* firmam poſſeſſionem requiri, ait; indeque non ſufficere ſi exercitus agrum occupavit. [r]

§. XCII. GROTIUS prolixe admodum quæſtionem tractat, cui res hoſtium acquiratur? *Jure naturæ*, ſtatuit, ei acquiri, qui læſus eſt.

Sed *Jure gentium* in bello publico, ac ſolenni, conſtitutum eſſe, ut res hoſtiles ſint eo loco, quo res nullius, eoque cedant occupanti. [s]

n. 1. Quia vero quis vel pro ſe, vel pro alio capere, & occupare poteſt, Grotius inquirit, quando *Jure gentium* capiens pro alio capere videatur? Ubi diſtinguit inter actus vere publicos belli, & inter actus privatos. [t]

n. 2. Prædam enim cedere populo, ait, ſi in *actu vere publico* præda agatur; ſi in *privato*, eam cedere ſingulis capientibus. [u]

Hinc concludit, res *immobiles* ſemper cedere populo, quia illæ non capiuntur niſi actu publico; populum vero varie diſtribuere ſolere. [v]

n. 3. Quoad res *mobiles* diſtinguit, an in miniſterio publico capiantur, an extra illud [x]: *Poſteriori caſu* fieri capientium [y]: uti ſi bello orto res hoſtiles apud nos inveniantur [z]; vel ſi milites aliquid capiunt non in procinctu, aut in eo, quod facere jubentur, ſed in eo, quod promiſcuo jure, aut ſolo permiſſu faciunt [a], v. g. in dimicatione ſingulari, vel ſi quid procul ab exercitu in excurſibus liberis, & injuſſis capiunt [b]: talia enim non ut miniſtros facere [c], niſi populus lege civili aliud ſtatuerit. [d]

Priori caſu res captas fieri populi, ait, quia capientes populi nomine capiunt, adeoque ei dominium acquirunt [e]: populum autem, exemplo Romanorum, varie diſponere ſolere de præda [f]; & vel arbitrium ejus diſpenſandæ permittere Ducibus [g], (qui id vel rejiciebant ad Senatum, vel omnem prædam jubebant a quæſtore populi Romani percipi, vel ipſi vendebant, & pecuniam in ærarium deferebant; unde ſæpius peculatus nomine accuſatos fuiſſe Duces Romanorum, ait [h]). Addit, aliquando.

(*m*) Lib. 3, C. 6, §. 5, 6, & 26. (*n*) Lib. 3, C. 6, §. 6, & 7. (*o*) Lib. 3, C. 6, §. 2, n. 1. (*p*) Lib. 3, C. 6, §. 26, & C. 4, §. 8. (*q*) Lib. 3, C. 6, §. 3. (*r*) d. C. 6, §. 4. (*s*) Lib. 3, C. 6, §. 8, & 9. (*t*) Lib. 3, C. 6, §. 10. (*u*) Lib. 3, C. 6, §. 10. (*v*) ibid. §. 11.

(*x*) Lib. 3, c. 6, §. 12. (*y*) d. c. 6, §. 12 (*z*) d. c. 6, §. 12, n. 1. (*a*) d. c. 6, §. 12, n. 2 (*b*) d. c. 6, §. 12, n. 2. (*c*) d. c. 6, §. 13. (*d*) d. c. 6, §. 13. (*e*) d. c. 6, §. 14, §. 21, n. 1. (*f*) d. c. 6. §. 15. §. 19. §. 20. (*g*) d. c. 6. §. 15. (*h*) d. c. 6, §. 16. & 21.

Digitized by Google

quando 1. Diis datam eſſe prædam, vel ejus partem [i]; aliquando 2. militibus, *aut* per diviſionem [k], (quæ fiebat aut ratione ſtipendiorum, aut ratione meritorum, cujus ordinem ex Polybio explicat [l], ſervata Duci præcipua [m], habita quoque ratione abſentium [n]. Hanc autem diviſionem ſæpius calumniis anſam dediſſe [o]; qua occaſione mores Hiſpanorum, Gallorum, & Belgarum refert [p]) *aut* per direptionem [q]; aliquando 3. aliis extra milites datam fuiſſe. [r]

n. 4. Porro tradit, hæc, quæ ita *Jure gentium* obtinent, lege, aut alio voluntatis actu, immutari poſſe [s]. Sic enim ſociis prædam aliquando concedi, vel ſubditis, qui proprio ſumtu militant [t]. Ea autem, quæ publica hoſtium fuerant, eximi ab illa licentia [u]; exigua vero curari non ſolere, exiſtimat [v]. Atque uſum hujus rei gentium praxi probat.

n. 5. Si apud medios lis de captis exiſtat, rem decidi debere, ait, ſecundum leges locorum; iiſque non exiſtentibus ex jure gentium communi. [w]

§. XCIII. Denique fingit, jus hoc externum acquirendi res bello captas proprium ſaltem eſſe *bello ſolenni*, non *aliis bellis*; quia ſi cum exteris geruntur, res tantum acquiruntur in compenſationem debiti, quod aliter obtineri nequit: inter *cives* vero nullam fieri mutationem dominii. [x]

CAPUT IX.

De jure in captivos.

§. XCIV. HACTENUS egimus de jure capiendi res; ſequitur jus capiendi perſonas. GROTIUS ait, *Jure naturæ* capere perſonas hoſtis tunc demum licere, 1. ſi juſta belli cauſa ſit [y], 2. ſi capiuntur intra modum debiti, & pœnæ. [z]

§. XCV. Hinc concludit, 1. ſervum non fieri, qui captus eſt ab eo, qui juſtam cauſam non habet; nec 2. eum, qui ultra modum debiti, vel pœnæ capitur: ſed & 3. ſervum naturali jure ad nihil aliud obligari, quam ad operas perpetuas [a]; non vero jus vitæ, & necis in eos acquiri [b]: 4. ſubditos non fieri ſervos pro debito, vel delicto civitatis, nec eos, qui actu non militant [c]: 5. nec natos ex ſervis fieri ſervos, niſi ratione alimentorum [d]: 6. ſervum fugere non poſſe [e]: quin & 7. ſervum ſibi acquirere, indeque peculium ei ſine cauſa adimi non poſſe [f]. Denique commendat redemtionem captivorum. [g]

§. XCVI. *Jure gentium* latius patere ſervitutem in bello publico ſolenni, ait, tum

(i) Lib. 3, c. 6, §. 16, n. 2, in fin. (k) d. c. 6, §. 17. (l) d. c. 6, §. 17, n. 2. (m) d. c. 6, §. 17, n. 3, & 4, §. 24, n. 4. (n) d. c. 6, §. 17, n. 5. (o) d. §. 17, n. 7, §. 21, n. 1. (p) d. c. 6. §. 24, n. 8. (q) d. c. 6, §. 17, n. 1, & §. 18. (r) d. c. 6, §. 19, & 20. (s) d. c. 6, §. 22, §. 13, §. 14, n. 1. (t) d. c. 6, § 23, & 24. (u) d. c. 6, §. 24, n. 4. (v) d. c. 6, §. 24. n. 7. (w) d. c. 6, §. 26, & c. 4, §. 8. (x) Lib. 3. c. 6, §. 22. (y) lib. 3, c. 14, §. 1, c 4, §. 3. (z) lib. 3, c. 14, §. 1. (a) lib 2, c. 5, §. 27, lib. 3, c. 14, §. 2, c. 6, §. 1. (b) d. c. 2, §. 22, & 28, d c. 14, §. 3, ſeq. c. 13, §. 2. c. 7, §. 2. (c) lib. 3, c. 2, §. 1, lib. 3, c. 7, §. 1, n. 2. (d) d. c. 24, §. 8. (e) lib. 3, c. 7, §. 6. c. 14, §. 7. (f) lib. 3, c. 14, § 6, c. 6, §. 9. n. 1. (g) Vid. c. 14, §. 9, & lib. 3, c. 7, §. fin.

Digitized by Google

tum quoad perſonas, tum quoad effectus. Nam eo jure in genere capi poſſe perſonas, ait, 1. etſi nulla ſit juſta belli cauſa, 2. & ſi juſta eſt, etiam ultra modum debiti, & pœnæ.

§. XCVII. Hinc concludit, *Jure gentium* [a] non ſolum eos, qui ſe dedunt, aut ſervitutem promittunt, ſervos fieri; ſed omnes omnino bello ſolenni publico captos, quin & eorum poſteros [h]. [b] Effecta hujus juris gentium infinita eſſe, ait, indeque omnia licere in ſervum, & vitæ, neciſque poteſtatem in eos eſſe [k], res eorum acquiri capienti [l], quin & jura incorporalia, quatenus ab eorum perſona ſeparari poſſint. [m]

Rationem extenſionis hujus hanc reddit, quod gentes crediderint, victores his commodis illinitos deſtituros eſſe a cædibus captivorum [n], easque ex hac cauſa alienationem ſervorum permiſiſſe [o]. Sed & ad natos porrectum fuiſſe id jus, ait, quia ſi captores ſuo jure uſi ſervos occidiſſent, naſcituri non fuiſſent [p]; cui conſequens eſſe, fingit, ut nati ante calamitatem, niſi capiantur, ſervi non fiant [q]. Ideo autem placuiſſe, natos maternæ eſſe conditionis, putat, quum nulla ſufficiens præſumtio patrem indicaret, utpote cum ſerviles concubitus nec lege, nec certa cuſtodia eſſent conſtricti. [r]

Atque hoc jus gentium Grotius confirmat exemplo bellorum civilium, ubi interfici captos, exiſtimat, quia ſervi ex jure gentium, quod ſaltem in bellis publicis, & ſolennibus obtinet, non ficbant [s]. Ceterum, in acquiſitione ſervorum idem obtinere, ait, quod in acquiſitione prædæ. [t]

§. XCVIII. Quærit GROTIUS, an fugere ſervus poſſit? Reſpondet, ipſum nulla religione impediri [u]: [a] quia dominium, quod captura jure gentium acquiritur, ſaltem externum eſt, quod etſi judicio defendatur, jure interno tamen injuria manet: [b] quia gentes crediderunt, ſufficere commoda ad impediendos captores ne occidant ſervos; præterea autem noluiſſe religionem animis ſervorum injicere: neque enim [c] ſi capientes tam feri ſunt, ut utilitatibus illis non moverentur, nec moturum eos fuiſſe vinculum aliquod animis injectum: [d] capientes ſi id neceſſarium crederent, poſſe fidem, aut jusjurandum exigere a captis. Neque [e] in lege, quæ non ex æquitate naturali, ſed majoris mali vitandi cauſa lata eſt, interpretationem ita ſumi debere, ait, ut actus per ſe licitus fiat illicitus [v]. Indeque concludit, [f] ſervum fugientem furtum non facere rapiendo res domini ad modum operarum, deductis alimentis; modo neque ſuo, neque publico nomine debeat [x]. Denique reſpondet ad dubia ex dictis Apoſtolorum, & ex Canonibus propoſita. [y]

§. XCIX. Aliam quæſtionem proponit GROTIUS, an ſervus reſiſtere poſſit domino jus illud externum exequenti? Negat, quia exiſtimat, inane fore hoc jus externum jure gentium conſtitutum, ſi ex adverſo reſiſtendi jus maneret; cum enim jus hoc externum judiciorum tutela conſtet, adeoque magiſtratus dominum in illo dominio, ejuſque uſu defendere teneatur,

(h) Lib. 3, c. 7, §. 1, n. 2. (i) d. c. 7, §. 2. (k) d. c. 7, §. 3. (l) d. c. 7, §. 3, n. 2. (m) d. c. 7, §. 4. (n) lib. 3, c. 7, §. 5, n. 1. (o) d. c. 2, §. 5, n. 1. (p) d. c. 7, §. 5, n. 2. (q) d. c. 7, §. 5, n. 2. (r) d. c. 7, §. 5, n. 2. (s) d. c. 7, §. 5, n. 3. (t) lib. 3, c. 7, §. 5. n, 4. Conf. cap. præced. (u) lib. 3, c. 7, §. 6, n. 1, (v) d. c. 7, §. 6, n. 4. (x) d. c. 7, §. 6, n, 2, 3, & 4. (y) d. c. 7, §. 6, n. 5.

neatur, conceſſa reſiſtendi facultate ſequeretur, ſervum reſiſtere poſſe magiſtratui dominium tuenti. [z]

§. C. Denique ait, jus illud gentium de captivis nec ſemper, nec apud omnes gentes receptum [a], ſed & ſæpius mutatum eſſe; idque exemplo Hebræorum, & Francorum [b], item Chriſtianorum [c], probat: immo & inter gentes ejuſdem religionis obtinere ne capti ſervi fiant [c]. Ceterum, æquum eſſe, ſtatuit, *ut capti redemtionis pretium ſolvant.* [d]

C A P U T X.

De imperio in victos.

§. CI. GROTIUS in acquiſitione *imperii* in victos itidem diſtinguit inter jus naturæ, & jus gentium. *Jure naturæ* imperia non acquiri bello, ait, niſi 1. juſta ſit belli cauſa [e], & 2. intra debiti, & pœnæ modum [f]. Cui 3. addit, ſi tendit ad evitandum ſummum periculum. [g]

At *Jure gentium*, in bello ſolenni, poſſe acquiri imperia, ait, etſi 1. juſta belli cauſa non adſit, & 2. ſi juſta cauſa adſit, ultra debiti, & pœnæ modum.

§. CII. Hoc *Jure gentium* igitur civitatem totam in poteſtatem victoris, vel *civilem*, vel *herilem*, vel *mixtam*, redigi poſſe, tradit [h]. *Civile* autem imperium victori acquiri, *vel* tantum ut eſt in rege victo; atque hoc caſu victorem in ejus ſaltem jus ſuccedere, ait: *vel* etiam ut eſt in populo devicto; & tunc regnum fieri patrimoniale [i]. *Herile* imperium acquiri, ſtatuit, ſi civitas, quæ capitur, talis eſſe deſinit [k]. *Mixtum*, quoties ſervitus miſcetur cum perſonali aliqua libertate. [l]

§. CIII. Res univerſitatis *Jure gentium* eorum fieri, ait, qui ſibi ſubjiciunt univerſitatem, ſi ipſi velint [m]. Atque hinc etiam jura incorporalia, quæ univerſitatis fuerant, fieri victoris quatenus velit [n], uti debita, & credita [o]. Ubi addit, poſſe quædam jura adimi tali civitati relicto jure civitatis; quo refert factum Cæſaris, qui Dyrrachinis æs alienum remiſit, quod victis a Cæſare debebant. [p]

§. CIV. Ceterum, GROTIUS ſuadet victoribus, ne hoc *Jure gentium*, quod jus internum non tribuit, utantur; eoſque monet, 1. ut contenti victoria ab imperio abſtineant [q], illudque victis relinquant, reſervatis ſibi præſidiis [r], vel tributo [s]; periculoſum enim eſſe, formam imperii mutare [t]. Si tamen aſſumendum imperium privata neceſſitas, & periculum jubeat, Grotius victori conſilium dat, ut vel pars victis relinquatur [u], vel libertas aliqua [v], præcipue quoad religionem [x]. Denique commendat clementiam. [y]

C A-

(z) lib. 3, c. 7, §. 7. (a) lib. 3, c. 7, §. 8. (b) d. c. 7, §. 8, d. c. 2, §. 9. (c) d. c. 7, §. 9. n. 1. (d) d. c. 7, §. 9, n. 2. (e) lib. 3, c. 15, §. 8. (f) d. c. 15, §. 1. (g) d. c. 15, §. 2. (h) lib. 3, c. 8, §. 1. (i) lib. 3, c. 8, §. 1, n. 3. (k) lib. 3, c. 8, §. 2. (l) lib. 3, c. 8. §. 3. (m) lib. 3, c. 8, §. 4. (n) d. c. 8, §. 4, n. 2. (o) d. c. 8, §. 4, n. 2. (p) d. c. 8, §. 4, n. 3. (q) lib. 3, c. 15, §. 2, & 3. (r) lib. 3, c. 15, §. 4. (s) d. c. 15, §. 5, (t) d. c. 15, §. 6. (u) d. c. 15, §. 9. (v) d. c. 15, §. 10. (x) d. c. 15, §. 11. (y) d. c. 15, §. 12.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Poſtliminio.

§ CV. GROTIUS *Jure naturæ* res hoſtium, *ſi bellum juſtum* eſt, capi poſſe, docet, ad eum effectum, ut dominium capiens acquirat intra modum debiti, & pœnæ.

Ab his rebus deducenda eſſe, ait, quæ poſtliminio recipiuntur [z]. Capientis enim dominio ineſſe conditionem [a], exiſtimat, *ſi non poſtliminio res capta redierit.*

Rationem autem juris poſtliminii naturalem *in bello juſto* Grotius in eo ponit, *quod res pro non capta habeatur.* [b]

§. CVI. *Si bellum injuſtum eſt*, non exſpectandum eſſe, ait, uſque dum res capta redeat ad limina hoſtis, ſed quia injuria capta eſt, reſtitui debere domino tum a capientibus, tum ab iis, qui cauſam a capientibus habent [c]: Adeoque in *bello injuſto* nunquam poſtliminio locum eſſe, quia ipſo jure res redit (atque ex hac cauſa res ſæpius redditas fuiſſe priſtinis dominis, exemplis docet [d]); deductis tamen impenſis. [e]

Hinc populos quoque vel integros, vel partes populorum injuria captorum reddi debere, ait, his, quibus imperii habuerunt [f]; quod itidem exemplis probat.

Ceterum, jus hoc reddendæ rei longiſſimo tempore ex conjectura derelictionis exſtingui, ſtatuit. [g]

§. CVII. *Jure gentium* autem etiam ea, quæ *injuſto bello* capta ſunt, acquiri capienti, Grotius fingit, *ſi bellum eſt publicum, & ſolenne*; neque in tali bello teneri capientem ad rei reſtitutionem: adeoque rem ſemper pro capta haberi, indeque non niſi jure poſtliminii recipi, aut reverti.

§. CVIII. De hoc jure poſtliminii nihil ferme ſani hos prodidiſſe, ait, qui retroactis ſeculis juris cognitionem profeſſi ſunt: accuratius rem a veteribus JCtis Romanis, etſi ſæpe confuſe nimis, tractatam eſſe; illos enim ea, quæ juris gentium, & quæ juris civilis ſunt, non rite diſtinxiſſe. [h]

Vocem *Poſtliminii*, rejectis aliis opinionibus, GROTIUS deducit a poſt, & limen [i]. Indeque poſtliminio redire dicitur perſona, vel res, quæ ad limen, i. e. fines noſtros, aut amicorum, redit [k]. *Recipi* autem poſtliminio dicuntur res; *reverti* perſonæ.

§. CIX. Poſtliminium locum non tantum in *bello* habere, ait, ſed & in *pace*. Nimirum, 1. ſi quis non virtute bellica ſuperatus, ſed fato ſuo deprehenſus, nec in pace de eo aliquid dictum eſt: 2. ſi quid a gente, cum qua nec bellum, nec amicitia eſt, captum revertitur [m]. Id autem non eſſe juris gentium, ſed Romani, tradit.

§. CX. Liber homo poſtliminio reverti dicitur, ſi hoc animo redit, ut res ſuæ civitatis ſequeretur [n]. Idque gentes extendiſſe, ait, ſi revertitur ad amicos,

(z) Lib. 3, c. 16. §. 1. (a) Lib. 3, c. 9, §. 6. (b) Lib. 3, c. 16, §. 1. (c) d. c. 16, §. 1. (d) d. c. 16, §. 2. (e) d. c. 16, §. 3. (f) d. c. 16, §. 4. (g) d. c. 16, §. 5. (h) Lib. 3, c. 9, §. 1. (i) Lib. 3, c. 9, §. 1, n. 2. (k) Lib. 3, c. 9, §. 2. (l) Lib. 3, c. 9, §. 3. (m) Lib. 3, c. 9, §. 4. & §. 18. (n) Lib. 3, c. 9, §. 5.

Digitized by Google

eos, non ſi ad medios [o]. Idem eſſe, putat, ſi venditus ab hoſte commercio ad ſuos rediit. [p]

§. CXI. Reverſum recipere, ait, 1. omnes res, quas habuit apud populos pacatos, corporales, & incorporales [q]; 2. omnia jura, quæ habuit, excepto (jure Romano) matrimonio [r]: ſed & 3. omnia jura in eum reſtitui, ſtatuit. [s]

§. CXII. Reverti autem non tantum ſingulas perſonas poſſe, ſed & integros populos [t]; niſi populus ſemel eſſe deſierit: nam hunc poſtea reſtitutum, novum populum eſſe incipere. [u]

§. CXIII. Jure civili additum eſſe, ait, 1. quod ab hoſte redemtus ſervire redemtori debeat, donec pretium reddiderit, &c. [v]: 2. quod jura omnia, quæ captus domi reliquit, recipiat, ac ſi is, qui rediit nunquam hoſtium potitus eſſet [x]; adeo ut quæ per uſucapionem, vel alio modo amiſit, per reſtitutionem in integrum recuperet [y]: 3. quod hæredes capti, qui apud hoſtes deceſſit, ſuccedant ex momento, quo captus fuit. [z]

Recipi dicuntur *res* bello captæ: inter res autem etiam recenſet ſervos, & ancillas, etſi transfugas [a], agros, aliaſve res immobiles [b], non vero res mobiles. Ubi addit, jus gentium excepiſſe eas res, quæ uſum in bello habent. [c]

Ceſſare jus poſtliminii, ſtatuit, 1. in transfugis [d]; 2. in deditis [e]; 3. ſi intra fines, & præſidia hoſtis nondum fuere deducti [f]; 4. moribus Chriſtianorum, exceptis gentibus, quæ prædonum more vivunt. [g]

C A P U T XII.

De fide hoſti data.

§. CXIV. GROTIUS hactenus explicavit ea, quæ licent in bello, quatenus *nude* ſpectatur ſive jure naturæ, ſive gentium. Sequuntur jam ea, quæ licent *accedente promiſſione* [h] (§. 50.); ubi regulam generalem conſtituit, *omnia in hoſtem licere*, niſi hoſti qua hoſti fides data ſit.

§. CXV. Agit autem Grotius 1. in genere de fide hoſti qua tali data, & quæ inde ſequitur obligatione [i]: 2. de fide publica, qua bellum finitur; ubi de pacis pactione, de ſorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obſidibus, & pignoribus tractat [k]: 3. de fide manente bello; ubi de induciis, commeatu, & captivorum redemtione agitur [l]: 4. de fide minorum poteſtatum in bello [m]: 4. de fide privata in bello [n]: 6. de fide tacita [o]. De ſingulis nunc agemus.

S E C T I O I.

De fide hoſti data in genere.

§. CXVI. GROTIUS fidem deberi hoſtibus quibuſvis, ait [p], etiam tyrannis, &

(o) Lib. 3. C. 9. §. 6. & §. 18. n. 2. & 3. (p) L. 3. C. 9. §. 2. (q) d. C. 9. §. 6. (r) d. C. 9. §. 9. in f. (s) d. C. 9. §. 7. (t) Lib. 3. C. 9. §. 9. §. 12. (u) d. C. 9. §. 9. n. 1. (v) d. C. 9. §. 10. n. 2. (x) L. 3. C. 9. §. 10. n. 3. (y) Lib. 3. C. 9. §. 10. n. 3. (z) d. C. 9. §. 10. n. 4. (a) d. C. 9. §. 11. (b) d. C. 9. §. 13. (c) d. C. 9. §. 14. & 15.

(d) d. C. 9. §. 10. (e) d. C. 9. §. 16. (f) d. C. 9. §. 16. (g) d. C. 9. §. 19. (h) Lib. 3. C. 1. §. 1. pr. C. 19. §. 1. (i) Lib. 3. C. 19. (k) L. 3. C. 20. (l) Lib. 3. C. 21. (m) Lib. 3. C. 22. (n) L. 3. C. 23. (o) Lib. 3. C. 24. (p) Lib. 3. C. 19. §. 1. & §. 6. n. 1. Lib. 2. C. 11. §. 7. n. 2. & C. 17. §. 19.

& prædonibus [q], (ubi dubia ſimul ſolvit [r]) quin & ſubditis rebellibus [s]. Nec obſtare jus ſupereminentis dominii, quum hoc tantum jus det in actus ſubditorum, ſi utilitas publica hoc ſuadet; hic autem eam ſuadere contrarium, nempe ut pacta ſerventur. [t]

Conſilium autem dat, ut pacto tali juramentum accedat, (id enim ſi fiat, ne publicæ quidem utilitatis cauſa pacto recedendum eſſe, tradit [u]) vel ut tertio potentiori intervenienti promiſſio fiat. [v]

Denique ſubditis quoque fidem ſervandam eſſe, ait, ſi in ſtatum mixtum tranſeunt. [x]

§. CXVII. *Jure gentium* bellum publicum ſolenne hoc peculiare in jure externo poſitum habere, ait, ut omnia, quæ in bello, aut ejus finiendi gratia (licet ex cauſa metus injuſte illati,) promittuntur, valida ſint [y]. Excipit autem caſum, ubi jus gentium metum improbat; quo refert metum ſtupri inferendi. [z]

§. CXVIII. Quærit Grotius, an perfidis quoque fides ſervanda ſit? Quod merito affirmat, & ad perfidos hoſtes quoque extendit [a]. Poſſe tamen promiſſorem recedere, ait, tum ſi conditio deficit, uti ſi alter quoque pactis non ſtet; tum per exceptionem compenſationis [b], etſi ex alio negotio plus, vel tantundem debeatur, vel non ex contractu, ſed ex damno dato, vel ex pœna debeatur.

Compenſationi autem locum non eſſe, nec promiſſum hoſti eludi poſſe, opponendo ei aut actionem, de qua lis erat, aut litis damna, & expenſas, aut quicquid bellico gentium jure fieri ſolet. Ex negotii enim natura ſequi, promiſſionem illam factam eſſe poſitis belli controverſiis; alias enim nullum fore pactum, ait, quod non poſſet eludi. [c]

§. CXIX. Quærit ergo, quænam illa ſint, quæ compenſari cum eo, quod promiſſum eſt, poſſint? Reſpondet, ſi quid alter, quamvis ex alio contractu inter bellum inito debet; ſi damnum dedit intra induciarum tempora; ſi legatos violavit, aut aliud quid facit, quod inter hoſtes jus gentium damnat. Ceterum, compenſationem tantum inter eaſdem perſonas fieri, ait, modo jus tertii non lædatur; exceptis ſubditorum bonis, quæ pro debito civitatis obligantur.

Addit tamen, generoſi animi eſſe ſtare promiſſis, etiam poſt aliquid injuriæ acceptum.

Denique ait, etſi quæ de fide hoſti data incidere ſolent quæſtiones, ex regulis traditis decidi poſſint, ſe per ſpeciales quæſtiones rem manifeſtiorem reddere velle. [d]

S E C T I O II.

De fide publica, qua bellum finitur; ubi de pacis pactione, de ſorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obſidibus, & pignoribus agitur.

§. CXX. Grotius inter hoſtes quæ conveniunt, fide aut *expreſſa*, aut *tacita* conſtare, ait. Fidem expreſſam in publicam, & privatam dividit. Publicam aut ſummarum poteſtatum eſſe, ait, aut inferiorum: quæ ſummarum eſt poteſtatum, aut

(q) L. 3. C. 19. §. 2. (r) d. C. 19. §. 3. 4. 5. (s) d. C. 19 §. 6. ſeq. (t) C. 19. §. 2. (u) d. C. 19. §. 8. (v) d. C. 19. §. 9. (x) d. C. 19. §. 10. (y) d. C. 19. §. 11. (z) d. C. 19. §. 12. (a) d. C. 19. §. 13. (b) d. C. 19. §. 14. & 15. (c) d. C. 19. §. 16. 17. 18. (d) dict. loc. (e) Lib. 3. C. 20. §. 8.

aut bello finem imponere, aut eo manente vim habere. [f]

§. CXXI. *Primo* igitur bellum publicum finiri, ait, PACE. Pacem autem contrahere poſſe ſolas ſummas poteſtates, quin & exſules, ſi non obnoxii vivunt [g]; non vero reges infantes, furioſos, & captivos. [i]

Ubi monet, in procerum, aut populi imperio majorem partem concludere. [k]

§. CXXII. Res pactioni ſubjectas eſſe, ait, 1. *imperium* in regnis patrimonialibus, non in regnis uſufructuariis; niſi populi conſenſu: idemque dicendum eſſe de bonis regni [l]; quod alibi [m] plenius explicavit.

§. CXXIII. 2. *Res ſingulorum*: has enim vi ſupereminentis dominii per pacem alienari poſſe, ait; at civitatem damnum datum ei reſarcire debere [n], (quod etiam ad damna præterita occaſione belli ſingulis data extendit [o]). Ubi rejicit diſtinctionem, quam quidam afferunt, inter quæſita jure gentium, & jure civili, quaſi de his laxius jus diſponendi, & auferendi ſine cauſa, & compenſatione, civitati competat [p]. Externis autem cum rege contrahentibus ſufficere factum regis non inſpecta utilitate publica, ad id, ut bona ſubditorum eis ſint obligata. [q]

§. CXXIV. GROTIUS quærit, quatenus promiſſo regis populus, ac ſucceſſor ſimul obligentur? Et utrumque obligari, ait, quatenus obligandi poteſtas ſub imperio comprehenſa eſt; id vero ita intelligendum eſſe, ut valeat quod probabili ratione nititur: aliud tamen obtinere ſi jus præter regium accedens facultatem alienandi ei concedat; uti ſi regnum eſt herile, i. e. bello quæſitum; vel ſi princeps jure dominii omnia bona regni quæſivit, ut tempore Pharaonis &c. [r]

§. CXXV. Circa dubias pacis conventiones generalem tradit interpretandi regulam, ut quo quidque plus habet favoris, eo laxius accipiatur; quo longius abit, eo ſtrictius. Jure naturæ autem maximum eſſe favorem in eo videri, ut ſuum quiſque conſequatur. Ambigue ergo poſitorum examen eo ducendum, ut qui juſta arma habuit, id conſequatur, ob quæ arma ſumſit, & damna, ſumtuſque recuperet; quia jure naturæ favorabile eſt jus ſuum conſequi; non item ut pœnæ nomine quicquam lucretur: id enim eſſe odioſum. [s]

Cum vero partes injuriam confiteri vix ſoleant, ideo ſumendam eſſe in pactis interpretationem, quæ partes quoad belli juſtitiam quam maxime æquet. [t]

n. 1. Fieri autem id, ait, duobus modis; *aut* ut res in priſtinum ſtatum, quo ante bellum fuit, reſtituatur, *aut* ut maneat in ſtatu, quo nunc eſt. [u]

n. 2. In dubio *poſterius* præſumi partes voluiſſe, quum in dubio magis præſumatur quod facilius eſt, nec mutationem inducit. [v]

Hinc concludit, [*a*] poſtliminium captis non competere, niſi pacto id dictum ſit: [*b*] transfugas quoque reddi non debere, niſi id convenerit: [*c*] res cæteteras pacto manere penes tenentem, i. e. qui facto poſſidet. [x]

n. 3.

(*f*) Lib. 3, C. 20, §. 1. (*g*) d. C. 20, §. 3, n. 2. (*h*) Lib. 3, C. 20, §. 2, 3. & 4. (*i*) d. C. 20, §. 3, n. 2. (*k*) d. C. 20, §. 4. Lib. 2, C. 5, §. 17. (*l*) Lib. 3, C. 20, §. 5. per tot. (*m*) L. 2. C. 6, §. 2, ſeq. Lib. 1. C. 3, §. 12, & 13.

(*n*) Lib. 3, C. 20, §. 7. (*o*) d. C. 20, §. 8. (*p*) d. C. 20, §. 9. (*q*) d. C. 20, §. 10 (*r*) L. 3, C. 20, §. 6, Lib. 2, C. 14, §. 10. (*s*) Lib. 3. C. 20, §. 11. (*t*) d. C. 20, §. 11, n. 2. (*u*) d. C. 20. §. 11, n. 2. (*v*) L. 3, C. 20, §. 12. (*x*) d. C. 20, §. 12.

n. 3. In *priori* pactionis genere, quo reſtituitur poſſeſſio bello turbata, reſpici, ait, ultimam, quæ ante bellum fuit, poſſeſſionem; ita tamen, ut privatis dejectis interdicto, aut vindicatione apud judicem experiri liceat. [y]

Sub neutro reſtitutionis pacto contineri populum ſui juris, qui ultro ſe alteri bellantium ſubjecit, quia ea ſaltem reſtitutioni obnoxia ſunt, quæ vi acquiſita ſunt. [z]

n. 4. Quærit Grotius, quomodo interpretatio fieri debeat, ſi nihil in pace dictum ſit *de damnis*? Et diſtinguit 1. inter ea damna, quæ *ante* bellum data fuere, & ea, quæ *durante* bello data ſunt. In damnis ante bellum datis porro, & 2. diſtinguit, an debeatur ex rerum inæqualitate, an ex pœna?

n. 5. His conſequenter ait, *I.* damna *durante bello* etiam privatis illata remiſſa cenſeri, nec actionem eorum nomine dari [a], quia in dubio ita contrahere voluiſſe cenſentur bellantes, ut neuter injuſtitiæ damnaretur. [b]

II. Damna *ante bellum* cœptum data non videri remiſſa, quia non belli jure quæſita ſunt, ſed tantum exigi vetita. [c]

n. 6. Hoc autem tantum verum eſſe, ait, in debitis, quæ ex *rerum inæqualitate* oriuntur [d]: ex inæqualitate nimirum contractus, unde jus datur minus habenti [e] ad reſcindendum contractum [f]. At de *jure ad pœnas* id non promiſcue admittit; in jure enim regum, & populorum, facilius eſſe, putat, ut condonatio aliqua facta videatur, ne pax non ſatis pax ſit ſi veteres ad bellum cauſas relinquat [g]. Rationem hanc ceſſare, fingit, in jure privatorum ad pœnas, quia id ſine bello judiciis expediri poteſt. [b]

Excipit autem 1. ea, quæ privatis ante bellum debita fuere, ſi ex rerum inæqualitate, i. e. ex contractu, qui inæqualitatem continet, oriuntur; non ſi ex pœna debetur.

Si modo verba, aut conjecturæ non improbabiles ſuppetant: maxime vero ſi jus, de quo agitur, non erat liquidum; benignum enim eſſe credere id actum ut belli ſemina evellerentur [i]: ſed in privatorum jure tantam rationem non eſſe, ut remiſſa cenſeatur pœna [k], quia ſine bello a judiciis expediri poteſt [l]. Levem tamen verborum conjecturam ſufficere, putat, ut hoc quoque donatum cenſeatur. Rationem hanc affert, quia jus pœnæ non ita noſtrum eſt, ut quod ex inæqualitate naſcitur; & pœnæ ſemper aliquid odii habent. [m]

n. 7. In pactionibus de reddendis his, quæ bello capta ſunt, varias adhuc regulas interpretationis ſuppeditat. Primum enim latius interpretandas eſſe pactiones, quæ mutuæ ſunt, quam quæ claudicant: deinde, quæ de hominibus agunt, plus favoris habere, quam quæ de rebus; & inter eas, quæ de rebus, hæ, quæ de agris plus, quam quæ de rebus mobilibus, & de his, quæ penes publicum ſunt, plus, quam quæ penes privatos; & inter eas, quæ penes privatos, plus illæ, quæ reddi jubent lucrativo titulo poſſeſſæ, quam oneroſo, ut quæ emtionibus, quæ dotibus tenentur. [n]

n. 8.

(*y*) L. 3. C. 20. §. 13. (*z*) d. C. 20. §. 14. (*a*) d. C. 20. §. 15. (*b*) ibid. (*c*) d. C. 20. §. 16. (*d*) d. C. 20. §. 17. (*e*) Lib. 2. C. 12. §. 8. (*f*) Lib. 2. C. 13. §. 16. (*g*) d. C. 20. §. 17.

(*b*) d. C. 20. §. 18. (*i*) d. C. 20. §. 19. (*k*) d. C. 20. §. 18. (*l*) d. C. 20. §. 18. (*m*) d. C. 20. §. 18. (*n*) d. C. 20. §. 21.

Digitized by Google

n. 8. Porro ait, re pace conceſſa fructus quoque a tempore conceſſionis conceſſos videri [o]. Regionum autem nomina accipienda eſſe, tradit, ex uſu præſentis temporis, non tam vulgi, quam peritorum. [p]

Eaſque regulas frequentem uſum habere, putat, quoties relatio fit ad pactum antecedens, aut vetus; tunc enim repetitas cenſeri qualitates, & conditiones priori pactione expreſſas. [q]

Addit, eum, qui ſtatutum reſtitutionis tempus non obſervavit, bello ad id adigi poſſe, niſi improviſa neceſſitas impedimento fuerit. [r]

Denique in dubio interpretationem contra eum faciendam, ait, qui conditiones elocutus eſt; quod eſſe ſolet potentioris. [s]

§. CXXIV. GROTIUS prolixe admodum tractat quæſtionem, quando pax rupta cenſeatur? Rumpi enim pacem tribus modis, tradit: *aut* faciendo contra id, quod omni paci ineſt; *aut* contra id, quod in pace dictum eſt; *aut* contra id, quod ex pacis cujuſque natura debet intelligi. [t]

n. 1. Contra id, *quod omni paci ineſt*, fieri, ait, ſi vis bellica infertur citra novam cauſam ab iis, qui pacem contraxere [u]: non ergo ſi infertur ab iis, qui ſocii fuere, niſi id quoque pace cautum fuerit [v], nec ſi quid ſubditi injuſſu publico per vim armatam faciunt [x]; nedum ſi improbantibus Rectoribus aliquid committunt, & in eos judicium poſtulari non poteſt: uti ſi piraticam exercent [y], vel ſi aliis bellum gerentibus militant. [z]

Porro pacem rumpi, ait, non modo ſi toti corpori civitatis, ſed & ſi ſubditis vis armata inferatur abſque nova cauſa. Addit, nec ſi nova cauſa ſit, vi agere licere, niſi judicium ſit negatum, vel niſi arma armis repellantur. [a]

Sed & ſociis vim armorum illatam pacem rumpere, ſi nimirum pace comprehenſi ſunt; etſi ipſi ſocii non pepigerint: modo ratihabuerint. [b]

n. 2. Contra id, *quod in pace dictum eſt*, fieri, ſimulque rumpi pacem, exiſtimat, etiam tunc, cum non facit id, quod oportet [c], etſi caput pacis ſit levioris momenti [d]: (niſi vel in ſpecie id additum, ne ſcripta pax cenſeatur ſi capitibus minoris momenti contrarium fit: idque ſemper actum cenſeri, ait, ſi ſpecialis pœna in caſum violatæ fidei adjecta paci fuerit [e]) nec, ſi certo tempore præſtare promiſit, ſufficere poſtea moram purgare. [f]

Non vero pacem ſolvi, putat, 1. ſi pactis poſterior non ſtat [g]: 2. ſi per promittentem non ſtat, quo minus impleat; tunc enim æſtimationem deberi [h]: 3. ſi pars innocens pacem non obſtante alteriùs perfidia ſervare vult. [i]

n. 3. Denique pacem ſolvi, ait, faciendo id, *quod ſpecialis juris natura repudiat* [k]; uti ſi quid contra amicitiæ officia fit: ſi nimirum pax ſub lege amicitiæ inita eſt [l]. Quo refert omnes injurias non armatas, & quæ contumeliæ nomine veniunt [m]: uti minas atroces, extructiones arcium in finibus, non tuendi, ſed nocendi cauſa, inſolitam copiarum conſcriptionem; modo juſta indicia ſint, contra paciſcentem parari. [n]

Non

(*o*) L. 3. C. 20. §. 22. (*p*) d. C. 20. §. 23. (*q*) d. C. 20. §. 24. (*r*) d. C. 20. §. 25. (*s*) d. C. 20. §. 26. (*t*) d. C. 20. §. 27. (*u*) d. C. 20. §. 28. (*v*) d. C. 20. §. 29. (*x*) d. C. 20. §. 30. (*y*) d. C. 20. §. 32. (*z*) d. C. 20. §. 31. (*a*) d. C. 20. §. 32. (*b*) d. C. 20. §. 33. (*c*) d. C. 20. §. 34.

(*d*) d. C. 20. §. 35. (*e*) d. C. 20. §. 35. & 36. (*f*) d. C. 20. §. 35. (*g*) Lib. 3. C. 19. §. 14. d. C. 20. §. 36. (*h*) d. C. 20. §. 37. (*i*) d. C. 20. §. 38. (*k*) d. C. 20. §. 39. (*l*) d. C. 20. §. 40. (*m*) d. C. 20. §. 40. n. 1. (*n*) d. C. 20. §. 40. n. 3.

Digitized by Google

Non tamen temere interpretandam eſſe hanc calumniam, ait [o]; atque hinc pro violatione amicitiæ non habendum eſſe, 1. ſi perſonæ conjunctæ, aut ſubditæ ipſi, quocum pax inita eſt, injuria infertur; uti ſi ſtuprum, vel adulterium cum ea committitur [p], niſi ad ipſius ſuggillationem facta ſit injuria: 2. ſi ſubditos alterius recepit [q]: 3. ſi perfugium exulibus dat [r] (in quos tamen, ſi pœnæ rei ſunt, judicium dari debere, ait). Excipit autem caſum, ubi pars civitatis, vel is, qui ſacramento obſtrictus eſt, vel ſervus, recipitur; hoc enim abſque injuria fieri non poſſe, putat. [s]

n. 4. Ex his principiis Grotii admittimus *duos priores* modos, iiſque pacem rumpi concedimus. At quod ad *tertium* modum attinet, alibi jam demonſtravimus, Grotium naturam fœderis, quod ſub lege amicitiæ fit, non intellexiſſe; is enim fœdera *alia* ſub lege amicitiæ fieri, ait, *alia* ſine ea [t]. Effectum hujus diſtinctionis eſſe, exiſtimat, quod *priori* caſu omnis injuria non bellica, ut contumelia, & quicquid fit contra amicitiæ officia, rumpat pacem, non *hoc* caſu. Nos negamus, 1. effectum fœderis ſub lege amicitiæ eſſe, ut quævis amicitiæ officia ab altero exigi poſſint: ſed fœdus illud apud Romanos hunc ſolum effectum habebat, ne damna durante bello data repeti, & vindicari pace contracta poſſent, & ut omnes injuriæ oblivioni traderentur, ac perpetua amicitia inter contrahentes eſſet. Quo ipſo jus poſtliminii prohibebatur, utpore quod ſalvum futurum fuiſſet clauſula amicitiæ non adjecta. Sane, 2. omnes caſus a Grotio propoſiti non rumpunt pacem, etſi ſub lege amicitiæ contractam; ſed novam bello cauſam præbent, etſi lex amicitiæ adjecta paci non fuerit. Quod in ipſo commentario plenius examinabimus.

§. CXXV. *II.* SORTE quoque bellum finiri, ait; idque licitum eſſe, contendit, quoties de re agitur, in quam plenum habemus dominium [u]: non ergo ſi de ſubditorum vita, pudicitia, &c. tuenda agatur, niſi reſiſtendi ſpes nulla ſit. [v]

§. CXXVI. *III.* An SINGULARI CERTAMINE bellum finire licet? Grotius jure gentium externo id licere, ait, non vero jure naturæ: [*a*] quum occidi homo ob res ſervandas non poſſit: [*b*] quum in Deum peccet, qui vitam ſibi creditam tam vilem æſtimat.

At excipit caſum, ſi id fiat ad majus malum vitandum. [x]

Si proinde duo certant de imperio, populum id quidem pati poſſe, ait, ſed ei non fieri præjudicium; neque ſucceſſoribus jam natis in regnis non patrimonialibus, niſi his conſentientibus. [y]

Quis vero in tali prælio pro victore habendus ſit, late examinat. [z]

§. CXXVII. *IV.* ARBITRIO quoque bellum finiri, & tali arbitrio ſtandum eſſe, ait, ſive æquum, ſive iniquum arbitri pronuntiaverint [a]. Arbitros autem in dubio adſtrictos juri eſſe, niſi laxior quædam poteſtas ipſis conceſſa ſit [b]. Ceterum, arbitros electos de proprietate pronuntiare debere, non de

(*o*) L. 3. C. 20. §. 40. n. 1. (*p*) d. C. 20. §. 40. n. 2. (*q*) d. C. 20. §. 41. n. 1. (*r*) d. C. 20. §. 41. n. 1. (*s*) d. C. 20. §. 41. n. 2. (*t*) L. 2. C. 15. §. 4. & 5. Lib. 3. C. 24. §. 7. C. 20. §. 40. (*u*) Lib. 3. C. 20. §. 42. Lib. 2. C. 23. §. 9. (*v*) d. C. 20. §. 42. (*x*) d. C. 20. §. 43. (*y*) C. 20. §. 44. (*z*) d. C. 20. §. 45. (*a*) d. C. 20. §. 46. (*b*) d. C. 20. §. 47.

Digitized by Google

de poſſeſſione; quia poſſeſſoria judicia juris civilis eſſe, putat. [c]

§. CXXVIII. *V.* DEDITIONEM quoque eſſe ſpeciem arbitrii, exiſtimat, quando quis ipſi hoſti de ſe arbitrium ſubmittit [d]. Rationem allegat, quod deditio ſubditum reddat eum, qui ſe dedit, & ſummam poteſtatem deferat cui ſit deditio.

Hinc concludit, eum, qui ex injuſta cauſa bellum gerit, *Jure naturæ* nec occidere deditum poſſe, niſi id ſuo facinore meritus ſit; nec auferre ei aliquid, niſi in juſtam pœnam. At poſito quoque jure pœnæ commendat clementiam; idque contineri, ait, ſub formula, *ſe in fidem dare.* [e]

Jure gentium victum poſt deditionem nihil non patiendum habere, ait, quippe jam ſubditum, & vi juris belli externi eo loco, ut ei nihil non eripi poſſit, etiam vita, libertas, multo magis bona, non tantum publica, ſed & ſingulorum [f]. Excipit autem caſum, ubi deditioni conditio adjecta eſt; eam enim obſervari debere, merito ſtatuit. [g]

§. CXXIX. Porro pactionibus accedere plerumque ſolere, ait, 1. OBSIDES [h]: hos autem dari *vel* ſua voluntate, *vel* etiam invitos, & juſſu civitatis [i]; *illo* caſu eos intervenire tamquam principales, *hoc* caſu tamquam acceſſorium [k]. Ubi addit, quod ſi ex tali pactione damnum obſidi oriatur, id penſari debeat a civitate. [l]

n. 1. Dari obſidem ſaltem poſſe, ait, ſubditum (non ergo vaſallum): ſi plures æque idonei adſunt, rem ſorte eſſe dirimendam [m]; ceterum, etiam obſides dari poſſe pueros, & fœminas. [n]

n. 2. Obſides interfici non poſſe *Jure naturæ*, putat; at *Jure gentium* externo poſſe [o], ſi ſcilicet fides ab eo, qui obſides dedit, violatur.

n. 3. Quærit Grotius [p], *an fugere obſidi liceat?* Et negat, ſi fidem dederit: ſi non dedit, non videri animum fuiſſe civitatis obligandi civem, ne aufugeret.

n. 4. Ceterum, obſidem ex una cauſa datum ex alia retineri non poſſe, ait; quum odioſa ſit obſidum obligatio, adeoque ſtricte interpretanda: poſſe autem retineri jure repreſſaliarum, niſi contrarium pacto cautum ſit. [r]

n. 5. Denique obſidem non liberari, ſtatuit, mortuo eo, cui obſes datus eſt, ſi ſcilicet fœdus eſt reale.

§. CXXX. 2. Pactis quoque accedere poſſunt PIGNORA. Hæc autem quædam communia cum obſidibus habere, ait, quædam propria. *Commune* eſſe, tradit, quod pro alio debito retineri pignus poſſit, niſi obſtet pactum [t]: *Proprium*, quod interpretatio non tam ſtricte ſumatur, quia non eſt æquale odium. Cæterum, jus luendi pignoris præſcribi nullo tempore poſſe, exiſtimat [u]; niſi de animo derelinquendi conſtet.

SECTIO III.

De fide manente bello; ubi de induciis, commeatu, & captivorum redemtione.

§. CXXXI. GROTIUS hactenus egit de pactis ſummarum poteſtatum, *quibus*

(c) L. 3. C. 20. §. 48. (d) d. C. 20. §. 49. (e) d. C. 20. §. 50. (f) d. C 20. §. 50. n. 2. (g) d. C. 20. §. 51. (h) d. C. 20. §. 52. L. 3. C. 4. §. 14. (i) L. 3. C. 4. §. 14. & C. 20. §. 52. & 58. (k) d. C. 20. §. 58. L. 3. C. 23. §. 16. (l) d. C. 20. §. 52. (m) d. C. 20. §. 52. (n) L. 3. C. 4. §. 14. (o) L. 3. C. 20. §. 43. L. 3. C. 4. §. 14. L. 3. C. 11. §. 18. (p) L. 3. C. 20. §. 54. (q) d. C. 20. §. 54. (r) ibid. (s) d. C. 20. §. 57. (t) C. 20. §. 59. (u) d. C. 20. §. 60.

quibus finitur bellum: ſequitur tractatio de pactis ſummarum poteſtatum, *quæ cum hoſte contrahuntur manente bello*, (quæ fides etiam ab inferioribus poteſtatibus dari poteſt. *Vid.* §. 152.). Huc refert inducias, commeatum, & captivorum redemptionem.

§. CXXXII. Induciæ definiuntur conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abſtinendum eſt [x]. Unde bella ſuſpendunt [y], non tollunt; atque eo a pace differunt. [z]

§. CXXXIII. Dicuntur induciæ non ab eo *inde uti jam*, nec ab *endoitu*, i. e. *introgreſſu*, ſed ab antiqua voce *indoitiæ*. [a]

§. CXXXIV. Fieri plerumque ſolent in breve tempus; poſſunt tamen contrahi in plures annos: & exempla induciarum in 100 annos contractarum paſſim exſtant [b]. Eaſque dare non tantum ſummarum poteſtatum eſt, ſed & ducum belli, etiam minorum. [bb]

§. CXXXV. Induciæ ſunt vel univerſales, vel particulares: illæ ſunt, ſi omnis vis ubique inter bellantes ſuſpenditur; hæ, ſi vis ſaltem quoad certum actum ſuſpenditur. [c]

§. CXXXVI. Induciæ cum effectu incipiunt ex momento, quo partes conſenſere; adeo ut ſi ſubditi, milites, vel alii aliquid eis contrarium, antequam publicatio eis fiat, fecerunt, id reſtitui debeat. [d]

§. CXXXVII. Tempus adſcribi induciis ſolet, *vel* continuum, *vel* cum deſignatione termini. *Prius* fit ſi in 100 dies induciæ conceduntur; & tunc computationem fieri, ait, de momento in momentum, ita ut non finiantur niſi in momento ultimi diei, quo pactæ ſunt. *Poſterius* fit ſi induciæ conceduntur, v. g. ad calendas Martias. Ceterum, Grotius negat, terminum a quo computari in tempus induciarum, ſed ſaltem terminum ad quem. [e]

§. CXXXVIII. Effectus eſt, quod durantibus induciis omnis vis ſuſpendi debeat tum in perſonas, tum in res hoſtium [f]. Hinc 1. ſi ea, quæ bello capta fuere, interim revertuntur ad limina noſtra, jus poſtliminii non obtinere, ait [g]; at ire, & redire hoſtes invicem tuto poſſe [h]: 2. corruptis hoſtium præſidiis loca ejus occupare [i], aut 3. transfugas recipere non licere. [k]

§. CXXXIX. Non vero pugnare, putat, cum induciis, 1. recedere interim cum exercitu [l]: 2. derelicta ab hoſte occupare [m] (non autem ſunt derelicta loca præſidiis nudata [n]): 3. auxilia, & commeatus civitatibus inferre, mœnia &c. reficere [o], niſi obſeſſa urbe induciæ ſaltem datæ ſint ſepeliendorum hominum cauſa, vel ut de deditione tractetur; tunc enim ex negotii natura nihil immutandum, ſed omnia in eo ſtatu relinquenda eſſe [p]: 4. exercitum conſcribere, &c. [q]

n. 1. Tutius tamen eſſe, tradit, pacto circumſcribere id, quod fieri non liceat. Hinc [*a*] aliquando expreſſe addi pacto, ne interim aliquid reficiatur; & ideo ſtationarios admitti utrinque ſolere: [*b*] ſæpius quoque prohiberi commeatus [r]: [*c*] Aliquando tantum perſonis caveri, non rebus; eoque caſu, ſi pro

(x) Lib. 3. C. 20. §. 1. junct. C. 21. § 1. (y) L. 3. C. 21. §. 1. (z) d. C. 21. §. 1. n. 1. (z) d. C. 21. §. 1. n. 1. & 2. & § 2. (a) L. 3. C. 21. §. 2. (b) d. C. 21. §. 1. n. 3. & 4. (bb) L. 3. C. 22. §. 7. (c) L. 3. C. 21. §. 10. (d) d. C. 21. §. fin. (e) d. C. 21. n. 3. §. 4. (f) d. C. 21. §. 6. n. 1. (g) d. C. 2. §. 6. n. 1. C. 9. §. 8. (h) d. C. 21. §. 6. n. 1. (i) d. C. 21. §. 8. (k) d. C. 21. §. 8. (l) d. C. 21. §. 7. (m) ibid. §. 8. n. 2. (n) ibid. (o) d. C. 21. §. 7. (p) d. C. 21. §. 10. (q) d. C. 21. §. 7. (r) d. C. 21. §. 10.

pro defendenda re perſona hoſtis læditur, nil contra inducias fieri. [s]

§. CXL. Finiuntur induciæ juxta doctrinam GROTII, 1. mutuo conſenſu: 2. finito tempore adjecto. Ubi quæri ſolet, an terminus ad quem computari in terminum debeat? quod Grotius affirmat [t]. Hinc induciis contractis uſque ad calendas Martias hunc diem comprehendi, ait, niſi in ſpecie quoque ille excluſus pacto fuerit: 3. ſi alter inducias violavit; tunc enim in arbitrio hoſtis eſt, vel ſalvis induciis ad reparationem agere, & v. gr. pœnam conventam petere, vel recedere ab induciis, & bellum continuare, ac ob ſubnaſcentem hanc novam cauſam quoque ſatisfactionem exigere [u]; nam tunc mutuo conſenſu receditur: de quo plenius agetur infra.

Non autem 4. rumpuntur induciæ, ſi ſubditi hoſtis, & privati, aliquid contra inducias faciant, niſi civitas vel ratihabeat, vel ſatisfactionem neget. [v]

§. CXLI. Finitis induciis bellum ſtatim continuari, ait, abſque nova clarigatione [x]; adeo ut illi, qui morbo, vel alia fatali cauſa impediti finitis induciis apud hoſtem inveniuntur, jure belli capi poſſint.

§. CXLII. *II.* Summæ poteſtates *manente bello* concedere poſſunt JUS COMMEANDI [y]; ubi laxam interpretationem locum habere, Grotius ait. Hinc concludit, 1. commeatum militibus datum etiam ad duces pertinere [z]: 2 in *itu* cautum & de *reditu* cenſeri; & cui *abire* datum ſit, eidem datum eſſe *redire.* [a]

Ceterum, commeatum familiæ datum 3. non pertinere ad uxores, & liberos; nec ad famulos, niſi indecorum foret, aliquem ſine famulo ire [b]: 4. ſed nec quævis bona comprehendi ſub hoc commeatu, verum ea tantum, quæ ſolita ſunt ad iter aſſumi [c]: 5. expreſſo comitum nomine piratas, latrones, deſertores &c. non intelligi [d]: 6. conceſſionem juris commeandi non extingui morte concedentis [e]: 7. commeatum datum in hunc modum, *quamdiu voluero*, durare quamdiu non revocatur, niſi is, qui conceſſit, deſierit *poſſe velle* [f]: 8. ſecuritatem conceſſam deberi etiam extra territorium decedentis. [g]

§. CXLIII. *III.* CAPTIVORUM REDEMTIONEM admodum commendat GROTIUS: eam apud Romanos prohibitam fuiſſe, tradit, eaſque leges improbat. [i]

n. 1. Lytron alii cedi [k], & idem pluribus deberi poſſe [l], ait, ſi ſcil. ab uno dimiſſus, pretio nondum ſoluto, captus ſit ab alio: ſemel autem ſtatutum ideo augeri non poſſe, quod locupletior intelligatur captus, quam credebatur; modo dolus non interveniat. Id vero tantum *Jure gentium* verum eſſe, putat, non *Jure naturæ*; ibi enim quamlibet inæqualitatem corrigi debere. [m]

n. 2. Addit Grotius, hodie, ubi capti ſervi non fiunt, ad ſolvendum lytron adhibere poſſe captum id, quod clam ſecum captivus habet; quia hoſtis non acquirit niſi quod ſpecialiter apprehendit [n]. Sed & pretium conventum, & ante mortem non ſolutum, deberi

(*s*) Lib. 3. C.21. §. 10. (*t*) d. C. 21. §. 4. n. 1. & 2. (*u*) d. C. 21. §. 11 & 12 (*v*) Lib. 3. C.21. §. 13. (*x*) L. 3. C.21. §. 13 (*y*) L. 3. C.21. §. 14. (*z*) d.C.21. §. 15. (*a*) d. C.21. §. 16 (*b*) d. C.21. §. 17 (*c*) d. C.21. §. 18.

(*d*) d. C.21. §. 19. (*e*) d. C.21. §. 20. (*f*) d. C. 21. § 21. (*g*) d. C.21. §. 22. (*h*) d.C.21. §. 23. (*i*) d. C. 21. §. 24. (*k*) d. C. 21. §. 25. (*l*) d. C. 21. §. 26. (*m*) d. C. 21. §. 27. (*n*) d. C. 21. §. 28.

deberi ab hæredibus, exiſtimat, modo captus libertatem actu obtinuerit. [o]

n. 3. Denique, ait, in carcerem redire non teneri eum, qui ideo liberatus eſt ut faceret dimitti alium, qui factum morte prævenit; ſed liberari præſtando æſtimationem. [p]

Sectio IV.

De fide minorum poteſtatum in Bello.

§. CXLIV. Inter publicas quoque conventiones Grotius cum Ulpiano refert pacta *Ducum inter ſe, aut cum aliis.* [pp]

Duo autem hic quæri, ait, 1. an pacta illa ſummam poteſtatem obligent? 2. an ipſos Duces, aliaſque minores poteſtates?

§. CXLV. *Priorem* quæſtionem affirmat, ſi ex juſſu ſuperioris, vel ex præpoſitionis natura id ſequitur. [q]

§. CXLVI. Aliquando factum minorum poteſtatum occaſionem dare obligationi, ait, etſi id factum non ſit cauſa proprie dicta [r]; nimirum, *vel* per conſenſum, etiam tacitum, uti ſi ſumma poteſtas id ſcivit, & fieri paſſa eſt; *vel* per rem ipſam, ſi locupletior fieret ſumma poteſtas cum alterius jactura. [s]

§. CXLVII. Obligari autem ſummam poteſtatem ex facto minorum poteſtatum, etiamſi præpoſitus aliquid fecit contra mandata arcana, intra limites tamen publicæ functionis; qui ſi ſatis noti non ſunt contrahentibus, ſequendum eſſe, ait, quod conjectura dictat, ut id intelligatur conceſſum, ſine quo ſatis commode quæ officii ſunt expediri non poſſunt.

§. CXLVIII. *Poſteriorem* quæſtionem affirmat; eumque, qui fines mandati excedit, teneri ei, cui fidem dedit, ad æſtimationem; & ſi dolus acceſſerit, de damno culpa dato; immo & ex crimine ad pœnam: idque verum eſſe, ait, etſi teſtationem interpoſuerit, ſemet ipſum obligari nolle [u]. Unde concludit, contractum talem ſemper eſſe bilateralem, & nunquam claudicare. [v]

§. CXLIX. Poſtquam Grotius explicavit, quatenus ſuperiores obligentur ex pacto Ducum, porro quærit, an, & quatenus ex horum pactis milites, & ex pactis magiſtratus oppidani obligentur? Et reſpondet, obligari intra eos actus, qui ſolent ab ipſis imperari, etiamſi pacta onus annexum habeant; ſed & e contrario pacta hæc eis prodeſſe in utilibus: ſi extra fines mandati aliquid imperant, & conſenſu ſuperioris, & ſi onus annexum eſt, acceptatione inferiorum opus eſſe, ait. [x]

§. CL. Duces belli tranſigere non poſſunt 1. de cauſis belli, nec de conſequentibus [y]; aliud de induciis dicendum, & de commeatu [z]: 2. neque homines, imperia, agros, bello quæſita concedere hoſti, at nondum quæſita condonare [a], & v. gr. ſe dedentibus vitam, libertatem, bona, abitum, &c. permittere poſſunt. [b]

§. CLI. In his ducum factis ſtrictam obtinete interpretationem, ait, ne aut ex ipſorum actu ſumma poteſtas plus, quam velit, obligetur, aut ipſi damnum ſubeant officium faciendo [c]. Hinc infert, 1. eum, qui in deditionem puram

(o) L. 3. C. 21. § 29. (p) d. C. 21. §. 30. (pp) L. 3. C. 22. §. 1. (q) L. 3 C. 22. §. 2. (r) d. C. 22. §. 3. (s) d. C. 22. §. 3. (t) L. 3. C. 22. §. 4. (u) d. C. 22. §. 4. (v) d. C. 22. §. 5. (x) L. 3. C. 22. §. 6. (y) d. C. 22. §. 7. (z) d. C. 22. §. 8. (a) d. C. 22. §. 9. n. 1. (b) d. C. 22. §. 9. n. 2. (c) d. C. 22. §. 10.

Digitized by Google

ram a Duce accipitur, eo jure acceptum videri, ut de eo victoris populi, aut regis arbitrium ſit [d]: 2. ſi inito a Duce pacto addita ſit clauſula, *ſi populus Romanus cenſuiſſet*, ratihabitione non ſecuta, ducem non teneri niſi quatenus locupletior eſt factus [e]: 3. qui oppidum tradere promiſerunt, dimittere præſidium poſſe. [f]

SECTIO V.

De fide privata in bello.

§. CLII. PRIVATOS quoque (etiam ætate minores [g]) fidem hoſti dare poſſe, & inde obligari, contra BARTOLUM, alioſque, GROTIUS aſſerit [h]; idque non tantum de vero hoſte, ſed & de latrone, & pirata ſtatuit [i]: modo error non intervenerit, & quidem talis, qui in mente agentis vim habeat conditionis. [k]

§. CLIII. Valere autem diſpoſitionem privatorum, ait, tantum de jure ſuo privato, non vero de jure publico [l]: neque obſtare civibus jus ſupereminentis dominii, aut militibus ſacramentum; nam excipi caſum ſummæ neceſſitatis. [m]

§. CLIV. Hinc concludit, promittere poſſe captivum de redeundo in carcerem [n]; de non redeundo in certum locum; de non militando adverſus capientem [o]; de non fugiendo, etſi vinctus id promiſerit; ſecus ſi poſt promiſſionem vinctus fuerit. [p]

§. CLV. Quæritur, an is, qui captus eſt, alii ſe dedere poſſit? Negat Grotius, quia jus victori ſemel quæſitum auferri nequit. [q]

§. CLVI. Porro quæritur, an privati violantes pacta a ſuis poteſtatibus cogi poſſint ut impleant? Grotius *Jure naturæ* negat; at *Jure gentium in bello ſolenni* id receptum eſſe, affirmat. [r]

§. CLVII. In dubiis pactis interpretationem ita faciendam eſſe, ait, ut a proprietate vocum quam minime recedatur [s]. Hinc infert, 1. eum, qui vitam pactus eſt, non jus habere ad libertatem [t]: 2. auxilium veniſſe dici, ſi ſit in conſpectu poſitum [u]: 3. rediiſſe ad hoſtem non videri, qui clam rediit, ut ſtatim exiret: 4. deditione facta ſub conditione, *niſi auxilia advenerint*, intelligi debere talia auxilia, quæ periculum ceſſare faciant [x]: 5. ſolutione promiſſa certo loco non deficere obligationem ſolvendi, etſi locus dominum mutaverit [y]: 6. obſides in dubio acceſſionis loco haberi. [z]

SECTIO VI.

De fide tacita.

§. CLVIII. SILENTIO quædam conveniri poſſe, GROTIUS ait; quum conſenſus qualitercunque indicatus, & acceptatus, vim habeat juris transferendi. [a]

§. CLIX. Quædam autem natura actui ineſſe, docet [b]: uti 1. ſi quis in tutelam

(*d*) L. 3. C. 22. § 11. (*e*) d C. 22. §. 12. (*f*) d. C. 22. §. 13. (*g*) L. 3. C. 23. §. 3. (*h*) L. 3. C. 23. §. 1. & 3. (*i*) d. C. 23. §. 2. (*k*) d. C. 22. §. 4. junct. L. 2. C. 11. §. 6. (*l*) d. C. 23. §. 5. (*m*) d. C 23. §. 5. n. 2. & 3. (*n*) d. C. 23. §. 6. (*o*) d. C. 23. §. 7. (*p*) d. C. 23. §. 8. (*q*) d. C. 23. §. 9. (*r*) d. C. 23. §. 10. (*s*) C. 23. §. 11. (*t*) d. C. 23. §. 12. (*u*) d. C. 23. §. 13. (*w*) ibid. (*x*) d. C. 23. §. 14. (*y*) d. C. 23. §. 15. (*z*) d. C. 23. § 16. & C. 20. § 58. (*a*) L. 3. C. 24. §. 1. (*b*) d. C. 24. §. 1.

Digitized by Google

tutelam recipi a populo, aut rege expetit; is enim tacite ſe obligat, ne quid faciat adverſus eum ſtatum, in quo præſidium petit [c]: 2. ſi quis colloquium poſtulat, aut admittit, tacite pollicetur [d], collocutoribus id innoxium fore; etſi durante collocutione collocutores ſua interim promovere abſque perfidia poſſint [e]: 3. ſigna muta, ex conſuetudine ſupplicem deditionem ſignificantia, obligare ad arma ponenda [f]: 4. Sponſionem a Duce factam ratihabitam cenſeri, ſi actus cognitus, & tale factum accedit, cujus alia cauſa extra voluntatem fœderis probandi dari non poſſit. [g]

§. CLX. Tandem quærit, *an ex ſola diſſimulatione pœnæ remiſſio colligi poſſit?* Negat Grotius, niſi accedat talis actus, qui aut amicitiam per ſe oſtendat, ut fœdus amicitiæ; aut opinionem de tali virtute, cui merito ante facta condonari debeant: [h] ſive ea opinio verbis indicata ſit, ſive rebus, quæ ex more inſtitutæ ſunt ad talem ſignificationem.

CAPUT XIII.

De his, qui in bello medii ſunt.

§. CLXI. GROTIUS eam licentiam, quam hactenus explicavimus, (ſive ex *jure naturæ*, ſive ex *jure gentium* oriatur,) tantum in *hoſtem* conceſſam eſſe, ait; adeoque in hos, qui extra bellum ſunt poſiti, nullum jus belli eſſe, recte ſtatuit [i]. Solam autem neceſſitatem excipit; hanc enim jus in rem alienam dare, ſi ipſi domino par neceſſitas non ſubeſt, & ultra, quam uſus exigit, non ſumitur [k]. Quod alibi [l] plenius explicavimus.

§. CLXII. Ceterum, eorum, qui medii ſunt, officia quædam eſſe circa bellantes, ait [m]: nimirum, nihil facere debere, aut quo validior fiat is, qui *improbam* fovet cauſam, forte ſubminiſtrando ea, quæ proprie ad bellum ſunt uſui hoſtili, arma, commeatum, &c. mittendo; aut quo *juſtum bellum* gerentis motus impediantur.

In re dubia æquos ſe præbere debere utriſque in permittendo tranſitu, in commeatu præbendo, legionibus in obſeſſis non ſublevandis [n], &c.

Ubi ſuadet, ut cum utriſque paciſcatur, ut bona voluntate a bello abſtinere, & communia humanitatis officia utriſque exhibere liceat. [o]

CAPUT

(c) L. 3. C. 24. §. 2. (d) d. C. 24. §. 3. (e) d. C. 24. §. 4. (f) d. C. 24. §. 5. (g) Lib. 3. C. 24. §. 6. (h) Lib. 3. C. 24. §. 7. (i) L. 3. Cap. 17. §. 1. (k) Lib. 3. Cap. 17. §. 1. (l) Lib. 2. Cap. 2. §. 10. Conf. Diſſert. proœm. 6. §. 19. (m) Lib. 3. C. 17. §. 3. (n) d. Cap. 17. §. 3. n. 1. & 2. (o) d. Cap. 17. §. 3. n. 3.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Ubi monita quædam generalia circa ſyſtema GROTII *exhibentur.*

§. CLXIII. PLURIMA circa ſyſtema Grotii monenda occurrunt, quæ ipſi commentario reſervamus. Hic generalia quædam ſaltem notabimus.

§. CLXIV. *I.* Ex præcedentibus repetendum eſt, modos demonſtrandi juſtitiam bellorum ex jure naturæ ſociali, & laxiori, item ex jure gentium, & divino, (§. 17. ſeq.) nihil probare; cum *Jus ſociale* non agnoſcamus, *Jus laxius* ad ſola jura Dei pertineat, *Jus gentium* merum figmentum ſit, *Jus* autem *divinum voluntarium*, *& univerſale* diſtinctum a jure naturæ non exiſtat.

§. CLXV. *II.* GROTIUS juſtitiam bellorum demonſtraturus in genere ait, nihil in illis inveniri, quod cuſtodiæ humanæ ſocietatis contrarium ſit. At alibi notavimus, eum, qui bello injuriam ſibi illatam vindicat, omnino turbare humanam ſocietatem; adeoque probandum erit, hanc turbationem ſocietatis licitam eſſe. Probatur autem facillima ratione ex noſtris principiis, quæ ſupponunt, Deum facultates quaſdam habendi, vel agendi, ſingulis hominibus conceſſiſſe: unde ſequitur neceſſario, Deum quoque facultatem conceſſiſſe jura illa tuendi, contra eos, qui jura ex Dei voluntate quæſita nobis auferunt; quia alias fruſtra jura illa hominibus propria eſſe voluiſſet, Deus autem nihil fruſtra agit. (*Diſſ. Proœm. I.* § 73.)

§. CLXVI. *III.* Agnoſcimus quidem diviſionem in bellum *privatum*, *& publicum*: at *mixtum*, (vid. ſupr. §. 19. & 24.) id eſt, tale bellum, quod geri in privatos poteſt, & auctorem habere magiſtratum quemvis, non admittimus [p]. Equidem exempla quædam hujusmodi bellorum mixtorum Grotius proponit: nimirum, 1. ſi Princeps in ſubditos rebelles arma ſumit; bellum enim hoc intuitu ſubditorum eſſe privatum, ait [q]: 2. ſi inferior magiſtratus ad exercendam juriſdictionem in ſubditos contumaces arma adhibet [r]: 3. ſi idem magiſtratus ad tuendam plebem ſibi creditam bellum infert vicinis injuriam facientibus. [t]

Huc quoque pertinere videtur 4. ſi ſubditi in principem ſtatum invertentem vim parant [u]: 5. ſi ſummus princeps læditur ab alterius principis ſubdito, vel contra: 6. ſi gens a piratis, qui ſuperiorem non habent, læditur [v]: 7. quando imperantes ipſi in diverſas eunt partes.

n. 1. At verius eſt, his caſibus vel eſſe bellum privatum, i. e. reſiſti poſſe jure defenſionis neceſſariæ; vel plane bellum non eſſe, ſed jus judiciorum obtinere; vel eſſe bellum publicum. Quod in ſingulis exemplis plenius demonſtrandum eſt.

n. 2. *Primo* caſu, ſi princeps in ſubditos rebelles arma ſumit, id non jure belli, ſed jure imperii facit; neque tanquam

(*p*) Vid. Lib. 1. C. 3. §. 1. n. 1. (*q*) Lib. 1. C. 3. §. 4. (*r*) d. §. 4. n. 3. & §. 5. n. 1. (*s*) d. §. 4. n. 3. & §. 5. n. 1. (*t*) Lib 3. Cap. 4. §. 10. 11. 12. 14. (*u*) Vid. Lib 3. C. 2. §. 7. n. 1. junct. §. 2. n. 3 (*v*) Lib. 1. C 4. §. 1. n. 1. in fin.

Digitized by Google

tamquam in hoſtes vim parat, ſed ſubditos rebelles caſtigat vi imperii, & juriſdictionis.

Idem quoque dicendum, ſi prædones opibus, & copiis validi civitatem, de cujus territorio ſunt, lædunt; contra hos enim vis exercetur intra ſummi imperii fines, adeoque tamquam in ſubditos. [x]

Atque huc pertinet bellum Sertorianum, totius imperii Romani viribus cum univerſis Hiſpaniæ, aliiſque populis, geſtum; de quo FLORUS [y] ait: *Hoſtile potius, an civile dixerim, neſcio.* Sed ſine dubio bellum hoc mere civile fuit; idque inde probat B. PARENS [z], quia univerſæ Hiſpaniæ populo Romano ſubjectæ erant, & Sertorius dux, miles, & ſubditus Romanus, & ex Syllana proſcriptione exſul. Quod & mox agnovit Florus [a], ubi refert NB. in favorem Metelli, & Pompeji, qui duces ejus belli fuerant, pro hoſtili habitum, ut triumpharent.

Huc quoque pertinet bellum ſervile, quod Romani cum ſervis geſſere [b]; in quo adeo jus belli non obtinuit, ut victi plerique vel patibulo affixi fuerint, vel metu ſupplicii voluntariam mortem ſubierint [c]. Tale quoque fuit bellum cum Spartacio geſtum, qui ſervos, & gladiatores milites habuit, & non niſi collectis totius imperii viribus vinci potuit [d]. Item Catilinarium [e]; porro quod ſub Lepido [f], item cum Viriato venatore, & tandem latrone, geſtum eſt [g]; denique bellum cum Tacfarinate [h]. Hinc Auguſtus, cum hic prædo, & deſertor legatos mitteret, indoluit quod hoſtium more ageret. [i]

n. 3. *Secundo* caſu itidem magiſtratus non jure belli, aut tamquam in hoſtes, arma ſumit, ſed vi juriſdictionis ſibi commiſſæ pœnas irrogat, & ſubditos refractarios vi coërcet.

n. 4. *Tertio* caſu inferior ille magiſtratus vim vi repellere poteſt, non ſuo jure, ſed ex mandato Principis, ſaltem tacito; atque tunc eſt bellum publicum. Si vero inferior ille magiſtratus ob prætenſam forte injuriam, vicinæ genti, quæ eam factam negat, bellum infert, diſpiciendum eſt, an Princeps conſentiat, an non? Priori caſu bellum erit publicum; poſteriori caſu plane non eſt bellum, ſed magiſtratus ille aut puniri a ſuo Principe, aut ei, quem bello injuſſu populi petiit, dedi debet. De quo alibi latius agemus.

n. 5. *Quarto* caſu itidem non eſt bellum, nedum mixtum. Sane, cum talis Princeps, qui ſtatum evertit, deſinat eſſe Princeps, certum eſt, ceſſante imperio illud redire ad populum, adeoque huic vi imperii ſtatus præſentis, legumque, ac civium defenſio incumbit; quæ proinde tum non peragitur ex cauſa belli juris gentium (quod non eſt niſi inter duas ſummas poteſtates); ſed ex cauſa imperii ſpecialiter ſic dicti, quod ad populum revertitur, & in Principem nunc privatum exercetur. [k]

n. 6. *Quinto* caſu itidem bellum non eſt, ſed ſi ſummus Princeps læditur ab alterius Principis ſubdito, vel contra, id pertinet ad judiciorum ordinem, quod [l] ita explicat: Cum enim ille, qui læſiſſe dicitur, alii ſummo prin-

(x) B. Parens in Exerc. 2. ad Grot. §. 157. & 158. (y) L. 3. C. 22. (z) d. Exerc. §. 163. (a) d. C. 22. in fin. (b) Vid. Flor. L. 3. C. 19. (c) Florus dict. C. 19 (d) Flor. L. 3. C. 20.

(e) Flor. Lib. 4 C 1. (f) Flor. L. 3. C. 23. (g) Flor. L. 2. C. 17. (h) Tac. 3. ann. 72. (i) Vid. inf. L 2. C. 18 §. 2. (k) B. Parens d. Exerc. 2. §. 153 (l) B. Parens d. Ex. §. 154.

principi ſubjectus ſit, eumque judicem habeat, hujus forum princeps læſus, idemque actor, natura ſequitur; quod ſi vero judex iſte jus negaſſe, vel rite non adminiſtraſſe dicitur, tota hæc quæſtio jam eſt inter duos hos ſummos Principes, quæ non niſi belli jure decidi poteſt. Et e contrario, ſi principis ſubditus ab alio ſummo Principe læſus ſit, is quidem judicem, quem princeps nullum in terris agnoſcit, adire non poteſt; at ſui principis officium implorabit, ut ille jus ſuum tueatur, prout natura tenetur: qui ſi principem lædentem requiſiverit ut ſatisfaciat, nec impetraverit, iterum cauſa hæc inter duos Principes vertitur, nec niſi Martis arbitrium ſupereſt [ll].

n. 7. *Sexto* caſu diſtinguit B. PARENS, an piratæ illi extranei nobis injuriam fecerint, an non? Priori caſu jure neceſſariæ defenſionis eos repelli vi poſſe, ſtatuit, adeoque tunc bellum eſſe privatum. At ſi prædones illi extranei promiſcue quidem latrocinia exerceant, nos vero in ſpecie non lædunt, quæritur, an in eos arma ſumere liceat? Et quo jure? B. PARENS in ea eſt opinione, imperium univerſo generi humano competiiſſe initio; poſtea diviſum illud fuiſſe in plures civitates: at quædam jura individua manſiſſe, quia certis territoriorum ſpatiis includi non potuerunt; quod ita probat [m]. Cum vero quædam jura individua ſint, vel talia, ut certis terrarum ſpatiis concludi non poſſint, ea in hanc partitionem non venerunt, uti quæ ad jus, utilitatem, pacem, dignitatem, injuriam totius humanæ gentis individue ſpectant. Ita ipſa ſocietas humana non potuit dividi; & diviſione extincta fuiſſet: ſocietas enim diviſione tollitur.

Ita ſub originario illo, & univerſali ſummo imperio ante diviſionem ſine dubio comprehenſum fuit, tueri jura naturæ, & pacem totius humanæ gentis, & dignitatem naturæ humanæ; atque adeo defendere quoque mortuorum hominum corpora, & cadavera; & propulſare quod ad omnium injuriam pertinet, qualia ſunt anthropophagiæ, ſodomiæ, prædandi, inceſtuum, &c. licentia; denique cavere, ne liberi tranſitus innoxii tollantur, eoque omne humanum, quod a natura eſt, commercium, ipſaque adeo humana ſocietas nervis ejus inciſis, ruptiſque vinculis aboleatur. Fuere itaque originarie ſummi imperii univerſalis duplicia jura: quædam, quæ ita *indiviſim* reſpiciunt univerſum genus humanum, ut ab hac univerſitate ſeparari, & certis territoriorum ſpatiis concludi non potuerint: quædam vero *dividua*, & talia, quæ partibus terrarum coërceri, & per populos diſtribui potuerunt; uti ſunt jura, quæ bonum, & pacem cujuſque populi, non totius humani generis, ut corporis indiviſi concernunt. Hæc ſola igitur in partitionem cum terris diviſis venerunt: atque horum diviſione id effectum eſt, ut quoad hæc jura cujuſque populi ſummum imperium terræ ſuæ finibus conſtrictum, omneſque, & ſinguli extra hos fines ſuos privati eſſent. Reliqua vero, quæ diximus, ſummi hujus imperii univerſalis jura individua, nec certæ terræ regionibus circumſcripta ſunt, atque adeo remanent, etiam poſt

(ll) Conf. Lib. 1. Cap. 3. §. 21. n. 4. & Lib. 2. Cap. 4. §. 1.

(m) B. Parens in Exerc. 2. ad Grot. in fin.

poſt diviſionem, ſub complexu ſummi imperii univerſalis, & originarii.

Verum, cujus jam eſt hoc imperium ſummum univerſale poſt diviſionem terrarum, & gentium? Et conſequens eſt, eſſe illud eorundem, quorum eſt imperium ſummum in ſuas terras. Inter illos enim diſpertitum eſt originarium illud ſummum imperium totius humani generis. Cum igitur hæc partitio non fuerit facta ad minuendam vim ſummi imperii primævi, vel ad partem ejus ei detrahendam, & extinguendam, ſed contra, ad ſtabiliendam, & pluribus munimentis, ac præſidiis fulciendam, pertinet equidem ad liberos populos, vel ſummos Principes, univerſum illud ſummum imperium primitivum ſine ulla imminutione; ſed pro indole, ac natura cujuſque juris, dividua ad ſingulos pro partibus, individua in ſolidum. Idque in omni fere univerſitatis jurium diviſione uſu venit, ut quædam jura partibus dividi non poſſint, & eapropter neceſſario apud ſingulos dividentes maneant in ſolidum; quicquid enim partes non recipit, id ubi eſt, ibi in ſolidum eſſe neceſſe eſt. Cum vero hujus rei effectus varii, atque abſtruſi, totaque hæc quæſtio de individuis perdifficilis ſit, ſuo loco eam plenius enodabimus. [n]

Ego diſtinguendum puto, 1. an piratæ illi ſint alterius imperio ſubjecti, an non? Si, non, 2. an ſint verus populus in civitatem collectus, & imperium exercens, an vero ſint prædones errantes, ſine civitate, & imperio, adeoque diſſociata multitudo prædandi cauſa collecta?

Si piratæ alterius imperio pareant, nec civitas, cui piratæ illi ſubſunt, excurſiones impedire poſſit, vicini jure neceſſariæ defenſionis arma in hos piratas ſumere poſſunt; adeoque bellum hoc erit mere privatum.

Si piratæ gentem conſtituunt, & cum potentiis vicinis jura gentium obſervant, ac maria ſaltem infeſtant, verum bellum publicum eſt. Atque tale fuit bellum piraticum Ciliciæ; nam Ciliciæ gens erat libera, ſuis vivebat legibus, & ſub Veſpaſiano demum in provinciæ formam eſt redacta [o]. (Piratæ autem dicebantur, quia maria infeſtabant, eaque bello præcludebant [p]). Atque hinc etiam Pompejus de his piratis triumphum duxit [q], qui non niſi in bello publico decerni ſolebat. [r]

Huc quoque pertinet bellum Balearicum [s], nec non bellum Illyricum, de quo Cn. Fulvio Centumano triumphus decretus fuit [t]; item quod cum Barbaroſſa geſſit CAROLUS V: fuit enim ille præfectus claſſis Turcicæ, adeoque Ottomannorum jure, & nomine, bellum gerebat. [u]

Si piratæ ſunt prædones errantes, vel in inſula deſerta degentes, qui promiſcue in omnes homines ſæviunt, non jure imperii, nedum jure imperii univerſalis coërceri poſſunt, ſed jure neceſſariæ defenſionis; utpote quæ non tantum contra injuriam actu illatam, ſed & contra eam, quæ paratur, licita eſt. Sane, latrones, & piratæ, qui promiſcue in omnes ſæviunt, totumque humanum genus pro hoſte habent, eo ipſo declarant, ſibi nil niſi occaſionem injuriam inferendi deeſſe.

Cum

(n) Conf. Exerc. ad Grot. 2. §.259. (o) Suet. Veſp. C. 8. (p) Flor. Lib. 3. C.6. (q) Val. Max. Lib. 8. C. 15. n. 8. (r) Florus 3. Cap. 19. Herodian. 3. 19. Lucan. 3. 79. Alex. ab Alex. Genial. dier. 1. C. 22. Val. Max. 2. 8. (s) apud Flor. 3. 8. (t) Vid. not. ad Lib. 3. C. 3. §. 2. n. 3. (u) Vid. Bayle diction. voce Barbaroſſa.

Digitized by Google

Cum igitur eo ipſo, dum in omnes armantur, ſatis teſtantur, ſe omnium hoſtes eſſe, omnes quoque homines, etiam actu nondum læſi, injuriam, quam metuunt, avertere poſſunt; adeoque bellum hoc erit mere privatum.

Atque hinc quilibet privatus jure neceſſariæ defenſionis in eos arma ſumere poteſt; idque conſtat exemplo Cæſaris, qui licet privatus, claſſem comparavit contra piratas, & eos captos cruci affixit [v]. Huc pertinet bellum, quod Hiſpanis perpetuum eſt cum iis, qui *Flibuſtiers* vocari ſolent.

n. 8. *Septimo* caſu ſi corpus civitatis liberæ, cui ſumma imperii poteſtas conjuncta eſt, in duas partes ſciſſum, ac diviſum armis ſecum dimicet, naturali jure id bellum non eſt, quia neutri parti inhæret ſumma imperii poteſtas, cujus eſt jus belli, ſed toti corpori: nedum erit bellum juſtum, vel licitum; quia bellum juſtum jure gentium non eſt, niſi cum illud geritur inter ſummas utrinque poteſtates, quæ judicem alium in terris non habent, reipublicæ ſuæ tuendæ, & hoſtis inde arcendi cauſa. Atque huc pertinent bella illa civilia inter Marium, & Syllam, inter Pompejum, & Cæſarem, inter Auguſtum, & Antonium.

Partes enim utrinque non ſunt niſi privati, nec ob tutelam populi, vel reipublicæ, ſed ob ſua commoda, & rerum ſuarum rationes, bellum gerunt; nec tendunt ad adſervandam ab hoſte rempublicam, ſed lacerandam inter ſe, ac turbandam, ubi magis tumultuatur, quam bellatur [x]. Inde ergo nulli ſunt effectus belli juris gentium, ſed damnorum utrinque datorum reparandi obligatio, quæ non pace, ſed tranſactione finitur. [y]

Si de ſucceſſione regni inter agnatos diſputatur, bello res deciditur [z]; omnes enim ſe reges, & cum ſumma poteſtate eſſe contendunt: quos repugnat habere judicem, & ſuperiorem. [zz]

§. CLXVII. *IV.* Circa *Jus repreſſaliarum* multa notanda occurrunt. Nam 1. verum non eſt, ejus rationem ex *Jure gentium* oriri (*vid. ſupr.* §. 30.). Ipſa ratio naturæ dictat, ſubditos ex facto Principis teneri, cum factum illius defendant, & defendere teneantur.

2. Verum non eſt, jure naturæ ſubditos, & in ſpecie fœminas, infantes, ac ſenes, capi non poſſe pro debito ſuæ civitatis (*vid. ſupr.* §. 37.): nam omnes ſequuntur cauſam Principis, ſolutionem debiti injuria negantis.

3. Verum non eſt, ſingulos læſos capere perſonas, & res ejus civitatis, quæ jus ei denegavit, etiam non implorata auctoritate judiciorum.

4. Verum non eſt, vitam adimi captis jure repreſſaliarum non poſſe, ſi noſtri cives injuria occiſi fuere: nam ſinguli civitatis factum præſtare tenentur, quia cauſam civitatis ſequuntur.

V. Grotius juſtitiam belli privati non magis adſtruit, quam juſtitiam bellorum publicorum. Rationem enim licentiæ bellorum privatorum hanc affert, quia juri naturali non repugnat injuriam etiam vi a ſe arcere (*vid. ſupr.* §. 41.). Sed id ipſum in quæſtione eſt, an juri naturali repugnet, injuriam vi a ſe arcere? adeoque id probari debuiſſet; & cum per bellum

(v) Vid. Lib. 2. Cap. 20. §. 8. n. 2. Conf. Lib 3. C. 3. §. 2. ibique Gron. (x) Vid. Flor. Lib. 4. C. fin. (y) Ex. 2. ad Grot. §. 155. ſeq. (z) B. Parens de Teſt. Princ. Part. 2. §. fin. (zz) ibid.

bellum jus hoſti vi auferatur, ratio dari debet cur id illicitum non ſit.

§. CLXVIII. *VI.* Diſtinctionem inter bellum ſolenne ex jure gentium, & minus ſolenne (*vid. ſupr.* §. 48. *ſeq.*) mere eſſe cerebrinam, ſtatuimus. Nam 1. alibi demonſtravimus, non dari jus gentium, nec exiſtere talem conſtitutionem univerſalem, qua gentes jura quædam inter ſe ſtatuere voluiſſe appareat. Adeoque 2. verum non eſt, gentes conſtituiſſe ut bellum illud, quod inter duas poteſtates ſummas geritur, & indictum eſt, ſolenne ſit, & quod ei quoſdam effectus ſingulares tribuerint, *impunitatem*, ſcilicet, intuitu aliarum gentium, & *dominium externum.* Unde quæſo conſenſus, pactum, & ſtatutum tale probari poterit? Sane, 3. omnes illi effectus juris particulares, qui bello ſolenni ex jure gentium tribuuntur, vel ad jus naturæ pertinent, vel plane non ſunt juris, adeoque nec juris gentium; quod in ipſo commentario ſuis locis demonſtrabimus. Inutilis ergo eſt tractatio operoſa Grotii in explicandis his effectibus.

4. Cauſam huic invento dedit quæſtio illa celebris, *an bellum utrinque juſtum eſſe poſſit?* Grotius ex lumine rationis recte judicavit, alterutrum neceſſario injuria agere. Quia vero de juſtitia cauſæ inter duas ſummas poteſtates, quarum utraque jure ſe agere putat, nihil abſque periculo affirmari, adeoque neutra injuriæ argui poteſt, admodum hæret, quo ſenſu bella hæc juſta utrinque dici poſſint.

Ut igitur rationem hujus rei daret, ſupponit, gentes (quæ noluere decidere inter partes) inter ſe conſtituiſſe, *ut omne bellum utrinque juſtum ſit*, ad eum effectum, ut is quoque, qui injuſtam defendit cauſam, res hoſtis acquirat, &c. nec ab aliis gentibus puniri poſſit.

Id autem gentes ſaltem conſtituiſſe in bellis *ſolennibus.* (Quæ nimirum inter duas ſummas poteſtates geruntur, & indicta ſunt). In *minus ſolennibus* vero (i. e. quæ a poteſtate non ſumma geruntur, vel quæ indicta non ſunt) nec jure gentium bellum juſtum utrinque eſſe, ſed eum, qui injuria agit, capta reſtituere teneri, & tanquam latronem, raptorem, &c. a quovis puniri poſſe.

Equidem opus non fuiſſet, ut illa difficultas evitetur, ad diſtinctionem confugere, quæ meris, & vagis præſumtionibus nititur, ac omni ratione caret. Deciſio propoſitæ quæſtionis ex ipſa ratione naturali ſequitur.

Præmittendum autem eſt, morali ratione inter duas ſummas poteſtates judicium de juſtitia cauſæ ferri non poſſe: non ab *ipſis litigantibus*, quia uterque ſuam cauſam juſtam aſſerit; nec ab *aliis gentibus*, quia gens in alias gentes judicium ſibi arrogare nequit.

Suſpenſa igitur eſt juſtitia cauſæ, & tota res dependet ab eventu belli; indeque ſuſpendi debet judicium de juſtitia cauſæ, donec Deus bellorum arbiter litem hanc per ultimam victoriam decidat.

Sed anne durante ſaltem hac lite uterque jure agit? Anne uterque mediis defenſionis propitio jure uti poteſt? Reſp. Nec hoc admittimus, quia is, qui injuria agit, etſi id non publice teſtetur, omnia illicite agit; adeoque hæc ipſa defenſionis media injuſta ſunt.

At, ais, uterque in bona fide eſſe, eoque jure ſe agere opinari poteſt; adeoque ſaltem ratione modi procedendi utrinque bellum juſtum erit? Reſp. Ex eo, quod quis opinatur ſibi juſtam eſſe cauſam, non ſequitur, eam vere juſtam

Digitized by Google

ſtam eſſe; facile enim, in propria inprimis cauſa, falli poteſt. Sed & negamus, utrumque in bona fide eſſe poſſe circa juſtitiam cauſæ; ea enim eſt rationis noſtræ conditio, ut examinatis rite circumſtantiis, & adhibito conſilio prudentum, facile cuivis conſtare poſſit quid juſtum ſit, quid injuſtum. Si quis igitur vel ex malitia, vel ex ignorantia, juſtam ſibi fingit cauſam, quæ talis non eſt, ſemper injuria manet, & eventus belli id declaraturus eſt.

Illuſtratur hæc ratio exemplo litium privatarum, in quibus durante proceſſu pariter neuter litigantium injuriæ argui poteſt. Tota quæſtio de juſtitia cauſæ ſuſpenſa eſt, uſque dum per ſententiam judicis de ea conſtet, eoque declaretur, cujus cauſa injuſta ſit, quis injuria proceſſui cauſam dederit, adeoque quis ad reparationem, & ad pœnam teneatur.

Cum vero dictum ſit, gentes in duas ſummas poteſtates bellum inter ſe gerentes judicium ſibi ſumere non poſſe, anne hinc ſequi videtur, eos utriuſque factum pro jure habere? Reſp. formula illa, quod gentes *utriuſque factum pro jure habeant*, nihil aliud ſignificat, quam quod judicium de jure belli ſuſpendant, & præſentem utrobique ſequantur poſſeſſionem. Inde autem non ſequitur, gentes aſſerere, aut ſtatuere, bellum utrinque eſſe juſtum; quod inſigne mendacium foret.

Hinc jam omnes illæ differentiæ inter *Jus naturæ*, & *Jus gentium*, quod in *bello ſolenni* obtineat, ultro corruunt. Nam is, qui injuſtam tuetur cauſam, omnia illicite agit, injuria interficit hoſtem, perſonas, & res ejus capit, &c. Quod vero neuter convinci de injuria poſſit, id oritur ex natura rei, quia judicem, & ſuperiorem non habent bellum gerentes, qui de injuſtitia cauſæ cognoſcat.

Etſi vero tales prædones gentium hominum judicio non ſubſint, certum tamen eſt, ſeveriori longe judicio ſubjectos eſſe, nimirum, judicio ſummi numinis, bellorum arbitri, cui illi, qui injuſtam cauſam fovent, tanquam omnium cædium, & rapinarum durante bello commiſſarum auctores, graviſſimas pœnas, ſive temporales, ſive æternas, daturi ſunt.

§. CLXIX. *VII.* Cum dictum ſit, *bellum jure gentium ſolenne* non dari, ſponte corruit figmentum de *bello minus ſolenni* (vid. ſupr. §. 68.). Hinc 1. negamus, bellum publicum minus ſolenne eſſe, quoties *poteſtas non ſumma* bellum gerit. Talis enim poteſtas *vel* ex mandato principis agit, ſaltem tacito; & tunc eſt *publicum*, quod omnes ſolennitates juris naturæ (nam jus gentium voluntarium non agnoſcimus) habet: *vel* ſine mandato arma infert; tunc plane non eſt bellum, nec minus ſolenne, ſed latrocinium: niſi princeps approbet, vel poteſtas illa jure neceſſariæ defenſionis vim repellat. 2. Verum non eſt, bellum *minus ſolenne* tunc quoque videri, quando inter duas ſummas poteſtates bellum indictum non eſt. Nam etſi injuria fiat ei, cui bellum non indicitur, nemo tamen judex eſt inter duas ſummas poteſtates, adeoque bello res decidi debet. Hinc 3. nulla ratione admitti poteſt, bellum abſque indictione gerentem a qualibet gente, quin a quolibet privato, hodieque tanquam furem, prædonem, homicidam &c. ubique locorum puniri poſſe.

§. CLXX. *VIII.* Natura, & ratio juris poſtliminii (*vid. ſupr.* §. 105. *ſeq.*) plane incognita fuit Grotio. Sane, non jure gentium demum, ſed ipſo jure naturæ inter duos bellum gerentes jus poſtliminii obtinet, i. e. perſonæ, &

res captæ, ac ad limen ſuum reverſæ, priſtina jura recipiunt; etſi alterutrius cauſa ſit injuſta: quia de juſtitia cauſæ inter duas ſummas poteſtates non conſtat, niſi ea per decretum Dei, i. e. per ultimam victoriam deciſa ſit: adeoque utriuſque factum durante bello pro jure habetur (vid. diſſ. præc. §. 64. n. 4.). Cum enim in bellis utraque pars ſuam cauſam juſtam, alterius injuſtam prædicet, uniuſcujuſque judicium valet intra fines ſuæ, vel ſociorum civitatis. Quamdiu igitur res, vel perſona capta in hoſtis poteſtate eſt conſtituta, hujus judicium prævalet, i. e. res pro capta, & perſona pro ſervo habetur. Ex eo momento autem, quo res, vel perſona ad priſtinum, vel ſociorum limen revertitur, res, & perſona pro non captis habentur, eoque omnia priſtina jura recipit, quia ex judicio hujus civitatis injuria captæ cenſentur.

§. CLXXI. *IX.* Circa fidem hoſti datam (*vid. ſupr.* §. 114. *ſeq.*) ea, quæ monenda ſunt, commentario reſervamus: multa enim circa materiam pacis, & regulas interpretationis obveniunt, quæ admitti non poſſunt.

§. CLXXII. *X.* De officiis erga medios vera principia non affert (*vid. ſupr.* §. 161.); nam quod aliquando vis in amicos liceat, non eſt ex reviviſcentia communionis primævæ, ſed ex jure neceſſariæ defenſionis.

§. CLXXIII. Quæ circa ſingulos actus hoſtiles notanda veniunt, in ipſo commentario obſervabimus. Obiter hic ſaltem monemus, jure naturæ ſubditos non eſſe innocentes, adeoque omnia in eos licere (*vid. ſupr.* §. 77. *ſeq.*); prædam non cedere ſingulis capientibus (*vid. ſupr.* §. 87.); ſervos captos occidi etiam jure naturæ poſſe, &c. (*Vid. ſupr.* §. 94. *ſeq.*)

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS X.

Ubi exponitur

HENRICI DE COCCEII

SYSTEMA

JURIS NATURÆ

JUXTA ORDINEM POSITIONUM

Quas pro explicatione *Juris Gentium* lectionibus *Grotianis* præmittere ſolitus fuit.

Digitized by Google

SUMMARIA.

§. I. *Cur principia* Henrici *de* COCCEII *ſeparatim tractentur.*
II. *Ea continentur certis Poſitionibus.*
III. *Ordo illarum Poſitionum*
IV. *Exhibentur poſitiones ipſæ cum commentario Auctoris* §§ ſeqq.
XIX. *Monita quædam circa principia illis poſitionibus comprehenſa.* §§. ſeqq.

PROOEMIUM.

§. I. Beatus Parens novum juris naturalis ſyſtema propoſuit, illudque paucis, & generaliſſimis poſitionibus comprehendit, atque ad has poſitiones in commentario Grotiano perpetuo lectorem remittit. Hinc neceſſarium duxi, hæc principia ſingulari diſſertatione exponere.

§. II. Duobus autem capitibus hæc tractatio abſolvetur. *Primum* ipſas poſitiones, ac B. Parentis annotationes, prout ex ejus MSptis, & lectionibus publicis eas delibavi, continet. *Alterum* dubia quædam circa illam hypotheſin proponet.

§. III. Poſitionum autem harum duo ſunt capita: 1°. generale, quo demonſtratur; quid per *Jus naturæ* intelligatur, quis ejus ſit Auctor, & quibus modis probetur. (*Vid. Poſ.* 1. 2. 3. & 4.) : 2°. Speciale, quo demonſtratur, quænam jura originarie hominibus a natura conceſſa, & conſtituta ſint (*Vid. Poſ.* 5.); quomodo homines illa jura inter ſe permutent, eoque jus in alios transferant (*Vid. Poſ.* 6. 7. & 8). De continuatione, & ſucceſſione illorum jurium poſt mortem, agitur in *Poſ.* 9. 10, & 11. Oppoſitum jurium hominibus conceſſorum, i. e. *injuria*, explicatur in *Poſ.* 12.

Atque hæc ſunt jura naturæ privata. Sequuntur in *Poſ.* 13, & 14. jura publica, ſcilicet, materia de ſumma poteſtate, quæ jura illa a natura conceſſa tueri tenetur per bellum, & per imperium.

Denique, natura hominibus quoque facultatem conceſſam eſſe ad merendum per actiones ſuas, probatur in *Poſ.* 15; ubi de origine virtutum, earumque principio, & quomodo a jure differant, agitur.

Digitized by Google

CAPUT I.

Exhibens Henrici de Coccesii *Poſitiones Juris Gentium, & ſuccinctas in eas annotationes.*

Positio Prima.

§. IV. OMnis de jure quæſtio eo refertur, quid *licitum* ſit? Id enim *jus* dicimus [a]. Homines autem potentiis agendi à natura inſtructi, licite agunt, vel omittunt, quicquid poſſunt; donec aliquis, qui prohibere recte poteſt, prohibeat aliquid agi, vel omitti [b]: quo illud tum *illicitum* ſit, & *injuſtum* dicitur. [c]

Commentarius ad Pos. I.

(*a*) Vox juris ambigua eſt, & ſumitur aliquando generaliſſime *pro omni eo, quod honeſtum, & pium eſt:* quo ſenſu & Ethica, & Theologia voce juris comprehenditur. Aliquando ſingulariſſime ſumitur pro *præceptis juris:* quo ſenſu excluditur omne jus permiſſivum. Ne igitur id turbet, aut aliquid dubii relinquat, rem ipſam videamus; quid nimirum in *Jure* quæratur.

Nihil autem aliud quæritur, quam quid agere nobis liceat, quid non? *Jus* ergo, ſeu *Juſtum* eſt, quod licitum, ſive non prohibitum eſt; unde juſtum, & licitum paria ſunt, quin unum idemque. Conf. *L.* 2. *ff. Diſtr. pign.*

(*b*) Regula ergo generalis eſt; *quod homo vi libertatis naturalis* (i. e. vi potentiæ a natura ei conceſſæ) *agere, vel omittere poſſit quicquid habet.* Unde neceſſario ſequitur, omnia, quæ naturaliter poſſumus, nec prohibita probantur, licita eſſe; quia contradictionem inferret, præditos nos eſſe a natura poteſtate agendi non reſtricta, & tamen natura non licere omnia agere. Hæc tota igitur ratio, qua poteſtas noſtra naturalis licite, ſeu citra prohibitionem exerceri, & in actus deduci poteſt, nobis *jus* dicitur; ſi enim *licitum* eſt, i. e. ſi libere agere poſſumus, *jus* eſt: nam id demum, quod licitum non eſt, prohibitum dicitur, eoque *injuria.*

Sub facultate autem agendi continetur quoque facultas non agendi, quia deſineret eſſe libertas, ſi homo omittere non poſſet, & neceſſario agere teneretur.

Hæc igitur libere agendi facultas tamdiu licita, eoque juſta eſt, donec ea impediatur, & prohibita probetur: tunc enim, quia potentia agendi ceſſat, *licitum* amplius dici nequit, ſed fit *illicitum*; deſinit eſſe *jus*, & incipit *injuria.* Unde obligatio, i. e reparandi neceſſitas oritur; de qua plenius ad *Poſ. ſeq.* agetur.

Prohibitio autem illa fieri debet ab eo, qui jus prohibendi habet, qui vinculum juris injicere poteſt, & cui homo parere tenetur. Etſi igitur alius prohibeat, qui non poteſt juſte prohibere, manet nihilominus licitum, & injuria eſt in prohibente, non in agente. Jus autem prohibendi ſoli rerum Creatori competere, infra ad *Poſ III.* videbimus.

(*c*) Eo igitur momento, quo facultas agendi prohibetur, i. e. libera eſſe deſinit, *illicitum* fit: neque enim facultas naturalis *licita* dici poteſt, quæ a Creatore reſtricta apparet; ſed e contrario inde infertur, *injuſtum* eſſe, quia injuria eſt quicquid Deo prohibente fit.

Digitized by Google

Positio Secunda.

§. V. In qua proinde quæſtione [a] duo diſtincta ſunt :

1. *Facultas* illa naturalis agendi [b], quæ quatenus non apparet rite [c] prohibita, vel reſtricta, eſt facultas legitima [d], & idem, quod vulgo dicitur *Jus conceſſivum.* [e]

2. *Prohibitio* [f] ejus, qui jure prohibere, & terminos facultati huic ponere poteſt [g], quod vulgo dicitur, *Jus præceptivum.* [h]

Ex illa *libertas* [i], ex hac *neceſſitas* agendi, vel non agendi [k], ſeu obligatio [l], naſcitur. *Conf. l.* 4. *pr. ff. de Stat. hom* [m]. Utraque ſpecies [n] continetur in *l.* 7. *ff. de Legib.* [o], *l.* 237. *ff. de Verb. ſign.* [p], *& c.* 4. *diſt.* 3. [q]

Commentarius ad Pos. II.

(*a*) Ubi ſcil. quæritur, an aliquid licitum vel illicitum, juſtum, vel injuſtum ſit.

(*b*) Seu potentia illa non reſtricta, vi cujus homines licite agunt quicquid lubet.

(*c*) Ab eo, nimirum, qui prohibendi jus habet. *Vid. Poſ. I.*

(*d*) Quia facultas non tantum naturalis adeſt, ſed & lege non prohibita, nec reſtricta.

(*e*) Quia naturæ Auctor conceſſit facultatem agendi, adeoque homo jure permittente agit.

(*f*) Seu reſtrictio illius facultatis, qua tollitur libertas libere agendi, & neceſſitas homini imponitur agendi, vel non agendi.

(*g*) Dictum enim eſt, prohibitionem, quæ fit ab eo, qui jus prohibendi non habet injuriam eſſe. Cui autem jus prohibendi competat, vide ad *Poſ. III.*

(*h*) Quia Deus reſtringendo facultatem naturalem præcipit, ut præciſe aliquid fiat, vel non fiat; quo præcepto facultas illa naturalis deſinit eſſe legitima, & fit illicita.

(*i*) Ex facultate illa non prohibita, ex potentia illa, qua homines natura præditi, & inſtructi ſunt ut libere agant, ſequitur, rem totam eſſe in arbitrio agentis; eum poſſe agere, vel non agere: atque hæc *libertas* dicitur. Et hoc ſenſu JCti Romani uſumfructum definiunt *Jus* utendi fruendi; uſum *Jus* utendi; actionem *Jus* agendi &c. i. e. facultatem utendi, agendi. &c. Adeoque homo poteſt uti, vel non uti, agere, vel non agere, &c. Hoc ergo *Jus* pleniſſimam *libertatem* infert.

(*k*) Ex prohibitione igitur potentiæ, & facultatis naturalis, adeoque ex reſtrictione libertatis, oritur neceſſitas vel agendi, ſi ſuperior præciſe aliquid fieri vult, vel non agendi, ſi aliquid fieri prohibet.

(*l*) Obligatio dicitur a ligando, & a JCtis definitur, vinculum juris, quo quis neceſſitate adſtringitur ad aliquid agendum, vel præſtandum, *l.* 3. *O. A.* Omnis ergo obligatio infert neceſſitatem agendi, vel non agendi.

Ex præmiſſis facile conſtat, *Jus conceſſivum*, ſeu libertatem agendi naturalem, nulla indigere probatione; quia re patet, & ex facto naturæ conſtat, quid homo naturaliter agere valeat. At major difficultas eſt in probando *Jure præceptivo*, ſeu in demonſtrando principio obligationis, ejusque cauſa. Cum enim homines natura poſſint agere quicquid lubet, & inſit ipſis potentia agendi, vel non agendi, is, qui aſſerit, facultatem illam impediri, & ligari, ita ut aliquid, quod natura poſſunt agere, vel omittere, teneantur non agere, vel non omittere, omnino probare id debet. Nam quæ ſint hominum facultates, patet; ſed facultatem illam prohibitam eſſe, facti eſt, adeoque probandum. Poſſe, patet; ſed impediri id, non patet: adeoque probari debet; alias manet conceſſio naturæ. Sane, ſi nulla

nulla prohibitio docetur, nihil injuria fit, nullum delictum eſt, adeoque ceſſat omnis quæſtio juſti, & injuſti, quia ubi nihil prohibitum eſt, liberæ ſunt manus: adeo ut homo omnia agere poſſit pro lubitu, quorum potentiam naturalem habet ſine metu, & pœna; eodem modo uti bruta, in quibus jus non eſt, quia iis nihil prohiberi poteſt, cum id non intelligant. Ceſſante prohibitione jus alii quæſitum non apparet, quod demum ex prohibitione oritur. Oſtenſa igitur hac prohibitione incipit diſcrimen juris, & injuriæ, liciti, & illiciti, ſeu prohibiti. Modos autem probandi explicabimus in *Poſ. V.*

ADDITIO SAM. A COCCEII.

B. PARENS originem obligationum, & earum cauſam prolixius explicavit in *Exercitatione II. ad Grotium de Jure Belli, & Pacis* §. 9. Verba ejus hæc ſunt.

Certa, & perpetua primum regula erit: Facultates naturales usque eo intelligi natura conceſſas, ac permiſſas, dum appareat legitima prohibitio.

Talis legitima probibitio nullius eſſe poteſt, quam cujus fuit conceſſio, ſolius ſcil. Creatoris, in cujus opus nullum ulli creaturæ jus eſt, vel ulla poteſtas; niſi ſi cui aliqua ab eodem Creatore conceſſa fuerit. Hujus enim factum, & opus ſunt iſtæ facultates, earumque conceſſio, qua ipſe ſuum cuique dedit, & quid ſuum cujuſque eſſe voluerit, definivit: atque hos cuique ſui juris fines, ac terminos fixit; quos proinde movere absque ipſius permiſſu, nulli creaturæ fas eſt.

Igitur, quatenus a natura conceſſa eſt ſua cuique facultas, eatenus id ſuum cujusque eſt, ſeu jus, ac juſtum. Hunc ergo, ut cœpimus, ſtatum juris *dicemus, quem Creator voluit, & conſtituit. E contrario, cum hi fines, ac limites facultatibus noſtris a natura poſiti immutantur, ſeu cum quis plus, minusve ſuo habet, moti ſunt naturæ, & juris ab ea conceſſi, fines, & violati divinæ voluntatis, & conceſſionis termini; quod injuſtum, ſeu injuria eſt, nobisque adeo dicetur* ſtatus injuriæ.

Hinc duo maxime ſequuntur I. *licet inſit homini naturalis aliquid agendi facultas, ſi tamen illud agi jure naturæ vetitum eſt, perinde id ſit impoſſibile, & deſinit eſſe agendi facultas, ac ſi plane a natura illa conceſſa non eſſet; quia facultas, quæ ita datur ut certis finibus circumſcripta ſit, ultra hos fines non eſt data, ac permiſſa, & adeo nulla facultas. Nam nec ullam homo a ſe habet, nec ullam ab alia creatura; & quæ a Creatore ad certum modum conceſſa, ultra eum negata, & vetita, & perinde eſt, ac ſi plane conceſſa non eſſet.* Conf. l. 31. §. 4. ff. Neg. geſt. & l. 15. ff. de Cond. inſt. *Unde recte aliud* natura, *aliud* Jure impoſſibile *dicitur.*

II. *Hinc ergo, exceſſis, & tranſitis his finibus, atque ita jure in injuriam verſo, ſequitur immota neceſſitas reparandi injuriam, & reſtituendi in ſtatum juris: quæ eſt obligatio, fluitque ex duplici cauſa.* 1. *Quia creatura tenetur parere voluntati Creatoris, ut domini ſui abſolutiſſimi, in cujus pleniſſima poteſtate homo totus eſt, a quo omnia, & aliunde nihil, nullamque adeo poteſtatem ultra conceſſos fines agendi habet, nec ſubeſt niſi parendi neceſſitas.* 2. *Quia qui tranſit hanc divinæ voluntatis, & conceſſionis lineam, quæ ſuum cujuſque deſcribit, is ſpernit illam, & lædit hoc facto Deum auctorem, perrumpendo fines ab ipſo ſtatutos. Eſtque adeo iſte exceſſus juris, ſeu ſtatus injuriæ, defectio creaturæ a creatore ſuo; ſervi, a ſummo ſuo, & rerum omnium domino; hominis, a ſummo bono, & fonte omnis felicitatis humanæ. Quin deficit homo a ſe ipſo, & a ſua natura, quam, cum divina illa ſit, atque a divina origine, Deo, & auctori ſuo rebellem facit. Non poteſt igitur hoc exceſſu non offendi graviſſime ſummus legiſlator, atque in vindictam exardeſcere. Natura enim quod eſt ſumme perfectum, idem eſt & ſumme colendum: nec adeo Deus magis nolle poteſt coli, quam eſſe ſumme bonus, & perfectus; nec magis permittere, ſibi non pareri, quam rerum arbitrium, ac dominium, aut totius naturæ clavum, abjicere. Denique, cum malum ſit quicquid ab ejus voluntate ſumme bona deſciſcit, non poteſt Deus, qui malum ferre nequit, non excandeſcere, & iraſci numen ſuum violanti.*

Hinc in proclivi eſt intelligere, cum quæ ſit ex jure naturæ obligatio, tum quanta ejus vis, quantique illa momenti, & præjudicii ſit.

Sunt igitur duo potiſſimum capita, & veluti duo præcipue cardines, in quibus omne jus naturæ vertitur. I. *Quid Deus, ſeu natura, cum hominibus communiter, tum ſingulis conceſſerit, eoque ſuum cujusque*

Digitized by Google

eſſe voluerit? Quem ſtatum juris *diximus.* II. *Si hi voluntatis, & conceſſionis divinæ termini, atque iſte juris ſtatus, quocunque hominis facto immutatus ita fuerit, ut quidam plus, minusve ſuo habeant; quæ tum juris redintegrandi, injuriæque reparandæ ſit neceſſitas, & obligatio, ut hic ſtatus, quem injuriæ vocamus, reducatur ad ſtatum juris? Ita ergo utrumque hunc ſtatum, planioris demonſtrationis, & clarioris interpretationis gratia diſcernere, & appellare, ubi re talis eſt, licebit. Cui* III. *accedit, in præſenti maxime hominum conditione, tertius, & quaſi medius ſtatus, juris inter plures controverſi, ac in facto dubii, ſeu litium, aut judiciorum: quia etſi jus certum ſit, factorum tamen infinita eſt variatio.* (Conf. l. 2. ff. de jure & fact. ign.) *Cum igitur has lites tolli neceſſe ſit, quod, ſi inter partes non conveniat, fieri nequit niſi jus cognitum, ac deciſum fuerit, docendum quoque eſt, qua ratione ex lege naturæ, & voluntatis divinæ, id effici, & quid tantisper, dum de eo diſceptatur, & neque jus, neque injuria apparet, fieri oporteat.*

(*m*) Ex qua lege apparet, jus Romanum quoad principia curate cum jure naturæ convenire. Nam JCti libertatem definiunt *facultatem naturalem ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur.* Illi ergo omne jus conceſſivum ponunt in facultate non prohibita, jus autem præceptivum in prohibitione illius facultatis. Et ſic utrumque jus in illa definitione continetur.

Adeo autem JCti in illa libertate agendi non prohibita fundamentum jurium humanorum poſuere, ut libertate ſublata omne jus hominis ceſſet; adeo ut ſervi pro hominibus non habeantur, neque jurium ſint capaces. Pari ratione libertate agendi ablata facto naturæ, omnis licentia ceſſat.

Impedimentum autem illud eſt vel a *vi* corporali, vel a juſta alterius prohibitione, i. e. a *jure*, *d. l.* 4. ibi: *niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur.* Prius facultatis exercitium tollit, non facultatem ipſam; quæ non tollitur ſi alias in actum deduci poteſt, & manet potentia a natora: impedimentum enim tantum eſt in homine. Alterum facultatem ipſam tollit, ſi fiat ab eo, qui jus prohibendi, & reſtringendi libertatem habet.

(*n*) Et libertas, & prohibitio, i. e. & jus permiſſivum, ſeu conceſſivum, & jus præceptivum, ſeo decretivum.

(*o*) JCtus ibi inter virtutes legis ponit non tantum *imperare*, *vetare*, *punire* (quæ ſpecies pertinent ad jus præceptivum: *imperare* enim eſt præcipere ut quid fiat; *vetare* eſt præcipere ne quid fiat; *punire* autem eſt effectus præcepti) ſed & *permittere*, i. e. facultatem agendi tribuere.

(*p*) Verba legis hæc ſunt: *duobus verbis negativis permittit lex magis, quam prohibet;* datur igitur & jos permiſſivum, & jus præceptivum.

(*q*) Ubi hæc verba exſtant: *Omnis autem lex aut permittit aliquid, ut vir fortis petat præmium; aut vetat, ut ſacrarum virginum nuptias nulli petere liceat, &c; aut præcipit, ut diliges dominum Deum tuum.* Qui canon deſumtus eſt ex *Iſidori l.* 5. *Etym. c.* 19. Sed & Quintilianus ait: *omnis lex punit, jubet, vetat, permittit, tribuit, adimit, &c. l.* 7. *c.* 5.

Positio Tertia.

§. VI. Jus hoc prohibendi competit ſoli rerum Creatori [a], & cui is conceſſum id voluit. [b]

(*Add.* Hæc itaque voluntas Creatoris unica norma eſt juſti, & injuſti [c], quatenus voluit [d]. Unde hæc ipſa voluntas poteſt eſſe fons, ſeu cauſa cum juris univerſalis omnium hominum [e], tum particularis & certi populi [f], prout voluit: uti voluntas Principis eſt cauſa cum juris civilis communis; tum ſingularis [g], ſeu privilegii [h]. §. *6. de Jur. natur.* ibi: *quoniam non hoc Princeps vult.* [i]

Commentarius ad Pos. III.

(*a*) Hactenus in genere diximus, libertatem naturalem, quatenus prohibita eſt, deſinere eſſe licitam, indeque oriri jus præceptivum, i. e. neceſſitatem agendi, vel non agendi. Jam porro duo inveſtiganda ſunt: 1. perſona, quæ poſſit prohibere: 2. id, quod prohibitum voluit.) De *priori* hic, de *poſteriori* poſitione ſequenti agetur.

Dicimus igitur, talem poteſtatem, quæ facultatem noſtram naturalem reſtringere, & pro parte quaſi adimere poſſit, non poſſe procedere niſi a poteſtate ſuperiori, & quidem tali, cui jus eſt tollendi facultatem hanc a natura, ejusque conditore, nobis conceſſam.

Talis autem poteſtas neque eſt inter homines, neque in ulla re creata. Nam 1. omnes creaturæ a creatore omnes ſuas facultates agendi habent, a ſe nihil, 1. *Cor.* 4. *v.* 7; adeoque neque plus, neque minus agere poſſunt, quam conceſſum eſt. Si enim ultra agerent, non haberent id a creatore, qui non conceſſit, ſed noluit. At nullibi apparet, conceſſam ipſis eſſe potentiam in ipſum creatorem, ut quod ipſe dedit, atque creavit, deſtruere, vel auferre queant. Sane 2. is, qui talem conceſſionem allegat, eam probare tenetur; contrarium autem, & non conceſſam eſſe facultatem creaturæ in opus creatoris, vel exinde probatur, quia natura omnes homines æquales fecit, paremque potentiam, ac facultatem omnibus conceſſit. Unde brocardicum illud: *par in parem imperium* (i. e. jus præcipiendi) *non habet.*

Cum igitur 3. facultas prohibendi nulli creaturarum conceſſa ſit, ſequitur, neceſſario hactenus facultatem deſinere, & ſic jus homini in alium hominem non competere, quia facultas homini a creatore data eſt, & cuique propria. Sed & 4. conſtat, facultatem illam libere agendi, ſeu potentiam agendi per creationem hominibus conceſſam, eſſe ſolius creatoris opus: in hoc igitur opere nemini hominum jus competit, ſed ſoli creatori; adeoque nemo homini jus auferre poteſt ab ipſo creatore ei datum. Et cum 5. Deus voluerit has potentias in nobis exiſtere, nulla creatura illam voluntatem tollere, ac conceſſionem prohibere poteſt.

Cum igitur nulla creatura per ſe habeat jus, & poteſtatem ligandi, aut tollendi potentias a creatore hominibus conceſſas, ſupereſt, ut competat jus prohibendi ſoli communi rerum auctori, a quo omnis noſtra potentia naturalis, uti conceſſa eſt, ita & in exercitio abſolute dependet, & reſtringi poteſt. Potuit enim rerum ille arbiter homini potentiam illam plane non concedere; ergo & certo modo, & certa lege.

Quatenus igitur illa potentia intra terminos conceſſionis poſita eſt, manet poteſtas, & quidem legitima, ſeu juſta; quatenus autem exceditur, & conceſſa non eſt, moralis eſt impotentia. Quod enim prohibetur, ejus agendi facultas deſinit, & ſic impoſſibile fit. In quo egregie jus naturæ convenit cum jure Romano, cujus regula eſt: *quod ea, quæ lædunt pietatem, & bonos mores, nec facere nos poſſe credendum ſit. l. 15. ff. Cond. inſt.*

(*b*) Conceſſum autem voluit magiſtratibus, unde magiſtratus, ſeu ſummæ poteſtates, vicarii Dei vocantur. *Vid. infr. p. XIII.*

(*c*) Ex ante dictis conſtat, principium juris naturalis unicum verum, & adæquatum eſſe, Voluntatem Creatoris. Quatenus enim permittit agere, vel non agere, voluntas illa efficit *Jus naturæ conceſſivum*; quatenus præcipit agere, vel non agere, efficit *Jus naturæ præceptivum.* Atque hæc poſterior Dei voluntas eſt cauſa omnis obligationis.

Sane, in eo unanimiter conſpirant omnes gentes, Deum auctorem juris naturalis eſſe. Apparet id ex ipſa voce; *Jus* enim *naturæ* ideo dicitur, quia id a *natura*, i. e. *natura auctore* conſtitutum eſt: Eodem modo, uti *Lex* eſt, quod populus, *Plebiſcitum*, quod plebs, *SCtum* quod Senatus, adeoque ſemper quod ſuperior conſtituit. Philoſophos autem per *naturam* intelligere Deum, apud omnes in confeſſo eſt: vide *Senec. l.* 4. *de benef. C.* 7. & *L.* 2. *nat. quæſt. C.* 45. Eoque ſenſu JCtus in *l.* 3. *ff. de juſt. & jur. Naturam*, ait, *cognationem quandam inter omnes homines conſtituiſſe.* Et Tacitus *Annalium* l. 1. in f. *optime naturam rebus conſuluiſſe, qua ora, & terminos fluminibus dedit.*

Neque ſine ratione a gentibus creditum

fuit, jus neceſſario a Deo eſſe; cum enim natura, & ratio juris præceptivi ſupponat ſuperiorem, non potuere auctorem juris alium concipere præter Deum, qui ſolus humano genere ſuperior eſt. Optime Cicero *l. 3. de republ.* jus hoc deſcribit: *Jus nobiſcum natum, non ab hominibus excogitatum, cujus Deus inventor, diſceptator, lator.* JCtus in *l. 2. ff. de Leg.* ait, *omnem legem inventum, & munus Dei eſſe.* Xenophon teſtatur, philoſophos gentilium docuiſſe, Deos hominibus leges dediſſe. *L. 4. dict. & fact. Socr.* Immo & antiquiſſimi Poëtæ, Homerus, Heſiodus, &c. Jovem hominibus leges dediſſe, ajunt. Omnium inſtar eſt locus Ciceronis in *l. 2. de legib. C. 8.* *Hanc video ſapientiſſimorum hominum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed aeternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi, probibendique ſapientia. Ita principem legem illam, & ultimam, mentem eſſe, dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte eſt laudata.* Et in cap. 9. diſtinguit inter leges populorum, & vim iſtius cœleſtis legis. De hac ait: *Quod ſola, non altera, vim habeat ad recte facta vocandi, & a peccatis avocandi; quæ vis ſenior non modo eſt, quam ætas populorum, & civitatum, ſed & æqualis illius cœlum, atque terras tuentis, regentisque Dei. Neque enim mens divina ſine ratione poteſt, neque ratio divina non hanc vim in rectis, pravisque ſanciendis habere.* Porro *in C. 10.* eam vocat *rationem rectam Jovis, ad jubendum, vel vetandum. &c.* Denique idem pro Milone C. 4. *legem hanc non ſcriptam eſſe*, ait, *ſed natam, quam ex natura ipſa hauſimus, arripuimus, expreſſimus &c.* Juſtinianus *in §. ſ. inſt. de jur. nat.* omnia reliqua jura ab hominibus, hoc vero a ſola providentia divina conſtitutum eſſe, tradit. Et in *§. p. inſt. eod.* jus naturæ divina providentia conſtitutum eſſe, aſſerit, illudque cum ipſo genere humano proditum eſſe, Cajus docet in *l. 1. ff. A. R. D.* Alia loca cumulavit *Seldenus de Jur. nat. l. 1. C. 8.*

Hujus autem *auctoris naturæ* exiſtentiam neceſſariam, perfectionem, & inprimis vim intelligendi, libertatemque volendi, quæ rationibus naturæ quoque demonſtrari poſſunt, hic ut certam ſupponimus.

Hinc jam repellitur error Hobbesii, qui potentias naturales agendi in infinitum hominibus concedit; easque nullibi reſtrictas ſupponit, ſed potius ſtatuit, homines mutuo demum metu adactos eſſe ad paciſcendam mutuam ſecuritatem, & ſic ceſſante pacto omnia licita eſſe: cum tamen certum ſit, libertatem illam reſtringi, & impediri ipſius creatoris voluntate, quæ ex actione ipſius, ejuſque fine neceſſario, apparet. Principium igitur impedimenti non eſt mutuus metus hominum, ſed ſummi numinis voluntas, ex qua conſtat, hunc ipſum metum ex injuria oriri, adeoque jus aliquod ſupponere, quod hominem contra metum ab aliis tutum reddat.

Sed & Spinosæ omnis facultas a natura conceſſa jus eſt, neque ille reſtrictionem agnoſcit, ſed eam demum ex pactis hominum ortam, ait.

Quin Grotium quoque a vero aberraſſe, conſtat, dum principia interna pro cauſa obligationis ſuppeditat, quæ exiſterent, etſi detur, Deum non eſſe. Certum enim eſt, præter Deum nihil eſſe, quod facultates humanas reſtringere poſſit, adeoque negato Deo omne jus naturæ ceſſare.

Patet porro, etiam poſito Deo *ſocialitatem*, quam Grotius ſtatuit, non poſſe pro cauſa obligationis haberi, quia non quæritur, an homines ad ſocialitatem affectu ferantur? ſed, an ad cuſtodiam illius ſocietatis obligentur? Id probandum erat: at probatum non eſſe, alibi demonſtravimus; ſimulque ob oculos poſuimus, plurima eſſe jura naturæ tum permiſſa, tum prohibita, quæ ex ſocialitate non ſequuntur.

Denique apparet ex eadem ratione, Pufendorfii, & Cumberlandi mutuam benevolentiam, mutuaque officia, quæ felicitatem hominum conſtituunt, pro fonte juris naturalis haberi non poſſe; quia nec ex his principiis obligatio ſequitur: non enim quæritur, an homines velint eſſe felices, ſed quid eos impediat, ſi nolint, ſi cædes, bella &c. velint? Et poſito, Deum præcepiſſe mutuam talem benevolentiam, tamen omnia naturæ jura ex eo principio, non magis, quam ex ſocialitate ſequi, certum eſt.

(*d*) Id eſt, quatenus apparet, Deum libertatem naturalem reſtrinxiſſe.

(*e*) Si ſcilicet apparet, eum *univerſum humanum genus* voluiſſe præceptis ſuis obligari, quod *Jus naturæ* vocatur.

(*f*) Si

(*f*) Si ſaltem certum populum legibus a ſe datis voluit obligari, uti Judæos ex jure forenſi, & ceremoniali.

(*g*) Jus enim civile ſimiliter vel omnes cives obligat, vel ſaltem quosdam ex civibus, prout Princeps voluit.

(*h*) Privilegium enim nihil aliud eſt, quam lex privata, ſeu ſingularis.

(*i*) Scilicet, *ut lex communis ſit*. Secus ergo ſi voluit; poſtquam enim in principio dixerat, *quod principi placet legis habere vigorem*, in fine addit, *ſi generalis ſit illa voluntas, eam omnes æque tenere.*

POSITIO QUARTA.

§. VII. Voluntas autem prohibendi [a], vel permittendi [b], ut quælibet alia [c], oſtenditur vel ex verbis, vel ex rebus, ſeu factis [d]: Uti

1. Ex motibus, & inſtinctibus intrinſecis in homine a natura conditis. [e]

(*Add.* Notabiliter dicitur *a natura conditis.* Alii ſcil. motûs ſunt in homine, qui a natura orti [f]; alii, qui a corruptione [g]. Illi ex facto Creatoris ſunt [h]; hi ex vitio hominis [i]. Qui proinde ſedulo ab invicem diſtingui debent [k], ac diſcerni ſolide poſſunt [l], cum aliis naturæ regulis, tum maxime ipſis modis ſequentibus.) [m]

2. Ex actibus Creatoris [n], ipſaque adeo rerum ab eo creatarum ſubſtantia, natura [o], facultatibus [p], qualitate [q], aliiſque circumſtantiis. [r]

3. Ex actionum fine neceſſario [s], vel probabili [t], qui eſt ipſa intentio, ac voluntas agentis, neceſſaria, vel probabilis. [u]

4. Ex medii neceſſitate [v]; quia conſtituto jure etiam medium illud conſtitutum intelligitur, quod unicum, & neceſſarium eſt ad jus illud obtinendum. [x]

5. Ex natura ipſius ſanctiſſimi Creatoris [y], qui uti eſt perfectiſſimus, ita ipſius voluntas omnis perfectionis unica, & certiſſima norma [z]. Quo & pertinet, quod nihil fruſtra feciſſe intelligitur. [aa]

(*Add.* Non, quod quicquid ex perfectione Creatoris ſequitur, jus ſit [bb]; ſed quod, ſi per ſuam ipſe perfectionem aliter velle non potuit, id voluiſſe appareat [cc]: uti quod nihil fruſtra facere voluit &c. [dd]

COMMENTARIUS AD POS. IV.

(*a*) VIDIMUS, quis ille ſuperior ſit, qui facultates hominibus a natura conceſſas reſtringere poteſt: jam explicabimus, quid nam voluerit prohibitum. *Vid. poſ. prac. l. a. in pr.*

Præcipua igitur quæſtio eſt: an Deus vo-

voluerit aliquid prohibitum, & unde voluntas illa prohibendi innoteſcat? Voluntas enim talis probari debet, quia ea non probata omnes actus natura liberi, & permiſſi manent.

(*b*) Voluntas permiſſiva probatione non indiget; natura enim omnes facultates humanæ permiſſæ ſunt, donec prohibitio doceatur. *Vid. poſ.* 1. *lit.* b, *& poſ.* 2. *lit.* l.

(*c*) Omnis voluntas, etiam humana, his modis declaratur; nam ex verbis, & factis apparet, quæ ſit voluntas legislatoris, teſtatoris, paciſcentis &c.

(*d*) Ex factis æque, ac ex verbis voluntatem declarari, inter omnes conſtat. Idque JCti Romani diſertis verbis ita ſtatuerunt in *l.* 32. §. *f. de Legib. l.* 5. *ff. rem rat. hab.* Hinc hæres videtur hæreditatem adiiſſe, ſi pro hærede ſe gerit, §. *fin. inſt. De hær. qualit. & diff.* Maritus videtur repudiaſſe uxorem, ſi intentat actionem rerum amotarum, vel ſi aliam uxorem ducit, *l. f. pr. &* §. *f. repud.* Ratihabitionem quoque ex factis probari, conſtat ex *d. l.* 5.

Immo aliquando magis ex factis apparet voluntas, quam ex verbis; quia verba poſſunt eſſe ambigua, facta non, *l.* 48. §. 3. *de ædil. ed. Tot. tit. bis, quæ teſt. del. c.* 52. *de Appell.* Cicero ait: *quid verba audiam, cum facta videam?* l. 3. Tuſc. qv. 20; & pro Ligurino c. 8. *Quid facturi fueritis, dubitem, cum videam quid feceritis?* Sed & Xenophon ex dictis Socratis refert: *Nonne tibi videtur validior demonſtratio, quæ ſit factis, quam verbis? Multo, per Jovem.*

Sane, in demonſtrando jure naturæ, i. e. in probanda voluntate divina, VERBA non ſufficiunt, quia revelatio non datur, quæ ad omnes homines, qui unquam nati, vel naſcituri ſunt, pervenerit. Revelatio enim non ubique toto orbe, nec omni tempore fit. Natura autem fieri non poteſt, ut quis teneatur ad id, quod neſcit. Sane, revelatio facti eſt, nec a natura patet: unde quoad neſcientes non eſt revelatio; & pugnant, alicui revelatum, & ignotum eſſe. Nec dices, quod ſcire debeant homines voluntatem ſemel toti humano generi verbis declaratam: nam quod nudis verbis revelatur, facile memoria excidit, & oblivione deletur, inprimis integra diſciplina; & licet literis conſervari poſſit revelationis actus, ut in ſacris Bibliis, tamen perdi poſſent, uti illa ipſa Biblia pauciſſimis gentibus innoteſcunt; vel prohiberi poſſent; ut Antiochus fecit; vel aliis modis libet deficere, ut innumeri Auctores defecere. Quin immo facile fieri potuiſſet, ut incuria, & negligentia parentum ſucceſſores non informarentur; & ſic ceſſaret notitia, cum non poſſint homines recens nati reſciſcere, niſi alii iis indicent: quod ſi non factum, vitium nullum eſſet in ipſis; eſſet in iis, qui non indicarunt. Hinc recurrit eadem quæſtio, ſi & ipſi neſciverint? & ſic retro vitium in eo erit, qui primus neglexit indicare, cum ſciret, & indicare debuerit.

Cum igitur de jure naturæ quæſtio ſit, i. e. de jure perpetuo, æterno, quod omnes homines, qui unquam nati, & naſcituri ſunt, obligare, adeoque usque ad finem mundi durare debeat? ad hoc opus fuit indicio publico, perpetuo, & quod tabulis publicis cognoſcitur, adeoque quod omnes homines ſcire, nec quenquam latere poteſt.

Quodnam illud? Non aliud ſupereſt, quam factum, ſeu opus Creatoris perpetuum. Factum enim ejus, qui cum ratione agit, natura voluntatem facientis declarat, quia omnis actio voluntaria ex animo volentis proficiſcitur, adeoque illud vult, quod agit, & prout agit. Atque ad hoc factum provocat Paulus *ad Rom.* 1. *v.* 19. 20. dum probare vult voluntatem Dei, indeque fluentia jura: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis revelavit. Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.* Atque hinc ex facto hoc creatoris infert, crimen eſſe idololatriam, *v.* 21. 22. 23. 24. 25; concubitum ejusdem ſexus, *v.* 26. 27. 28, aliave, *v.* 29. 30; & tandem ita concludit: *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent*, (ſcilicet ex facto illo creationis) *non intellexerunt:* quoniam *qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt*, *v.* 32. Eodem modo Servator ex facto creatoris, qui junxit utrumque ſexum, concludit, non ſeparandum eſſe.

(*e*) Certiſſime igitur voluntas creatoris ex eo apparet, quando conſtituit aliquod ſtudium inter homines ad aliquid agendum. Indidit autem divinus creator humano generi motus, ut mas, & fœmina ſe conjungant; ut liberos procreent; ut homines ſe defendant,

ctant, &c. Adeo igitur Deus hos actus fieri, & peragi ab hominibus voluit, ut, ne mitterent, vehementiſſimum motum indiderit, qui non tantum in hominibus apparet, ſed & in brutis. Sane, ſi motu ſeſe propagandi carerent homines, vel in eorum poteſtate eſſet eum negligere, totum interiturum eſſet humanum genus, nec ſpecies conſervari poſſet, utpote quod ſolo illo motu ad progenerandum ſuſtinetur, & conſervatur. Is autem motus diverſi ſexus ſupponit [*a*] cohabitationem : [*b*] educationem, quia homo noviter natus ſibi ipſi præeſſe nequit : [*c*] defenſionem ; ſi enim homo nullam ſui curam haberet, nec corpus ſuum contra injuriam aliorum defenderet, omnis ſpecies humana brevi intercideret.

Hoc igitur jus illud naturæ eſt, quod, Imperator ait, naturam omnia animalia docuiſſe, *pr. Inſt. de jur. nat.* adeoque cujus bruta quoque perita ſunt ; nimirum, quia idem inſtinctus (ratione tamen non definitus) ipſis inditus eſt. Iſtæ igitur facultates ſunt pars illa juris naturæ, quæ & brutis communis dicitur : non quod in brutis ſit umbra rationis (ut errat Grotius *c.* 1. §. 11. *in fin.*), vel juris (ut Oſiander ad *d.* §. 11. *Obſ.* 1. JCtis malè tribuit) ; ſed unice harum facultatum, quæ in homine partem juris naturæ faciunt, communio. Recte igitur dici poteſt, hoc jus naturæ materia eſſe commune brutis ; forma juris non item. Quod Imperator perſpicuo exemplo conjunctionis maris, & fœminæ illuſtrat : quæ facultas naturæ. OMNIBUS ANIMALIBUS eſt communis ; at ſub forma juris, quatenus nimirum matrimonium vocatur, (& unde juris effectus, & legis obligatio ſequitur,) NOBIS propria, *d. pr. Inſt. jur. nat.* Hi autem motus conditi a natura, non tantum tendunt ad cupiendum, ſed & ad fugiendum, & averſandum : quo pertinet repugnantia naturæ in concubitu inter parentes, & liberos, ſodomia, autocheiria, anthropophagia, &c.

(*f*) Si enim ex facto Creatoris ſunt, qui motus tales nobis indidit, certum eſt, eum voluiſſe hos motus in nobis exiſtere.

(*g*) Hi motus non inferunt voluntatem divinam, quia non ſunt ex facto Creatoris, ſed ab homine, ejusque corruptione.

(*h*) Adeoque voluntatem Creatoris inferunt.

(*i*) Et adeo non inferunt voluntatem creatoris, ut potius motus ejuſmodi voluntati ejus repugnent.

(*k*) Quia ſceleſti homines hoc prætextu uti ad tegenda crimina ſolent. Ideo enim ſcortationem, ſeu promiſcuum concubitum, pro peccato reputare quidam non ſolent, quia motum hunc natura ipſis indidit.

(*l*) Uti in quovis genere animalium motus a vitio eſſe intelliguntur, qui contra naturam hujus generis, non qui toti generi inſunt. *L.* 1. §. 7. *ſi quadr. paup. l.* 1. §. 7. *Ædil. ed.*

(*m*) Ut exemplo rem illuſtremus, examinemus *vindictam*. Hic motus jus ſuum vindicandi, ut ſeſe defendendi, ab ipſa natura eſt, adeoque licitus, & juſtus ; uti ex *fine* facultatum creatarum, & *medii neceſſitate*, conſtat : at ubi exceditur reparatio juris, ſtudium illud vindictæ ex corruptione humana eſt, eoque illicitum, & injuſtum ; quia *finis* ille, ac *medii neceſſitas* hic ceſſat.

(*n*) Certum enim eſt, quod ille, qui aliquid agit, id quoque velit. *Vid. ſupra lit. e in fin.*

(*o*) Sub facto igitur continetur quicquid ex facto ſequitur ; & ea quoque a voluntate procedunt, quæ ſubſtantiam actus ſequuntur.

Excutienda itaque eſt ſubſtantia, & natura rerum creatarum, & opus creationis, inprimis ipſius hominis, ut inde appareat, omnibus perpenſis circumſtantiis, voluntas auctoris operantis. Creator enim quicquid egit, voluit prout egit.

Uſus ejus rei inſignis eſt. Sic enim ex ſubſtantia, & natura poſſeſſionis ſequitur, duos ſimul eandem rem tenere non poſſe. (*Vid. l.* 3. §. 5. *ff. de Acq. poſſ. l. fin.* §. 5. *ff. commodat.*) ; & plures in idem jus concurrentes partes facere. *Vid. l.* 15. §. 18. *ff. Damn. inf. l.* 3. *pr. ff. de Uſufr. ac. Conſ. l.* 3. *Reb. cred.* §. 16. *de inut. ſtip. l.* 54. §. 1. *loc. cond.*

(*p*) Dum enim natura homini facultatem dedit ſe defendendi, immo motum indidit, & arma conceſſit, ex hac facultate conceſſa neceſſario infertur, Deum voluiſſe ut homo ſe defendat.

(*q*) Ex qualitate duplicis ſexus infertur, Deum voluiſſe conjungi homines.

(*r*) Sic v. g. ex eo, quod terra omnibus, & ubique pateat, infertur, jus plenum homini in hanc terram competere. *Vid. Poſ.* 5. *n.* 1. Ita ei, qui certo loco dare promiſit, tempus, quo perveniri eo poteſt, conceſſum intelligitur. *l.* 137. §. 2. *ff. V. O.* §. 5. *inſt. eod.*

(*ʃ*) Hic probandi voluntatis divinæ modus in moralibus optimus eſt; qui enim agit, & quidem ad certum finem, ille neceſſario vult. Finis enim juxta Philoſophos eſt ipſa intentio, ac voluntas agentis.

Atque hæc probatio certiſſima, & indubitata tunc eſt, cum finis ille eſt unicus, & neceſſarios. Jurisprudentia Romana ſæpius hoc probandi modo utitur: hinc partum non eſſe in fructu, concludit, quia ancillæ non pariendi cauſa habentur, ſed propter operas. *Vid. l.* 27. *pr. de Her. pet.* §. 38. *inſt. Rer. div.*

(*t*) Cum una actio plures poſſit habere fines, ſi de certo, & neceſſario fine non conſtat, voluntas ſaltem probabilis inde infertur, quæ jus naturæ probabiliter efficit, & in moralibus aliquando pro certitudine habetur, quia major haberi non poteſt. Atque ex hac ratione ſequitur, eum, qui ex juſtis nuptiis naſcitur, tamdiu haberi pro legitimo donec contrarium probetur.

(*u*) Adeoque ſi finis *certus*, & neceſſarius eſt, voluntas, & intentio Dei etiam certa eſt: *ſi probabilis*, etiam voluntas Dei probabilis ſaltem erit; quæ tamen pro certa habetur, ſi actus aliquis apud omnes gentes peræque obſervatur.

(*v*) Si nimirum finis actionis aliter obtineri nequit, id ipſum ſub voluntate continetur. Contradictio enim eſſet, Deum ad certum, & neceſſarium finem aliquid egiſſe, & tamen negaſſe media, quæ ad finem illum obtinendum ſunt neceſſaria. Sane, ſublatis mediis tolleretur contra voluntatem Creatoris omne jus, quod ex agentis fine introductum apparet.

Ex hoc probandi modo totus proceſſus belli ſequitur. Quia enim Deus hominibus conceſſit facultatem jus ſuum reparandi, neceſſario inde ſequitur, eum omnia voluiſſe conceſſa, ſine quibus reparatio illa fieri nequit, adeoque capere hoſtem, interficere eum, rapere, & vaſtare res hoſtiles poſſumus, ſi aliter reparatio juris obtineri nequit.

Hic probandi modus apud JCtos Romanos frequens eſt. Si ſervus hæres, vel tutor conſtituitur, ex medii neceſſitate liber fit. §. 2. *Inſt. ex quib. cauſ. man. pr. Inſt. De har. inſt.* §. 1. *inſt. quib. teſt. tut.* Voce *vivere* etiam ſtramenta contineri, ajunt, quia ſine illis vivere quis nequit, *l.* 234. §. 2. *Verb. ſign. l.* 6. *ff. de alim. leg.* Qui penum legat, etiam carbones, & ligna ex medii neceſſitate legaſſe videtur, *l.* 3. § 9. *de Pen. leg. Conſ. l.* 14. *ff. Trit. vin. ol. L.* 2. *ff. jurisdict.*

(*x*) Qui ergo jus concedit, concedit & ea, ſine quibus jus obtineri nequit; quia totum jus inutile eſſet, prohibito medio unico, & neceſſario, quo jus illud obtineri poteſt. At verum id eſt, ſi medium illud *natura* ſit neceſſarium. Secus, ſi jus *per naturam* abſque illo medio obtineri poſſet, ſed vitio agentis demum neceſſarium ſit; tunc enim impedimentum non eſt in re ipſa, ſed in perſona, & ex ejus vitio: medium igitur hoc caſu illicitum eſt, & adhiberi nequit, etſi forte aliter jus obtineri nequeat. Sed & medium illud adhiberi debet ſine injuria tertii innocentis, quia & ille jure ſuo uti, & contra quemcunque aggreſſorem defendere ſe poteſt.

(*y*) Cum enim Deus ſit ens perfectiſſimum, neceſſario inde ſequitur, 1. omnia, quæ vult, eſſe natura licita, & juſta. Atque hinc cædes Abrahamo injuncta, concubitus cum patrui vidua inter Judæos, furtum Iſraëlitis permiſſum, bella cum damnatis populis, &c. non pugnant cum jure naturæ; quia Deus hæc fieri voluit, qui non niſi perfectiſſime velle poteſt. 2. Deum omnia, quæ ex natura ſuæ perfectionis aliter velle non poteſt, voluiſſe Hinc cultus Dei fluit ex voluntate divina, quia Deus non poteſt velle ne colatur; cultus enim eſt æſtimatio perfectionis.

(*z*) Non enim poteſt niſi perfectiſſime velle.

(*aa*) Nam fruſtra agere, imperfectionem infert, quæ in Deum non cadit. Optime Ariſtoteles: *Natura nihil imperfecte, nihil fruſtra agit.* l. 1. Polit.

(*bb*) Non omnia, quæ ex perfectione Dei ſequuntur, jus inter homines inferunt; ex eo enim, quod Deus pro ſua perfectione non poſſit non liberalitatem, aliaſque virtutes approbare, ac præmiis penſare, non ſequitur, homini jus eſſe adigendi alterum ut liberalitatem exerceat. *Vid. Poſ.* 15.

(*cc*) Utrum autem voluerit permiſſivè, an præceptivè, alia quæſtio eſt,

(*dd*) Quicquid enim Deus agit, perfecte agit. Actio autem non eſſet perfecta, quæ finem nullum habet.

POSITIO

Positio Quinta.

§. VIII. Hinc [a] a natura [b] conceſſa [c], & conſtituta [d] ſunt.

1. Cuique homini jus in ſuas actiones [e], earumque commoda [f]; nullum in alterius. [g]

2. Humano generi jus plenum in hanc terram [h], ejusque res [i], fructus [k], feras [l], &c. [m], quin & in homines ipſos [n]; ſingulis vero æquale jus occupandi [o] id, quod nullius eſt. [p]

3. Jus conſervandi [q], non perdendi [r] ſuum, vel aliorum [s] corpus, vitamque.

4. Societas *communis* inter homines [t], & quæ inde in ſingulos derivantur jura. [u]

5. Societas *domeſtica* [w], & quæ pariter inde jura ad ſingula membra permanant [x], ſuis quæque locis tradenda. [y]

Commentarius ad Pos. V.

(*a*) Scilicet, ex præmiſſis probandæ voluntatis divinæ modis.

(*b*) Id eſt a naturæ auctore, nimirum, Deo.

(*c*) Vi facultatis naturalis agendi quicquid lubet.

(*d*) Nam facultas illa naturalis approbata eo ipſo eſt a natura, ſi reſtricta, vel prohibita non apparet.

(*e*) Deum unicuique hominum jus in ſuas dediſſe actiones, probatur ex facto creationis; quia ſingulis propriam facultatem conceſſit agendi, vel non agendi: facultates ergo facto naturæ diviſæ, & ſingulis perſonis innexæ fuere.

(*f*) Quicquid ergo commodi ex illa actione ſequitur, pertinet ad agentem, quippe qui ſolus jus in actiones ſuas habet, indeque ſolus ex illis lucratur. Unde & pro lubitu diſponere de actionibus ſuis, earumque commodis, atque alii operas ſuas locare poteſt; & tunc omne commodum illius actionis in alterum tranſit. Hinc eſt quod opifices operarum ſuarum æſtimationem petere poſſint, quia utilitas, quæ ex opera oritur, eſt res æſtimabilis, adeoque pro mercede in alium transferri poteſt.

(*g*) Quia facultas facto naturæ perſonis diſtincta, & cuique propria eſt. Uti igitur actiones noſtræ ſub noſtra facultate ſunt, & a nobis dependent; ita actiones alterius ſub ipſius facultate ſunt, & ab ipſo dependent, adeo ut commoda quoque eas ſequantur. Cujus effectus eſt, quod nemo alius jus hoc impedire, aut auferre poſſit, quia ei in alienas actiones nullum jus competit.

(*h*) Hoc jus generis humani in hanc terram probatur 1. ex *actione Creatoris.* Deus enim conceſſit hominibus facultatem, & potentiam libere utendi rebus terræ, percipiendi fructus, capiendi feras, &c. quæ facultas tamdiu licita eſt, donec prohibita probetur. Hæc intentio creatoris illuſtratur 2. ex circumſtantiis illius actionis: terra enim ita creata eſt, ut ad omnes partes homo pervenire poſſit; & ex hiſtoria creationis apparet, Deum hominem ideo in medio terræ poſuiſſe. Facultas illa 3. probatur ex *fine actionis.* Nam in eum ſolum finem Deus res terræ creavit, & nulli alii uſui, quam ut homines illis uti poſſint. Atque hoc argumento utitur JCtus in §. 37. *Inſt. de Rer. div.* cum demonſtrat, hominem eſſe dominum terræ, quia natura omnes fructus rerum hominis cauſa produxit. Confirmatur id 4. ex *medii neceſſitate;* homo enim ſine uſu rerum vivere non poteſt: dum ergo Deus vitam conceſſit homini, etiam ea conceſſiſſe videtur, ſine quibus vivere nequit. Denique & 5. id ſequitur ex *natura ſanctiſſimi Creatoris*, qui nihil fruſtra feciſſe videtur: fruſtra autem condidiſſet mundum, ſi homines uti eo non poſſent.

Nec dici poteſt, animalium quoque cauſa terræ fructus conditos eſſe, adeoque non eſſe fruſtraneam creationem, etſi homo non uteretur. Nam & hæc animalia condita ſunt in uſum hominum, nec alius finis conditorum brutorum eſt, quam ut uſui ſint hominibus. Certum ergo eſt, Deum ſui cauſa hominem creaſſe: at fructus, & feras ſolius hominis cauſa.

(*i*) Ut nimirum eas occupare, & pro lubitu de iis diſponere poſſint homines.

(*k*) Ut illos pro lubitu percipere, & in ſuos uſus convertere poſſit humanum genus.

(*l*) Ut pro lubitu capere feras, easque in ſuam poteſtatem redigere poſſit.

(*m*) V. g. in res bello captas, in adeſpota.

Equidem hactenus probavimus, voluiſſe Deum concedere jus plenum in hanc terram: at cum hoc jus mere conceſſivum ſit, nondum inde inferri videtur voluntas Dei, ne homo jus hoc homini auferat. Reſp. Voluntas illa prohibitiva ſatis apparet 1. ex actu naturæ; quod enim cuique ita a natura conceſſum eſt, id cuique ſuum eſt, in quod adeo aliis jus nullum eſt. Et hinc neceſſario ſequuntur illæ regulæ univerſales, *ſuum cuique tribuere*, & *neminem lædere*. Cognito enim quid cuique ſuum a natura ſit, intelligitur id ipſi tribuendum, non auferendum eſſe. Sane, 2. qui vult conceſſum, ille non vult ablatum; quod ergo non vult, id prohibet, quia nihil habemus niſi ex conceſſione naturæ. Hinc ſi ſtatuimus in jus, quod Deus aliis conceſſit, non concedente, ſed prohibente creatore agimus, adeoque injuria eſt.

Qui igitur 3. rem alii a Deo conceſſam aufert, contra factum creatoris venit; homo tollit, quod a Deo datum, & in quod nihil ipſi juris eſt. *Conf. Poſ.* 7.

Ex his jam conſtat, jus omnium in omnia, (quod Hobbesius fingit, & unde jus occidendi, prædandi &c. alios homines, in ſtatu naturali deducit,) pugnare cum natura rerum, & facultate utendi a natura hominibus conceſſa. Ille tantum vidit quid quisque naturaliter poſſit; non quatenus facultates noſtræ reſtrictæ ſint, in qua reſtrictione tota ratio juris conſiſtit. Terra enim non uni homini data eſt, ſed toti humano generi. Natura non eſt data facultas, ut quisque omnia poſſit, ſed ut omnes pariter poſſint, & ſic ut alter alterum non impediat. Quod igitur univerſo conceſſum eſt, & omnibus ſimul competit, id ſinguli auferre non poſſunt.

(*n*) Uti 1. in liberos per generationem: 2. in ſingulos, vi imperii, quod humano generi conceſſum eſt. *Vid. Poſ.* 13. & 14.

(*o*) Diximus, facultatem illam utendi rebus terræ non uni, ſed omnibus hominibus pariter datam eſſe. At cum omnes non poſſint eadem re ſimul uti, neceſſario ſequitur, reſtrictam eſſe facultatem unius per concurſum alterius potentiæ, quæ tantundem poteſt. Et cum quod unus conſumit, ab altero conſumi nequit, apparet, ad paritatem aliquam utramque poteſtatem reſtrictam eſſe, ita ut unus eousque facultate illa uti poſſit, ut alterius facultas, quæ æque a natura eſt, ſalva ſit.

Atque hoc principio JCti Romani quoque in deciſione difficillimorum caſuum uſi ſunt. Hinc 1. concludunt, *duos ejusdem rei dominos in ſolidum eſſe non poſſe*, quia natura facultatis conditæ, & conceſſæ talis eſt, ut plures facultates pari jure actu concurrere nequeant; & pugnat, unum in re omnia poſſe ut dominum, & tamen alterum, qui æque dominus eſt, id impedire poſſe. Idem 2. de poſſeſſione ſtatuunt, *duasque poſſeſſiones ſimul concurrere poſſe*, negant. Non enim poſſum ſtare in loco, quo tu ſtas; & ſic ſi tua eſt facultas ſtandi, quamdiu eſt, mea eſſe nequit, *l.* 3. §. 5. *Acq. poſſ. l.* 5. §. *pen. commod.* Si proinde 3. duobus idem jus, eademque res, in ſolidum conceditur, regulam ſtatuunt, *concurſu partes fieri*, *l.* 15. §. 18. *Damn. inf. l.* 3. *pr. uſufr. accr.* Cum enim plures eandem rem in ſolidum habere per naturam non poſſint, neceſſario ſequitur, utrique pro parte conceſſum eſſe.

Hoc ergo eſt jus occupandi res hujus terræ, quæ nullius ſunt, & quod omnibus hominibus ex æquo competit; eaque paritas eſt, ne ullus hominum ab ea facultate occupandi ejus, quod ab alio nondum occupatum eſt, excludatur. Hoc demonſtratur 1. ex ipſa actione naturæ, quæ plures facultates creavit, & æquavit; quæ proinde omnes pariter exerceri, nec una per alteram impediri poſſunt. 2. A fine creationis, quia Deus terram ſufficientem omnibus fecit, ut omnes uſum haberent; unus enim omnibus non eget, & ſic multa fruſtra eſſent creata. 3. A medii neceſſitate, quia facultates

tates a natura conceſſæ exerceri non poſſent, ſi unus omnia reliquis præciperet.

Quis ergo in hoc concurſu plurium facultatum potior eſt? Reſp. Dictum jam eſt, eum eſſe potiorem, qui occupavit: is enim occupat rem, quæ nullius eſt, & alius prohibere non poteſt jus, quod jam alteri, cui natura conceſſum voluit, quæſitum eſt.

Hinc jam apparet, naturam non res ipſas feciſſe communes, qnia alias communi conſenſu ad occupationem illius rei opus eſſet; immo commnni diſſenſu impediri illa facultas poſſet, cnm tamen uſus rerum moram non ferat, & jus utendi rebus fieret impoſſibile. *Vid. Grot. l. 2. C. 2. §. 2. ibique comment.*

Effectus igitur hujus facultatis eſt, ut res fiat occupantis, i. e. res in proprietatem, & dominium occupantis perveniat. Atque hunc modum acquirendi dominii ex ratione natnrali, & ex jure gentium, quod cnm ipſo genere humano proditum eſt, fluere, ait Cajus *l. 1. & l. 3. pr. ff. Acq. rer. dom.*

(*p*) Non ergo quod jam alterius factum eſt. Nam id alterius eſſe voluit rerum creator, cui parem facultatem occupandi conceſſit, & ſic quod occupabit, ejus eſſe voluit. Pugna igitur eſt, voluiſſe Deum rem eſſe alterius, & tamen alterum eum in uſu rei occupatæ impedire poſſe. Quin hoc ipſo, dum occupantis eſſe voluit, prohibuit, ne ſine facto ejus res ei auferatur, quæ regula naturæ a JCtis Romanis ita exponitur in *L. 11. Reg. jur.*

Atqui alter occupando rem terræ, utut ab aliis occupatam, ſua facultate utitur? Reſp. Deſinit ejus facultas, eaqne ex voluntate creatoris hactenus reſtricta eſt, quia, uti modo dictum eſt, natura, ſeu ſubſtantia facultatis creatæ talis eſt, ut pluribus in ſolidum natura competere non poſſit.

Unde notandum eſt, jus, quod natura homini in *actiones ſuas* conceſſit, magis ex facto naturæ probari, quam jus, quod hominibus a natura conceſſum eſt in *res terræ.* Actiones enim natura non communes fecit, ſed cuique proprias dedit; hinc mea potentia agendi non eſt tua. Facultates itaque agendi a natura ſunt diviſæ, & perſonis innexæ: at jus in res eſt indiviſum, & res dividuntur demum occupatione. Aliis igitur jus in meas actiones non competit, quia repugnat ipſe actus: ſed jus in res meas ideo habere alius non poteſt, quia repugnat natura facultatis, quæ non patitur, ut pluribus eadem res in ſolidum competere poſſit.

(*q*) Natura homini facultatem vivendi dedit, at non indeſinitam, ut v. g. poſſit non vivere, ſed cum lege ut vitam conſervet.

(*r*) Nemo igitur ipſe, vel per alium ſe occidere poteſt; & hactenus reſtricta eſt hominum facultas naturalis. Idque probatur 1. ex *motu*, & inſtinctu, quem Deus indidit omnibus animantibus ad ſui conſervationem, & ex averſione, quam ex deſtructione corporis noſtri ſentimus. 2. Ex *facto creationis*: Deus enim junxit hæc membra, & vitam eis indidit, quin animam (quæ non noſtra, ſed a Deo eſt) junxit corpori; quod igitur Deus junxit, homo ſeparare contra voluntatem creatoris nequit. 3. Ex *fine creationis*; homo enim conditus eſt creatoris cauſa, non ſui; non ut vivat, veluti bruta, veſcendi cauſa, ſed nt creatorem intelligat, & admiretur. Huic igitur fini, & voluntati contrarium eſt, perdere iſtam facultatem colendi creatorem, & organa ejus laudis. Sane, omnis agens principaliter ſui cauſa agit, cum aliquid, quod ſibi bonum eſt, movet; creator autem nullnm bonum potuit exſpectare, niſi ſuæ gloriæ. Hoc ergo inſtrumentum deſtrui ab homine non poteſt. Egregie rem explicat Cicero *in ſomnio Scipionis Cap. 4.* Poſtquam enim Scipionem patrem in ſomnio ita alloquentem induxiſſet: *Quæſo, inquam, pater ſanctiſſime, atque optime, quando hæc* (ſcil. mors) *eſt vita, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero?* Reſpondet pater: *Non eſt ita: niſi enim Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt. Homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur: hiſque animus datus eſt, &c. Quare & tibi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis. Nec injuſſu ejus, a quo ille vobis eſt datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum a Deo defugiſſe videamini.* Idem Cicero *in quæſt. Tuſc. 1. Vetat enim dominans ille Deus, injuſſu hinc nos ſuo demigrare.* Et in libro *de ſenectute*, poſtqnam ſenibus breve vitæ reliquum ſine cauſa deſerendum non eſſe commendaverat, addit: *vetat* Pythagoras, *injuſſu imperatoris, i. e. Dei, de præſidio, & ſtatio-*

ne

ne vitæ decedere. Atque hæc quoque eſt doctrina Romanorum JCtorum, qui neminem eſſe membrorum ſuorum dominum, ſtatuunt. *Vid. l.* 13. *ff. ad Leg. Aquil.* Exceptiones hujus regulæ in ipſo opere Grotiano trademus: uti ſi mortem quis obeat pro conſervatione aliorum; quo pertinet factum Decii, bellum ſociale, &c.

(*s*) Jus igitur, ſeu facultas *conſervandi* corpus aliorum, itidem a natura eſt. Et tantum abeſt, facultatem hanc prohibitam eſſe, ut potius id virtutis ſit aſſiſtere aliis, & avertere injuriam a tertio. Quin in corpore noſtro minus illa conſervatio laudatur, quia noſtra intereſt, & natura in id ferimur; noſtri enim corporis ſtudium nobis natura dedit, non vero alterius: adeoque in aliis mera virtus eſt, & generoſitas. E contrario facultas *perdendi*, & deſtruendi aliorum corpus, natura prohibita eſt. Si enim in ſuum corpus ad perdendum jus non eſt, nedum in corpus alterius. Sane, homo eſt organum perfectionis divinæ, in quod nulla creatura jus habet.

(*t*) Talem autem ſocietatem humani generis exiſtere, probatur 1. ex motibus, & inſtinctibus omnibus animantibus, etiam brutis, inditis, quæ gregem non deſerunt: ſed anxie quærunt, & abrepta lugent: 2. ex creatione linguæ, ſermonis inſtrumento, cujus nullus uſus eſſet, ſi quiſque homo ſolus eſſet: 3. ex conceſſa a Deo ratione, quæ fruſtra hominibus inſita eſſet, niſi ſocietas inter homines eſſet. Atque hoc eſt, quod JCti Romani ajunt, cognationem quandam natura inter omnes homines eſſe. *L.* 3. *de juſt. & jur.*

At appetitum hunc ſocietatis pro fonte juris naturalis non agnoſcimus; *tum* quia jus ex ea ſocietate non ideo quæritur, quia homines eam appetunt, ſed quia Deus motum illum in nobis exiſtere, eoque jus aliquod inde eſſe voluit; *tum* quia multa alia naturæ jura dantur, quæ ex appetitu ſocietatis plane non ſequuntur, adeoque ex alio fonte deduci debent.

(*u*) Hinc enim ſequuntur officia imperandi, & parendi, adeoque jura Magiſtratus, & ſubditorum; non quia homines ad ſocietatem feruntur, ſed quia defendi jus humano generi conceſſum non poteſt, niſi ſit poteſtas ſuperior, ſeu Magiſtratus. *Vid. Poſ.* 13, & 14.

Hinc dignitas, ac fama honeſtatis inter cives oritur, qua civis capax rerum, ac honorum civilium æſtimatur. Hujus ergo famæ quoque tuendæ jus eſt, ut capax ſit iſtarum utilitatum.

(*w*) Societas domeſtica conſtituitur conjunctione utriuſque ſexus prolis procreandæ cauſa; & cum ex inſtinctu ſatis innoteſcat, facultatem hanc hominibus conceſſam eſſe, ultro ſequitur, jus inde oriri.

(*x*) Ut conjugia, educandi neceſſitas, patria, & maritalis poteſtas, &c.

(*y*) De jure nuptiarum vide *Grot. l.* 2. *c.* 5. §. 8. *ſeq.* De patria poteſtate vide *d. c.* 5. §. 1. *ſeq.*

Not. Ex his juribus hominibus a natura conceſſis patet, juſtitiam totam conſiſtere in abſtinentia ab alieno, quia id alteri non conceſſum, adeoque ei, cui conceſſum, tribuendum eſt; quod vel ex definitione juſtitiæ, & regulis juris univerſalibus, quas JCti Romani ſuppeditant, apparet.

POSITIO SEXTA.

§. IX. Intra hos conceſſæ cuique facultatis fines ſi quis diſponit, regula eſt: *Prout quiſque diſponit, ita jus eſt* [a]. Diſpoſitio autem eſt voluntatis declaratio [b], quid fieri, vel non fieri quis velit. [c]

(*Add.* Variæ ſunt enunciationum, ſeu orationum ſpecies, narrationes, laudationes, vituperationes, jocationes, &c. quæ diſpoſitionem non faciunt.) [d]

COMMENTARIUS AD POS. VI.

(*a*) VIDIMUS hactenus, quæ immediate a natura, adeoque originarie homini conceſſa ſunt: jam explicabimus ea jura, quæ cum facultate naturali connexa ſunt, & ex ea ſequuntur.

Poſitione præcedenti diximus, naturam hominibus facultatem dediſſe in ſuas res, & actiones; ex hac facultate neceſſario ſequitur, homines de ſuis rebus, & de ſuis actionibus, pro lubitu diſponere poſſe. Cum enim facultas illa conſiſtat in jure agendi quicquid lubet, ſub ea continetur facultas diſponendi, conſumendi, alienandi &c. Illa igitur facultas quia prohibita non eſt, jus eſt. Atque hinc regula Legum XII. Tabb. *Prout quiſque rei ſuæ legaſſet, ita jus eſt. l.* 120. *V. S.* Legare autem, i. e. legem rei ſuæ dicere, & de ea diſponere, paria ſunt, *l.* 114. §. 14. *Leg.* 1. *Nov.* 22. *c.* 2. Atque ex hac Poſitione omnes modi transferendi juris ſequuntur.

(*b*) Diſpoſitio igitur non eſt, ſi mente aliquid reſervamus, quia de eo non agitur inter utrumque; ſed tunc demum, ſi id, quod mente decrevimus, alteri, de cujus jure agitur, declaramus. Idque fit vel verbis, vel factis. Si diſpoſitio dubia eſt, ad interpretationem recurrendum eſt.

(*c*) Scilicet de re ſua, & de jure ſuo. An ergo non valet diſpoſitio de re aliena? Reſp. traditio rei alienæ non valet: at pactum de tali re omnino ſubſiſtit, de quo in ipſo tractatu Grotiano latius agemus. *Vid. L.* 2. *c.* 11. §. 13. & *c.* 12. §. 15.

(*d*) Verba alia ſunt diſpoſitiva, alia enunciativa. Omnia verba, quæ non ſunt diſpoſitiva, ſunt enunciativa; hæc jus non faciunt, nec transferunt.

POSITIO SEPTIMA.

§. X. Sin ultra hos fines [a] quid habet [b], vel agit [c], injuria eſt [d]; ex qua eſt obligatio [e] ad eam reparandam, ſive quid habeat, ſive quid egerit ultra hos fines [f]. Reparatio ea fit, cum vel id, quod ablatum eſt [g], vel ſi id non poteſt, tantundem reſtituitur. [h]

COMMENTARIUS AD POS. VII.

(*a*) EXPLICAVIMUS capita omnium jurium, quæ natura hominibus conſtituit: ſequitur jam *Obligatio.* In quantum enim facultates noſtræ ſunt reſtrictæ, in tantum eſt obligatio agendi, vel non agendi. Certum enim eſt, nullas nos habere facultates agendi, niſi quæ a Creatore nobis ſunt conceſſæ: quas ergo hic prohibuit, eas non habemus; adeoque ejus agendi jus nobis non competit. Hinc uti libertas naturalis agendi *facultas* dicitur, ita hæc prohibitio *impotentia moralis* recte vocatur; ut quaſi impoſſibilia ſint quæ moraliter prohibentur: quod etiam principium JCtorum eſt in *l.* 15. *ff. Cond. Inſt.*

Intra fines ergo facultatum a natura conceſſarum agimus, ſi manet ſtatus, quem natura voluit, vel conceſſit, ſeu *ſi ſuum cuique* tribuitur; quæ regula linea, & norma juris eſt, a qua deflecti nequit. Si ultra fines hos agimus, injuria eſt, quia Creator id noluit; & tunc incipit ſtatus injuriæ, ac obligationis, de quo plenius egimus *ſupra ad Poſ.* 2.

(*b*) Si proinde aliquid habemus, quod alterius eſt, illud tenemur reſtituere ei, cujus jus eſt; quia illi ſoli conceſſa eſt facultas circa rem illam, non nobis: adeoque quamdiu extra ſtatum conceſſionis rem alterius poſſidemus, tamdiu prohibitio ſubſiſtit, quia injuria eſt, quæ tunc demum deſinit, quando res redit ad priſtinum ſtatum juris, i. e. eum, in quo fuit ante injuriam. Et hoc iterum convenit cum jure Romano, uti apparet ex *l.* 32. *ff. Reb. cred.* ubi cum alterius pecunia ad alterum perveniſſet, neque ulla ſubeſſet valida conventio, per quam eadem

dem repeti potuiſſet, ideo Celſus alterum obligari, dicit, *quod alienam poſſideret pecuniam.* Eidem principio innixæ ſunt condictiones; ideo enim jure gentium condici res poſſe, ait Marcianus, quia non ex juſta cauſa alter poſſidet, h. e. quia ultra fines a natura conceſſos poſſidet.

(*c*) Si igitur facto ſuo jus alii conceſſum aufert, itidem injuria eſt, quia Creator jus hoc alterius eſſe voluit; unde ſequitur, ultra fines a natura conceſſos facere, qui contra voluntatem creatoris jus hoc alii quæſitum aufert.

Bene autem hic notandum eſt, non omnem actionem in alieno hac Poſitione improbari; nam nec illud eſt ultra terminum facultatis noſtræ alii benefacere, eum juvare, adeoque negotium alterius gerere. Si vero gerens in ſuam utilitatem negotium alterius gerit, incipit eſſe injuria, & alteri tenetur, quod ex ejus re locupletior factus ſit. Anne vero actio ex delicto inde datur? Negatur, quia origo actionis inſpicienda, quæ eſt factum licitum, & ſic gerens agit in re aliena ex cauſa licita. Atque ex hac ratione JCti Romani ſtatuerunt, eum, qui animo ſibi lucrandi alterius negotia gerit, multo magis actione negotiorum geſtorum teneri, *l.* 6. §. 3. *neg. geſt.*

(*d*) Fons ergo omnis juris homini competentis eſt conceſſio naturæ, ſeu Creatoris, quia nihil noſtrum eſt, niſi quod ille conceſſit; fons autem omnis injuriæ eſt ablatio illius juris. Sane, quod cuique a Creatore conceſſum, & cuique ſuum eſt, non poteſt ab alio auferri, quia non huic, ſed alteri conceſſum, & ideo alterius eſt. Hinc certos conceſſionis ſupponimus fines, intra quos ſi homo ſtatuit, jus eſt; ſi ultra, injuria. Quicquid enim non jure fit, eſt injuria, *l.* 1. *ff. injur.* Atque hæc injuria manet, donec reparetur.

Caput igitur omnis obligationis eſt abſtinentia ab alieno, & ſi ablatum eſt, ejus reſtitutio, & reparatio. Atque in eo omnis juſtitia conſiſtit, quam Scythas naturam docuiſſe, ut Græcos philoſophiam, ait *Juſtinus l.* 2. *C.* 2.

(*e*) Id eſt neceſſitas; obligatio enim a ligando vocatur; *vid. ſupr. Poſ.* 2. *lit.* I.

(*f*) Quia enim nemo impune contra factum Creatoris agere, atque facultates ab eo conceſſas intervertere poteſt, neceſſario ſequitur, tamdiu injuriam manere, donec res ad ſtatum naturæ reducatur, i. e. jus ſuum cuique tribuatur.

Adeoque ſi quis rem alterius teneat, etiam ſine facto ſuo, reddi debet ei, cujus eſt; ei enim ſoli, non alii, a Creatore conceſſa eſt facultas in rem illam.

Pariter, ſi quis jus alterius turbat, violat, &c. agit ultra facultatis ſuæ fines, contra intentionem, ac voluntatem Creatoris, adeoque injuria; quæ proinde reparari, & in priſtinum ſtatum juris, i. e. eum, in quo fuit ante injuriam, reſtitui debet.

Atque ex hac poſitione ſimul ſequitur, quicquid contra jus alterius fit, ipſo jure nullum eſſe; facultate quippe deficiente, in qua jus conſiſtit, *l.* 14. *Cond. Inſt.* Atque hoc eſt, quod in *l.* 15. *Cond. Inſt.* dicitur, ea moraliter pro impoſſibilibus haberi, quæ contra jus fiunt.

(*g*) Injuria enim non deſinit, niſi res in priſtinum ſtatum reſtituatur. Regulariter ergo reparatio non facta intelligitur, niſi res ipſa reſtituatur, ſi poteſt.

(*h*) Si reparatio fieri non poteſt rei ipſius reſtitutione, obſtat natura; & ſic facultas naturalis reſtituendi deficit: uti ſi res periit, homo occiſus eſt, &c. Tunc ergo reſtitutio fieri debet quatenus poteſt, ſcilicet, per tantundem; quod morali æſtimatione idem eſt in caſu, quo idem repeti nequit. Tantundem enim eſt menſura rei, & poteſtate, ac valore idem. Atque hoc ſenſu jus illud talionis, oculus pro oculo, &c. intelligi debet.

Positio Octava.

§. XI. Ex diſpoſitione [a], quæ fit inter plures [b] *de re* commutanda, jus inde in rem ipſam competit [c], prout placuit [d]; ſi *de facto*, in perſonam. [e]

(*Add.*

(*Add.* Utilius [f] autem eſt, utrobique [g] ex diſpoſitionibus [b] jus in perſonam conſtitui [i]; quod proinde inter gentes regulariter receptum eſt.) [k]

Commentarius ad Pos. VIII.

Diximus, jus nobis a natura conceſſum eſſe in res, & actiones noſtras; & ſub illo jure contineri facultatem, ſeu potentiam de rebus, & actionibus noſtris diſponendi pro lubitu; omnis igitur diſpoſitio vel *de re* eſt, vel *de facto*. Adeoque omnis obligatio eſt vel *dandi*, vel *faciendi*. De effectu hujus diſpoſitionis hac Poſitione agemus.

Diſpoſitio *de re* in alium transferenda fit dupliciter; aliquando enim rem ipſam ſtatim tradimus, adeoque rem, ejusque jus in alium tranferimus; aliquando non rem ipſam tradimus, ſed facultatem ſaltem ejus petendæ.

Utroque caſu jus, quod ipſi rei cohæret, in alterum transfertur, quia partes prout de jure ſuo diſponunt, ita jus eſt; nam poſteriori caſu quoque partes diſpoſuerunt, ut res ipſa peti poſſit. In diſpoſitione ergo de rebus jus in rem ipſam tranſit, etſi res traditæ non ſint: adeoque creditoris jus eſt reale, indeque rem promiſſam petere poteſt a quocunque poſſeſſore, & ubicunque ſit; idque dicitur *in rem agere*. Debitor igitur jure naturæ non manet plenus rei dominus, quippe jure petendæ rei in alium translato. Si proinde debitor hanc rem alteri promiſſam alii tradit, res tranſit cum onere præſtandi, quia jus petendi hanc rem, quod ex diſpoſitione promittentis competit, creditori auferri nequit.

Atque hinc emtor ex naturali ratione rem emtam vindicare a quocunque poſſeſſore poteſt, etſi res tradita ei non fuerit.

Jus Romanum commodius eſſe cenſuit, hæc jura ad perſonam reſtringere, indeque creditori jus tantum perſonale concedere, ita ut debitor ſolus teneatur, nec is, cui res illa ab eodem debitore tradita eſt, conveniri poſſit.

Cauſa cur jus civile a jure naturæ receſſerit, & actionem ſaltem perſonalem creditori ex pacto dederit, hæc eſt, quia in rebus jus naturæ pro præſenti rerum ſtatu expediri non potuit; nam elidi ſingulis momentis poſſet, rem in alium transferendo. Debitor enim, rem alienando, propter quam convenitur, non amplius obligatus eſſet, & creditor novum poſſeſſorem nova actione convenire teneretur, quod ita in infinitum procedere poſſet. Id ergo ne fieret, ob utilitatem publicam Romani ſtatuerunt, ut re nondum tradita in ſolam perſonam debitoris actio, & judicium daretur, adeo ut is, qui rem dare promiſit, ex promiſſo ſuo obligetur, & conveniri poſſit, etſi rem promiſſam non poſſideat.

Atque hinc ex eadem æquitatis ratione Romani conſtituerunt, ut etiam in realibus actionibus actio, & judicium contra poſſeſſorem cœptum continuetur, etſi non poſſideret; quod regulariter cum natura actionis, qua in rem agitur, pugnat. *Conf. infr. cap.* 2. §. 5.

(*a*) Quid ſit diſpoſitio, *Vid. poſ.* 6.

(*b*) Duorum diſpoſitio de re in alium transferenda plures perſonas ſupponit, quia de duorum jure agitur, dantis, & acquirentis. Hinc nullum alii jus oritur ex diſpoſitione unius; adeoque nec ex pollicitatione, nec ex teſtamento, obligatio ulla natura oritur.

(*c*) Ita ut periculum ejus ſit, & is a quocunque poſſeſſore vindicare rem poſſit, etſi tradita non fuerit.

(*d*) Si enim dominium transferri placuit, id præſtandum eſt; ſi aliud jus in re, tunc id transferendum eſt, quod placuit.

(*e*) Diximus initio hujus Poſitionis, omnem diſpoſitionem vel *de re* eſſe, vel *de actione*, *ſeu facto* noſtro. *Res* ſua natura poteſt tranſire ab uno in alium, quo caſu ſimul ambulat jus, quod rei cohæret: at *factum* non poteſt tranſire, quia actiones, ſeu facultates agendi, peculiariter a natura cuique ſunt aſſignatæ, indeque naturaliter perſonæ cohærent, nec ab ea ſeparari poſſunt; adeoque actio ſaltem in perſonam inde datur ad præſtandam facti utilitatem, ſeu id, quod intereſt.

Atque

Atque hæc iterum accurate conveniunt cum jure Romano. Nam ibi quoque omnis obligatio eſt vel dandi, vel faciendi, §. *ſ. Inſt. de V. O. l. 2. pr. ff. Eod.* Ex obligatione dandi agitur præciſe ad rem tradendam, §. 2. *Inſt. de donat.* Ex obligatione faciendi autem ad id, qood intereſt, *dict.* 8. *fin. l.* 13. *in fin. de re jud.*

Hinc jam ceteræ differentiæ inter obligationes dandi, & faciendi ſequuntur. In obligatione *dandi* non liberatur debitor a præſtando id, quod intereſt, quia rem præciſe præſtare tenetor, & ad id adigi poteſt; ſi non poteſt rem præſtare, uti ſi alienavit, tum demum tantundem præſtat. In obligatione *faciendi* liberatur promiſſor præſtando id, quod iotereſt; quia non factum ipſum, ſed utilitas ſaltem facti, adeoqoe ejus æſtimatio, eſt in obligatiooe. Factum ipſum enim quo minus io alium transferri poſſit, obſtat ipſa natura, quæ factum perſonæ conjunxit, a qua id ſeparari nequit. Adeoque is, cui factum promittitur, habet jus aliquod in ipſam actionem promittentis; at non qua actionem, ſed ut otilitas illius actionis transferatur: hæc ergo ſola utilitas eſt in obligatione. Nec dici poteſt, ipſum factum promiſſom eſſe, quia facoltas talis transferendi factum promittendi a natura data non eſt, & præter utilitatem promitti aliud por naturam non potuit.

(*f*) Utilitas autem in eo conſiſtit, ne re mutata ſemper qooque mutetur actio, & judicium.

(*g*) Non tantum ubi *factum* alii promittitur, ſed & ubi de re danda agitur.

(*h*) De re, vel de facto commotando.

(*i*) Ita ut perſona promittentis ſola obligetur, etſi rem promiſſam non poſſederit.

(*k*) Jure Romano id receptum eſſe vidimus; unde in obligatiooe dandi ſaltem dari actionem in perſonam, diximus. Atque hinc ex jure Gentium eſt, qood emtor, cui res tradita oondum eſt, noo poſſit agere cootra poſſeſſorem rei, nec actione reali, ſed actione perſonali, ut perſona rem præſtet, vel ſi non poteſt, taotundem.

Effectus tamen illius joris natoralis remanſere in materia periculi. Nam in emtorem etiam re nondum tradita periculum tranſit, ſi pure res vendita, & certum pretium conſtitutum eſt, *l.* 8. *v. ſane &c. ff. per. & comm.* Vel ſi certa ſpecies debita fuit, & dies venit. *Vid. l.* 7. *pr. l.* 8. *v. quod ſi &c. ff. per. & com.*

Positio Nona.

§. XII. Facultas iſta diſponendi tollitur morte [a], & res hoc jure iterum cedunt occupanti [b]: nec ex iſthoc jure primævo eſt illa teſtandi ratio, quæ inter gentes obtinet. [c]

Commentarius ad Pos. IX.

(*a*) Hactenus egimus de diſpoſitione viventium; jam ſequitur, qoid mortuis homioibus de his facultatibus, & juribus, qoæ natura illis dedit, ſtatuendum ſit.

Regulam autem ponimus: *Omnem facultatem, adeoque & potentiam, ſeu jus diſponendi, morte tolli.* Cum enim hæc jura tantum ſint viventium, & hominibus ad uſum vitæ data, neceſſario ſequitur, ea interire, & vacua iterum fieri eorum morte; & cum homines, ſi moriuntur, tales eſſe deſinant, certum eſt, facultates ſolis hominibus coonceſſas morte interire. Mortuorum enim facultates naturaliter amplius eſſe nequeunt.

(*b*) Quia ea facultas, qoæ alii in rem hanc competiit, ceſſat, & ſic res redit in eum ſtatum, in qoo fuit anteqoam alii facultas in eam competiit. Res igitor poſt mortem iterum fit nullius, eoque cedit occupanti Exemplum hujus rei ſimile occurrit in *l. 6 pr. ff. R. D.*, ubi ille, qui in littore piſcandi cauſa ædificium ponit, occupando dominus fit, ſed delapſo ædificio locus quaſi jure poſtliminii revertitur in priſtinam cauſam, i. e. fit nullius, & cedit occupanti. Hinc ſequitur, oullam eſſe ſucceſſionem ab inteſtatu; hæc enim eſt ſucceſſio in jus defuncti, quod natura nullum eſt.

(*c*) Teſta-

(*c*) Teſtamenta igitur non ſunt ex vero jure naturæ, nec ulla inde obligatio ex naturæ ratione inferri poteſt. Nam 1. teſtamentum eſt diſpoſitio, quæ fit poſt mortem (quia viventis nulla eſt hæreditas) morte autem omnis facultas diſponendi ceſſat. 2. Teſtamentum eſt diſpoſitio unius, ſcilicet teſtatoris, deficit ergo hæredis acceptatio, obligatio autem non oritur niſi ex diſpoſitione duorum. Neque dici poteſt, acceptationem hæredis ſequi poſt mortem, quia tunc deficit voluntas teſtatoris, utpote jam demortui.

Gentibus autem triſte viſum fuit hocjus naturæ; atque hinc ſtatuerunt, quod diſpoſitiones hominum etiam poſt mortem valere debeant: his autem teſtamentis variæ formæ additæ ſunt juribus ſingularum civitatum.

Positio Decima.

§. XIII. At in locum juris occupandi, rebus propè occupatis, ſurrogatur natura ſucceſſio liberorum in bona a parentibus præmortuis relicta.

Commentarius ad Pos. X.

Dictum eſt, teſtandi rationem non eſſe ex jure naturæ primævo. Dictum quoque eſt, naturâ non dari ſucceſſionem ab inteſtato.

At quia hoc modo homines excluderentur a jure occupandi, (utpote cum rebus terræ in univerſum occupatis nihil amplius ſuperſit, quod occupari poſſit, vel non quantum ſufficit,) aliud jus in ejus locum ſubſtitui debet, quod ei æquipollens, & par ſit; quia alias jus occupandi, quod natura ſingulis dedit, interverteretur; æquipollens autem eſt ſucceſſio liberorum. Adeoque homines occupatis rebus nati, qui nihil amplius ipſi occupare poſſunt, (quia eorum parentes jam occupaverunt) ſuccedunt in occupationem parentum. Et hoc unicum medium eſt, quo ad jus naturale occupandi pervenire poſſunt homines, ut parentum occupatione utantur, cum propriâ non poſſint. Neque obſtat, hanc ſucceſſionem pro æquivalente haberi non poſſe, quia illi, qui a parentibus pauperibus deſcendunt, cum non habeant, in quod ſuccedant, excluderentur a jure occupandi. Nam id non contingit ex defectu juris, ſed objecti; uti enim ubi nihil eſt, nihil occupari, ita quoque in id ſuccedi non poteſt.

At ea ſuccedendi ratio tantum obtinet in *liberis*, non in reliquis *cognatis*, quia omnis ratio querelæ in his ceſſat; etſi enim cognati invicem non ſuccedant, ideò tamen non excluduntur a jure occupandi naturali, quia hic defectus reparatur per ſucceſſionem in bona ſuorum parentum. Ratio igitur abolendæ injuriæ univerſalis, quæ in liberis obtinet, ceſſat in cognatis: nam ſuos ſinguli parentes & ipſi habent, quibus ſuccedant; & ſic hactenus omnibus natura proſpicit.

Positio Undecima.

§. XIV. Hæc tamen nihil derogat liberrimæ parentum diſpoſitioni inter vivos [a]. At introducto inter gentes teſtamentorum uſu [b], tota ſucceſſio per teſtamenta auferri liberis nequit. [c]

Commentarius ad Pos. XI.

(*a*) Uti per ſucceſſionem liberorum ſalvum eſt jus occupandi, ita per eam videtur injuria fieri parentibus. Cum enim his facultas natura competat pro lubitu de jure ſuo

ſuo diſponendi, tolli hæc facultas videtur, ſi neceſſario relinquere hæreditatem liberis tenerentur. Huic dubio occurrit hæc poſitio. Nimirum, Pater quamdiu vivit, dominus pleniſſimus bonorum ſuorum manet; adeoque pro lubitu inter vivos alienare poteſt: & hactenus nullum præjudicium fit facultati parentum. Sane, jus ſuccedendi liberis non competit, niſi poſt mortem patris, ubi jus, facultas, & dominium patris deſinit.

(*b*) Nam teſtandi rationem, quæ inter gentes obtinet, non eſſe ex jure naturæ, probavimus Poſ. IX.

(*c*) Cum jure naturæ liberi, ex ſurrogatione naturæ, poſt mortem patris in ejus bona neceſſario ſuccedant, ſumma ipſis per teſtamentorum uſum injuria fieri videtur, quia in fraudem liberorum ita diſponere poſſent parentes, ut jus ſuccedendi liberorum natura quæſitum, eoque jus occupandi, interverteretur.

Gentes igitur merito hanc moderationem, & limitationem introduxere, ut aliquid relinquatur liberis, quod *legitima* dicitur. Hæc igitur legitima natura debetur, quia eſt æquipollens juri ſuccedendi, quod in locum occupatiouis natura conceſſit liberis: at cum a Gentibus certa quantitas definita non ſit, per leges civitatum varie definiri ſolet.

Sed & poſtquam gentes aſcendentium ſucceſſionem in bonis deſcendentium introduxere, (natura enim liberi ſoli parentibus, non vero parentes liberis ſuccedunt) caotum ſimul eſt, ne liberi boc jus teſtando in totum auferre poſſint, ſed aliquid eis relinquere teneantur: proinde hæc legitima non ex jure naturæ eſt, ſed ex jure Gentium. Æquitas autem hujus ſtatuti in aprico eſt; cum enim pater liberis portionem reliuquere teneatur, æquum eſt, ut pari jure etiam liberi parentibus aliqoid relinquant: ſed & leges uti pro affectu patris in filium præſumunt, ita etiam præſumunt pro pietate filii in patrem.

Inter collaterales non tantum ſucceſſio natura non eſt; ſed & introducto teſtandi uſu liberrima facultas eis conceſſa eſt collaterales prætereundi, nec ratione horum legitima jure Gentium introducta apparet. Equidem fratribus certo caſu jure Romano legitima debetur; ſed id magis in pœnam ejus ita ſtatutum eſt, qui turpem perſonam fratri præfert: adeoque id meri juris civilis eſt.

Positio Duodecima.

§. XV. Delicta, & pœnæ materiâ conveniunt; & utraque in privatione jurium noſtrorum conſiſtunt [a]. At differunt cauſâ [b]. In delictis privatio hæc fit injuſtè ab eo, qui privandi jus non habet: in pœnis juſtè [c] à judice, qui tale jus habet ad emendandos homines. [d]

Commentarius ad Pos. XII.

(*a*) Explicavimus hactenus jura, quæ hominibus competunt, & obligationes, quæ inde ſequuntur: ſupereſt ut de pœnis agamus. Etſi vero delicta, (quæ ex injuria oriuntur,) & pœnæ, maxime contraria videantur; revera tamen in eo conveniunt, quod & delictum, & pœna, conſiſtant in privatione juris alicujus. Qui enim delinquit, privat alterum jure ſuo; qui delinquentem punit, eum itidem privat bono, & jure aliquo.

(*b*) Nam in *delictis* privatio juris alterius eſt injuſta, quia delinquens ultra fines facultatis a natura conceſſæ agit, & contra voluntatem creatoris facultatem alii conceſſam aufert; adeoque is, qui privat, jus privandi non habet: at in *pœnis* privatio eſt juſta, quia fit ab eo, qui ob factum alterius illicitum jus ei quæſitum aoferre poteſt.

Pœna autem definitur, privatio alicujus boni ob malum actionis; ejusque norma eſt talio, i. e. ut delinquens tantundem mali patiatur, quantum agendo commiſit: de quo plenius ad *Grot. l. 2. c. 20.*

Malum autem actionis in eo conſiſtit, quod delinquens ultra fines facultatis a natura conceſſæ agat, eoque injuria, quæ nonniſi per talionem reparari poteſt, & debet.

(*c*) Ut ergo hæc privatio juſta ſit, requiritur

Digitized by Google

ritur 1. ut a ſuperiore fiat, qui jus in ſibi ſubditos habet. Non ergo a quocunque privato pœna inferri natura poteſt delinquenti, uti errat Grotius paſſim. 2. Ut fiat ad emendandos homines, adeoque ex juſta cauſa, & ob malum actionis.

Positio Decima-tertia.

§. XVI. Ad hæc jura [a] regenda [b], & contra invitos exequenda [c], neceſſaria eſt in terris poteſtas [d], quæ non alia eſſe poteſt, quàm generis humani [e], quod per territoria, & partes terrarum in plures civitatates diviſum eſt. [f]

Commentarius ad Pos. XIII.

Tradita hactenus ſunt jura privata naturæ: ſequuntur nunc jura naturæ publica. Ex eo enim, quod jura quædam inter homines ab arbitro naturæ ſunt ſtatuta, quæ parendi neceſſitatem inferunt, ſequitur, eſſe quoque poteſtatem conſtitutam, quæ jura illa exequi, & homines ad parendum compellere poſſit. Cum enim omnis obligatio conſiſtat in reparatione juris, i. e. in ſuum cuique tribuendo, opus omnino eſt aliquo ſuperiore, qui invitos ad reparandum cogere poſſit.

(*a*) Quæ ſcilicet hominibus a natura conceſſa, & conſtituta ſunt. *Vid. Poſ. V.*

(*b*) Ad eum effectum, ut homo maneat in terminis facultatis naturalis.

(*c*) Naturale enim eſt, ut jus cuique a natura conceſſum, & ab alio turbatum, vel ablatum, reſtituatur in priſtinum ſtatum; & ut is, qui illud turbavit, ſi nolit reparare, ad id adigatur.

(*d*) Ex medii neceſſitate, quia alias jura illa fruſtra hominibus forent conceſſa, ſi impune a quovis turbari, & auferri poſſent, nec ſuperior eſſet, qui jus haberet invitos cogendi.

Cauſa ergo unica conſtituti magiſtratus eſt adminiſtratio juſtitiæ; & omne ejus officium conſiſtit in reparando jure ſingulis conceſſo, eoque omnes ſummæ poteſtatis partes continentur. Totum enim eo pertinet, ut privatorum jus contra aliorum concivium injuriam, vel civitatis ſuæ jura contra hoſtem defendat. Reliqua omnia ſubſerviunt, & ſubſidialia ſunt; indeque vectig lia, collectas, &c. jure exigunt ſummæ poteſtates, quia ſine his civitas defendi nequit.

Hinc deſcendit poteſtas agendi omnia, quæ ad utilitatem civitatis faciunt; quo pertinet jus commerciorum &c.

Atque ex his apparet, quænam ſit differentia inter *civitates*, & *latronum* conventicula; in illis congregantur homines ad tuenda jura, in his, ad inferendam injuriam. Etſi igitur civitas actus quosdam injuſtos exerceat, non tamen deſinit eſſe civitas, quia manet cœtus juris tuendi cauſa congregatus: nam & latronum collegia multa, quæ juris ſunt, admittunt (quia nulla ſocietas, adeoque nec latronum, abſque jure conſiſtere poteſt. *Grot. prol.* §. 23.); neque tamen deſinit eſſe ſocietas latronum. Verum, ex quo prædones conſilium mutant, & juſtitiæ exercendæ cauſa congregantur, eo ipſo civitatem conſtituere incipiunt, & pro gente, ac pro populo habentur; quod exemplo Arſacis prædonis, & poſtea Parthorum regis, probatur.

(*e*) Quæritur hic, cuinam natura poteſtas illa jura naturæ etiam contra invitos exequendi competat? Nos dicimus, humano generi. Nam 1. generi humano pleniſſima poteſtas in hanc terram competit, (*vid. poſ.* 5. *n.* 1.) adeoque & poteſtas ſumma in ſingulos homines, quia alias non eſſet pleniſſima. 2. Neceſſaria illa poteſtas aut *uni* eſt conceſſa, aut *pluribus*, aut *omnibus*: non vero *uni* eſt conceſſa, aut *pluribus*, quia homo in hominem jus non habet, omnesque auctoritate pares ſunt; neceſſario igitur *omnibus*.

(*f*) Aucto enim humano genere, & impleto terrarum orbe, non potuere omnes ex toto orbe convenire, & ſimul in adminiſtranda juſtitia concurrere; hinc neceſſario ſequitur, poteſtatem illam in plures civitates,

tes, & per terrarum partes, fuiſſe diviſam; adeo ut quæque civitas idem jus in ſuos cives habeat, quod antea totum humanum genus in omnes. Atque hoc eſt, quod JCtus ait in *l. 5. ff. de juſt. & jur.* ex jure Gentium diſcretas gentes, & regna condita eſſe.

Ex hac autem diviſione duo neceſſario ſequuntur: 1. quod diviſio illa fieri debuerit finibus territoriorum, non hominum numero; unde quicquid intra fines territorii invenitur, eſt ſub poteſtate illius civitatis, adeoque & principes extranei, legati, &c. 2. quod civitates illæ de ſuo jure Majeſtatis diſponere, illudque vel pluribus, vel uni conferre potuerint; unde ſtatus Monarchici, & Ariſtocratici orti ſunt.

Positio Decima-quarta.

§. XVII. Jus hujus poteſtatis in proprium territorium, ejuſque membra, *Imperium* dicitur: in extraneos, *Bellum* eſt.

Commentarius ad Pos. XIV.

Cum diviſo genere humano, & conſtitutis pluribus civitatibus officium tuendi juris incumbat ſingulis civitatibus, duplici modo tuitio hæc fit: 1. *Jure imperii*, in membra illius civitatis; quando nimirum Magiſtratus illius civitatis jus ſuum cuique tribuit contra invitos concives; hujus enim imperio omnes, qui ſunt in eadem civitate, parere tenentur: 2. *Jure belli*, in extraneos; cum enim extranei jure imperii, utpote quod tantum in ſubditos competit, coërceri non poſſint, nulla alia ratio reparandæ injuriæ ſupereſt, quam bellum. Ubi proinde requiritur, [*a*] ut duæ civitates, i. e. duæ ſummæ poteſtates, collidant: [*b*] ut injuria facta ſit: [*c*] ut altera civitas denunciatione facta reparare nolit; tunc enim omnia licita ſunt, ſine quibus reparari injuria nequit: adeoque occidere perſonam hoſtis, capere res, & perſonas hoſtiles, &c. licet.

Positio Decima-quinta.

§. XVIII. A Jure longè differt virtutis notio [a]. Illo alteri, quod ipſius eſt, tribuimus: hac, quod noſtrum eſt vel perficimus, vel in alium conferimus. [b]

Commentarius ad Pos. XV.

(*a*) Jus naturæ concipi, & dignoſci curate nequit, niſi ejus differentia a virtute rite indigitetur. Maxime igitur intereſt in originem, & normam virtutum inquirere. Res ita ſe habet.

Diximus ſupra, Creatorem cuique hominum jus conceſſiſſe in ſuas actiones; atque hoc *Jus noſtrum* dicitur: in *noſtro* autem poſſumus agere quicquid lubet, juxta facultatem a Deo conceſſam, ſine cujusquam hominis injuria, cum jus alterius non ſit.

At in illis ipſis actibus a Creatore permiſſis, & arbitrio noſtro relictis, diſtinguendi ſunt actus merè indifferentes, ab illis, quorum alii aliis ſunt meliores, & perfectiores, & adeo laude, ac honore, præmioque digniores. His enim poſterioribus mereri poſſumus laudem, honorem, & præmia: atque hæc perfectio Virtus dicitur.

Meritum autem perfectionis ſequitur ex natura perfectiſſimi Creatoris, quia Deo, enti perfectiſſimo, nihil complacitum eſt, quam quod bonum eſt, & bene agitur; & hoc magis complacuit, quo melius, & perfectius homo agit. Unde neceſſariò infertur, Deum dignioribus ob meritum illud præmia deſti-

Digitized by Google

deſtinare, quia perfectio eſt præmia dare perfectius agentibus. Sane iis, qui minus merent, plus triboere, vel idem, quod iis, qui plus merent, imperfectio eſſet, quæ in Deum non cadit.

Tota igitur meriti ratio ex perfectione Creaturis ſequitur, & hæc perfectio eſt ſola, & unica norma actuum perfectorum. Etſi enim homo aſſequi illam perfectionem, quæ ſumma eſt, nequeat, manet illa tamen regula agendi, quippe quæ non eſſet regula, niſi perfecta.

Ex ante dictis igitur apparet, Deum, ejusqoe voluntatem, cauſam eſſe *virtutum.* At cum eadem voluntas Dei cauſa quoque ſit *juris naturalis*, diverſitatem hujus voluntatis divinæ nunc indagabimus. *Dei enim voluntas*, qua ipſe ut Dominus, & Creator, jubet aliquid agere, vel non agere, eſt principium juris naturalis. At *eadem voluntas*, qua ipſi ut ſummo bono nihil complacitum eſt, quam quod bonum eſt, & bene agitur, eſt principium virtutis, & ſcientiæ moralis. *Jus* ergo *natura* oritur ex volontate præceptiva, unde ſequitur neceſſitas parendi, eoque obligatio. *Virtus* autem oritur ex voluntate Dei permittente, & quidem ex illa voluntate permiſſiva, ex qua apparet, actus alios Deo præ aliis complacere, quæ voluntas complacentiæ dicitur. Exemplo hæc differentia clarior fiet. Dux, qui ad expugnandam urbem milites adducit, duplici modo eos adigit: 1. proponendo ipſis obligationem, quæ ex ſacramento eorum oritur: 2. monendo ad eminentius fortitudinis exemplum, & ei, qoi primus murum aſcendit, præmium promittendo. *Prius* eſt effectus juris, & miles cum hoſte pugnare præciſe tenetur: *Poſterius* autem eſt effectus virtutis, & dependet a militum voluntate. Hinc is, qui murum primus non aſcendit, injuriam non facit, ſed propoſito præmio privatur.

(*b*) Hinc jam ſponte ſequuntur differentiæ inter jus, & virtutem. Prima, & eſſentialis differentia eſt, quod omne *jus natura* verſatur circa id, quod alterius eſt; etenim tota juris ratio, forma, ac ſubſtantia in eo verſatur, ut cuique ſuum tribuamus: in eo vero, quod alterius, vel æs alienom eſt, nobis nihil arbitrii eſt. Æterni enim id juris eſt, ut cuique de ſuo, nemini de alieno ſtatuendi poteſtas, arbitriumque ſit, *l.* 21. *C. Mand.* Ut igitur quod alterius eſt, ei tribuamus, non poteſt non præciſæ, & abſolutæ eſſe neceſſitatis, nec quicquam noſtro in ea re arbitrio relictum. Ad hoc ergo jure tenemur, devincimur, & obligamur.

Virtus autem verſatur circa id, quod noſtrum eſt, & conſiſtit vel in eo ut rem noſtram perficiamus, vel ut ea alterum juvemus. Virtus igitur ſupponit, rem in noſtra poteſtate, ac arbitrio eſſe, quia alias, ſi res aliena, alienique juris eſſet, mereri non poſſemus, quia oporteret; & aliena re uti, aut de ea diſponere, ne licitum quidem, nedum virtus eſſet. Hoc optime obſervavit Ariſtoteles, dum ait, ſolam inter virtutes juſtitiam occupari in re aliena.

Hinc Secundo differunt, quod ex *jure* oriatur neceſſitas agendi, vel non agendi, eoque obligatio. Exceſſus enim a jure, quod Deus hominibus conceſſit, ex voluntate creatoris parit neceſſitatem reparandi, & jus illud in priorem ſtatum reſtituendi, i. e. tribuendi cuique jus, quod creator ei conceſſit. Unde eſt, quod ad juris executionem pœnis quoque adigamur.

Ex *virtute* autem talis reparandi obligatio non oritur, ſed res meri arbitrii eſt. Idque probatur 1. quia facultates a natura nobis conceſſæ non tantum ſunt ad utendum, & conſumendum, ſed & ad aliis benefaciendum, ac ita merendum. Hæc facultas noſtri arbitrii eſt; mereri, vel non mereri poſſumos, donec facultas illa appareat prohibita: quæ prohibitio adeo non apparet, ut potius deſinat meriti ratio, ex quo neceſſaria eſſe incipit. Idqoe 2. evidentiſſime ex natura perfectionis confirmatur, quæ requirit ut homo ultro agat, & ſit ipſe ſuæ actionis cauſa; adeoque ſupponit puritatem mentis, piamqoe intentionem, i. e. liberrimam voluntatem. Tota igitur meriti, & perfectionis ratio evaneſceret, ſi actio non a noſtra voluntate, ejusque habitu procederet, & ſi qois ab alio cogendus eſſet benefacere. Facientes enim quod juſſi ſumus, & facere tenemur, nihil meremus, ſed ſervi inutiles ſumus, quia quod debuimus facere, fecimus, ut Servator ait *Luc. XVII.* Et hoc eſt, quod Seneca paſſim inculcat, deſinere eſſe virtutem, ſi ex neceſſitate, & obligatione fiat beneficium. *Sen. l.* 3. *benef. c.* 6. *usque ad c.* 18. Et Apoſtolus ait, ſi ultro facio, mercedem accipiam. 2. *Cor. IX.* 16.

Hinc ſi quid jure mihi debes, id vi tibi, aut tantundem, e bonis tuis auferri, aut ſi aliud ipſe teneo, retineri a me poteſt. At

Digitized by Google

nihil magis ridiculum eſt, quam ſi contendo ut rem tuam, ſi forte egeo, ex liberalitate mihi dones, aut ſi nolis, eam tibi vi auferri petam, aut ſi caſu eam teneo, retinere illam velim, nec tibi reſtituere.

Probatur hæc theſis 3. ex natura coactionis. Coactio enim non eſt actus agentis, ſed cogentis; adeoque is, qui coacte agit, non poteſt dici perfecte agere, quia ejus plane non eſt actio. Sed & 4. ſine effectu foret hæc obligatio, quia nemini hominum jus aliquod abeſt, quod peti, & exigi poſſit. Is enim, qui mereri non vult, de ſuo jure diſponit, nihil alieni tenet; adeoque actus illi in poteſtate, & arbitrio agentis ſunt, nec aliis jus in id, quod noſtrum eſt, competit: & ſic deficit hic vinculum illud, quo neceſſitate quis adſtringitur ad aliquid agendum, vel præſtandum. Porro & 5. cum certæ perſonæ hic non debeatur, ſed omnibus, v. g. egentibus, exceptio plurium intereſſentium petenti obſtaret; tum quia plures, & ditiores exſtant, qui in pari obligationis cauſa ſunt; tum quia plures egeni exiſtunt, qui in pari petendi conditione poſiti: & ſic pro rata ſaltem convenire poſſet, quod exitum habere nequit.

Denique & 6. nulli certi obligationis fines hic conſtitui poſſunt, quia certi perfectionis fines non ſunt, ut in jure; (*Conſ. diſſer. ſexta*) ſed unusquisque enititur in quantum poteſt, & pro modo ſuarum virium. Sane, pauper, qui obolum erogat, æque perfectus eſt, ac dives, qui 100. thaleros erogat.

Equidem impropric quædam obligationis ſpecies hic admitti poteſt, licet res in noſtro ſit arbitrio; nimirum, quia creatori perfecta placent, adeo ut præmia perfectioribus actibus promittat. Hinc qui præmiis dignum ſe reddere cupit, actus virtutis exercere debet; ſi omittit, caret illa ſpe præmiorum, quæ ens perfectiſſimum perfectioni deſtinavit: atque hæc obligatio JCtis dicitur naturalis, *l. 25. §. 11. ff. pet. bær. l. 54. §. 1. ff. de furt.*

Neque credi debet, parum id eſſe, quo ad virtutem impellimur; enimvero multo infelicius eſt nihil mereri, quam ſuo privari. Pauca, & caduca ſunt, quæ noſtra ſunt, & quibus privari poſſumus; multa, & immenſa, quæ ſummus ille præmiorum diſpenſator pro meritorum ratione conferre poteſt, & pro infinita bonitate collaturus eſt.

ADDITIO SAM. à COCCEII. Naturam hujus obligationis impropriæ B. PARENS uberius explicavit in *diſputatione de Antidoris tit. 3. §. 1. uſque ad §. 7.* Verba ejus hæc ſunt.

Cum igitur ſic conſtet, ex donatione; ſeu beneficio, nullam naſci obligationem juris, neque civilem, neque naturalem, videndum jam, quales ſint veri ejus effectus, & qualis obligatio. Et jam expoſitum eſt tit. 2. §. 10, *hactenus quidem virtutes relictas eſſe hominum arbitrio, ut ultro agendo mereri, ac demereri queant, neque ad eas, uti ad illa, quæ juris ſunt, compellantur inviti. Attamen duplici ſenſu obligari nos ad virtutem, atque ita ad antidora, recte dicimur; tum quia qui averſantur virtutes, & feruntur in vitia, omni ſe merito exuunt, ac privant, quod longe graviſſimum eſt;* (vid. §. ſeq.) *tum quia virtutes ultro ſequi, eſt id, quod ſummo rerum arbitro, & bonorum omnium diſpenſatori juſtiſſimo juxta, ac benigniſſimo, unice placet, gratumque eſt. Ejus autem voluntas uti per ſe omnis perfectionis, omnisque boni, ita nobis agendorum norma, ac idea eſt. Unde & hæc* obligatio naturalis *dicitur* in l. 25. §. 11. ff. de petit. hæred. *& is, cui donatum eſt,* debitor beneficii, *in* l. 54. §. 1. ff. de furt.

Cave igitur credas, id parum eſſe, &; ex eo, quod dictum eſt, non compelli te invitum ad virtutes, uti ad ea, quæ juris ſunt, patentiorem tibi fieri viam graſſandi in vitia, quam in injurias, & eorum laxius, ſeu ſolutius, quam harum, hominibus frenum injici. Enimvero ſi omnia rite ſubduxeris, gravius vitiorum, quam injuriarum onus videtur.

Cum enim qui excuſſo virtutum ſtudio vitiis militat, omnis meriti ſit expers, & vacuus, hoc ipſo primum bonorum vituperio, contemtu, & odio dignum, omni vero bonorum, dignitatum, cunctorumque, quæ in vita humana, & civili beata, ac præclara habentur, uſu indignum prorſus ſe reddit. Quod & Seneca d. l. 3. cap. 17. *docet. Et is quoque effectus infamiæ eſt, quæ facti dicitur, & ex hujusmodi vitiorum turpitudine, judicio, & æſtimatione bonorum, naſcitur.* L. 13. C. ex quib. cauſ. inf. irrog. l. 2. pr. ff. de obſeq. par. & patr. l. 5. in f. pr. §. 1. & 2. ff. de extraord. cogn. l. 25. ff. ad L. Jul. de adult.

Verum, hoc parum eſt, etſi & illud longe maximum ſit inter homines. Quanto gravius vero eſt, his moribus excidere gratia

ſummi

ſummi Numinis, cui nihil, niſi quod virtutis eſt, placere, gratumque eſſe poſſe, dictum eſt §. 2; *& a cujus in nos affectu, quicquid temporariæ, æternæve felicitatis eſt, pendet, exſpectandumque nobis eſt: ita ut certum plane ſit, malis hominibus, & profligatis moribus ipſas quoque, quibus fruuntur, felicitates temporarias non niſi in perniciem concedi.*

Non tantum vero non minus mali, ita ut diximus, pertimeſcendum eſt ei, qui in vitia incumbit, quam qui injuria agit: ſed in eo gravior eſt illius, quam hujus conditio, quia ille juri ſatisfacit, etſi compulſus, & metu pœnarum adactus ab injuria temperet; at non ſatisfacit virtutibus, etſi omnes exerceat, niſi ſponte, & libera voluntate, ſeu virtutis amore exerceat. Hinc igitur obligaris homo, ſi mereri, ſi ſummo Numini verarum felicitatum diſpenſatori ſummo placere vis, obligaris, inquam, non ut agas quemadmodum ex præcepto juris, ſed hoc magis, ut libere, & conſtanti, perpetuoque virtutis affectu, & ſtudio agas. Et hac adeo eſt differentia obligationis ex jure, & virtute; adeoque & ad antidora: unde reliqui effectus ultro ſequuntur.

Tertio differunt, quod homines ad abſervationem *juris naturæ* cogi, pœnis quoque indictis, poſſint, quia repugnantes voluntati divinæ injuriam Deo inferunt; at ut *virtutem* exerceat, nemo cogi, nedum pœnas ideo ferre debet. Cujus rei ratio ex differentia ſecunda conſtat.

Hinc jam ſequitur Quarta differentia: quicquid enim contra *jus naturæ* fit, eſt ipſo jure nullum, quia agens excedit facultatis fines a creatore conceſſos. At quod contra *virtutem* fit, ſubſiſtit, quia agens de ſuo jure diſponit, nec alii injuria facta eſt, indeque actus a nemine impugnari poteſt; immo injuria alter ageret, qui facultatem de meo diſponendi mihi auferret.

Quinto differunt, quod *jus naturæ* implendo nihil meremus, ſed ab injuria abſtinemus, adeoque pœnas evitamus. *Vid. ſupr. differ.* 2. *n.* 2. *Virtutem* implendo meremus præmia, quæ ens perfectiſſimum actibus perfectioribus deſtinavit. Impune igitur in vita civili de rebus noſtro arbitrio relictis diſponere, etiam contra perfectionis regulas, poſſumus; ſed perit ſpes bonorum, & præmiorum, quæ neceſſario ſequuntur meritum ex natura perfectiſſimi creatoris: adeoque perimitur ille felicitatis fructus, qui virtutes ſalva ſummi diſpenſatoris, & rerum arbitri bonitate, non ſequi non poteſt.

Sexto, *jus naturæ* quaſi in puncto conſiſtit, a quo ſi tantillum receditur, injuria eſt. *Virtus* latitudinem, & gradus habet, intra quos manet virtus; indeque vitium eſt, non quod a gradu virtutis, ſed a virtute deficit. Atque hinc dari gradus beatitudinis conjecturari licet.

Septimo, *jus* non exercetur niſi a ſuperiore, qui ſolus legem condit, & in invitos jus dicit: at *virtutum præcepta* a privatis quoque inculcari poſſunt.

Atque hæc differentia inter *jus*, & *virtutem* a Gentilium quoque Philoſophis obſervata fuit. Immo Theologiam Gentilium perfectionum doctrina abſolvi, patet ex Poëtarum (qui fuere Gentilium Theologi) relatione de illis, qui ad inferos deſcendiſſe finguntur: uti apud Homerum Ulyſſes, apud Virgilium Æneas, apud Senecam Theſeus. Nec aliud innuunt mortuorum apparitiones, & prædictiones. *Vid. Grot. de ver. relig. l.* 1. §. 22. Apud JCtos Romanos frequens eſt hæc differentia. Imperatores non tenentur legibus; at ſi ultro faciant, digna vox dicitur Principis in §. *fin. quem. teſt. inf.* & *l.* 4. *C. de legib.* Sic in *l.* 1. §. 3. *ff. Peric. & commod.* venditor potuit jure ſuo, & effuſo vino, dolio uti, ſed laudatur ſi abſtrahat. In *l.* 4. §. 1. *ff. alien. jud. mut.* verecunda dicitur litis execratio: nec omnia, quæ licent, honeſta eſſe, traditur in *l.* 144. *Reg. jur.* In nuptiis non tantum ſpectandum eſſe quid liceat, ſed & quid honeſtum, ajunt. *Vid. l.* 197. *Reg. jur.* Sed & jus Canonicum hanc differentiam paſſim agnoſcit: nam in *c.* 39. *c.* 2. *c.* 7. diſputatur, an Chriſtus Judæos admittere debuerit, qui eum tentare voluerunt; & aſſeritur, aliud eſſe, quod perfectione humilitatis, aliud quod rigore juris potuit; & Canones concludunt, Chriſtum admiſiſſe Judæos non ex priori, ſed ex poſteriori capite. Cicero ait in oratione pro Balbo: *eſt aliquid, quod non oporteat* (i. e. non deceat), *etſi liceat* (ſcil. jure); *quicquid vero non licet, certe non oportet.... fecit non ſolum quod decuit, ſed & quod debuit.* Et pro Roſcio: *Veſtri conſilii, veſtræ ſapientiæ eſt, ſpectare quid deceat vos, non quantum liceat vobis.* Idem in ſomnio Scipionis: *Sed quo ſis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, ſic habeto: Omnibus, qui patriam conſervarint, adjuverint,*

rint, auxerint, certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur: harum Rectores, & conſervatores hinc profecti huc revertuntur. In hæc verba Macrobius duo capita commentatus probat, *præmia bonis poſt obitum ſperanda, quibus*, ait, *adeo viventis cogitatio erecta eſt, ut ad deſiderium moriendi ultro animaretur majeſtate promiſſa beatitudinis, & cæleſtis habitaculi*; & mox: *ſola virtutes faciunt beatum*; (*Macrob. in Som. Scip. L.* 1. *c.* 8. D.) & ex Heſiodo refert, Rectores, qui hic jus, & fas tuiti ſunt, etiam in cœlo regni participes fieri; quod ita vertit: (*d. l. c.* 9.)

Quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes,
Largi, ac munifici, jus regum nunc quoque nacti.

In hac diſtinctione *juris*, & *virtutis*, conſiſtit differentia tota veteris, & novi teſtamenti. Prius jurisprudentiam continet, poſterius perfectionis regulas. Probatur hoc exemplo Servatoris, qui juveni quærenti, quid facere debeat ut ſalvus fieret, præcipit, ut juſtitiæ regulas adimpleret, i. e. abſtineret a jure alterius; & dicenti, ſe hæc feciſſe, ait, *da omnia tua pauperibus* (i. e. quod tuum, & tui arbitrii eſt); & tunc demum additur præmium, *invenies theſaurum in cœlis. Luc. XVIII.* Apoſtolus *ad Hebr. VII. v.* 11. & 19. oſtendit, ex lege non eſſe perfectionem, indeque opus fuiſſe alio ſacerdotio Chriſti, qui perfectionem traderet; & in *v.* 16. ait, virtutem non contineri legibus, & mandatis, ſed eſſe vim æternæ vitæ.

Sane, Servator nunquam legem hominibus dictavit, ſed tanquam virtutum doctor perfectionum regulas, quas Judæi neglexerant, inculcavit. Quod vel exinde extra omne dubium ponitur, tum quia quoties cauſa juris ad eum deferebatur, eam rejecit, uti *Joh. Cap. VIII. Luc. C. XII. v.* 13; tum, quia ſuam doctrinam perpetuo opponit legibus MOSIS, i. e. diſciplinæ juris. *Vid. Matth. Cap. V.*

CAPUT II.

Ubi dubia quædam circa principia B. PARENTIS *tum proponuntur, tum ſolvuntur.*

§. XIX. OMNES fere recentiores Doctores in eo conveniunt, *voluntatem Dei* eſſe *principium* juris naturalis, ſed *eſſendi.* Cum vero nondum ex hoc principio cognoſcatur, quidnam Deus voluerit, aliud principium quærunt, unde de voluntate Dei conſtare poſſit; adeoque *principium cognoſcendi* deſiderant, ſeu talem generalem propoſitionem, in quam omnes leges naturæ particulares ultimo, & neceſſario reſolvi poſſint. Quæ uberius examinavi in *Diſſert. proœm.* I. §. 63. *ſeq.*

n. 1. At inutilem hanc operam judicavit B. PARENS, tum quia difficile admodum eſſe exiſtimavit, talem generalem propoſitionem ſtatuere, quæ ab aliis abſque contradictione admitteretur; tum quia ſufficere credidit, ſi *voluntas Dei* in ſingulis actibus, per ordinarios, ac vulgatos probandi modos, i. e. per juſtas rationis concluſiones, ex Logica præcipue deſumtas, probetur. Atque in eum finem quinque demonſtrandi juris naturalis media ſuppeditavit. (*Vid. ſupr.* §. 7.)

At hos ipſos probandi modos admo-

Digitized by Google

modum impugnant alii. *Vid. Wernher. Elem. Jur. Nat. c.* 5. §. 12. *ſeq. Thomaſ. fund. jur. nat. l.* 1. *c.* 6. §. 5. *ſeq. Glaſſey* vernunftiges Volcker-Recht: *c.* 3. §. 63. *ſeq. Proeleus in Diſſert. de origine diverſ. jur nat. princ. Sect.* 2. §. 60. *ſeq. & Sect.* 3. *v.* 78. *ſeq. Wachterus de orig. jur. nat. prop.* 2. *ſchol.* 2. Quod eo magis mirum videtur, tum quia ipſam rationem hoc modo evertunt, tum quia in demonſtrandis ſuis principiis neceſſario ad hæc probandi media confugere etiam inviti coguntur. Sane, ipſa ſocialitas non niſi ex motibus, & inſtinctibus intrinſecis, ex actibus creatoris, ex fine actionis, ex medii neceſſitate &c. probari poteſt.

§. XX. Ut tamen hac quoque in re communi deſiderio ſatisfaciamus, regulam quandam generalem ex ipſa definitione juſtitiæ naturalis deſumtam propoſuimus, ex qua omnia, & ſingula naturæ præcepta neceſſario ſequuntur. Probavimus enim in Diſſertatione XII, *Deum voluiſſe, ut jus ſuum cuique tribuatur*: adeoque natura *juſtum* eſſe, qui jus ſuum cuique tribuit; *injuſtum*, qui jus ſuum cuique non tribuit. Atque ex hac regula generali omnia jura, quæ & Deo in homines, & hominibus inter ſe, quæſita ſunt, per neceſſariam ſequelam deduci poſſunt; quod in diſſertatione prooemiali XII. præſtabimus.

§. XXI. Præterea quædam in his poſitionibus occurrunt, quæ dubia nobis videntur, & quæ ſine dubio B. PARENS in ipſo opere, quod meditatus eſt, illuſtraturus fuiſſet.

B. PARENS jus naturæ duplex facit, *permiſſivum*, & *præceptivum*. *Permiſſivum* conſiſtere, ait, in facultate naturali agendi quicquid lubet; *præceptivum*, in reſtrictione illius facultatis mere naturalis a creatore facta. Unde ei *licite* facere dicitur, qui juxta facultatem illam mere naturalem agit; *illicite*, qui contra reſtrictionem agit.

n. 1. Mihi ex potentia mere naturali nulla agendi *licentia* ſequi videtur, quia hi actus cum brutis communes nobis ſunt, & ad jus naturæ pertinent, quod natura omnia animalia docuit.

n. 2. Potentia igitur naturalis ſola nullum *jus* agendi dat hominibus; ſed tunc demum, quando rationi convenit, adeoque quando ab auctore rationis approbatur: quod fit, quando tendit ad *finem* a creatore præſcriptum. Adeoque facultas naturalis per rationem approbata demum *jus* agendi tribuit.

n. 3. Hinc jam neceſſario ſequitur, *reſtrictionem illam facultatis naturalis* non efficere *jus præceptivum*, ſed potius jus *permiſſivum*; quia Deus facultates naturales non aliter *licitas* eſſe voluit, quam intra fines a ratione præſcriptos: tunc enim demum homo *jure* agit, i. e. Deo, & ratione approbante. Vid. Diſſert. procem. IV. §. 42. n. 5. ſeq.

n. 4. Unde igitur oritur præceptum? Reſp. id ſequitur poſito *jure agendi*. Ex quo enim homo approbante Deo aliquid agit, neceſſario inde infertur, Deum prohibuiſſe ne alii actus hos impediant, adeoque ne jus alteri quæſitum turbent, vel auferant. Unde præceptum naturæ generale oritur, *jus ſuum cuique tribuere*.

n 5. Atque ex his jam patet, *permiſſionem*, & *præceptum* non eſſe ſpecies diverſas juris, invicem oppoſitas, ſed utraque ad eſſentiam juris pertinere.

re. Qui enim *jus* ponit, neceſſario duo ponit: 1. facultatem agendi jure approbatam, quia is demum, qui talem facultatem habet, *jure* agere, ac *jus* ei *quæſitum* eſſe dicitur. Sed & 2. ponit præceptum intuitu aliorum hominum, ne facultatem illam impediant, ne jure agentem turbent, ne jus agenti quæſitum auferant, i. e. *ut jus ſuum cuique tribuant.*

n. 6. Facultas igitur, ſeu *jus* aliquid agendi eſt *objectum* juris: *præceptum* autem de jure illo cuique tribuendo eſt ejus *effectus*. Non ergo concipi poteſt *facultas*, *ſeu jus agendi*, ſine *præcepto*; nec *præceptum*, quod non ſupponit *jus* alii quæſitum. Facultas igitur agendi, & præceptum de non turbanda illa facultate, ſunt ejuſdem juris naturalis partes. Hinc optime JCti inter ejuſdem legis virtutes poſuere, *permittere*, *vetare*, *punire* &c; ſunt enim hæ partes, quæ omni legi neceſſario inſunt.

§. XXII. Secundo, B. Parens admittit communem aliquam hominum ſocietatem, quam nec exſtare, nec probari poſſe, ſupra demonſtravimus, *Differt. proœm. I. Cap. II.*

§. XXIII. Tertio, B. Parens ſtatuit, ex diſpoſitione, quæ fit inter plures *de re commutanda*, jus in rem ipſam transferri; quod contrarium videtur ipſis B. Parentis principiis, qui dominium non acquiri, ait, ſola promiſſione, ſed tunc demum, ſi traditio accedit.

Nam ex natura, & eſſentia *juris in re* ſequitur, illud non conſtitui, niſi ubi ipſa res in meam poteſtatem, & cuſtodiam tranſit, ita ut facultatem habeam eam apprehendendi, & de ea pro lubitu diſponendi. Atque hæc ratio eſt, cur dominium ſine poſſeſſione, & corporali detentione; acquiri non poſſit; & cur JCti Romani aſſerant, *non verbis*, *ſed traditione rerum dominia acquiri.*

At per pactum *de re transferenda* tantum abeſt, ut res in noſtram poteſtatem, & cuſtodiam tranſeat, ut potius in paciſcentis poteſtate, & cuſtodia maneat; ſola enim perſona ſe obligat ad rem tradendam, jura autem rei non mutantur. Nihil igitur impedit hoc pactum, quo minus promiſſor alienare talem rem, & alii tradere poſſit. Sane, tunc potius eſt jus ejus, cui res tradita eſt, isque præfertur alteri, cui res ſaltem promiſſa fuit, & qui tantum actionem ex pacto in perſonam habet.

Neque *obſtat* 1. quod tamen res promiſſa præciſe tradi debeat; nam tradi debet ei, cui promiſſa eſt, non vi juris, quod in rem habet, ſed vi pacti, unde actio in perſonam promittentis datur, ut fidem liberet, i. e. rem præſtet: at hæc actio non impedit, quo minus promiſſor dominus maneat rei cum effectu, ita ut alienare quoque eam, & alium dominum rei conſtituere poſſit.

n. 2. Neque *obſtat* 2. quod partes pro lubitu de ſuo jure diſponere poſſint, & quod, prout diſponunt, ita jus ſit. Si quis igitur diſponit, quod velit rem in alium transferri, hoc ipſo omni jure, quod in rem habet, ſe abdicare, atque jus rei in alium transferre videtur; adeo ut ſi rem illam alienet, eam cum onere præſtandi alienet. Atque hinc concludendum eſſe videtur, eum, cui res promiſſa eſt, vindicare eam a quocunque poſſeſſore poſſe, quia debitor jus petendi rem creditori alienando auferre nequit. *Reſp.* facile concedimus regulam,

gulam, quod prout partes diſponunt de jure ſuo, ita jus ſit; at negamus, ex tali pacto jus aliquod *in rem ipſam* transferri. Jus in re nec naturali jure in alium tranſit, niſi accedente traditione, per quam res in ejus cuſtodia, & corporali poſſeſſione conſtituitur. Cum ergo pactum hoc mere perſonale ſit, unde perſona debitoris ſaltem obligatur ad rem præſtandam, dominium rei autem, antequam præſtet, pleniſſime penes eum maneat; admitti non poteſt, onus aliquod rei inhærere, quod cum re ipſa, ſi ea alienatur, in poſſeſſorem transeat. Neque aſſeri poteſt, creditori jus aliquod per alienationem auferri, quia jus petendi a promittente ei ſalvum manet, in rem ipſam autem nunquam jus reale habuit.

n. 3. Neque porro *obſtat*, periculum in emtorem transferri re vendita, etſi tradita nondum ſit: adeoque jus aliquod in re ipſa pacto venditionis translatum videtur. Reſp. Res ipſa non perit emtori, ſed venditori, ad quem dominium illius rei pertinet: at præterea actio, ſeu jus agendi emtori competens interit, quia, cum res periit, emtor fruſtra ageret ad rem venditam tradendam, quæ in rerum natura eſſe deſiit.

n. 4. Atque ex his principiis conſtat, ea, quæ jure Romano conſtituta ſunt, cum ratione naturæ omnino convenire, quod in allegata diſſertatione proœmiali magis illuſtrabimus.

§. XXIV. Quarto, hoc quoque dubium videtur, quod mortuo occupante res omnes ab eo occupatæ videantur fieri nullius. Nam ſequenti diſſertatione XII. demonſtrabimus, parentes, nuptias contrahendo, & liberos procreando, corpus aliquod familiæ, tum conſenſu, tum generatione conſtituere, idque corpus mortuo patre non diſſolvi, indeque jura familiæ in reliquis membris familiæ continuari; adeoque ſucceſſiones ab inteſtato naturali jure obtinere.

§. XXV. Quinto, hinc ſponte ſequitur ſucceſſionem liberorum non ex aliqua ſurrogatione in locum juris occupandi, ſed ex jure familiæ oriri, quia liberi continuant familiam parentum.

§. XXVII. Sexto, quid circa originem imperii monendum ſit, obſervavimus in Diſſert. proœm. VIII. §. 14. ſeq. ubi difficultates, quæ circa delegationem humano generi factam occurrunt, expoſuimus.

§. XXVII. Septimo, B. Parens ſolide admodum *virtutum* regulas a præceptis *juris* diſtinxit, & differentiam inter has duas diſciplinas egregie demonſtravit. Ea autem intentione tam operoſe has differentias explicandas ſuſcepit, quod exiſtimavit, Grotium diſciplinas illas confundere, eumque ſtatuere, obligationem inter homines etiam ex virtutum præceptis oriri. At in Diſſert. proœm. XI. §. 21. ſeq. demonſtravimus, Grotium nullibi aſſeruiſſe, ex regulis virtutum, (quæ ipſi *juris naturæ laxioris* nomine veniunt,) obligationem oriri *intuitu hominum inter ſe*; nam contrarium in toto opere defendit: ſed tantum *intuitu Dei*, quod B. Parens quoque admittit.

§. XXVIII. Ultimo loco notandum eſt, in poſitiones has commentarium conſcripſiſſe clariſſimum *Cramerum*, ſub titulo *H. COCCEII Poſitiones pro explicatione juris gentium Commentario illuſtratæ.* Fasque ſpeciali diſſertatione illuſtravit *Konhardus in Diſp. de jure naturæ, ejusque principio.*

Sed

Digitized by Google

Sed & principia B. PARENTIS ex lectionibus Grotianis hauſta ſyſtematice expoſuerunt *Keſtnerus in tractatu de jurisprudentia naturali* ; *& Homburg a Vach in Hypomnematibus juris gentium &c.* Sed & ego quoque principia hæc, in poſitionibus propoſita, olim defendi, tum in tractatu *de principio jur. nat. unico, vero, & adæquato* ; tum in *reſolutione dubiorum circa hypotheſin. de principio Jur. Nat. motorum.* Quod itidem *Caſparus* a *Rheden* in eruditiſſima diſſertatione *de cauſa obligationis, primoque modo cognoſcendi jura naturæ &c.* nec non in Diſſertatione *de immutabilitate juris naturæ &c.* perfecit.

DISSER-

DISSERTATIO
PROOEMIALIS XI.
EXHIBENS
OPINIONES RECENTIORUM
ATQUE
CELEBRIORUM DOCTORUM,
CIRCA PRINCIPIUM
JURIS NATURALIS.

Ubi ſpeciatim Hobbesii, Hemmingii, Winckleri, Seldeni, Yvonis, Bodini, Wachteri, & Thomasii ſyſtemata explicantur.

Digitized by Google

SUMMARIA.

§. I. *Tranſitus ad hanc Diſſertationem.*
II. *Ordo Diſſertationis.* §§. ſeqq.
V. *Syſtema Hobbeſii de jure, & legibus naturæ proponitur.* §§. ſeqq.
X. *Ac refutatur.*
XII. *Syſtema Hemmingii explicatur.*
XIII. *Syſtema Winkleri exhibetur.*
XIV. *Recentiorum Doctorum principia per indicem recenſentur.* §§. ſeqq.
XV. *Speciatim Seldeni*,
XVI. *Yvonis*,
XXI. *Puſendorfii, & aſſeclarum*,
XXII. *Bodini*,
XXIII. *Wachteri*,
XXIV. *Thomaſii*,
XXV. *Et aliorum.*
XIX. *Origo diſtinctionis inter principium eſſendi, & cognoſcendi.*
XXVI. *An præciſe requiratur principium cognoſcendi unicum? Alii affirmant, alii negant.*
XXVII. *Neceſſariam non eſſe regulam talem generalem, poſſe tamen conſtitui, probatur.*

PROOEMIUM.

§. I. HACTENUS ſyſtema Grotii, ejuſque principia circa originem, & exiſtentiam juris naturalis expoſui; explicavi quoque principia B. Parentis: prætterea, autem ut jus hoc eo rectius intelligatur, neceſſarium duxi, aliorum quoque Doctorum, ac philoſophorum exhibere opiniones.

§. II. Primo igitur ſyſtema HOBBESII circa jus, & leges naturæ, proponam. *Vid. Cap.* 1.

§. III. Secundo exponam ſyſtema HEMMINGII, & WINCKLERI, qui ante editum opus Grotianum *de Jure Belli, & Pacis*, totam juriſprudentiam naturalem ſyſtematice tractarunt; qui tamen viri privati vix fama innotuerunt. *Vid. Cap.* 2.

§. IV. Tertio recenſebo per indicem pleraque Doctorum recentiorum principia, quæ infinita ſunt, & utplurimum cum Grotii, & Puſendorfii principiis conſpirant. *Vid. Cap.* 3, & 4.

Ubi ſimul quæſtionem examinabo, an dari poſſit principium cognoſcendi univerſale, ſeu regula quædam generalis cognoſcendi voluntatem divinam, ſingulaque naturæ jura?

CAPUT

CAPUT I.

De Principiis Juris naturalis juxta ſyſtema HOBBESII.

§. V. ADMODUM diſceptari ſolet, quodnam fuerit Principium HOBBESII in demonſtratione juris naturalis. *Alii* illud conſtituunt in potentia, aut in bello omnium in omnia: *Alii* in mutuo metu: *Alii* in conſervatione ſui, ſeu ſtudio propriæ ſalutis: *Alii* in ſtatu naturali: *Alii* in regula generali, quod tibi non vis fieri, alii ne facias [a]: *Alii* eum magis de origine ſocietatis, quam de principio juris naturalis ſolicitum fuiſſe, autumant. [b]

§. VI. Cum vero ſyſtema Hobbeſii nondum ſatis extricatum mihi videatur, demonſtrabo, fruſtra de ejus principio juris naturalis quæri, cum plane nullum jus naturæ inter homines agnoſcat.

§. VII. Equidem ſyſtema ejus jam explicavi in Diſſertatione prooemiali octava §. 14: at tantum quatenus pertinet ad demonſtrandam originem ſummæ poteſtatis. Hic igitur uberius explicabimus, quid per *Jus naturæ* intelligat.

Præmittendum autem eſt, HOBBESIUM diſtinguere inter *Jus naturæ*, & inter *legem naturæ*.

Per *Jus naturæ* intelligit libertatem cujuſque potentia ſua ad naturæ ſuæ conſervationem ſuo arbitrio utendi, & ea omnia, quæ eo tendere videbuntur, faciendi [c]. Per *legem naturæ* intelligit præcepta, ſeu regulam generalem ratione excogitatam, qua unuſquiſque id, quod ad damnum ſibi tendere videtur, facere prohibetur [d]; ſeu dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda ſunt ad vitæ, membrorumque conſervationem. [e]

§. VIII. In quonam conſiſtat *Jus naturæ*, & quid vi facultatis naturalis cuique homini faciendi jus ſit, hoc modo explicat.

n. 1. Naturam unicuique hominum æquale jus conceſſiſſe, ait, in omnia, eoque jus faciendi, & poſſidendi omnia, quæ ipſe ad conſervationem neceſſaria eſſe judicabit [f]. Hinc unumquemque jure facere, qui omnem operam dat, ut a morte, & doloribus proprium corpus defendat, & conſervet; adeoque omne juris naturalis fundamentum eſſe, ſtatuit, ut quiſque vitam, & membra quantum poteſt, tueatur.

n. 2. Ad finem hunc conſequendum jus eſſe cuique, ait, utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, ſine qua conſervare ſe non poteſt.

n. 3. Media autem neceſſaria eſſe, quæ ipſe talia judicabit [g]: ipſius igitur facientis judicio id, quod fit, jure fieri, vel injuria. [h]

n. 4. Ab hac æqualitate naturæ oriri unicuique ea, quæ cupit, acquirendi ſpem. Inde fieri, ut quoties duo idem

(*a*) Vid. Doctores apud Dn. Gribner. de Principiis Jur. Nat. Cap. 4. §. 6. (*b*) Dn. Gribn. d. l. (*c*) Lev. C. 14. p.66. (*d*) Lev. d.p.66. (*e*) de Civ. C. 2. §. 1. (*f*) de Civ. C. 1. §. 10. (*g*) de Civ. C. 1. §. 9. & 10. (*h*) d. §. 9. & 10. C. 2 §. 1.

Digitized by Google

idem cupiunt, quo frui ambo non poſſunt, alter alterius hoſtis fiat. Hic igitur cum de conſervatione propria agatur, vim, & dolum natura permiſſum eſſe, & fortiorem jure eſſe potiorem [i]. Indeque in hoc mutuo metu nullam meliorem ſecuritatis viam eſſe, quam ut alter alterum præveniat, vim, & dolum utendo. [k]

n. 5. Unde concludit, bellum eſſe uniuſcujuſque contra unumquemque: adeoque inter homines eſſe mortis violentæ metum, & perpetuum periculum [l]; vitamque hominum eſſe diſſociatam, ad mutuas cædes aptam, ſolitariam, indigam, brutam, & brevem. [m]

Atque hunc ſtatum naturæ exemplo primorum fratrum, qui invicem ſævierunt, & barbararum gentium, quæ omnium hoſtes ſunt, immo ipſarum ſummarum poteſtatum, quæ jure belli invicem agunt, confirmat. [n]

n. 6. Hinc porro concludit, *naturali jure* (i. e. poſita facultate naturali) nihil injuſtum dici poſſe: utrumque jure facere, & lædentem, & eum, qui læſionem repellit [o]: neminem injuriam facere poſſe, & ſolam utilitatem juris menſuram eſſe [p]: unicuique licere facere quodcunque, & quid cuique lubet [q]; atque hactenus omnium hominum conditionem æqualem eſſe: ceterum, vim, & dolum in bello virtutes cardinales eſſe [r]; juſtitiam, & injuſtitiam nec corporis, nec animæ eſſe affectiones [s]. Unde infert, nullum in ſtatu naturæ eſſe dominium, nullam proprietatem, nullum meum, aut tuum; ſed jus omnium in omnia. [t]

n. 7. Ab hac conditione mere naturali homines duobus modis liberari, & ad pacem reduci poſſe, ait: *I. Paſſionibus*, nimirum, metu præſentis mortis, vel cupiditate rerum ad bene vivendum neceſſariarum: *II. Ratione*, i. e. per *leges naturales.* [u]

§. IX. Leges ergo naturales eſſe præcepta, ait, ſive regulam generalem ratione excogitatam, qua unuſquiſque id, quod ad damnum ſuum tendere videbitur, facere prohibetur [v], eaſque definit, dictamina rectæ rationis, circa ea, quæ agenda, vel omittenda ſunt, ad vitæ, membrorumque conſervationem. [x]

n. 1. Cum enim jus omnium in omnia, bellum illud omnium in omnes, metus ille mutuus, & perpetuus, nemini, nec fortiſſimo, ſecuritatem præſtet, hinc concludit, Primam legem, primum præceptum naturæ eſſe, *pacem quidem, dum ejus obtinendæ ſpes eſt, quærendam eſſe; quando autem haberi non poteſt, auxilia undecunque quærere, & illis uti, licitum eſſe* [y]. Unde legis naturalis ſummam eſſe, tradit, 1. pacem quærere, & perſequi, 2. omnibus viis, & modis ſe ipſum defendendi jus unicuique eſſe.

n. 2. Alteram autem naturæ legem ponit, *oportere unumquemque, quoties paci, vel defenſioni proviſum erit, a jure ſuo in omnia, ceteris idem facere paratis, decedere, contentumque eſſe eadem libertate, quam ceteris concedi vellet.*

Atque hanc, ait, eſſe legem illam Evangelii, quod tibi fieri non vis alii non

(*i*) Leviath. C. 13. pag. 64. (*k*) Leviath. C. 13. pag. 64. (*l*) d. C. 13. pag. 65. (*m*) d. C. 13. pag. 65. (*n*) d. pag. 65. (*o*) C. 1. §. 10. & 12. (*p*) C. 1. §. 10. (*q*) d. C. 1. §. 10. (*r*) d. pag. 65. (*s*) d. pag. 65. (*t*) d. C. 13. pag. 66. (*u*) d. C. 13. pag. 66. (*v*) d. C. 13. pag. 66. (*x*) de. Civ. C. 2. §. 1. (*y*) d. C. 13. pag. 66. de Civ. C. 2. §. 2. & 3.

Digitized by Google

non facias [z]: a jure autem ſuo recedere aliquem dici, ſi libertate illa ſe privat, quam habet ceteros impediendi, quo minus quilibet eorum jure ſuo utatur in rem eandem. Illum igitur, qui juri ſuo renunciat, vel illud transfert, jus novum alteri, cui in omnia jus erat, non tribuere, ait; ſed cedere ei tantum eo fine, ut alter jure ſuo belli, quod ante habuit, ſine impedimento a ſe orto (poſt translationem enim reſiſtere alteri vi agenti non poſſe) libere fruatur.

n. 3. Translatio autem hæc juris *pactum*, & ſi mutua ſit, *contractus* ei dicitur [a]. Qua occaſione totam pactorum materiam explicat.

n. 4. A lege naturæ, quæ impedientia pacem humanam jura relinqui jubet, ſequi, ait, legem naturæ TERTIAM, *pacta ſervanda eſſe*; atque in hac regula naturam juſtitiæ conſiſtere, exiſtimat: ubi enim non præceſſit pactum, ibi jus nullum eſſe translatum, ſtatuit.

Ut vero regula hæc vim, ac effectum habeat, neceſſe eſſe, ait, ut ſupponatur potentia civilis, cujus metu promittens moveatur ad implendum: invalida enim eſſe pacta, ſi ſaltem metuitur fallacia promittentis, quia jure omnium in omnia fallere poſſit; adeoque non ſubeſſe injuſtitiam, cauſa metus nondum ſublata: valida ergo demum eſſe pacta, conſtituta civitate, & civili potentia, quæ violationem pactorum ulciſci poſſit. Adeoque concludit, civitatem, proprietatem bonorum, & juſtitiam, ſimul nata eſſe. [b]

n. 5. RELIQUAS leges naturales, cum eas ex præcedentibus inferat, merito omittimus.

n. 6. Hæ ergo HOBBESIO ſunt leges naturales, ſeu dictamina rectæ rationis, quæ ad conſervationem propriam tendunt; quorum effectus præcipuus ei hic eſt, quod is, qui theoremata hæc vel non vidit, vel ex ſtultitia omittit, leges naturales violare dicatur. [c]

n. 7. Hæc dictamina rationis nomen quidem obtinuiſſe legum, ait, ſed improprie dictarum; eſſe enim de iis rebus, quæ ad conſervationem hominum conducunt, tantum theoremata: Legem autem eſſe vocem imperantis. [d]

n. 8. Hinc leges has naturales ſaltem in foro interno obligare, ſtatuit; adeoque earum transgreſſionem non crimen proprie, ſed vitium dicendum eſſe [e]. Curiam ergo juſtitiæ naturalis præter conſcientiam nullam eſſe; eam vero regere ſolum Deum, cujus dictamina reſpectu Dei, naturæ auctoris, regnantis in cordibus hominum, leges ſint naturales [f]. Inter homines autem nullam eſſe injuſtitiam, niſi ex quo pactum interceſſit; ſi non præceſſit pactum nullum jus eſſe tanslatum, ſed omnia omnium eſſe: nihil ergo eſſe injuſtum [g]; adeoque quicquid quis fecerit in ſtatu mere naturali, id injuriam hominum quidem nemini eſſe, non quod in Deum in tali ſtatu peccare, aut leges naturales violare impoſſibile ſit: injuſtitiam enim erga homines ſupponere leges humanas,

(z) Leviath. C. 14. pag. 67. & 68. (*a*) Leviath. C. 14. pag. 68. (*b*) Leviath. C. 15. pag. 72. & ſeq. (*c*) de Cive C. 2. §. 1. in fin. C. 3. §. 27. in fin. (*d*) Leviath. C. 15. pag. 79. de Cive C. 3. §. 33. (*e*) Leviath. C. 15. pag. 78. de Cive C. 3. §. 27. & 29. (*f*) Leviath. Cap. 30. pag. 166. (g) Leviath. C. 15. pag. 72.

nas; tales autem in ſtatu naturali nullas eſſe. [b]

n. 9. Denique pœnas quoque naturales admittit contra violatores legum naturalium: quid autem per pœnas illas intelligat, ſequenti modo explicat. *Pœnas peccata non conſtitutione conſequuntur, ſed natura; nullam enim fere eſſe humanam actionem, quæ initium non ſit catenæ cujuſdam conſequentiarum adeo longæ, ut ad finem ejus proſpicere providentia humana nulla poſſit. Concatenantur autem accidentia jucunda, & moleſta adeo inſolubiliter, ut qui jucundum ſumit, moleſtum, quod adhæret, quanquam improviſum neceſſario etiam accipiat; quemadmodum vim inferentes punit vis altera, intemperantiam puniunt morbi: & tales ſunt, quas voco pœnas naturales.* [i]

n. 10. Hoc eſt Syſtema juris naturalis Hobbeſianum adeo celebratum: & mirum eſt, hunc impoſtorem ſuos quoque inveniſſe defenſores. Verbis leges naturæ admittit, re negat; adeoque de Hobbeſio quoque judicium ferri poteſt, quod de Epicuro tulit CICERO [k]: ne in offenſionem ſuperiorum caderet, verbis reliquiſſe Deos, re abſtuliſſe. Quod probandum nunc eſt.

§. X. Nulla, quæ magis impietati feneſtras aperiat, hypotheſis unquam prolata fuit, quam hoc HOBBESII ſyſtema; eo magis deteſtandum, quod re ipſa providentiam, eoque omnem religionem, evertit.

Quod enim ad Hobbeſii ſententiam de *Jure naturæ* attinet, is jus illud conſtituit in naturali facultate agendi quicquid lubet. Supponit, inter homines nihil injuſtum eſſe [l]: jus, & injuriam dependere ex facientis judicio [m]; adeoque nemini injuriam fieri poſſe [n]: inter homines eſſe æquale jus ſeſe occidendi [o]; indeque alterum jure invadere, alterum jure ſe defendere, & utrumque jure facere, lædentem, & læſum [p]; adeoque in genere omnia licita eſſe, quæ a cujuſque valore, & genio exſpectari poſſunt [q]: vim, & dolum eſſe virtutes cardinales; neque eſſe juſtitiam, & injuſtitiam, corporis, aut animæ facultates. [r]

Unde concludit, Principem, in quem jus ſuum omnium in omnia homines tranſtulerunt, omnibus his privilegiis, & juribus naturæ gaudere, eumque ſolum nunc occidere, rapere, adulteria committere, &c. [s]; nec ſubditos de injuria queri poſſe. [t]

n. 1. Alibi jam obſervavi, indignum eſſe Chriſtiano, immo homine, ſtatum ſupponere, qui jus, & licentiam daret creaturis ratione præditis in ſe invicem ſæviendi, ſeque deſtruendi. Quam quæſo ideam de Creatore Auctor hujus monſtri ſibi format, dum aſſerere audet, ens perfectiſſimum cuique hominum facultatem occidendi parentes, liberos, adulteria, & alia crimina peragendi &c. conceſſiſſe, idque jus eſſe, id eſt licite fieri? Omnes enim

(*b*) de Cive cap. 1. §. 10. ibique not. (*i*) Leviat cap. 11. pag. 172. (*k*) Cic. nat. Deor. Lib. 1. cap. 30. inf. Sen. de Benef. Lib. 4. cap. 4. & cap. 19. (*l*) Lev. cap. 13. pag. 65. cap. 15. pag. 72. de Cive cap. 1 §. 10. (*m*) de Civ cap. 1. §. 9. 10. 11. & cap. 2. §. 1. (*n*) de Cive cap. 1. §. 10. (*o*) Leviath. cap. 13. pag. 63. de Cive c. 1. §. 3. & ſeq. (*p*) de Cive cap. 1. §. 12. (*q*) Leviath. cap. 13. pag. 64. & cap. 14. pr. (*r*) Leviath. cap. 13. pag. 65. in fin. (*s*) Leviath. cap. 14. pag. 9. 10. (*t*) de Cive cap. 6. §. 13. Leviath. cap. 18. pag. m. 88.

enim facultates has homines a Deo habere, neque eas reſtrictas, aut prohibitas eſſe, ſtatuit, niſi per leges civiles.

n. 2. Equidem videtur Hobbeſius corrigere illa, quæ dura, immo impia admodum videntur, dum LEGES NATURALES dari, ſtatuit.

Ait enim, rectam rationem dictare, ut homines a jure ſuo omnium in omnia decedant [u]: qui proinde has leges negligit, adeoque media, quæ eo tendunt, vel non videt, vel ex ſtultitia omittit, eum violare leges naturæ [v], & pœnis naturalibus obnoxium eſſe. [x]

n. 3. At rite has *leges naturales* examinanti facile apparebit, verbis earum exiſtentiam affirmari, re negari.

Primo enim aſſerit, rationem dictare ut homines a mutuo illo bello deſiſtant; idque omittentes in Deum peccare, & pœnas dare debere. At inſignis hæc eſt contradictio, Creatorem facultatem hominibus dediſſe, omnia etiam vi agendi, adeoque licentiam conceſſiſſe invicem ſæviendi, idque jure fieri, nec injuſtum eſſe; & tamen has facultates repugnare rationi, & voluntati divinæ.

n. 4. *Secundo*, ex deſcriptione, & natura legum naturalium, quas Hobbeſius ſupponit, apparet, nullam vim illis legibus ineſſe, omnique effectu juris eas carere. Nam leges has, ait, *improprie* leges dici; leges enim naturæ ſaltem eſſe *dictamina rationis*, ſeu *theoremata*, quæ ad conſervationem hominum ducunt [y]; earumque transgreſſionem non inferre *crimen*, ſed *vitium* tantum [z]: adeoque leges illas eſſe *præcepta Ethica*. [a]

Ex ſententia igitur Hobbeſii leges naturæ non datæ ſunt a Deo tanquam ſuperiore, ſed per modum conſilii.

n. 5. At *tertio*, ais, Hobbeſium pœnas tamen ſtatuere in transgreſſores legum naturalium, i. e. in eos, qui pacem non quærunt (*vid.* §. 5.). Sed quales, quæſo, ſunt illæ pœnæ? Tales, quas Deus non infligit tanquam ſuperior, nec ad menſuram talionis, ita ut reus præciſe tantundem pati teneatur, quantum mali fecit; ſed per pœnas intelligit afflictiones, & incommoda, quæ actus vitioſos aliquando ſequi ſolent. Sic enim *homicidii* pœnam naturalem eſſe, ait, quod homicida viciſſim vim aliorum, ſpeciatim agnatorum, metuere debeat; *intemperantiæ*, quod morbi inde ſequi ſoleant: & ſic in ceteris. Atque hinc concludit, juſtitiæ, pœnarumque naturalium curiam naturalem præter conſcientiam nullam eſſe. [b]

n. 6. Quarto, omnes JCti, & philoſophi pœnam definiunt, quando quis tantundem mali patitur, quantum actione ſua fecit. Si vero homini ſcelerato ſaltem metuendæ eſſent afflictiones, & incommoda, quæ actus vitioſos ſequi poſſunt, vera talio, & proportio inter meritum, ac demeritum, non daretur. Experientia enim docet, pleraque crimina clam committi,

(u) Leviath. cap. 13. pag. 66. de cive cap. 2. §. 2. & 3. (v) de cive cap. 2. §. 1. in. f. cap. 3. §. 27. in fin. (x) Leviath. cap. 15. pag. 78. de cive cap. 3. §. 27. ſeq. (y) Leviath. cap. 15. pag. 79. de cive cap. 3. §. 33. (z) Leviath. cap. 15. pag. 78. de cive cap. 3. §. 27. & 29. (a) Leviath. cap. 15. pag. 79. (b) Leviath. cap. 31. pag. 16. & 168. de cive cap. 1. §. 10. ibique not.

mitti; adeoque pœnam infligi non poſſe ejus auctori, qui ignoratur. His igitur caſibus omnis pœna ceſſaret. Quo ipſo

n. 7. *Quinto*, vis fieret providentiæ divinæ, ac perfectioni creatoris. Sane, Deus ens perfectiſſimum permittere nequit ut crimina maneant impunita, vel, ut cum Hobbeſio loquar, ut homines impune reſiſtant rationi, & voluntati divinæ, pacem non quærendo, i. e. non renunciando juri ſuo omnium in omnia.

n. 8. Certum autem *ſexto* eſt, & eadem experientia docet, non ſemper nec neceſſario illas afflictiones, incommoda, & mala phyſica actus illicitos ſequi. Quid ſi *homicida*, *fur*, *&c.* eo potentiæ gradu ſit conſtitutus, ut nihil ipſi metuendum ſit, vel ante, quam mala ſequantur, moriatur, vel fuga ſe vindictæ eripiat; quid ſi *adulterium* volente marito committatur, quid ſi illud ſit corporis robur, ut *intemperantia* morbos non producat: quis erit effectus pœnarum naturalium?

n. 8. Sane, *ſeptimo*, ſi hominibus nihil metuendum eſſet præter afflictiones, incommoda, & mala, quæ actiones vitioſas ſequi poſſunt, nihil eſt quod eos a criminibus deterrere poſſet; cum negari nequeat, illa incommoda non neceſſario, quin rariſſime ſequi, ſpeciatim ſi homines ex occulto inſidias ſtruere poſſunt. Quid enim metueret talis reus, ſi nec læſo, nec magiſtratui auctor criminis cognitus eſt? Hoc caſu igitur mala illa phyſica ceſſant; nam a Deo nihil ei metuendum eſt, quia præter illas afflictiones, quæ ex nexu rerum oriuntur, alias pœnas naturales non ſtatuit. [c]

Etſi enim Deus infinita alia mala immittat hominibus, id tamen non ob peccata hominum fieri, ait [d], ſed jus hoc inhærere potentiæ ejus, cui reſiſtere homo non poſſit; vi hujus juris enim eum affligere quem velit, & cui velit ignoſcere. Merito hic repeto, quod alibi [e] dixi, hanc ideam non enti perfectiſſimo, nec creatori generis humani, ſed tyranno, deſtructori ejus, convenire.

n. 10. *Octavo*, dum pœnas poſt hanc vitam infligendas negat, potiſſimam rationem, qua immortalitas animæ nititur, tollit. Si enim reſurrectio ſaltem ad vitam æternam ſperanda, non vero ad pœnas æternas (ut ipſe nugatur [f]) metuenda eſt, facile negligent homines doctrinam de æternitate animæ, & libenter felicitati futuræ vitæ renunciabunt, modo ſuis affectibus abſque metu æternæ pœnæ ſatisfacere poſſint.

n. 11. *Nono.* Quis vero poſitis his principiis tutus foret contra injurias aliorum? Alibi jam dictum eſt, hac ratione homini in civitate degenti liberum eſſe abſque ullo metu pœnæ ſævire in concivem, modo clam id facere poſſit [g]. Quin ipſe Princeps tutus non foret nec contra inſidias, nec contra vim ſubditorum, ſi hæc tanta eſt, ut Princeps ei reſiſtere non poſſit. [h]

HOBBESIUS enim omnem obligationem ſubditorum erga Principem in

(*c*) Leviath. cap. 44. pag. 300. (*d*) Leviath. f. 168. cap. 31. (*e*) Diſſert. procem. VIII. §. 13. n. 2. (*f*) Leviath. cap. 44. pag. 300. (*g*) Diſſ. proœm. VIII. §. 13. n. 5. (*h*) Vid. Supr. Diſſ. proœm. VIII. §. 13. n. 3.

in eo ponit, quod illi juri ſuo omnium in omnia renunciaverint, illudque pacto in Principem tranſtulerint, ea lege, ut hic potentiam eos cogendi, & ut pacem conſervent, adigendi jus habeat. [i]

Hanc ſolam *potentiam irreſiſtibilem* cauſam obligationis erga Principem conſtituit; nam ſolam promiſſorum conſcientiam homines in officio continere non poſſe, ſtatuit [k]: adeoque ſecuritati hominum non *pactis*, ſed *pœnis*, providendum eſſe, eamque potentiam Principi competere, exiſtimat.

Quid ſi igitur ſubditi nolint amplius pactis ſtare? Quid ſi renuncient promiſſis? Quid ſi clam inſidias Principi ſtruant? Quid ſi eo potentiæ pervenerint, ut Princeps eos cogere non poſſit? Sane, ſola conſcientia, ex hypotheſi Hobbesii, eos in officio continere nequit; potentia autem eos cogendi (id enim ſupponimus), adeoque omnis obligationis ratio ceſſat. Nihil ergo ſupereſt, quod metum eis incutere, eorumque manus ſacrilegas a violatione Principis deterrere poſſit.

n. 12. Certiſſimum igitur eſt, poſita hac ſententia nihil ſacri inter homines ſupereſſe, Principes ipſos furori ſubditorum exponi, ac denique religionem, omnemque pietatem in Deum everti, ac munimenta ſecuritatis generis humani reſcindi. [m]

CAPUT II.

De Principiis Juris naturalis ex hypotheſi Hemmingii, *&* Winckleri.

§. XI. JACTANTER nimis aſſerit Grotius, *jus illud, quod inter populos plures, aut populorum rectores intercedit, attigiſſe paucos, univerſim, ac certo ordine tractaviſſe neminem* [mm]. Credendum eſt, viro ſummo cognitos non fuiſſe duos libellos Hemmingii, & Winckleri, qui ante editum opus Grotianum principia juris naturæ apodictica methodo tractaverunt, legeſque ad ſuam originem, propriumque finem revocarunt. De utriſque ſeparatim agemus.

§. XII. Nicolaus Hemmingius librum edidit *de lege naturæ apodictica methodo concinnata*. Prodiit is liber Witebergæ Anno 1564; & cum in paucorum manibus verſetur, majori cura Syſtema ejus, obſcurum admodum, examinandum nobis erit.

n. 1. Poſtquam Auctor in epiſtola dedicatoria contra Carneadem, & Minoem, Socratis Platonici ſententiam laudavit, *legem non eſſe opinionem, ſed veritatis inventionem*; ſimulque aſſeruit, legem demum legis nomen ſortiri, ſi *ratione* firma, & immota nititur: porro ait, *rationem* hanc aliunde peti non debere, quam ex duobus, nempe ex *natura* ipſa, & *fine* legis.

n. 2. Diligentiam *revocandi leges ad ſuam originem*, & *proprium finem*, *dignam* eſſe bonis viris, exiſtimat; agno-

(*i*) Diſſ. procem. VIII. §. 12. n. 3. (*k*) De cive cap. 6. §. 4. Leviath. cap. 14. §. 71. (*l*) Diſſ. procem. VIII. §. 12. n. 13. (*m*) Leviath. cap. 44. pag. 300. (*mm*) proleg. §. 1.

Digitized by Google

agnoſcendam eſſe hanc lucem, & gratias Deo agendas, quod hac luce humanam naturam ornaverit, ac etiam poſt lapſum igniculos quoſdam in natura reliquerit, qui dum excitantur, *cogitatione pulcherrima virtutum*, *ac legum harmoniam* inde agnoſci.

n. 3. Hujus rei admiratione impulſum, ſe de fonte legum, ſeu de legibus naturæ, methodo philoſophica quædam ſcribere inſtituiſſe, & præcepta morum tradidiſſe, ait; addendo, doctrinam de moribus, & legibus naturæ, æque, ac Euclidis regulas evidentiſſimis demonſtrationibus niti.

n. 4. Hominem enim (ita pergit in præfatione) reliqua animalia mente, & intelligentia excellere, ac facultate diſcernendi honeſta, & turpia præditum eſſe, ut illa quidem expetat, hæc averſetur: adeoque neceſſe eſſe fateri, alium homini finem eſſe propoſitum, quam ceteris animantibus, quæ mente, & intelligentia, ac procreſi deſtituuntur.

n. 5. Ad hujus finis contemplationem nos hortatur Auctor, & media finem illum cognoſcendi in ipſo libello indigitat.

Primo autem explicat rationem denominationis, unde *lex naturæ* dicatur; eamque variis deſignari nominibus, ac jus æternum &c. vocari, ait.

n. 6. Secundo definit legem naturæ: *Quod ſit divinitus impreſſa mentibus hominum notitia certa principiorum cognitionis, & actionis, atque concluſionum ex iis principiis demonſtratarum proprio fini hominis congruentium, quas ex iis principiis neceſſaria conſequentia ad humanæ vitæ gubernationem exſtruit ratio, ut homo ea, quæ recta ſunt, cognoſcat, velit, eligat, agat, vitetque contraria; quorum omnium & teſtis, & judex conſcientia hominibus divinitus eſt attributa.*

n. 7. In explicanda hac definitione potior libelli pars occupatur. 1. Ex eo enim, *quod lex hæc divinitus impreſſa eſt mentibus hominum*, probat, ſolum Deum Auctorem eſſe hujus legis.

Porro & 2. ait, legem illam eſſe *notitiam certam principiorum cognitionis, & actionis*. Normas enim legis naturæ neque eſſe opiniones ambiguas, neque ſententias, quæ percipi non poſſint, ſed firmas rerum expetendarum, & fugiendarum perceptiones: atque has perceptiones æque certas eſſe, ac demonſtrationes Euclidis, in epiſtola dedicatoria ſuſtinuit.

n. 8. Maxima autem pars tractationis verſatur 3. *circa principia cognitionis, & actionis*, ubi primo *modum*, & deinde *materiam* explicat.

Modum certitudinis, & apprehenſionis, quo *modo*, nimirum, illa certitudo efficiatur, & quæ apprehenſionis ratio, tum ex Græcorum, tum ex Romanorum, tum ex recentiorum, philoſophia demonſtrat; & in genere duo eſſe actionum principia, ex Aristotele probat, *cognitionem intellectivam*, & *appetitum rationis*, quæ illam natura comitatur: vel quod idem eſt, *notitiam concluſionum ex iis principiis demonſtratarum.*

n. 9. Explicatis *modis* cognoſcendi tranſit 4. ad *materiam*, ſeu ad principia cognitionis, & actionis, ut inveniri poſſint axiomata, & hypotheſes legis naturæ, quibus mores hominum regi oporteat; eaque *principia* eſſe vel *contemplativa*, ait, vel *actionis*: priora eſſe, ex quibus certa rerum ſcientia manat; poſteriora, ex quibus ratio morum, & actionum ſecundum virtutem petatur.

n. 10.

Digitized by Google

n. 10. Cum vero notitia illa principiorum, atque concluſionum inde demonſtratarum, legem naturæ certam reddant quatenus *fini hominis congruunt*, ideo 5. demonſtrat, quis ſit finis hominis, ad quem omnes actiones hominis referendæ ſint.

Finem autem cujuſque rei triplicem eſſe, ſtatuit: *unum* ſpectari ex ſtatu rei cujuſque perfectiſſimo; *alterum* ex propriis rei cujuſque actionibus intelligi; *tertium*, qui & finis bonorum exiſtit, ex ordine rerum ſumi.

Primum finem deſcribit, ſtatum uniuscujuſque rei in ſuo genere perfectiſſimum; finis igitur cujuſque rei Auctori eſt, perfectiſſima illa habere, quæ illi in ſuo genere tribuit rerum natura, ſeu potius Deus naturæ opifex.

Secundum finem ex eo colligit, quod Deus nihil fruſtra, aut temere feciſſe videatur, ſed ad certum finem omnia referat.

Tertium finem ita explicat, quod Deus ſit ultimus finis; quare ut illi juſtiſſimum in omnia imperium exiſtit, ita omnia ipſi ſervire naturali jure debere.

n. 11. Auctor 5. concluſiones ex illis principiis deſumtas, proprio fini hominis congruentes, *neceſſaria quadam conſequentia pertinere*, *ait*, *ad humanæ vitæ gubernationem*, *ut homo ea*, *quæ recta ſunt*, *cognoſcat*, *velit*, *eligat*, *agat*, *vitetque contraria*. Non enim ſufficit Auctori, actiones hominis, & principia actionum in genere inquiſiviſſe, ſed quia actiones hominis variant pro vitæ generibus, genera vitæ diſtinguit, & ſingulis ſuum proprium finem accommodat.

n. 12. *Vitæ autem genus* in genere duplex eſſe, ait: *theoreticum*, quod in contemplatione, & inquiſitione veri occupatur; & *practicum*, quod actiones ſpectare, ac in iis occupari, ait, propter finem aliquem in vita utilem.

Poſterius hoc *vitæ genus* triplex eſſe, ſtatuit, *œconomicum*, *politicum*, & *ſpirituale*: atque hoc univerſum vitæ genus habere finem, qui eſt conſervatio ipſius per proprias actiones, Deum ut ultimum ſcopum reſpicientes; in omni enim genere vitæ ita ordinandas eſſe actiones, ne ab ipſo bonorum fine, ſeu a fine finium, aberrent.

n. 13. *Vitæ œconomicæ* finem eſſe, ait, conſervationem familiæ, & domus, per actiones œconomicas, Deum ut finem bonorum reſpicientes. Unde primum axioma hoc ponit: *Quicquid conſervat ſtatum œconomicum incolumem per ſe, præcipitur lege naturæ*; atque ex hac demonſtratione fluere, ait, omnia præcepta œconomica, nimirum, jura inter conjuges, inter parentes, & liberos, &c.

n. 14. *Vitæ politicæ* finem proponit, politiarum tranquillum, & politicum ſtatum per actiones politicas, quæ omnes eo referri debent, ut maneat juſta ordinis politici harmonia, ſervato inter homines jure analogo, & Deus in humana ſocietate tanquam finis ultimus ſocietatis humanæ conſtituatur. Hinc ſecundum axioma hoc proponit: *Quicquid conſervat ſtatum politicum*, (ne tamen aliquid fiat Deo adverſum) *lege naturæ præcipitur*. Ex hac demonſtratione deducit originem ſummæ poteſtatis, ac judiciorum, jura belli, fœderum, ac quatuor virtutes cardinales.

n. 15. *Vitæ ſpiritualis* finem, ait, eſſe

eſſe conſervationem ejus finis per actiones huic vitæ congruentes. Quo refert, Deum agnoſcere, agnitum colere, timere, glorificare; & ad hujus vitæ conſervationem quatuor illas virtutes cardinales pertinere, putat. Axioma tertium autem hoc inde format: *Quicquid conſervat ſtatum vitæ ſpiritualis, lege naturæ præcipitur.*

n. 16. Poſtquam expoſuit, quænam ſint vitæ œconomicæ, politicæ, & ſpiritualis actiones cujuſque propriæ, 7. ſingula decalogi præcepta, utpote epitomen legum naturalium, ex poſitis principiis fluere, & ad triplex illud vitæ genus referri poſſe, demonſtrat.

n. 17. Sed & 8. rationem præceptorum a Dei voluntate, & natura quærit; ac virtutum præcepta deducit ex principio illo generali, quod omnes vitæ ſtatus ad Deum tanquam ultimum finem referri debeant. Axioma autem quartum ita exhibet: *Quicquid convenit homini ſecundum rectam rationem, expetendum eſt; at quod cum ratione pugnat, fugiendum: virtutes conveniunt, & vitia minime, ergo &c.*

n. 18. In fine definitionis 9. Auctor addit, *omnium horum & teſtem, & judicem hominibus conſcientiam divinitus eſſe attributam.* Explicat autem in fine libri, quid per conſcienriam intelligat: ſcilicet, *ſpem*, quæ exſpectatio eſt futuri boni, & *metum*, qui futurum malum, ſeu pœnam, pertimeſcit.

n. 19. Denique & 10. varias quæſtiones examinat: 1. an omnia, quæ concluduntur ex legibus naturæ, ſint neceſſaria? 2. an homo fatali neceſſitate male agat? Ubi ex Græcorum philoſophorum dictis rem illuſtrat, &c.

n. 17. Principium igitur, ſeu regulam generalem legum naturæ Hemmingius hanc ponit.

Quicquid convenit naturæ, & fini hominis quoad vitæ genus, tum œconomicum, tum politicum, tum ſpirituale, & quicquid ad ſtatus illius conſervationem pertinet, id eſſe juris naturalis.

n. 18. Equidem multa ſunt, quæ in hoc Auctore probamus: 1. quod ſolum Deum auctorem juris naturalis conſtituat: 2. quod modos demonſtrandi jura naturæ ex voluntate intelligendi, & appetendi, adeoque ex juſtis rationis concluſionibus, deſumat: 3. quod inter modos illos demonſtrandi *finem* creationis, & *perfectionem* divinam, præcipue commendet, &c.

n. 19. Sunt tamen quam plurima, quæ cenſuram merentur. *Primo* enim obſcurus admodum eſt tractatus; termini ex philoſophia ſcholaſtica deſumti confundunt magis ſenſum rei, quam explicant; demonſtrationes non cohærent; nec concluſiones præciſe ex præmiſſis ſequuntur.

n. 20. *Secundo*, quod ex principio poſito non omnia officia hominum neceſſario ſequantur, vel exinde conſtat, quia jura rerum, jura pactorum, conditionum, poſſeſſionum, &c. apodictica ratione neque ad conſervationem ſtatus œconomici, nec politici, nec ſpiritualis, pertinent.

n. 21. *Tertio*, quoad effectum ipſum Auctor cum illis convenit, qui principium juris naturalis in *ſocialitate* quærunt; nam conſervatio ſocietatis humanæ nihil aliud eſt, quam conſervatio ſtatus œconomici, politici, & ſpiritualis. Unde paſſim Auctor regulam ponit: *quicquid deſtruit humanam ſocietatem, cum natura pugnare; & quicquid facit ad humanam*

ſocie-

Digitized by Google

ſocietatem conſervandam, *lege naturæ præcipi*; adeoque omnia dubia, quæ *ſocialitati* obſtant, hic quoque repeti debent.

§. XIII. BENEDICTUS WINCKLERUS Soltquellenſis, Anno 1615, adeoque decem annis ante publicatum opus Grotii de jure belli, & pacis, *principiorum juris libros quinque* edidit, in quibus genuina juris tam naturalis, quam civilis, principia, & firmiſſima jurisprudentiæ fundamenta oſtendere, ejuſdemque ſummum finem ob oculos ponere, primus auſus eſt. Hic Auctor quoad prima principia palmam omnino Grotio præripit. Sane, ea, quæ de ratione humana [n], de viribus humanæ rationis [o], & ſpeciatim de voluntate, ejuſque libertate [p], tradit, ſine admiratione legi non poſſunt: Etſi Grotius quoad concluſiones, & in demonſtranda gentium praxi, longe alterum antecedat, elegantia ſermonis vero omnino vincat.

n. 1. Præmittendum autem eſt, WINCKLERUM duplex jus naturæ ſtatuere, *prius*, & *poſterius*. [q]

Per jus naturæ PRIUS intelligit notiones primas, & notitias nobiſcum natas, ſeu præſumtiones, prolepſes, & prænotiones naturales, ipſa vi rationis impreſſas. Hoc *jus naturæ* vocari, ait, κατ' ἐξοχὴν, quia natura primo in nobis eſt, & inter omnia jura principatum obtinet. [r]

n. 2. Exiſtentiam juris naturalis contra negantes late probat [s], & ſummum hominis bonum conſiſtere in agnitione, & fruitione juris naturalis, ex gentilium ſcholis docet. [t]

n. 3. Auctorem juris naturalis Deum eſſe, ſtatuit, ejuſque voluntatem eſſe ſummam legem, primo, & proprie ſic dictam. [u]

n. 4. Jus naturæ probat ex ratione; motum enim animæ rationalis, ait, eſſe legem naturæ humanæ, quia Deus omnia voluit ea, quæ ratio humana indicat [v]. Unde concludit, legem rationis humanæ omnibus ineſſe hominibus, quia omnibus ratio eſt communis. [x]

n. 5. Legem ergo naturæ humanæ, ſeu rationalis hominis eſſe, ait, *eam rationem, quæ gubernat hominem ut ſecundum naturam, homini a Deo datam, cum ratione vivat ut homo* [y]. Hanc verò legem vitæ naturalis definit, *rationem coram Deo pie, & inter amicos recte vivendi* [z]. Idque fieri, ait, per AMOREM, unde duos fontes juris, tum divini, tum humani, conſtituit. [a]

Jus naturæ conſiſtere, ait, IN AMORE DEI, AC HOMINIS [b]; amorem enim eſſe menſuram juris, & juſtitiæ ſpiritum, ſine quo iniquum eſt quicquid juſtitiæ nomen induit [c]. Hunc vero amorem nihil aliud eſſe, quam CUSTODIAM SOCIETATIS, ſeu MUTUAM BENEVOLENTIAM, aſſerit. [d]

n. 6. Hinc definit jus naturæ, *præceptum Dei, & rectæ rationis, ſub pœna priva-*

(n) Lib. 1. C. 7. & ſeq. (o) Cap. 11. & ſeq. (p) Cap. 13. & ſeq. uſque ad fin. Lib. 1. (q) Lib. 2. Cap. 9. L. 4. C. 1. 2. & 3. (r) Lib. 2. C. 9. pag. 231. (s) L. 5. C. 15. (t) Lib. 3. C. 12. (u) Lib. 1. C. 3. & 4. (v) L. 1. C. 7. & 8. C. 10. C. 11. & ſeq. L. 2. C. 9. p. 231. (x) Lib. 1. C 9. L. 2. C. 9. p. 231. (y) Lib. 1. C. 10. pag. 95. (z) d. pag. 95. (a) d. C. 10. pag. 102. (b) Lib. 3. C. 3. pr. & C. 1. pag. 235. (c) L. 3. C. 1. pag. 235. (d) Lib. 3. C. 1. pag. 237. ſeq.

privationis bonorum ſuorum, & inflictionis malorum, exigens perfectum erga Deum, & homines, amorem, conformatum ad legem divinam, ſeu voluntatem Dei [e]. Adeoque in genere WINCKLERO præcepta juris naturæ ſunt ea, quæ lex moralis a Deo cordibus noſtris una cum vita infuſa tradit, quæque ex ſincero, & pio amore proficiſci poſſunt. [f]

His principiis poſitis, procedit ad præcepta ſpecialia, quæ juxta ordinem decalogi recenſet [g]: eoque refert 1. religionem [h]; 2. veritatem [i]; 3. integritatem [k]; 4. fiduciam firmam [l]; 5. ſanctitatem [m]; 6. amorem ſui [n]; 7. cupiditatem optimi [o]; 8. mutuam affectionem [p]; 9. ſocietatem naturalem [q], cujus ſpeciem conſtituit conjugium [r]; 10. caſtitatem [s]; 11. honeſtatem [t]; 12. educationem liberorum [u]; 13. amorem parentum, & eorum, qui parentum loco ſunt [v]; 14. amorem patriæ [x]; 15. æqualitatem ſtatus [y]; 16. libertatem [z]; 17. verum bonorum uſum [a]; 18. pacem, & liberalitatem [b]; 19. omneſque reliquas virtutes. [c]

n. 18. Hoc jus naturæ, ait, in nullo publico conventu hominum compoſitum, & publicatum, nec in civili ſocietate primum monſtratum eſſe, ſed ipſam naturalem rationem, ſtatim ab initio, quam primum contra jus naturæ prius agi cœptum eſſet, hæc præcepta docuiſſe, & exegiſſe. [d]

Atque hoc *Jure naturæ*, quod PRIUS vocat, ignorari, ait, increpationes, omnemque vim, quia ſua ſponte bonum homines ampleCtuntur; jus naturæ nihil mali extimeſcere, aut ſuſpicari [e], nullumque ibi offenſionis, adeoque nec defenſionis, eſſe metum. [f]

n. 19. JUS NATURÆ POSTERIUS Wincklerus vocat JUS GENTIUM [g]. Putat enim, homines ſi lapſi non fuiſſent, & in primæva rerum communione perſtitiſſent, ſolo jure naturæ uſuros, *amorem* normam actionum eorum futurum, omneſque in una Adami familia victuros fuiſſe [h]; quia vero homines in ſtatu corrupto deſierunt eſſe in una familia, eoque a communione illa deceſſerunt, ex hac gentium diſcretione ortas eſſe, ait, rerum diſtinctiones, occupationes, acquiſitiones, contractus, &c. indeque varia circa hæc negotia extitiſſe jura, quæ, ſi jus naturæ *prius* ſubſtitiſſet, eo modo in vita humana exſtitura non fuiſſent. Cum igitur hujus juris cauſa homines ab initio in gentes diſceſſerint, & diverſitas gentium, & familiarum, prima occaſio, & cauſa fuerit, ut jura dominiorum, contractuum, & bellorum inter omnes gentes naſcerentur, cùm, inquam, omnes gentes hæc jura ad ſui conſervationem receperint, inde *jura gentium* appellata fuiſſe, ait. [i]

*n.*20.

(*e*) L. 3. c. 1. (*f*) L. 3. c. 1. pag. 244. & c. 2. pag. 246. (*g*) L. 3. c. 3. ſeq. (*h*) d. cap. 3. pag. 247. (*i*) d. cap 3. pag 252. (*k*) d c. 3. pag. 253. (*l*) d. c. 3. p. 253. (*m*) d. c. 3. pag. 255. (*n*) d. c. 3. p. 256. (*o*) d c. 3. pag. 257. (*p*) d. c. 3. p. 258. & ſeq. (*q*) c. 3. pag. 263. (*r*) cap. 3. pag. 264. (*s*) d c. 3 pag. 270. (*t*) pag. 271. (*u*) pag. 272. (*v*) pag. 273. (*x*) p. 274. (*y*) pag. 277. (*z*) d. pag. 277. (*a*) pag. 278. (*b*) pag. 279. & 280. (*c*) pag. 281. (*d*) L. 4. c. 4. pag. 371. (*e*) L. 4. c. 8. pag. 385. (*f*) Lib. 4. c. 10. pag. 399. (*g*) Lib. 4. cap. 4. pag. 371. (*h*) d. c. 4. pag. 372. & L. 4. c. 3. per tot. (*i*) d. pag. 372. Conf. L. 2. c. 9. L. 4. c. 2.

Digitized by Google

n. 20. Eſt ergo Jus gentium Wincklero ſpecies juris naturalis, ſed *poſterius* [k], quod ſuam auctoritatem habet a Deo per jus naturæ *prius* [l], cujus quaſi uxor ſit, & condomina [m]; quodque ea lege in juris naturæ auctoritatem receptum ſit, ut ei ſerviat [n]. Atque hoc ſenſu jus gentium a Deo conſtitutum, & immutabile eſſe, omnes gentes inde obligari, & ubique unum eſſe, ait. [o]

n. 21. Formam igitur *Juris gentium* Wincklerus conſtituit in conſervatione juris naturalis [p]; indeque illud definit, *dictamen rectæ rationis pro conſervatione juris naturalis, omnibus gentibus commune* [q]. Conſtitutionem autem gentium vocat, quia non eſt jus ſimpliciter, & primo innatum, ſed ratione omnium gentium excogitatum, & conſtitutum. [r]

n. 22. Notam juris gentium generalem hanc conſtituit, *quicquid pro defenſione ingeniti amoris humani fit, ſine civili modo.*

Defenſionem autem illam eſſe, ait, vel *togatam*, vel *armatam.* [s]

n. 23. Ad defenſionem præceptorum juris naturalis Togatam refert 1. judicium morum [t]; 2. deprecationem mali, & reconciliationem [u]; 3. defenſionem contra injurias [v]; 4. humanitatis conſervationem [x]; 5. religionis defenſionem [y]; 6. idolorum everſionem [z]; 7. falſi oppugnationem [a]; 8. profani averſionem [b]; 9. læſionem corporis ſui [c]; 10. deſperationem [d]; 11. pœnas [e]; 12. leges conjugii, quo refert conſenſum parentum [f]; 13. patriam poteſtatem [g]; 14. maritalem poteſtatem [h]; 15. caſtitatis conſervationem [i]; 16. honeſti defenſionem [k]; 17. tutelam impuberum [l]; 18. jus Albinagii [m]; 19. ingratorum correctionem [n]; 20. ſtatus inæqualitatem. [o]

n. 24. Media Armata, quibus jus gentium ad conſervandum jus naturale utatur, locum non habere, ait, niſi in neceſſitate [p]. Defenſionem autem *armatam*, vel *privatam* ſtatuit, qua defendimus vitam [q], corpus [r], familiam [s], amicos [t], pudicitiam, famam [v]; vel *publicam*, quæ fit per bellum juſtum [x], (ubi ſimul explicat, quænam ſint juſtæ belli cauſæ [y]) quod ſequuntur ſervitutes. [z]

n. 25. Denique jus gentium non ſaltem animum, & corpus noſtrum defendere [a], ſed & dominia diſtinxiſſe, docet [b], introducendo *modos illos acquirendi*, quos JCtos recenſere, ait, in

(*k*) d. pag. 372. pag. 376. Conf. Lib. 2. cap. 9. cap. 10. pag. 231. (*l*) Lib. 4. cap. 7. pag. 382. (*m*) d. cap. 7. pag. 381. (*n*) d. cap. 7. §. 382. (*o*) Lib. 4. cap. 7. & cap. 13. pag. 432. 433. 436. 438. (*p*) Lib. 4. cap. 6. pag. 378. & 379. (*q*) Lib. 4. cap. 5. pag. 374. (*r*) d. L. 4. cap. 5. p. 374. (*s*) Lib. 4. cap. 4. p. 379. cap. 8. pag. 384. (*t*) Lib. 4. cap. 8. pag. 384. (*u*) Lib. 4. cap. 8. p. 376. (*v*) L. 4. cap. 8. pag. 386. (*x*) ibid. (*y*) Lib. 4. cap. 8. pag. 386. (*z*) d. cap. 8. p. 387. (*a*) ibid. (*b*) ibid. (*c*) Lib. 4. cap. 4. §. 9. pag. 388. (*d*) d. cap. 9. pag. 389.

(*e*) d. cap. 9. pag. 390. (*f*) d. cap. 9. pag. 391. ſeq. (*g*) d. cap. 9. pag. 392. (*h*) d. cap. 9. pag. 394. (*i*) d. cap. 9. pag. 395. (*k*) d. cap. 9. pag. 396. (*l*) d. cap. 9. pag. 397. (*m*) ibid. (*n*) ibid. (*o*) d. cap. 9. pag. 398. (*p*) Lib. 4. cap. 1. 2. 10. & 14. (*q*) Lib. 4. cap. 10. pag. 398. ſeq. (*r*) d. cap. 10. pag. 408. (*s*) d. cap. 10. p. 409. (*t*) ibid. (*u*) d. cap. 10. pag. 412. (*v*) d. cap. 10. pag. 414. (*x*) Lib. 4. cap. 11. p. tot. (*y*) d. cap. 11. pag. 418. (*z*) d. cap. 11. pag. 421. (*a*) Lib. 4. cap. 8. uſque ad 12. (*b*) Lib. 4. cap. 12.

in Titulo de Acquir. rer. dom. [c]; immo & *obligationes*, *pacta*, *contractus*, *actiones*, *accuſationes*, *executiones ſententiarum* [d], *ipſamque Majeſtatem* inde deducit. [e]

n. 26. Tandem in libro quinto originem juris civilis, & ſummæ poteſtatis exponit, & quemadmodum jus civile ſerviat juri naturali, demonſtrat.

n. 27. Atque hæc ſunt principia WINCKLERI, hominis privati, qui ſeculo minus in Germania culto vixit, & ideo vix fama innotuit, fato meliori dignus.

n. 28. Ceterum, non opus videtur ad ſpecialia procedere, & diſtinctionem inter jus naturæ prius, & poſterius, quæ nec juri Romano convenit, nec veteribus unquam probata fuit, examinare; cum alibi jam dictum ſit, jus *naturæ*, & *gentium*, prout a veteribus ſumitur, unum, idemque eſſe, & jus gentium voluntate conſtitutum non dari. Sed & *amorem* ingenitum cum ſocialitate convenire, ipſe WINCKLERUS paſſim fatetur; adeoque eadem dubia, quæ ſocialitati obſtant, *amori* quoque obſtare videntur.

CAPUT III.

De Principiis SELDENI, *&* YVONIS *Pariſienſis.*

§. XIV. SINGULARE aliquid præ ſe ferunt duo tractatus SELDENI, & YVONIS Pariſienſis: indeque ſeparatim examinare horum principia, operæ pretium eſſe duxi.

§. XV. SELDENUS Grotii coætaneus, & æmulus, ſcripſit ſyſtema *de jure naturali*, *&* *gentium*, *juxta diſciplinam Hebræorum*; atque *cuſtodiam ſocietatis humanæ* quidem pro principio jurium naturalium agnoſcit [f]: at præcepta eo pertinentia non a priori rite demonſtrari poſſe, putat [g], quum lumen rationis obſcurum admodum, & intellectus humanus adeo depravatus ſit, ut in imperatis naturæ rite diſcernendis facile hallucinari potuerit. Atque ideo fingit, Deum, quaſi in appenſa ob intellectum humanum perpetuo tabula, ſeu libro expanſo, indicare voluiſſe præcepta naturalia, ut perpetuo obligantia, & reliqua arbitrio permiſſa; adeo ut nullum, quod ſocietati humanæ optime conſervandæ conducat, præceptum prætermiſerit [h]. Idque factum, ait, per ſeptem præcepta Noachidarum [i]: atque hæc ratio eſt, cur titulo *de Jure naturæ*, addiderit, *juxta diſciplinam Hebræorum.*

Verum, 1. admitti nullo modo poteſt, *intellectum humanum adeo depravatum eſſe*, *ut in imperatis naturæ rite diſcernendis*

(c) L. 4. cap. 12. pag. 425. (d) d. cap. 12. pag. 425. uſque ad pag 432. (e) Lib. 4. cap. 13. pag. 440. (f) Lib. 1. cap. 9. pag. 110. pr. (g) ibid. pag. 109 (h) d. l. pag. 110. pr. (i) ibid. cap. 9. pr.

Digitized by Google

nendis facile hallucinari potuerint homines. Lumen rationis non in eo defecit, quod imperata voluntatis divinæ ex ſola ratione non ſatis innoteſcant hominibus, (modo facultas ratiocinandi, & regulæ, quas ſuppeditavimus, rite adhibeantur) ſed quod ea ſit fragilitas humanæ naturæ, ut ſæpiſſime ea eligat, quæ rationi repugnant. Sed & 2. cum hic agatur de probando jure, quod toti humano generi commune eſt; qua, quæſo, ratione homines convinci de veritate præceptorum, & revelationis poſſunt, quam vel ignorant, vel non agnoſcunt? Denique 3. fabulam eſſe, quæ de ſeptem præceptis Noachicis traduntur, alibi probavimus. Sane, ſola ratio Judæos docuit, ea, quæ Noacho revelata eſſe fingunt, eſſe præcepta juris naturalis.

§. XVI. P. Yvo Parienſis, ordinis Capucinorum Franciſcani, Anno 1658. novum ſyſtema juris naturalis in ſcenam produxit, cui titulum præmiſit: *Jus naturale rebus creatis à Deo conſtitutum.*

n. 1. Poſtquam enim in præfatione probavit, 1. legem naturæ eſſe a Deo, 2. eam eſſe univerſalem, 3. legem naturæ eſſe æternæ veritatis, &c. [k], tribus libris ſingulas naturæ leges explicat.

n. 2. In Libro primo agit *de cauſis, & rerum productione*, ac leges naturæ, quibus cauſæ illæ, & rerum productiones nituntur, proponit, adeoque exiſtentiam Dei, & originem mundi, ac creaturarum, nec non finem creationis, ac facultates agendi explicat, ſimulque jura inter parentes, & liberos inde deducit.

n. 3. In Libro secundo agit de *rerum conſervatione, & augmentis.* Inter alias leges naturæ eo pertinentes refert, 1. quod omnia quærant bonum ſibi conveniens, quo poſſint conſervari [l]: 2. quod nihil fiat, vel agat ſe ipſo, ſed indigeat auxiliis [m]: 3. quod agens congruis inſtructus eſſe debeat mediis, & inſtrumentis [n]: 4. quod vis activa certis, & determinatis modis procedat [o]: 5. quod ſtent omnia mutuis auxiliis [p]: 6. quod omnia appetant non tantum conſervari, ſed & augeri [q]: 7. quod viventia norint ſuas, & hoſtis ſui vires [r]: 8. quod fortiora prævaleant infirmis [s]: 9. quod oppreſſi ſe vindicent in libertatem [t]: 10. quod vim vi repellere liceat [u]: 11. quod dolo ſe tueantur, quæ non poſſunt viribus [v]: 12. quod cum vires propriæ non ſufficiant, advocentur externæ [x]: 13. quod plurima vim ſingularem paſſa reſtituantur in integrum [y]; unde deducit regulam, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. [z]

n. 4. In Libro tertio agit *de rerum alteratione, ac interitu:* & exponit primum generalia, quæ pertinent ad rerum interitum; tum inquirit alterationis, & corruptionis cauſas, tam internas, quam externas; tandem, quæ ſingulorum interitum immediate præcedunt, & poſtea ſequuntur [b]. Atque in eum finem plures leges naturæ ſupponit. [c]

n. 5. Ex hac ipſa diſpoſitione operis apparet, Yvonem non *verum jus naturæ*

(*k*) Yvo Præfat. pag. 11. uſque ad pag. 20. (*l*) pag. 269. (*m*) pag. 286. (*n*) pag. 292. (*o*) pag. 335. (*p*) pag 349. (*q*) pag. 378. (*r*) pag. 398. (*s*) pag 408. (*t*) pag. 421.

(*u*) pag. 430. (*v*) pag. 445. (*x*) pag 457. (*y*) p. 497. (*z*) pag. 501. (*b*) pag. 519. (*c*) dict. pag. 519. ſeq.

turæ exponere, ſed jus naturæ materiale: jus, quod ex lege materiæ a Creatore indita ſequitur.

Omnia enim præcepta naturæ ex harmonia univerſi, ex conſonantia rerum creatarum, adeoque ex nexu rerum deducit. Hinc legem naturæ deſcribit, *ratos, fixoſque rebus omnibus inſitos exiſtendi, & agendi modos, quibus conſtat mundi totius partium, & ſeculorum ſeries.* d

n. 6. Atque hanc legem naturæ tam brutis, quam hominibus communem eſſe, tradit; bruta enim legem illam ſequi per inſtinctum, ſeu motum naturæ, homines per rationem, i. e. cognitionem, & judicium. e

n. 7. Videtur igitur hic Auctor nulla præcepta juris naturalis ſtatuere, niſi quæ ex nexu rerum, & motu materiæ a Creatore indito ſequuntur; atque hinc aſſerit f, juris civilis regulas, phyſicæ, moralis, politicæ, mechanicæ, artis cujuslibet præcepta, inniti lege naturali velut fundamento. Et ex ipſa inſpectione operis apparet, modos demonſtrandi leges naturæ, maximam partem ex phyſicis, & mechanicis regulis deſumtos eſſe.

n. 8. Ceterum, Deum auctorem hujus legis facit g, & regulam generalem omnibus communem conſtituit, *quod bonum ſit appetendum, & contra malum fugiendum &c.* h. Inter naturæ autem leges ponit, *quærere bonum ſibi conveniens, quo omnia poſſint conſervari* i; & *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* k

n. 9. Hoc Jus naturale duplici illa definitione contineri, ait, quæ a JCtis Romanis afferri ſolet, quarum altera *Jus naturæ* deſcribit, *quod natura omnia animalia docuit*; altera, *quod ratio naturalis inter omnes homines conſtituit.* Ubi de præceptis, quæ cuique definitioni junguntur, judicium fert; quædam nimis anguſta eſſe, quædam nimis univerſalia, quædam nimis ſingularia, exiſtimans l. Ipſe vero ſexaginta leges naturæ ſubſtituit, quæ, uti dictum eſt, pleræque ex phyſica, & mechanicæ artis regulis deſumtæ ſunt.

n. 10. Ceterum, adeo confuſum eſt opus, ut vix diſcerni poſſit, utrum phyſicam, an jura naturæ docere videatur.

CAPUT IV.

De Principiis Juris naturalis recentiorum, & celebriorum quorundam Doctorum.

§. XVII. EXAMINAVI principia Grotii, Coccei, Hobbesii, Hemmingii, Winckleri, Seldeni, & Yvonis Pariſienſis: ſupereſt ut recentiorum quorundam Doctorum principia lectori exhibeam. Equidem in animo fuit ſingulorum Scriptorum ſyſtemata examinare: at mutavi propoſitum, tum quia obſervavi, pleroſque cum aliquo expoſitorum principiorum conſpirare; tum quia nuperrime celeberrimus Glafpejus

(*d*) Yvo pag. 7. Conf. pag. 1. & 6. (*e*) p. 2. (*f*) pag. 6. (*g*) pag. 9. (*h*) pag. 12. pag. 13. (*i*) pag. 269. & 378. (*k*) p. 501. (*l*) pag. 5.

Digitized by Google

FEJUS in opere nunquam ſatis laudando univerſam juris naturalis hiſtoriam, ſimulque varias Doctorum opiniones, compendioſe, at more ſuo ſolide expoſuit. Hinc per indicem ſaltem principia hactenus edita recenſebimus.

§. XVIII. Illuſtris PUFENDORFIUS, ſyſtema Grotii ſecutus, CUSTODIAM SOCIETATIS HUMANÆ pro unico vero, & adæquato omnium jurium principio poſuit: atque hactenus nihil novi addidit, niſi quod ſocialitatem non ex principiis internis, ut Grotius ſtatuerat, ſed ex libera Dei voluntate ortum habere, docuerit.

B. PARENS *ſocialitatem* nullo ſenſu pro principio juris naturalis haberi poſſe, & contra Grotium, & contra Puſendorfium defendit, ac ſolam VOLUNTATEM DEI tum permittentem, tum præcipientem, verum eſſe principium juris naturalis, docuit. Quam ſententiam ipſe quoque peculiari tractatu olim defendi.

§. XIX. Denſenſores doctrinæ Puſendorfianæ concedunt quidem, VOLUNTATEM DEI eſſe principium verum, & unicum juris naturalis, ſed *eſſendi*: at id non ſufficere, putant, quia hoc principio poſito nondum cognoſci, ajunt, quidnam Deus voluerit; atque hinc aliud principium quærunt, unde pleniſſime de voluntate Dei conſtare poſſit: idque vocant principium *cognoſcendi.* [m]

Intelligunt autem per tale principium cognoſcendi propoſitionem aliquam generalem, ex qua reliquæ leges naturales tamquam concluſiones neceſſario ſequuntur; quæ omnes propoſitiones legum naturalium, quotquot dari poſſunt, continet: adeoque ſub qua præcepta juris naturalis omnia, tamquam ſub communi axiomate, comprehenduntur. [n]

Inter requiſita autem hujus principii ponunt, ut ſit unicum, manifeſtum, & adæquatum; adeo ut non ſit ullum præceptum juris naturalis, cujus ratio non neceſſario, & ultimo, inde deduci poſſit. [o]

§. XX. Inveſtigatio ejuſmodi *principii cognoſcendi* admodum ſolicitos reddit recentiores juris naturalis Scriptores; & tot fere exſtant cognoſcendi principia, ſeu regulæ, quot ſcribentium capita.

§. XXI. Illi, qui Grotii, & Puſendorfii caſtra ſequuntur, in SOCIALITATE tale principium cognoſcendi inveniſſe gloriantur. Ex hoc enim principio certo conſtare, ajunt, quid Deus ab hominibus fieri voluerit: nimirum, quod homines licite agere poſſint quæ ad cuſtodiam humanæ ſocietatis pertinent, & quod ea, quæ ſocietatem illam lædunt, omittere teneantur. Quam doctrinam expoſuimus, ſimulque refutavimus, in Diſſertatione proœmiali I. §. 63. ſeq.

Alii generale nimis hoc principium crediderunt; indeque alia quædam præcepta, aliaſque regulas ſubordinaverunt [p], quibus adhibitis omnia, & ſingula naturæ jura facile cognoſci poſſint.

Atque

(m) Thomas. fund. Jur. nat. L. 1. c 6. §. 1. ſeq. Glaffey *vernünfft. Völcker-Recht.* c. 3. §. 2. ſeq. Wernher element. jur. nat. c. 5. §. 1. & 2. Gribner Pr. jur. nat. proleg. c. 4. §. 8. Ludovici dubia circa jus nat. §. 6. ſeq. Vid. ſupr. Diſſert. proœm. I. §. 63. ſeq. & Diſſert. proœmiali X. §. 19. ſeq.

(n) Vid. ſupr. Diſſert 1. §. 63. ſeq. & § 67.

(o) Puſend. jur. nat. L 2. c. 3. §. 19. Glaffey d. l. Wernh. d. l.

(p) de quibus vide Dn. Gribnerum de princ. jur. nat. proleg. c. 4. §. 11. n. 5. & 6. Sibrand. de princ.

Atque ex hac *ſocialitate* non tantum jura hominum inter ſe, ſed & jura inter Deum, & homines, deduci poſſe, quidam aſſerunt. [q]

Ceterum, cum hoc principio *ſocialitatis* conveniunt illi, qui *mutuam benevolentiam* [r], vel *amorem proximi* [s], pro principiis cognoſcendi venditant: ſocialitas enim amorem mutuum, & benevolentiam mutuam ſupponit.

§. XXII. BODINUS Profeſſor quondam juris in univerſitate Hallenſi, novum conſtituit juris naturalis principium [t], nimirum, ORDINEM. Totam enim a ſummo Creatore conditam naturam, formaliter nil niſi ordinem partium inter ſe, & reſpectu totius, & creatoris ſpirare, ait: hinc *ordine* naturæ ſervari omnia, eoque turbato omnia corruere, immo nec hominum ſocietatem ſine *ordine* aliquo concipi, nedum conſervari poſſe. Unde *ordinem* animam rerum eſſe, docet, eumque baſin, ac fundamentum omnis naturæ, ac moralitatis, conſtituit.

n. 1. Atque hunc ordinem rerum creatarum vel ab ipſo creatore, vel ab intelligentibus creaturis introductum, omnes, qui eundem cognoſcunt, aut cognoſcere poſſunt, eique ſubſunt, ad ejus obſervationem obſtringere, eamque obligationem in ſenſu morali JUS vocari, ait. Ordinem vero vel ex creatoris voluntate, vel ab hominibus inventum eſſe; indeque duplex jus oriri, *divinum*, quod ad ordinem a Deo præſcriptum nos obliget, & *humanum*.

n. 2. Voluntatem Dei innoteſcere, ait, vel ex *verbis*, vel ex *factis* Creatoris; indeque duplex jus divinum oriri, expreſſum, & tacitum: *prius* ex ſacra ſcriptura hauriendum, *poſterius* ex ordine; idque in ſpecie dici *Jus naturæ*.

n. 3. Definit ergo JUS NATURÆ, *voluntatem Dei ſeſe exerentis in ordine creaturarum, omnes creaturas ad ſervandum ſuum ordinem, & non perturbandum, dirigentem, & obligantem* [u]. Eamque definitionem ex Auguſtino deſumſit. [v]

n. 4. Rationem (utpote cujus uſum incertum, & inconſtantem fingit) non eſſe medium cognoſcendi, exiſtimat; ſed cognoſci demum jus naturæ, ait, ex ipſius naturæ ordinis inſtitutione: dum enim Deus res in tali ordine ad hunc, vel illum uſum creavit, inde concludit, hoc ipſo nos obligari, ut illas res ex illo ſtatu contra ejus voluntatem non turbemus, ſed ad eum uſum, ad quem creatæ ſunt, adhibeamus. [x]

n. 5. Materiam igitur *Juris naturæ* conſiſtere, ait, in cognitione creationis, & inde fluentis *ordinis*, & uſu crea-

jur. nat. cap. 2. Wernheri elem. jur nat. c. 5. §. 17. Proelei *Grund-Sätze des naturlichen Rechts* pag. 145. § 9. Titii *Einleitung zum* jure naturæ & gent. cap. 1. §. 11. Thomaſii fundam. jur. nat. Lib. 1. cap. 6. §. 41. & 42. (*q*) Daniel Ringmacher in Diſſert. de offic. hom. erga Deum, ſeu de relig. nat. §. 18. ſeq. (*r*) Cumberland Diſquiſ. phil. de legibus naturæ. Rachelius in Diſput. jur. nat. 1. §. 104. (*s*) Weſtphal. in diſſert. de argum. & cauſa juriſpr. natur. rite excolendæ. Vogtheri *Schrifft und Vernunfftmäsiger Bericht eines neuen* principii moralitatis. Hedingeri conſp. jur. nat. quæſt. 2. §. 13. vid. Dn. Gribner d. proleg. cap. 4. §. 9. Atque eodem redeunt principia Hemmingii, & Bodini. (*t*) in diſputat. de jure mundi. (*u*) d. diſp. §. 2. (*v*) Lib. 22. contra Fauſt. c. 27. (*x*) d. diſp. §. 6.

Digitized by Google

creaturarum; quo ſciamus, in quo ordine quæque res ſit creata, & ut in illo ordine ad eum finem, ad quem creata eſt, utamur. [y]

n. 6. Difficillimum vero eſſe, ait, exprimere, qua ratione circa actiones iſtas naturales recte ſe gerere debeat homo, quia lapſu primorum parentum natura humana ita depravata ſit, ut uſum, ac ordinem omnium creaturarum non niſi per umbram aliquatenus cognoſcere, nedum obſervare poſſit. [z]

n. 7. Ad inveſtigandum igitur illum ordinem actiones humanas juxta octo gradus AMORIS, quem unicum naturæ vinculum eſſe, ait, examinat, indeque omnia præcepta naturæ deducit. [a]

n. 8. Apparet ergo, BODINUM amorem ſubordinaſſe ordini, vel potius amorem ordini junxiſſe: adeoque eum revera ratione principii convenire cum iis, qui amorem principium cognoſcendi conſtituunt, quod principium præter WINCKLERUM adoptarunt multi. (*vid.* §. 21.)

§. XXIII. Nova principia jactavit doctiſſimus WACHTERUS *in originibus Juris naturalis*, quæ hoc ordine proponit.

Primo, res exiſtere neceſſario cum ſua natura: poſita autem natura neceſſe eſſe aliquid juris eſſe ſecundum illam naturam [b]. Unde concludit, humano generi quoque vi exiſtentiæ ſuæ proprium eſſe jus naturæ. [c]

Secundo, fundamentum, ſeu principium eſſendi hujus juris naturæ humanæ ponit in poteſtate Dei illimitata. [d]

Tertio, jus naturæ definit, *id, quod hominem decet, quatenus homo eſt*; ſive, quod conforme eſt inter homines ea ſola de cauſa, quod in natura humana per potentiam Dei exiſtunt, & ex ea ſola operantur [e]. Atque hinc librum ſuum inſcribit *de Jure naturæ humanæ*.

Quarto, principium cognoſcendi in hac regula conſtituit, *naturæ humanæ convenienter vivere* [f]. Unumquemque enim, ait, ſummo naturæ ſuæ jure ea agere, quæ ex naturæ ſuæ neceſſitate ſequuntur; e contrario nullo naturæ ſuæ jure ea agi, quæ non ex naturæ ſuæ neceſſitate, ſed aliunde a cauſarum externarum fortuitis impulſibus ſequuntur. [g]

Hominem autem ſummo naturæ ſuæ jure agere Deum colendo [h], conſervando ſe ipſum [i], & conſervando proximum [k], &c.

§. XXIV. B. THOMASIUS rejecta ſocialitate, quam acriter in tractatu de jure divino voluntario antea defendit, novum principium cognoſcendi jura naturæ conſtituit, ac Deum voluiſſe, ait, *ut homines faciant ea, quæ vitam hominum reddunt maxime diuturnam, & evitent ea, quæ vitam reddunt infelicem, mortemque accelerant*. Idque per ſequentes regulas fieri exiſtimat: *Fac tibi quod vis ut alii ſibi faciant*; & *ne facias alteri, quod tibi non vis fieri.* Vide THOMASII fundamenta juris nat.

n. 1.

(y) ibid. §. 7. (z) §. 8. (a) §. 8. ſeq. (b) Propoſ. 1. & 2. (c) Propoſ. 2. Corol. 3. (d) Propoſ. 2. Corol. 4. (e) Propoſ. 2. ſchol. 1. (f) Propoſ. 2. Corol. 6. (g) Propoſ. 3. 4. 5. (h) prop. 4. Schol. 1. (i) Propoſ. 6. (k) Propoſ. 7. 8. & 9.

n. 1. Joh. Wilhelm a Lith idem principium cognoſcendi in Diſſ. de Principio primo legis naturæ defendit; atque *id, quod felicitas humani generis neceſſario exigit, faciendum, quicquid vero ei repugnat, omittendum eſſe*, ſtatuit. *l*

Ex hoc principio omnia officia, lege naturali præſcripta, clare demonſtrari poſſe, ait. Uti 1. officia erga Deum; quia ſi homines Deum colerent, præcepta ejus probe obſervando, atque ſe inter ſe ad gratam beneficiorum ipſius memoriam, & vitæ ſanctitatem, fideliter exhortando, tunc demum quiſque & ſuam, & aliorum hominum felicitatem rite promoveret *m*. 2. Officia, quæ quis ipſe ſibi debet; unde infert, unumquemque veræ felicitatis ſapienter rationem habere, & quicquid eam impedit, ſolicite declinare debere: veram autem felicitatem conſiſtere, ait, in ſolida tranquillitate animi, omni angore, omni metu, omnique cupiditate vacui, & in ſolo Dei amore pure, ac ſecure acquieſcentis *n*. 3. Officia, quæ homo homini præſtare debet, & quæ maxima parte in cuſtodia ſocialitatis conſiſtere *o*, atque in genere hoc præcepto comprehendi, ait, ut unuſquiſque aliorum hominum felicitatem, æque, ac ſuam conſervare, & promovere ſtudeat, ſuo quoque incommodo; unde conſilia Evangelica, & virtutes, pro totidem legibus naturæ venditat. *p*

n. 2. Atque hoc Syſtema Thomasii plures habuit ſectatores, & communiter illud receptum eſſe, experientia docet. *q*

§. XXV. Præterea *alii* principium cognoſcendi ponunt in conformatione hominis cum Creatore *r*; *alii* in conformitate cum ſtatu integro, ſeu reliquiis imaginis divinæ *s*: *alii* cognoſci voluntatem Dei, ajunt, ex fine mundi conditi *u*; *alii* ex fine hominis conditi *t*: *alii* cultum divinum regulam cognoſcendi eſſe, ajunt *u*: *alii* moratiorum gentium conſenſum *v*, &c. Quas opiniones collegerunt viri celeberrimi a *Rheden* *x*, *Wernherus* *y*, *Gribnerus* *z*, *Glaſſey* *a*, & alii. *b*

§. XXVI. Plurimi autem non opus eſſe ejuſmodi principiis cognoſcendi generalibus, ſtatuerunt *c*: immo tale principium generale, ſub quo omnia, & ſingula principia juris naturæ continentur, dari, negant. Neque enim poſſe talem excogitari propoſitionem, ajunt,

(*l*) de princ. L. N. §. 13. (*m*) ib. §. 16. ſeq. (*n*) ib. §. 30. ſeq. (*o*) ib. §. 94. ſeq. (*p*) ib. §. 52. & ſeq. (*q*) Vid. Köderitz *gründliche Einleitungen zum natürlichen Recht*. pag. 2. Hoheiſel diſſert. de principio jur. nat. §. 10. & ſeq. Schuſteri Diſſert de off. hom. erga ſe ipſum. Schwartz Diſſ. de problem. jur. nat. & gent. Diſq. 1. probl. 2. & 3. Dn. Böhmer de jur. Publ. univ. Part. gen. C. 1. §. 21, & 29. Gundeling de jur. nat. & gent. C 2. §. 18. (*r*) Zentgravius de orig. jur. nat. art. 9. apud Gribn. d. proleg. C. 4. §. 9. part. 1. C. 1. & 2. (*s*) Albert. Comp. jur. part. 1. C. 1. & 2. & in ſpecim. vind. contra Puſend. C. 2. §. 2. (*u*) Kulpis. exerc. 1. ad Grot. th. 6. (*t*) Scharrock de offic. ſecund. jur nat. Rachelius in diſput juris nat. 1. §. 102. Muldener in Diſſert. de juris naturalis defin. & fundam. Hemmingius Cap. 2. §. 2. (*u*) Kulpis. exerc. ad Grot. 1. th. 6. (*v*) Doctores apud Gribner de princ. J. N. proleg. C. 4. §. 10. (*x*) in diſp. de cauſ. oblig. & mod. cogn. jur. nat. (*y*) in Element. jur. nat. (*z*) De principiis juris naturæ. (*a*) *Vom vernunftigen Völker-Recht*. (*b*) Proeleus in diſſert. de origine diverſ. jur. nat. princ. Anno 1703. Lipſiæ habita. Conf. Ludovici delineatio jur. div. & naturalis. & Ejuſdem dubia circa hypotheſin jur. nat. (*c*) Glaſſey d. C. 3. §. 11. p. 237.

Digitized by Google

ajunt, quæ genuini principii locum tueatur; neque diverſa objecta unum principium admittere; diverſum ſtatum diverſas regulas poſtulare, nec ullam diſciplinam eſſe, quæ una ſola propoſitione abſolvatur: ceterum, in ſingulis juris prudentiæ partibus particularia, genuina tamen, evidentia, domeſtica, & adæquata principia haud deficere [d]. Idque ſpeciali Diſſertatione probavit *Philippi.* [e]

n. 1. Alibi [ee] diximus, B. PARENTEM in eadem fuiſſe ſententia, regulam generalem, ſeu præceptum univerſale, unde totum jus naturæ, ac ſingulæ naturæ leges neceſſario ſequantur, non dari; ſed eum ex modis demonſtrandi, quos Logica naturalis ſuppeditat, ſingula præcepta naturæ demonſtrare. Ut exemplo mentem B. PARENTIS illuſtrem, *autocheiriam* prohibitam eſſe, probat 1. ex *facto creationis*; quia Deus vitam hominibus conceſſit, eisque neceſſaria ad vivendum ſubminiſtravit: voluit ergo eos vivere. Immo 2. *motum* generi indidit, quo ſinguli feruntur ad ſui conſervationem, & averſantur deſtructionem ſui. 3. *Finis* creationis hic eſt, ut creatura gloriam Creatoris exaltet: ideo Deus rationem dedit homini, i. e. animam corpori junxit; in quam proinde homini nullum jus competit. 4. Pugnaret cum *perfectione divina*, ſi Creator creaturæ facultatem ſemet deſtruendi dediſſet, & animam a corpore ſeparandi; omnia hæc Deus fruſtra egiſſet. 5. Conſenſu *omnium gentium* conſtare, autocheiriam, & homicidia improbari.

n. 2. Hinc alii quoque juris naturalis Doctores plures tales regulas, ſeu propoſitiones generales ſtatuerunt, ſub quibus omnes reliquæ naturæ leges comprehendantur.

TRIBONIANUS tria generaliſſima præcepta juris poſuit, honeſte vivere, neminem lædere, & ſuum cuique tribuere. MELANCHTON ex decalogo cognoſci voluntatem Dei, ſtatuit [h]. SELDENUS ex ſeptem præceptis Noachi jura naturæ demonſtrat [i]. EISENHARDT undecim virtutum Ariſtotelicarum ordinem in demonſtrando jure naturæ ſervavit [k]. BUDDEUS tria principia generalia cognoſcendi ſtatuit: Deum cole; temperanter vive; & ſocialiter vive [l]. Immo & eorum quidam, qui ſocialitatem primum, & unicum principium ponunt, alias regulas generales ei ſubordinare, vidimus ſupra §. 21.

§. XXVII. Si dicendum quod res eſt, nec ego talem regulam, ſeu propoſitionem cognoſcendi voluntatem divinam præciſe neceſſariam eſſe, exiſtimo; quia ea ipſa regula probari, & ex naturæ rationibus demonſtrari neceſſario debet. Sane, illa ipſa *neceſſitas cuſtodiendi humanam ſocietatem* indiget probatione, nimirum, dari talem ſocietatem, eaque data, omnia

(*d*) Gribn.d. C. 4. §. 12. (*e*) In Diſſ. cui titulus πρῶτον ψεῦδος, ſeu primum falſum circa principium juris naturæ, quaſi totum jus naturæ ex unica quadam propoſitione generali, omnes reliquas leges naturæ ſub ſe comprehendente, ſit deducendum. (*ee*) Diſſ. procem. X. §. 19. & 20. (*f*) Diſſ. procem. X. §. 19. (*g*) L. 8. ff. de juſt. & jur. van der Meulen in comment. ad Grot. apud Dn Gribner d. proleg. C. 4. §. 7. (*h*) de philoſ. moral. p. m. 125. vid. Dn. Gribn. d. C. 4. §. 10. Wernh. d. l. c. 5. §. 9. (*i*) de jur. nat. & gent. l. 1. C. 10. (*k*) apud Dn. Gribner d. proleg. C. 5. §. 1. (*l*) in Diſſert de rationali amore ſui ipſius, juris nat. principio.

Digitized by Google

omnia, & ſingula naturæ jura inde ſequi. *Vid. Diſſert. proœm. I. per tot.*

Cæterum, exiſtere talem propoſitionem generalem, ſub qua omnia, & ſingula naturæ præcepta comprehendantur, extra omne dubium poſitum eſt; eaque in ipſa definitione juſtitiæ continetur, quæ in *jure ſuo cuique tribuendo* conſiſtit: Deus ergo voluit, ut *jus ſuum cuique tribuatur.*

Principium igitur juris naturalis (quod *eſſendi* vocant) eſt VOLUNTAS CREATORIS, Auctoris naturæ, qui ſolus ſuperior eſt humano genere, eique ſolus legem dare poteſt.

Omnis autem illa voluntas una hac generali propoſitione continetur, ut creaturæ ratione præditæ JUS SUUM CUIQUE TRIBUANT; hoc enim jus a Creatore cuique conceſſum, alii nec impedire, nec turbare poſſunt, ſed jus ſuum cuique tribuere tenentur. Quod ſyſtema latius proſequemur in Diſſertatione ſequenti.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
PROOEMIALIS XII.
EXHIBENS
NOVUM SYSTEMA
JUSTITIÆ NATURALIS
ET ROMANÆ.

Ubi non ſolum verum Principium Juſtitiæ naturalis, & præterea regula quædam generalis proponitur, quæ omnia, & ſingula Juſtitiæ naturalis præcepta complectitur; ſed & ſpeciatim 1. *Jura Dei in homines* demonſtrantur: 2. *Jura hominum inter ſe juxta tria objecta Juris Romani* exponuntur; ſimulque *univerſum Jus Romanum in artem redigitur.*

Digitized by Google

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

§. I. GROTIUS dum incomparabile illud *de Jure Belli, ac Pacis* opus publici juris fecit, declaravit in ipſis Prolegomenis, ſe juris prudentiam privatæ diligentiæ ſtudio adjuvare voluiſſe, quia artis formam ei imponere multi antehac deſtinaſſent, perfeciſſet nemo. [a]

§. II. Quam infeliciter id ſummus Vir peregerit, ex ipſo tractatu apparet. Præcipuam enim juris Romani partem non ex jure naturæ, ſed *vel* ex jure naturæ pro certo rerum ſtatu, uti dominium, & judicia [b]; *vel* ex jure gentium voluntario, præcipuos nimirum acquirendi modos a JCtis Romanis prolatos [c]; *vel* ex legibus civilibus, ut reliquos acquirendi modos [d], quaſi contractus, & quaſi delicta [e] deducit.

§. III. Primus B. PARENS ſpeciales juris Romani partes ex juris naturæ principiis feliciſſimo auſu illuſtravit, & fundamenta obligationis, conditionum, probationum, tutelæ, patriæ poteſtatis, &c. in diſſertationibus academicis expoſuit, *quarum duo volumina typis expreſſa extant:* At Syſtema *de Juſtitia Gentium*, quod jam ab Anno 1672. meditatus eſt [ee], nunquam perfecit.

§. IV.

(*a*) Proleg. §. 30. (*b*) Vid. Diſſert. procem. I. §. 77. (*c*) Vid. Diſſert. procem. IV. § 27. (*d*) Grot. L. 2. C. 8. §. 1. n. 1. §. 8. ſeq. (*e*) Grot. L. 2. C. 1. §. 2. n. 1. (*ee*) Vid. Coccei de culpis in dedicat.

§. IV. Cum vero ſemper perſuaſum mihi fuerit, JCtos non ſine ratione docuiſſe, jus Romanum collectum eſſe *ex præceptis Juris Gentium f* a prima juventute in id animum intendi, ut confuſam juris Romani diſciplinam in artem redigerem, adeoque leges Romanas ex ipſis ſuis fontibus explicarem.

§. V. Ad finem hunc obtinendum alia demonſtrandi via uſus ſum, ac illa, quam B. PARENS in poſitionibus pro explicando jure gentium editis elegit g. Secutus potius ſum, in demonſtrandis juribus hominum inter ſe, veteres JCtos, conditores illos juris Romani, qui omne jus verſari, dixere, vel circa *perſonas*, *earumque ſtatum*, vel circa *res*, vel circa *actiones*, quæ ſcilicet ex *obligatione perſonæ* oriuntur. h

§. VI. Juxta hanc methodum Syſtema DE JUSTITIA NATURALI ET ROMANA compoſui, & Libro PRIMO in genere de *Juſtitia, & Jure naturali* egi: ubi non tantum utilitatem, & neceſſitatem hujus juris, ejus exiſtentiam, modoſque probandi naturales, cauſam, ſubjectum, objectum, & effectus, clare, & diſtincte demonſtravi; ſed & præceptum univerſale, ſeu regulam generalem cognoſcendi, ex ipſa juſtitiæ naturalis definitione, ſuppeditavi: indeque DEI VOLUNTATEM pro principio unico, vero, & adæquato poſui, quatenus, nimirum, vult JUS SUUM CUIQUE TRIBUI.

§. VII. Cum autem jus cuique ſuum ſit vel intuitu DEI, vel intuitu HOMINUM, Libro SECUNDO expoſui ea jura, *quæ Deo in homines competunt*, & quæ proinde homines juxta voluntatem Creatoris huic tribuere tenentur.

Porro intuitu *hominum* jus cuique ſuum eſſe, probavi 1. ex *ſtatu hominum* naturali; 2. ex jure *in res ipſas* (nimirum ex jure *imperii*, & *dominii*); 3. ex *obligatione perſonæ*, quæ deſcendit tum *ex contractu*, tum *ex delicto*, tum ex *variis cauſarum figuris*, &c. Atque de his tribus objectis juris egi in Libro TERTIO QUARTO & QUINTO.

Ex ipſo tractatu apparebit, nullum ſpeciale juris naturalis præceptum ſupereſſe, quod ex prædicto ſimpliciſſimo principio deduci non poſſit, & quod non neceſſario inde inferatur.

§. VIII. Quia vero fruſtra hæc jura hominibus conceſſa eſſent, niſi facultas quoque defendendi illa jura eis competeret, modos defenſionis naturales expoſui Libro SEXTO, & SEPTIMO. Nimirum, demonſtravi, cuique facultatem jus ſuum defendendi natura competere 1. in

(f) L. 1. §. 2. ff. de juſt. & jur.
(g) De qua vide Diſſert. procem. X.
(h) L. 1. ff. de ſtat. hom.

1. in civitate per *judicia*, (ubi originem ſummæ poteſtatis, ac judiciorum explicavi: 2. contra extraneos, per *repreſſalias*, & per *bella*.

§. IX. Facillima hæc eſt methodus addiſcendi ſimul & juris naturalis, & juris Romani principia; dum enim fontes juris naturalis explicamus, principia ſimul juris Romani proponimus. Neque novis terminis utimur, nec aliena adoptamus nomina, aliaſque fingimus rerum definitiones; ſed verba, & methodum ſervamus tritam, uſitatam, & tyronibus juris cognitam: non doctorum, & interpretum auctoritates allegamus, ſed rationes naturæ, quas plerumque ipſum jus Romanum ſuppeditat.

§. X. Ex proceſſu hujus operis conſtabit, quam ſuaviter concluſiones juris Romani cum ratione naturali conveniant. Apparebit, inquam, nullam in legibus Romanis, quatenus in Pandectarum libris continentur, ſupereſſe iniquitatem; & ea, quæ mera arbitria populi Romani, vel Prætoris, vel Senatus hactenus viſa ſunt, lucem ex æquitate naturali accipere: ac difficillimas juris controverſias circa jus perſonarum, & rerum, item circa contractus, conditiones, quaſi contractus, & quaſi delicta, nec non principia de præſtatione culpæ, doli, caſus, & infinita alia, extra omne dubium poni.

§. XI. Equidem principia ſaltem generalia expoſui, eaque rationibus naturæ firmavi; atque in his principiis conſtituendis prolixior fui; Concluſiones vero, quæ inde ſequuntur, i. e. jura ſpecialia, vix tetigi, niſi quatenus ad illuſtrationem principiorum pertinent; quia facile ex Pandectarum libris ſuppleri poſſunt. Sed & jura bellorum per indicem ſaltem propoſui, quia rationes eorum in commentario ad libros GROTII de Jure Belli, & Pacis explicavi, quo lectorem, ne actum agam, perpetuo, & allegato ubique loco remiſi.

§. XII. Præterea nullum in Pandectis juris Romani titulum, qui fundamentum in jure naturali habet, invenies, qui non ex opere noſtro lucem accipiat; quod ex indice titulorum, qui in Pandectis continentur, & quem in fine hujus Diſſertationis ſubjiciemus, apparet. Ceterum, illos titulos, qui ex mero arbitrio imperantium ortum habent, ut Magiſtratuum nomina, & officia, jura ultimarum voluntatum, cautiones, eaque, quæ ad proceſſum pertinent, &c. in hoc ſyſtemate omiſimus, & in prædicto indice aſteriſco hoc * notavimus.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

DE JUSTITIA NATURALI IN GENERE.

PROOEMIUM.

§. I. Novum in ſcenam produco ſyſtema juris naturalis, quod præcipue ad illuſtrationem juris Romani ex ipſo jure Romano compoſui.

Juriſprudentia Romana ideo ſaltem obſcura, & rationi ſæpius minus conveniens videtur, quia Corpus illud, juris quod vocant, abſque omni ordine, tum titulorum, tum legum, compilatum, principia autem generalia, ex quibus ſingulæ leges, tanquam totidem concluſiones ſequuntur, nullibi expoſita ſunt, etſi leges illæ plerumque rationibus naturæ adſtruantur.

§. II. Hæc principia generalia, hos fontes legum Romanarum, i. e. rationes naturæ, quæ in corpore illo diſperſæ ſunt, præſenti opere propoſuimus: adeoque jura Romana ex ſuis principiis, i. e. ex ratione naturali deduximus; eoque probavimus, *Jus Romanum vere ex principiis Juris naturalis, & gentium collectum eſſe.*

§. III. Novum autem id Syſtema vocamus, quia univerſum jus, quatenus in Pandectis juris Romani continetur, novo, & juſto ordine ad prima ſua principia revocamus, ejuſque æquitatem rationibus naturæ, ex ipſis legibus plerumque deſumtis, demonſtramus, ita ut nulla ſuperſit juris ſpecies, quæ non ex hoc opere lucem accipiat. *Præf.* §. 12.

§. IV. *Primo* autem neceſſitatem, utilitatem, & præſtantiam juris naturalis demonſtrabimus. *Vid. Cap.* 1.

§. V. *Secundo* præcognita juris naturalis ex philoſophia rationali per indicem ſaltem indagabimus. *Vid. Cap.* 2.

§. VI. *Tertio* examinabimus varias juris naturæ ſignificationes, & quo ſenſu illud a nobis accipiatur, explicabimus. *Vid. Cap.* 3.

§. VII. *Quarto* varias de exiſtentia juris naturalis opiniones recenſebimus, & modos probandi naturales, ex quibus exiſtentia juris naturalis; ſingulaque juris naturalis præcepta demonſtrari debent, ſuppeditabimus. *Vid.Cap.*4.

§. VIII. *Quinto* probabimus, exiſtere aliquod jus naturæ, quod omnes homines obliget; adeoque dari aliquid natura juſtum, vel injuſtum: ubi ſimul regulam generalem, & præceptum juris univerſale proponemus. *Vid. Cap.* 5.

§. IX. *Sexto* exponemus definitionem, cauſam, ſubjectum, objectum, & effectum juris naturalis. *Vid. Cap.* 6.

CAPUT I.

De neceſſitate, utilitate, & præſtantia Juris naturalis.

§. X. NON immerito juris naturalis doctores [i] deſudant in inveſtigando actionum moralium principio, quia humani generis, reipublicæ, & ſingulorum intereſt noſſe, quid homines naturali ratione facere, quid non facere poſſint, & debeant.

§. XI. Alibi [k] demonſtrabimus, quædam jura tum *Deo*, tum cuique *hominum* propria, ac quæſita eſſe ex voluntate Creatoris; atque Creatorem hanc voluntatem hominibus per rationem ſatis declaraſſe, ſimulque legem dediſſe, ne jus hoc naturali ratione aliis quæſitum turbent, vel auferant. Cum hac lege ergo nati ſumus, & ad hunc finem Creator nos exiſtere voluit: turpe proinde eſſet ignorare conditionem, cum qua nati ſumus, & ignorare jus, cujus cauſa nati ſumus. [l]

§. XII. Sane, negligi abſque impietate hæc diſciplina nequit, quia negato jure naturæ omnis religio, adeoque omne reipublicæ fundamentum, everteretur. Si enim Deus nihil ab hominibus exegit, i. e. ſi jus humano generi non conſtituit, nihil natura erit prohibitum; adeoque omnis mali, & boni ratio ceſſabit, nulla foret tranſgreſſio legis, utpote quæ non exiſteret, adeoque nulla agendi, vel omittendi neceſſitas, nulla præmiorum ſpes, nulluſque pœnarum metus. Unde cultus Dei, ſacrificia, preces, eoque omnis religio, merum erit inventum hominum, vulgi continendi cauſa effictum: fruſtra quippe expiarent homines crimina, quæ naturali ratione non dantur.

§. XIII. Sed & porro hoc ſolo jure tuti ſunt homines inter ſe; negato enim jure naturæ nulla ſuperior poteſtas a ſubditis, nullus civis a cive, nullus homo ab homine tutus eſſet, quia ſublata hac diſciplina homo hominem abſque injuria e medio tollere poſſet, idque abſque ullo vindictæ metu, ſi alter alterum clandeſtino modo tollit. Non enim metuenda eſt vindicta judicis, qui auctorem ſceleris ignorat; neque vindicta divina, quia perpetrantes ea crimina jus Dei, ſeu naturæ, nullum agnoſcunt: adeoque ſublato jure naturæ, nulla eſt injuria, nulla reparandi neceſſitas, nulla fides inter homines; &c. qua ſententia poſita homo propriæ ſecuritatis munimenta reſcinderet. [m]

Qq 2 §. XIV.

(*i*) Vid. Diſſert. procem. X. & XI.
(*k*) Vid. infr. Cap. VI. §. 50.
(*l*) Grot. Proleg. §. 2.
(*m*) Grot. Proleg. §. 18.

Digitized by Google

§. XIV. Eo magis autem intereſt generis humani, jura naturæ cognita habere, quia omnis felicitatis, tum præſentis, tum futuræ, ratio ab obſervantia hujus legis dependet. Præterea enim quod conſenſu omnium, etiam barbararum gentium, tranſgreſſores hujus legis cruciatibus conſcientiæ perpetuis ſint expoſiti (n), ratio nos docet, Deum ens perfectiſſimum illis, qui legem naturæ tranſgrediuntur, duriſſimas minari pœnas, tum æternas, tum temporarias; cum e contrario ampliſſima præmia ratio promittat illis, qui legem naturæ implent. (o)

§. XV. Scientia autem hujus juris in omni vitæ genere neceſſaria eſt, & ſummæ poteſtati æque, ac ſubdito, fœminis æque, ac viris (p), ſago æque, ac togæ, clericis æque, ac laicis, commendanda. Omnes enim ejuſdem Dei ſubſunt imperio, cujus legibus omnes ſine exceptione parere tenentur. (q)

§. XVI. Maxime autem eorum, qui nullo juris civilis vinculo tenentur, adeoque qui vindicem temporarium non metuunt, & ſummæ in terris poteſtates vocantur, intereſt, cognitam habere Creatoris ſui voluntatem, ut illis conſtet, 1. quid Deo domino ſuo, & Creatori debeant; 2. omnem poteſtatem, quam habent, a Deo eſſe; adeoque 3. graviter eos peccare poteſtate illa vicaria abutendo. 4. Apparet ex hac diſciplina, quid in ſubditos iis liceat, & quid in extraneos, inprimis tempore belli, ſtatuere poſſint; 5. qua ratione ex promiſſis ſuis obligentur, & ex ſuis delictis; 6. an, & quatenus de adulterio, homicidio, aliiſque criminibus diſpenſare poſſint; 7. quod jus ipſis non ſit leges civiles præceptis naturæ contrarias ſtatuere; 8. ex quibus cauſis bellum gerere contra extraneos liceat. Denique & 9. id inprimis ex hac diſciplina diſcunt ſummæ poteſtates, vindicem hujus juris eſſe Deum, cujus pœnas ſive temporarias, ſive æternas evaſuræ non ſunt, licet a pœnis civilibus ſint immunes.

§. XVII. Singulorum civium quoque intereſt, cognita hæc jura habere, ut ipſis innoteſcat, 1. Principibus parendum eſſe ut vicariis Dei; 2. parendum autem non eſſe in his, quæ præceptis naturæ, i. e. voluntati divinæ, repugnant; 3. quid liceat ſubditis, ubi judicia civilia ceſſant; 4. quid ipſis in extraneos liceat, ſpeciatim belli tempore. Præcipuum autem 5. in eo conſiſtit, ut ſciant, crimina clandeſtina etſi vindicem temporarium non habeant, non tamen impunita manſura, ſed Deum pœnas ſive præſentes, ſive æternas ab iis ſumturum.

§. XVIII. His, qui militiam ſequuntur, & quibus cum hoſtibus negotium eſt, maxime hæc diſciplina cognita eſſe debet, ne quid iniqui vel in hoſtes ſtatuant, vel ab hoſtibus patiantur. Belli, & Pacis jura ex hac diſciplina addiſcuntur; & ex hoc jure in genere eis conſtare debet, quid in hoſtes, quid in ſubditos hoſtium, quid in ſocios eorum, & quid in medios liceat.

§. XIX. Theologis inprimis utilis, immo neceſſaria eſt cognitio hujus juris. Qua enim ratione inculcare populo poſſunt officia hominum erga Creatorem ens illud perfectiſſimum, ſi jura, quæ ex perfectione divina ſequuntur, ignorant? Quomodo exponere hominibus poſſunt, quid ſibi invicem debeant, niſi ipſis innoteſcat voluntas creatoris, quid inter homines præciſe fieri voluit?

§. XX.

(n) Grot. Proleg. §. 20.
(o) Vid. infr. Cap. II. §. 30. & Cap. V.
(p) Grot. Prolegom. §. 39.
(q) Grot. Prolegom. §. 12.

Digitized by Google

§. XX. Omnium maxime autem eorum jura hæc noſſe intereſt qui juriſprudentiæ operam dant, & cauſarum deciſionibus, vel legibus explicandis, aut interpretandis, adhibentur. Nam cum jus Romanum collectum ſit ex principiis juris naturalis, & gentium, Sacerdotes illi juſtitiæ rationes legum, & jurium nonniſi ex jure naturæ, tanquam ex ſuo fonte, deſumere poſſunt. Atque hinc B. PARENS feliciſſimo auſu pleraſque, & difficillimas juris civilis materias ex jure naturali illuſtravit, atque leges Romanas ſæpiſſime ab iniquitatis labe, quam adſpergere eis nonnulli voluere, purgavit. Vid. ſupr. §. 3.

§. XXI. Denique grata admodum eſt hæc diſciplina, quia ejus concluſiones ex ſola ratione demonſtrantur, non ex ſtatutis, non ex doctorum opinionibus, nec ex arbitrio humano. Etiam de cauſis gentium, rerumpublicarum, regum, ac principum hic agitur, quas examinare, defendere, oppugnare, & de iis arbitrari, res jucundiſſima eſt; iis autem, qui ad latus principum ſunt, vel legatorum munus obtinent, maxime neceſſaria.

CAPUT II.

De Præcognitis Juris naturæ.

§. XXII. PERFECTA juſtitiæ naturalis ſcientia ſupponit cognitionem Philoſophiæ rationalis, utpote ſine qua concipi jus naturæ nulla ratione poteſt.

§. XXIII. Jus naturæ enim nihil aliud eſt, quam lex Dei entis perfectiſſimi, & Creatoris univerſi, hominibus *per rationem* declarata, quæ minatur pœnas, tum temporarias, tum æternas, refragantibus, præmia autem promittit obſequentibus.

§. XXIV. In hac ergo juſtitiæ naturalis diſciplina ſupponitur 1. *Deum exiſtere* a ſe, i. e. neceſſario [r]; quia fruſtra de ejus lege quæreretur, ſi ipſe non exiſteret.

Eo ipſo autem ſupponitur, Deum eſſe *unum*, & ab omni *materia ſeparatum*: utrumque enim ad neceſſitatem exiſtentiæ a ſe requiritur. [s]

§. XXV. Supponitur 2. *Deum eſſe ens perfectiſſimum*, vel potius ipſam perfectionum regulam; cum enim omnia jura naturæ, præcipue autem ea, quæ inter homines, & Deum intercedunt, ex cultus neceſſitate, adeoque ex perfectione divina ſequantur, hoc attributum divinum primario ſupponi debet. [t]

§. XXVI. Supponitur 3. *Deum eſſe Creatorem univerſi*, & ſpeciatim *hominum* [u]; quia hoc negato omne jus, & imperium Dei in homines, eorumque vitam, & bona, deficeret: neque enim jus præſcribendi leges creaturæ alienæ ei competere poſſet.

§. XXVII. Supponitur 4. *Deum curare non tantum univerſa*, ſed & ſpeciatim *actiones hominum*, ſimulque eſſe *omniſcientem* [x]; quia ſi non curaret actiones hominum, adeoque eas ignoraret, homo pro lubitu agere poſſet quidquid libet.

(r) Vid. infr. l. 2, c. 2, §. 62, & Grot. Proll. §. 11, ibique notata. (s) d. c. 2, §. 63, ſeq. & Grot. l. 2, c. 20, §. 45. (t) Vid. infr. c. 4. (u) Vid. infr. §. 66. (x) Vid. infr. l. 2, c. 2, §. 65., ſeq.

libet. Curare enim eſt obſervare actiones humanas; examinare, utrum bonæ ſint, an malæ: ceſſante hoc examine, adeoque cura, Deus nec pœnas, nec præmia tribuere poſſet; eoque ſine effectu forent leges naturæ, ſeu Dei.

§. XXVIII. Supponitur 5. *Deum eſſe omnipotentem*, adeoque omnes res creatas potentiæ ejus ſubeſſe, eique facultatem coercendi creaturam competere; quia alias, & deficiente hoc attributo, leges naturæ non tantum effectu deſtituerentur, ſed & perfectioni Dei aliquid deeſſet. *Vid. infr.* §. 67.

§. XXIX. Supponitur 6. *Deum* hominibus indidiſſe *animam rationalem*, *ab omni materia alienam*, *eoque immortalem*. Cum enim homines criminum ſuorum pœnam non ſemper in hac vita patiantur, ex perfectione divina inferendum eſt, aliam vitam exſtituram in qua divinus rerum arbiter cuique pro merito vel pœnas, vel præmia tribuet. Negata ergo animæ immortalitate, eo ipſo tolleretur omnis juris naturalis effectus.

§. XXX. Supponitur 7. *Dari pœnas*, *quæ cum vita non finiuntur*; *eoque Paradiſum*, *& infernum*, i. e. loca, ubi Deus cuique pro merito ſuo pœnas, & præmia tributurus eſt. Si enim homini in futura vita nihil metuendum eſſet, fruſtraneæ forent leges naturæ. y

§. XXXI. Cum vero hæc præcognita in tractatu idiomate germanico conſcripto ſub titulo: *Einleitung zum natürlichen Recht*, *und zur vernünfftigen Religion*, late a nobis explicata, & illuſtrata ſint, eo lectorem remittimus.

CAPUT III.

De variis Juris Naturæ ſignificationibus; & quo ſenſu a nobis accipiatur.

§. XXXII. DISCIPLINAM *Juris naturalis*, etſi ſimpliciſſimis, nobiſque innatis conſtet principiis, adeo intricatam reddidere illi, qui de jure dicto ſcripſere, ut ipſa exiſtentia ejuſmodi juris pluribus ſuſpecta viſa fuerit.

§. XXXIII. Oritur autem id inter alia ex eo, quod non omnes in ſignificatione vocis *Juris naturalis* conveniunt, ſed quilibet, qui tractationem hujus juris ſuſcipit, novam, & ſuis principiis (plerumque erroneis) conformem ſignificationem juri huic affingere ſolet.

§. XXXIV. PRIMO enim, ſenſu admodum improprio, jus, ſeu lex naturæ a quibuſdam ſumitur pro *ordine naturæ*, pro concatenata illa rerum ſerie, quæ Stoicis fati nomine venit; hoc enim ſenſu omnem calamitatem, & temporum difficultatem, *naturæ ordinem*, *& legem* eſſe, SENECA ait [z]. Unde idem Seneca ad legem naturæ refert, *pane*, *& aqua contentum eſſe* [a]. Quam ſignificationem alibi [b] plurimis auctoritatibus probavi.

SECUNDO a JCtis Romanis *Jus naturæ* aliquando ſumitur pro facultate agendi *juxta motus a natura inditos*, adeoque juxta *inſtinctum*, quem naturæ auctor per legem creationis materiæ indidit. Indeque jus naturale deſcribunt,

(y) Vid infr. C. 5. (z) Senec. de Vit. beat. C. 15. Conf Gell. noct. att. lib. 6. Cap. 2.

(a) Epiſt. 25. pag. 97. (b) Diſſert. procem. IV. §. 42.

ſcribunt, *quod natura omnia animalia docuit* [c]. Ejuſmodi actiones enim, ſepoſita ratione, ab omnibus animantibus peraguntur juxta *legem*, ac *ordinem* materiæ a Creatore præſcriptum. Atque huc referunt *conjunctionem maris*, & *feminæ*, *procreationem ſobolis*, *liberorumque educationem*; quæ jura (i. e. facultates agendi) itidem omnibus animantibus ſunt communia [d]. Cujus definitionis ſenſum alibi [e] explicavi.

§. XXXV. Tertio Jus naturæ a JCtis Romanis ſumitur pro facultate agendi juxta concluſiones rationis; atque hoc ſenſu a Grotio definitur: *Qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſte habendum, vel agendum* [f]. Huic enim juri gentium, quod ratione naturali inter homines peræque ſervatur, tribuitur facultas occupandi res nullius [g], facultas acquirendi per alluvionem [h], per traditionem ejus, qui jus tradendi habet [i], facultas propulſandi injuriam [k], etiam per bellum [l], facultas manumittendi captum [m], in civitatem coëundi, regem eligendi, agris ſuis terminos ponendi, ſe obligandi, &c. [n]. Omnia enim hæc *jure* fieri dicuntur [o]; i. e. jure permittente.

§. XXXVI. Quarto, iidem JCti *Jus naturæ* accipiunt pro *lege*, *juſſu*, ac *præcepto naturæ*, quod humano generi neceſſitatem imponit aliquid agendi, vel non agendi. Ita enim prohibitionem inceſtus ex jure gentium deducunt [p], & neceſſitatem colendi Deum, & parentibus parendi juri gentium tribuunt. [q]

§. XXXVII. Duæ poſteriores juris naturæ ſignificationes diſciplinæ, quam nobis examinandam propoſuimus, propriæ ſunt: at eas non diverſas ſpecies, ſed unius *juris naturalis* partes eſſe eſſentiales, jam demonſtrabimus. [r]

§. XXXVIII. In omni enim jure, adeoque etiam in jure naturæ, duo neceſſario continentur: 1. facultas agendi quidquid libet juxta concluſiones rationis; quicunque enim intra hos fines agit, *jure* agere [s], & hactenus *jus* ita agendi, vel habendi, *ei quæſitum eſſe*, dicitur: 2. neceſſitas, ſeu præceptum, intuitu aliorum hominum, ne hoc jus aliis quæſitum, hanc facultatem naturali ratione aliis competentem, turbent; ex quo præcepto oritur *obligatio jus ſuum cuique tribuendi*.

Poſita ergo *facultate morali agendi*, *vel habendi*, ponitur neceſſario, alios jus hoc turbare non poſſe, i. e. teneri ad jus ſuum cuique tribuendum: & e contrario, poſita *obligatione jus ſuum cuique tribuendi*, neceſſario quoque ponitur, jus aliis quæſitum eſſe natura. Si enim jus aliis quæſitum non eſt, per naturam obligari nemo poteſt ad jus, quod non eſt aliis tribuendum.

Minus igitur proprie jus naturæ dividi ſolet in *permiſſivum*, & *præceptivum*. Non enim ſunt ſpecies juris diverſæ, uti modo diximus, ſed unius, ejuſdemque juris partes. [t]

§. XXXIX. Ceterum, Jus naturæ appellari ſolet *Jus gentium*, quia ratio

(c) L. 1, §. 3, ff. de juſt. & jur. (d) d. L. 1, §. 3. (e) Diſſert. procem. IV, §. 42. (f) De jur. bell. lib. 1, c. 1, §. 4. (g) L. 1, §. 1, & leg. ſeq. ff. A. R. D. (h) L. 71, pr. ff. A. R. D. (i) L. 8, §. 3, eod. (k) L. 3, pr. juſt. & jur. (l) L. 5. juſt. & jur. (m) L. 4, pr. juſt. & jur. (n) L. 5. eod.

(o) d. l. 4. (p) L. 39, l. fin. Rit. nupt. l. fin. cond. ſin. cauſ. l. 8, pr. Rit. nupt. junct. d. l. f. (q) L. 3, juſt. & jur. (r) Conf. Diſſert. procem. X. c. 2, §. 2. (s) Vid. l. 5, ff. juſt. & jur. (t) Vid. Diſſert procem. X. cap. 2, §. 2.

Digitized by Google

ratio naturalis id inter gentes conſtituit [u]: *Fas gentium* [v]: *Jus mundi* [x]: *Jus commune hominum* [y]: *Jus moribus* introductum [z]: *Pudor* [a]: *Sempiterna lex inter homines* [b]: *Jus commune animantium* [c]: *Lex tacita* [d]: *Jus non ſcriptum.* [e]

C A P U T IV.

Ubi variæ de Exiſtentia Juris naturalis opiniones recenſentur, & modi naturales, ex quibus exiſtentia illa probari poteſt, proponuntur.

§. XXXIX. PRÆJUDICIALIS quæſtio eſt, an jura quædam, ſeu facultates habendi, vel agendi, naturali ratione alicui quæſita ſint, quæ neceſſario ab aliis ei tribui debeant? Adeoque utrum aliquid natura juſtum ſit, an injuſtum? Sive an exiſtat tale jus naturæ, taleque præceptum Dei, quod hominibus neceſſitatem imponit aliquid agendi, vel non agendi?

§. XL. Inter Philoſophos plures fuere, qui exiſtentiam juris naturalis negarunt: quo pertinent inter Græcos ARISTIPPUS, THEODORUS ATHEUS, DEMOCRITUS, PYRRHO, DIOGENES, EPICURUS, ARCHELAUS, &c: inter Romanos BRUTUS, HORATIUS, aliique EPICURI aſſeclæ: inter Chriſtianos HOBBESIUS, SPINOSA, MACHIAVELLUS, & Auctor ALOISIÆ SIGEÆ. [f]

In horum numerum merito quoque referendi ſunt illi, qui aiunt, jura inventa eſſe *metu injuſti* [g]. Vel qui cum EUPHEMIO, aliiſque contendunt, *inter privatos* ſaltem jus obtinere (ſcil. civile); *inter Principes autem* nihil injuſtum eſſe. [h]

Alii non quidem abſolute jus naturæ dari negant, ſed de exiſtentia ejuſmodi juris dubitant, atque de ea in utramque partem diſputant; quo pertinent TRASIMACHUS GLAUCO, ADIMANTUS, & CARNEADES. [i]

Sed

(u) L. 1, §. f. l. 9, ff. juſt. & jur. (v) *Fas gentium.* Tac. Ann L. 1, Grot. L. 2. c. 18, §. 6. *Commune fas gentium:* apud Chryſoſtomum. Vid. Grot. not. ad L. 2, c. 18, §. 1. *Fas Deum.* Florus L. 2, c. 20. unde formula, *fas violare*, i. e. *jus naturæ violare.* Iſidorus apud Grot. L. 2, c. 19, §. 1, n. 1. Conf. Grot. L. 3, c 4, §. 2, n. 3. & c 11, §. 9, n. 1. (x) §. 7. Inſtit. de nupt. (y) L. 6, pr. juſt. & jur. l. 9, eod. *Ariſtides* apud Grot. L. 3, c. 20, §. 41, n. 1. *Perſeus*, apud C. 20. eund. in not. ad §. 41, *Quod cum ipſo genere humano proditum eſt.* L. 1. pr. ff. A. R. D. *Jus commune generi humano*, Sen. declamat. 1. (z) *Quia non ſcriptum, ſed ab omnibus ex juſtis rationis concluſionibus receptum eſt.* L. 8. Rit. N. Dionyſius Chryſoſtomus vocat *morem omnium gentium*, apud Grot. L. 2, c. 19, §. 1, n. 1. unde *velut pactum commune eſſe*, Ariſtoteles ait apud Grot. L. 3, c. 6, §. 2, n. 1. *Matrem, & Sororem ducere, moribus* dicitur *probibitum*, l. 8. ff. R. N. l. 39. eod. At idem *juri gentium* tribuitur leg. 1. in fin. pr. Eod. vid. Grot. l. 3, c 10, §. 1, n. 2. (a) Paulus *pudorem*, & *jus naturæ* pro iiſdem habet in L. 14, §. 2, ff. Rit. nupt. (b) *Cyrus* apud Grotium L. 3, c. 6, §. 2, n. 1. *Sempiterna apud omnes gentes cœpta, & permanens perſuaſio.* Dion Pruſæenſis apud Grot. L. 2, c. 20, §. 46, n. 3. (c) Sen. de Clement. l. 1, c. 18. (d) L. 7, ff. Bon. damn. (e) Sen. declam. 1. (f) Vid. Comment. ad Grot. Proleg. §. 3, (g) Vid. Grot. Prol. §. 19. (h) Vid. Grot. Proleg. §. 3, & 21. (i) Grot. dd. ll.

Digitized by Google

Sed & ratio ipſa exiſtentiam ejuſmodi juris reſpuere videtur. Cum enim homo potentiis a natura inſtructus ſit agendi quidquid lubet, ex hoc facto naturæ ſequi videtur, omnia licita eſſe, quæ homo juxta facultates illas naturales agere poteſt; quia contradictionem involvere videtur, naturæ auctorem facultatem naturalem conceſſiſſe, & tamen exercitium prohibuiſſe. Atque hac ratione nititur HOBBESII *jus omnium in omnia*, & quod inde infert *mutuum bellum* [k]. Eoque collimat CARNEADES, qui ex eo, quod homines, immo omnia animantia, ad ſuas utilitates natura ducente ferantur, concludit, aut nullam eſſe juſtitiam, aut ſi aliqua ſit, ſummam ſtultitiam eſſe, quoniam ſibi noceat homo alienis commodis conſulens. [l]

§. XLI. Nos *tum* exiſtentiam juris naturæ, *tum* regulam generalem juſtitiæ naturalis demonſtraturi, neceſſario quædam præmittenda eſſe cenſemus.

n. 1. *Primo* enim in probanda quæſtione, *an lex aliqua humano generi publicata ſit?* non ſufficit, eam hominum uni, vel alteri eſſe publicatam. Cum enim de voluntate æterna Dei, univerſo generi humano in perpetuum declarata, agatur, requiritur neceſſario publicatio quædam univerſalis, & perpetua, adeoque indicium aliquod publicum, & generale, quod ſingulis innoteſcat, & neminem latere poſſit. [m]

Tale autem indicium generale, & perpetuum, præter *rationem*, nullum exiſtit; cum enim *ratio* eadem omnibus hominibus a natura data ſit, certum eſt, communes quaſdam concluſiones dari, rationi convenientes, quas ignorare nemo poteſt, qui rationis particeps eſt.

Eſt enim *ratiocinatio* eximia illa intelligendi, judicandique vis [n], per quam intelligimus certas notiones, deinde conſequentias rerum cum principiis conjungimus, & tandem rite examinatis præmiſſis, ac conſequentiis, concludimus. [o]

n. 2. *Secundo*, maxime intereſt, ut inſtrumenta illa ratiocinationis, quorum ope dijudicare poſſumus, naturam, ejuſque auctorem, legem aliquam dediſſe humano generi, & unde probari poſſit, Deum hominibus imponere voluiſſe neceſſitatem aliquid agendi, vel non agendi, extra omne dubium ponantur.

n. 3. *Tertio*, ex ante dictis [p] repetendum eſt, in jure naturæ duo ſupponi: 1. Jus aliquod cuique (i. e. *tum* Creatori ipſi, *tum* hominibus) quæſitum eſſe: 2. Jus hoc tribui ab aliis debere ei, cui quæſitum eſt.

§. XLII. Omnis igitur quæſtio eo redit, unde conſtet, *auctorem naturæ voluiſſe, jus aliquod ſibi, vel aliis ſuum eſſe?* & quinam ſint modi demonſtrandi, unde de tali voluntate certa ratione conſtare poſſit? Reſp. uti omnis voluntas diſponentis, ita & voluntas naturæ, ejuſque auctoris, probari debet ex mediis demonſtrandi, quæ logica naturalis, i. e. facultas ratiocinandi, ſuppeditat.

Media

(*k*) Vid. Diſſert. procem. VIII. §. 7. ſeq. (*l*) Vid. Grot. prol. §. 6. (*m*) Vid. Reſol. dub. circa hypoth. de jur. nat. pag. 8. & diſſert. procem. X. C. 1. poſ. IV. lit. d. (*n*) Vid. Lipſ. de Conſtant. C. 5. (*o*) Vid. Cicero L. 1. de Legib. p. m. 428. Lib. 4. Acad. quæſt. L. 2. de nat. deor. (*p*) Vid. ſupr. §. 38.

Media autem voluntatem auctoris naturæ probandi B. PARENS ad quinque capita retulit. Sane, Deum voluiſſe *jus* aliquod ſibi, vel aliis *ſuum eſſe*, evidenter probatur 1. ex *actione Creatoris*, ſeu *facto creationis*; quo 2. pertinent *motus*, & *inſtinctus in hominibus a natura conditi*: 3. ex *actionum fine neceſſario*, *vel probabili*. 4. ex *medii neceſſitate*. 5. ex *natura*, & *eſſentia ipſius Creatoris*. Quibus addo 6. præſumtionem naturalem, quæ ex communi *gentium conſenſu oritur*. Quæ ſingula nunc plenius examinabimus.

§. XLIII. *Primo* igitur voluntas Creatoris probatur ex ACTIONE CREATORIS, ſeu FACTO CREATIONIS. *Actio* enim, & *factum* ejus, qui cum ratione agit, neceſſario voluntatem agentis indigitat, quia omnis actio voluntaria ex animo volentis proficiſcitur, qui proinde vult quod agit, & prout agit; *quæ ſunt verba* B. PARENTIS (q). Atque hæc voluntas, quæ ex *actione* elicitur, certa, & indubitata eſt in *actionibus Dei*, qui nonniſi perfectiſſimo modo agere poteſt, adeoque quicquid agit, neceſſario vult. Exemplo res clarior fiet.

Ex *actione Creatoris* conſtat, eum duplicem ſexum creaſſe, ac utrique facultatem conceſſiſſe, motumque indidiſſe, corpora jungendi: ex hoc facto creationis evidentiſſime apparet, eum voluiſſe ut homines corpora jungant, adeoque matrimonia licita eſſe.

At ex hac ipſa *Creatoris actione* quoque apparet, omnem aliam conjunctionem hominum, quæ non fit inter marem, & fœminam, voluntati agentis repugnare; adeoque conjunctionem cum eodem ſexu eſſe prohibitam. Atque ex hac prohibitione jus Deo quæſitum eſt, quod creatura violare abſque injuria nequit.

§. XLIV. *Secundo*, ad factum creationis quoque pertinent MOTUS, & INSTINCTUS IN HOMINE A NATURA CONDITI. *Certiſſime igitur voluntas creatoris ex eo apparet*, (quæ itidem ſunt verba B. Parentis (r)) *quando conſtituit aliquod ſtudium inter homines ad aliquid agendum*, *vel non agendum*, &c. *Adeo igitur Deus hos actus fieri voluit*, *vel noluit*, *ut ne omitterent*, *vel facerent*, *vehementiſſimum motum indiderit*, *qui non tantum in hominibus apparet*, *ſed in brutis*.

Ita enim ex eo, quod Deus duplicem ſexum produxit, eique inſtinctum indidit corpora jungendi, ſequitur neceſſario, eum conjunctionem maris, & fœminæ approbare; adeoque hominem licite agere, eique jus ita agendi ex voluntate Creatoris quæſitum eſſe. Econtrario Deus motus indidit generi humano, qui eos alienos reddunt a concubitu cum brutis, cum eodem ſexu, cum parentibus, & liberis, ac aliis ſanguine proxime junctis: ex hoc naturæ *motu* apparet, Deum noluiſſe hos actus peragi, atque hactenus jus Deo ex prohibitione quæſitum eſſe, quod homines ei tribuere, i. e. ab actibus ejuſmodi abſtinere debent.

n. 1. Hic modus probandi voluntatem divinam maximam in demonſtrandis naturæ præceptis habet utilitatem. Quoties enim homines univerſim averſantur actum antequam eum peragunt, vel quando illum admiſere abhorrent, certiſſimum id indicium eſt, actus tales repugnare voluntati divinæ; quia, ſi Deus actus illos fieri voluiſſet, talem repugnantiam toti generi non indidiſſet. Unde neceſſario infertur, omnia

(q) Diſſ. procem. X. §. 7. lit. d. in fin. & lit. n. (r) d. §. Lit. e.

nia crimina, ſeu talia facta, quibus jus alterius violatur, prohibita natura eſſe. Sane, Apoſtolus, gentibus enormitatem criminum, quæ committere ſolebant, demonſtraturus provocat ad eorum conſcientiam, i. e. ad *motus* illos naturales, & horrorem, qui crimina comitari ſolet, ac ex cognitione voluntatis, & prohibitionis divinæ oritur. Is enim, qui maleficii ſibi conſcius eſt, ſe ipſum accuſat, quia intelligit, jus Dei lædi, dum contra ejus prohibitionem agit, & Deum vindicaturum injuriam ſibi illatam. Inſigne exemplum exſtat in Caino, qui fratre occiſo citra legem ſcriptam, ſola conſcientia convictus vindictam tum Dei, tum hominum metuebat.

n. 2. Equidem opponi ſolet, multos dari homines, qui averſionem illam non ſentiunt; & experientiam teſtari, gentes quaſdam pronas eſſe ad *Sodomiam*, quæ tum cum brutis, tum cum eodem ſexu committitur. Addunt, apud Perſas *conjugia inter parentes*, & *liberos*, Magis permiſſa; & apud Ægyptios *nuptias inter fratres*, & *ſorores*, uſitatas fuiſſe: immo inter Judæos *matrimonium cum fratris vidua* celebrari potuiſſe. Reſp. Non hic quæſtio eſt de quorundam hominum motibus, ſed de motibus toti humano generi inditis. Omnes gentes *Sodomiam* pro crimine habent; ſi proinde quidam motus tales ſentiunt, id ex corruptione humana, & vitio naturæ eſt. Optime JCti Romani in quovis animalium genere diſtinxerunt inter actus, qui ex *natura generis* procedunt, & inter eos, qui *contra naturam generis*, i. e. contra conſuetudinem omnium animalium ejuſdem generis fiunt; hos enim a vitio eſſe, concludunt.[r]

§. XLV. *Tertio* voluntas Creatoris præcipue probatur ex FINE ACTIONIS. Merito B. PARENS[s] exiſtimavit, hunc demonſtrandi juris naturalis modum optimum, & certiſſimum eſſe. Qui enim agit, & quidem ad certum finem, neceſſario vult illum finem, quem ſibi propoſitum habuit. Finis enim juxta doctrinam Philoſophorum eſt ipſa intentio, ac voluntas agentis.

Atque ex hoc *fine* univerſum jus naturæ per neceſſarias conſequentias deduci poteſt. Exemplo rem illuſtrabimus. Ex facto creationis conſtat, Deum duplicem creaſſe ſexum, & utrique facultatem conceſſiſſe corpora jungendi: hujus facti finis unicus eſt *propagatio generis humani*; ex hoc fine igitur neceſſario ſequitur, homines propagando genus ſuum licite agere, i. e. Deo approbante, adeoque hactenus eis jus ita agendi quæſitum eſſe.

At ex eodem *fine* merito infertur, omnes alios conjunctionis modos, qui vel impediunt, vel tollunt illum finem, repugnare voluntati divinæ; indeque Deum prohibuiſſe Sodomiam, crimen Onaniticum, caſtrationem, &c. Ex hac igitur prohibitione jus Deo quæſitum eſt, quod homines violare, i. e. actus illos abſque injuria admittere, non poſſunt.

§. XLVI. *Quarto*, voluntas Creatoris quoque probatur ex MEDII NECESSITATE. Quoties enim ex *facto creationis*, ex *motibus* natura toti humano generi inditis, ex *fine* creationis, &c. apparet, Creatorem jus alicui ſuum eſſe voluiſſe, inde neceſſario ſequitur, omnia illa licita eſſe, ſine quibus *finis* ille obtineri, & potentia a Deo conceſſa

(r) L. 1. §. 7. §. 10. & 11. ſi quadrup. ibique Goth. Conf. Differt. proœm. X. §. 7. lit. l. & m.

(s) Diſſ. proœm. X. §. 7. lit. 7.

ceſſa in actum deduci non poteſt. Contradictio enim eſt [u], Deum aliquid egiſſe, & quidem ad certum *finem*, & tamen negaſſe media, quæ ad finem illum obtinendum ſunt neceſſaria. Sane, ſublatis *mediis*, tolleretur omne jus, quod ex actione Creatoris, & ex agentis *fine* introductum apparet: adeoque fruſtra egiſſet Creator; quod cum ejus perfectione pugnat [v]. Hinc notiſſima Philoſophorum regula eſt: *Qui vult finem, vult etiam media*; eaque regula in jure naturali, & Romano, inſignem uſum habet.

Qui proinde mediis illis ad obtinendum finem neceſſariis utitur, jure agit, i. e. juxta voluntatem Creatoris, adeoque jus ita habendi, vel agendi ei quæſitum eſt.

Bene autem obſervavit B. PARENS, hoc tantum verum eſſe ſi medium illud ſit *natura* neceſſarium, non ſi *vitio agentis* ſit neceſſarium, vel ſi cum præjudicio tertii conjuncta eſt neceſſitas. [x]

§. XLVII. *Quinto*, jus cuique ſuum eſſe, probatur ex NATURA IPSIUS SANCTISSIMI CREATORIS. Quoties enim aliquid convenit cum perfectione Dei, id neceſſario voluit; adeoque quoties facultates quaſdam hominibus concedit, inprimis ſi concedit ad certum finem, permiſiſſe ipſis videtur, ut agant: quia alias *fruſtra* illas facultates conceſſiſſet; quod cum *perfectione* ejus pugnat.

E contrario, ſi ex facto creationis, ejuſque fine apparet, Deum facultates illas reſtrinxiſſe, adeoque actus quoſdam prohibuiſſe, ex eadem ratione inde infertur, jus & Deo, & aliis hominibus ex hac prohibitione quæſitum eſſe. Sane, *fruſtra* voluntatem ſuam declaraſſet, ſi cuique hominum liberum eſſet contra facultates illas prohibitas agendi.

Porro ex eadem natura *perfectiſſimi Creatoris* ſequitur, Deum velle ab hominibus coli; cultus enim eſt perfectionis æſtimatio. Cultus ergo eſt jus Deo quæſitum. Quod infra plenius demonſtrabimus.

§. XLVIII. *Sexto*, jus aliquod cuique ſuum eſſe, probatur ex COMMUNI OMNIUM GENTIUM CONSENSU. Quoties enim omnes homines ubique, & omni tempore verbis, vel factis declarant, jus cuique quæſitum eſſe, id pro vero habetur, etiam ratione naturali. Cum enim univerſalis effectus ſupponat cauſam univerſalem, talis communionis cauſa vix ulla alia videri poteſt, præter ſenſum ipſum, communis qui dicitur. [y]

E contrario ſi apud omnes gentes actus quidam pro vitioſis habentur, inde concludendum eſt, actus illos repugnare rationi, adeoque prohibitos, & ex hac prohibitione jus Deo, & hominibus quæſitum eſſe.

Ex hoc igitur conſenſu gentium conſtat, 1. conjunctionem maris, & fœminæ tantum licitam eſſe, quatenus individuam vitæ conſuetudinem continet; adeoque omnes alios conjunctionis modos improbari: 2. unumquemque rem nullius occupando ſibi proprietatem acquirere, & nefas eſſe res occupatas illi auferre: 3. omnia crimina quia jus alterius lædunt, prohibita eſſe, & violantes illa jura ad reparationem teneri.

Hunc autem probandi modum ſaltem admittimus ſi promiſſio, vel prohibitio naturæ dubia, & obſcurior eſt, & ob imbecillitatem humanam plene

(u) Diſſ. Pr. X. §. 7. lit. w. (v) d. §. 7. lit. w. (x) dict. §. 7. lit. x. (y) Grot. L. 1. C. §. 12.

Digitized by Google

plene probari nequit; ut in lege de inceſtu: non vero ſi in contrarium certa ſit naturæ ratio; hoc enim caſu ratio præfertur uſui communi gentium.

Polytheiſmus igitur graviſſimum crimen eſt, etſi apud omnes fere gentes hic cultus ſit receptus.

CAPUT V

Ubi exiſtentia Legis naturalis demonſtratur, & regula generalis, ſeu præceptum univerſale Juſtitiæ naturalis proponitur.

§. XLIX. Ex præmiſſis probandi juris naturalis modis facile demonſtrari poteſt, exiſtere legem, juſſum, & præceptum naturæ, ejuſque auctoris.

Quando enim ex *actione Creatoris*, ex *motibus* a natura in hominibus conditis, ex *fine creationis*, ex *medii neceſſitate*, ex *natura*, & *eſſentia entis perfectiſſimi*, ac denique ex *conſenſu gentium* apparet, Deum voluiſſe tum ſibi, tum aliis jus aliquod ſuum, proprium, & quæſitum eſſe; inde neceſſario ſequitur, creaturas ratione præditas hoc jus Deo, vel cuique alii quæſitum violare, eique, cui conceſſum eſt, auferre non poſſe, ſed eas jus illud tribuere debere ei, cui Deus id quæſitum eſſe voluit.

Homo enim nullam a ſe habet agendi facultatem, ſed a ſolo Creatore, qui *ſuum cuique* dedit, & quid *ſuum cuique* eſſe voluit, definivit, atque hos cuique ſui juris fines, ac terminos fixit.

Creatura igitur ultra fines a Creatore ipſi aſſignatos nihil agere poteſt, & extra *jus ſuum* omnis agendi facultas ceſſat, quia Creator id jus non ipſius, ſed alterius eſſe voluit. Si proinde Creatura excedit, & tranſit hos fines, ſi ultra jus ſuum agit, & jus aliis aſſignatum turbat, inde ſequitur immota neceſſitas rem in priſtinum ſtatum reſtituendi, i. e. obligatio *jus ſuum cuique tribuendi.*

Adeoque ſi aliquid habemus, quod alterius eſt: illud tenemur reſtituere ei, cujus eſt, quia illi ſoli conceſſa eſt facultas circa rem illam, non nobis. Eadem ratio quoque obtinet, ſi jus aliquod, quod alterius eſt, turbamus, lædimus, & violamus; nam reparare illam injuriam, i. e. jus ſuum cuique tribuere, tenemur.

Summa enim eſt injuria, extra jus ſuum agere; eaque in Creatorem redundat. Sane, Creatura interverteret *factum Creatoris*; turbaret *motus naturales* toti generi inditos; tolleret *finem* a Creatore ſibi propoſitum; impediret *media* ad obtinendum finem *neceſſaria*; vim inferret *perfectioni divinæ* (nam contradictionem involveret, Creatorem jus ſuum cuique dediſſe, & quid ſuum cuique eſſe voluit definiviſſe, & tamen aliis fas eſſe jus illud turbandi, & violandi: fruſtra Deus certos fines juris cuique aſſignaſſet, ſi aliis mutare illos fines, i. e. jus cuique ex decreto divino aſſignatum, tollere liceret; in Deum autem nec contradictio cadit, nec is aliquid fruſtra facit: præterea ſpecies cultus eſt, non repugnare voluntati divinæ; non ergo colit Deum, qui jura a Deo aliis conceſſa, & aſſi-

gnata violat); denique homo contrarium aliquid ſtatueret *communi gentium conſenſui*, adeoque concluſis rationis. Omnes enim gentes in eo conveniunt, jus alterius violare nefas eſſe.

Non poteſt igitur non hoc exceſſu offendi ſummus legislator, qui non magis permittere poteſt ſibi non pareri, quam nolle coli: deficeret enim homo a ſuo Creatore, & auctori ſuo rebellis fieret. Atque has rationes prolixe expoſuit B. PARENS in ſuis Poſitionibus. [z]

Exiſtit igitur *Lex naturæ*, i. e. juſſus, & præceptum auctoris naturæ per rationem declaratum, quod humano generi neceſſitatem imponit aliquid agendi, vel omittendi: quod probandum erat.

§. L. Cum vero jura alia quæſita ſint *Deo* in homines, alia *hominibus* inter ſe, in ſequentibus ſpeciatim demonſtrabimus, 1. quænam ſint jura, quæ naturali ratione *Deo in homines* competunt, adeoque a creatura ratione prædita ei tribuenda ſunt; & 2. quænam ſint illa jura, quæ *cuique hominum* ex voluntate divina competunt, adeoque ab aliis hominibus ei tribui neceſſario debent.

§. LI. Ex præmiſſis non tantum conſtat, exiſtere legem naturæ, i. e. juſſum, & præceptum auctoris naturæ; ſed & facile inde eruitur, quænam ſit *regula generalis juris naturæ*, quam (improprie admodum) *principium juris naturæ cognoſcendi* appellare ſolent.

Regula juris naturæ unica vera, & adæquata, adeoque præceptum generale juris naturæ eſt, JUS SUUM CUIQUE TRIBUERE. Ad hanc enim regulam omnia, & ſigula naturæ jura ultimo referri, ac per neceſſariam conſequentiam inde deduci poſſunt. [zz]

§. LII. *Primo* enim jura naturæ, quæ inter Deum, & homines obtinent, eo referri poſſunt [a]. Diximus enim, jura quædam Deo naturali ratione ſua eſſe, & ex ipſa ejus natura, atque eſſentia ſequi, ac in cultu præcipue conſiſtere. Hæc igitur jura Creatori propria homo ei tribuere, i. e. eum colere tenetur.

Secundo ex eadem regula omnia jura, quæ inter homines obtinent, neceſſario inferuntur [b]. Certum enim eſt, Deum cuique hominum jus aliquod conceſſiſſe, vel *ex hominum ſtatu*, vel *in res terræ*, vel *ex obligatione perſonæ*; quod jus naturali ratione cuique quæſitum, ei ab aliis hominibus tribui debet. Nullum autem præceptum naturale inter homines ſupereſt, quod ad hæc jura referri non poſſit; ut ex ipſo tractatu apparebit.

§. LIII. Hinc *juſtus* natura eſt, qui jus Deo, vel cuique hominum quæſitum tribuit; *injuſtus*, qui jus illud turbat, vel aufert. Homo licite, adeoque *jure*, & juſto titulo agere, vel habere dicitur, qui intra fines juris ſibi natura quæſiti agit: *illicite* autem, & *injuria*, ſi facultates alterius turbat, adeoque in jus alienum involat, i. e. jus ſuum cuique non tribuit.

Hoc *generale præceptum* non tantum ratione naturali, ſed & communi gentium conſenſu probatur. Sane, ipſa juſtitiæ definitio ejus veritatem indigitat. Ea enim definitur conſtans, atque perpetua voluntas *jus ſuum cuique tribuendi*. [c]

Hinc

(z) Diſſ. procem. X. §. 5. lit. k. & ſeq. & §. 10. lit. b. & c. (zz) Add. Diſſert. procem. I. C. 2. Sect. 4. Diſſ. X. C. 2. Diſſert. XI. C. 3. § 1. ſeq. §. 17. ſeq. (a) Vid. Lib. II. per tot. (b) Vid. Lib. III. & ſeq. (c) L. 10. ff. juſt. & jur. Conf. l. 31. §. 1. ff. dep.

Digitized by Google

Hinc etiam inter tria præcepta generalia (quorum unum reliqua complectitur) idem ULPIANUS ponit, *ſuum cuique tribuere* [d]. Sane, CICERO juris principia inveſtigaturus, a *lege* ejus exordium deducit, & poſtquam legem rationem eſſe naturæ inſitam dixit, addit, *eandem rem græco nomine a quibuſdam a ſuum cuique tribuendo appellatam eſſe cenſeri* [e]. Et cum alibi ſocietatem humani generis, ejuſque utilitatem commendaſſet, ita pergit, *quæ animi affectio ſuum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, ſocietatem conjunctionis humanæ munifice, & æque tuens, juſtitia dicitur* [f]. SENECA ait, hoc juſtitiæ convenire, *ſuum cuique reddere* [g]. MACROBIUS tradit, juſtitiam ſervare cuique quod ſuum eſt [h]. ARISTOTELES juſtitiam in eo ab aliis virtutibus ſeparat, *quod illa ſola alienum bonum eſſe videatur, quia ad alterum ſpectat* [i]. Et alibi [k] ait, *juſtitia eſt virtus, per quam quæ ſunt ſua ſinguli habent, injuſtitia, per quam alienum habent.* JUSTINUS tradit, juſtitiam eſſe abſtinentiam alieni, eamque Scythas magis naturam, quam Græcos ſapientiam docuiſſe [l]. PORPHYRIUS [m] juſtitiam in eo ſitam eſſe, ait, *ut abſtineatur alienis, neque noceatur non nocentibus* [n]. JULIANUS cum primam legem conſtituiſſet de Deo colendo, alteram de juſtitia ſubjunxit: *Lex altera, & ipſa ſua natura ſancta, atque divina, ea eſt, quæ ſemper, & ubique alienis abſtinere jubet* [o]. CICERO poſtquam aſſeruit, nulla privata natura eſſe, ſed veteri occupatione res in privatas poſſeſſiones tranſiiſſe, ita pergit: *ex quo, quia ſuum cujuſque fit, eorum, quæ natura fuere communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat; ex quo ſi quis ſibi appetet, violabit jus humanæ ſocietatis* [p]. Alibi ait, juſtitiæ primum munus eſſe, aliis non nocere [q]. Hinc Jcti Romani natura æquum eſſe, aiunt, neminem cum alterius injuria fieri debere locupletiorem [r]. Denique ipſe GROTIUS fatetur, totam juſtitiam in alieni abſtinentia poſitam eſſe. [s]

§. LIV. Præter hoc *Jus naturæ* non datur aliud jus univerſale, quod omnes homines obliget: adeoque nec *Jus gentium ſecundarium* [t], nec *Jus divinum poſitivum univerſale* [u]. Pleraque enim præcepta, quæ his jurium ſpeciebus tribui ſolent, vel plane non ſunt præcepta, vel ad ipſum jus naturæ pertinent. [uu]

Jura *forenſia*, & *ceremonialia* ſolis Judæis data ſunt, & partim adventu Meſſiæ, partim ſublata republica Hebræorum deſierunt; indeque nec Chriſtianos, nedum reliquum humanum genus obligant. [v]

§. LV. Merito hic quæritur, an *leges civiles* obligationem quandam *Jure naturali* inferant? vel quod idem eſt, *an in conſcientia obligent?* Recte id plerumque affirmari ſolet, quia jura civilia nituntur conſenſu civium, adeo-

(*d*) d. l. 10. §. 1. Conf. Nov. 17. C. 14 (*e*) Lib. 1. de legib. p. m. 426. (*f*) Lib. 5. de fin. p. m. 157. (*g*) Epiſt. 82. (*h*) in Somnio Scipionis L. 1. C. 10. (*i*) De moribus Lib. 5. C. 3. (*k*) Rhet. L. 1. C. 9. (*l*) L. 1. Cap. 2. (*m*) de non eſu animantium Tertio. (*n*) apud Grot. proleg. §. 8. (*o*) apud Grot. in not. ad L. 1. C. 1. §. 10. (*p*) de off. L. 1. C. 7. quod uberius proſequitur L. 3. C. 5. (*q*) de offic. L. 1. C. 7. C. 10. & C. 28. id. L. 2. C. 6. (*r*) L. 14. ff. Cond. ind. l. 206. ff. reg. jur L. 14. §. 5. quod met. cauſ. l. 8. l. 22. ff. tranſact &c. (*s*) Prol. §. 10 §. 44. & L. 1. C. 2. §. 1. n. 5. (*t*) Vid. Diſſert. prooem. 4. (*u*) Vid. Diſſert. prooem. 3. (*uu*) Diſſ. prooem. 3. §. 15. it. diſſ. 4. §. 32. ſeq. (*v*) Vid. Grot. L. 1. C. 1. §. 15. 16. & 17.

adeoque fide data. Illi enim, qui in civitatem coëunt, ſeſe arbitrio civitatis ſubmittunt, ſimulque promittunt, ſe decretis, ſtatutis, & legibus civitatis paritutos. Ex hoc pacto igitur ſinguli tenentur, & hactenus obligatio eſt ex jure naturæ.

Atque ex hac ratione *Jus Romanum* quoque, quatenus receptum eſt, in conſcientia nos obligat; de cujus origine, & partibus, in Digeſtorum libris agitur.

CAPUT VI.

De definitione, cauſa, ſubjecto, objecto, & effectu Juris naturalis.

§. LVI. DEFINIMUS igitur jus naturæ: *Juſſum, præceptum, ac legem naturæ, ejuſque auctoris, per rationem humano generi declaratam, ut jus ſuum cuique* (id eſt tum Deo, tum hominibus, naturali ratione quæſitum) *tribuat*, idque *metu pœnæ*.

§. LVII. CAUSA juris naturalis, ejuſque auctor, eſt Deus. Is enim ſolus imperium in genus humanum, utpote creaturam ſuam, habet; adeoque ſolus creaturæ ſuæ rationali legem præſcribere, eique neceſſitatem agendi, vel non agendi imponere poteſt.

Negato igitur Deo nullum poteſt concipi imperium, nullus ſuperior, adeoque nulla lex, nullumque præceptum. Unde conſtat, *principia illa interna* (quæ GROTIUS in nobis exiſtere, & hominibus neceſſitatem agendi, vel non agendi imponere, ait, *etſi detur, Deum non eſſe* [w]) pro cauſa juris naturalis haberi non poſſe; adeoque *Jus ſociale*, & *Jus naturæ laxius*, eo ſenſu mera eſſe figmenta.

§. LVIII. Supponimus autem, Deum aliquid *juſſiſſe*, atque *præcepiſſe*; cum enim jus naturæ neceſſitatem imponat agendi, vel non agendi, facile conſtat, neceſſitatem illam concipi non poſſe abſque juſſu Dei: deficiente enim præcepto, res arbitrio hominum relicta eſſet, eoque omnis *neceſſitas*, adeoque omnis ratio *legis*, ceſſaret.

§. LIX. Cum omne jus, omniſque lex, ſupponat *publicationem*, per quam innoteſcat eis, quos obligare debet, jus naturæ quoque talem publicationem toti humano generi factam requirit. Diximus autem, (§. 43.) Deum notitiam hujus juris animis hominum inſcripſiſſe, rationem eis largiendo, cujus ope homo ratiocinari, i. e. ex juſtis rationis concluſionibus juſſum, & præceptum Creatoris, ſeu legem naturæ cognoſcere poſſit. Neque enim alium publicandi modum dari, probavimus (ſupr. §. 41). Hinc ratio naturalis lex quædam tacita dicitur. [x]

Unde apparet, I. jus naturæ ex *idea innata* cognoſci non poſſe, niſi quatenus idea illa ex juſtis rationis concluſionibus nobis innoteſcit; at tunc omnes veritates morales cognoſcuntur ex idea innata, quæ ratiocinandi

(w) Vid. diſſert. proœm. I. §. 9. §. 41 ſeq. Diſſert. II. §. 4.

(x) L. 7. ff. Bon. damn.

nandi vim ſupponit [y]: 2. *Revelationem* non eſſe modum ſufficientem cognoſcendi jura naturæ (quod B. PARENS late probavit [z]). Indeque notandus eſt SELDENUS [a], qui ſeptem præcepta Noachica ad demonſtrandum jus naturæ adhibet, cauſatus, rationem corruptam eſſe, adeoque ſine revelatione vix de ratione prohibitionis inter homines conſtare poſſe. *Vid. Diſſ. II.* §. 15.

§. LX. Ex eo autem, quod *ratio* ſola eſt medium indagandæ legis, neceſſario ſequitur, jus naturæ æternis rationibus conſtare; tum quia juſtæ rationis concluſiones ſemper eædem, adeoque æternæ ſunt; tum quia Deus, qui per rationem nobis ſemel legem ſuam declaravit, immutabilis eſt.

Hinc [*a*] fruſtra quæritur, an in ſtatu innocentiæ exſtiturum fuiſſet jus naturæ? quia certum eſt, concluſiones rationis ſemper eaſdem eſſe. Sane, etiam in ſtatu innocentiæ juſſus Dei exſtiturus fuiſſet; tum intuitu Dei, ut colatur; tum intuitu hominum, ut jus ſuum cuique tribuatur: at tranſgreſſio nulla legum futura fuiſſet, adeoque nec pœna, quia homines ultro leges divinas obſervaturi fuiſſent.

Ex his [*b*] apparet, impiam eſſe doctrinam eorum, qui *ignorari poſſe jura naturæ*, exiſtimant, eoque feliciorem eſſe conditionem eorum, ſtatuunt, qui neſciunt hæc præcepta, quam eorum, quibus cognita eſt Creatoris voluntas [b]. Impia, inquam, hæc eſt doctrina: cum enim ex ratione conſtet, quædam jura Deo, & hominibus naturali ratione quæſita eſſe, eaque ab aliis turbari non debere, quomodo, quæſo, aſſeri poteſt, homini ratione prædito hæc incognita eſſe? Anne concluſiones rationis eædem ſunt inter omnes? Anne omnibus innoteſcit, Deum eſſe, eumque colendum eſſe? Anne ratio naturalis nos docet, jus ſuum cuique tribuendum eſſe?

Sane, ipſe Apoſtolus in demonſtratione legis naturalis provocat ad conſcientiam hominum, & omnem excuſationis, & ignorantiæ voluntatis divinæ, viam gentibus præcludit. *Vid. diſſ. proœm.* 10. §. 7. *lit. e.*

§. LXI. Denique ex præmiſſis conſtat, mutari jus naturæ non poſſe. Sane, in *hominum* arbitrio non eſt, a legibus naturæ recedere, quia ex præcepto, & juſſu Dei ortæ ſunt, quem juſſum creatura violare nequit. Immo *nec Deus* mutare jus ſemel ſtatutum poteſt: cum enim ex juſtis rationis concluſionibus præcepta naturæ ſequantur, conſtat, Deum nihil his concluſionibus, quas ſemel in hominibus exiſtere voluit, contrarium ſtatuere poſſe; mutatio enim imperfectionem infert, quæ in Deum cadere non poteſt. Atque hinc permittere Deus non poteſt hominibus mutuas cædes, furta, adulteria, &c; indeque nunquam jubere poteſt, ut homo ſuo jure alium occidat.

At cum jus hoc naturæ ſaltem inter homines obtineat, & illi inter ſe legibus Dei obligentur, facile conſtat, Deum ipſum legibus hominibus datis non obligari, adeoque Deum ſuo jure (qua Creator, & dominus) homi-

(*y*) Vid. Grot. proleg. §. 3. in not. (*z*) Diſſert. proœm. X. poſ. IV. (*a*) de jur. nat. L. 1. C. 10. (*b*) Vid. proleg. §. 3. in not.

Digitized by Google

hominibus quædam, quæ ne invicem agerent prohibuit, injungere poſſe. Ita jure ſuo mandavit Abrahamo, ut filium immolaret; Iſraelitis, ut vaſa auferrent Ægyptiis, ut Cananæos, qui eis nullam intulerunt injuriam, delerent, &c. Homines enim tunc alios lædunt, non ſuo jure, ſed jure Dei; adeoque hic nulla eſt mutatio juris naturalis, ſed Deus ſuo jure utitur, & creaturam, in cujus actiones, vitam, & bona, abſolutum jus, & imperium ipſi competit, per inſtrumenta, i. e. per homines deſtruit, & pro lubitu de rebus terræ diſponit.

Quamquam experientia doceat, Deum non niſi ex juſtis cauſis jus illud abſolutum in ſuam creaturam exercere, hominibusque bona, & vitam auferre: nimirum, vel ob *peccata*, quo pertinent bella commemorata; vel in ſui *gloriam*, quo pertinet exemplum Jobi; vel ob *debitum*, quo referenda eſt ablatio vaſorum Ægyptiis propriorum. [c]

Hinc facilis eſt deciſio quæſtionis, *an Princeps diſpenſare de actibus jure naturæ prohibitis poſſit?* Quod merito negamus: quia 1. nemo de legibus diſpenſare poteſt, niſi is, qui leges ſtatuit; Princeps autem leges naturales non ſtatuit. Sane 2. Principes ipſi ſubjecti ſunt legibus naturæ; immo ideo conſtituti ſunt, ut jura a Deo ſtatuta inter homines exequantur: non autem exequuntur, qui licentiam contra leges eundi permittunt. 3. Poſita tali licentia Princeps permittere homicidia, adulteria, raptus, inceſtus, &c. poſſet: eodem enim jure, quo de criminibus peractis diſpenſat, eodem jure peragenda quoque permittere poſſet, quia hæc permiſſio eventualem diſpenſationem continet. Certum ergo eſt, 4. Principem nec pœnas talionis in crimina naturali jure ſtatutas remittere, nec diſpenſare poſſe de actibus naturali ratione prohibitis. Hinc nec Papa homicidium, vel inceſtum permittere, aut de commiſſo diſpenſare poteſt, ſed actus nullus, & damnatus manet.

Equidem acriter diſceptata fuit hæc quæſtio in Anglia temporibus HENRICI VIII. qui Catharinam Arragoniam, quam diſpenſante Papa duxerat, poſt matrimonium octodecim annorum ideo dimiſit, quod fratris vidua eſſet; cauſatus, Papam de gradibus Levit. XVIII. prohibitis diſpenſare non potuiſſe; quam rationem reſponſis Theologorum, Univerſitatum Conſiliis, & totius Cleri Anglicani ſuffragio confirmabat. [d]

E contrario Catharinæ defenſores facultatem diſpenſandi Papæ omnino competere ſuſtinebant; partim moralitatem prohibitionis negantes; partim provocantes ad effatum Servatoris, qui facultatem remittendi peccata Petro, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit.

Quod ad *priorem* rationem attinet, infra moralitatem hujus prohibitionis ſatis demonſtrabimus. *Poſterior* ratio fabula illa nititur de vicariatu Papæ, quæ dudum exploſa eſt [e]. Sed & effatum illud non ad diſpenſationes criminum (ipſis fatentibus Romanæ Eccleſiæ aſſeclis) pertinet, verum, ad remiſſionem peccatorum prævia pœnitentia; quam facultatem Servator omnibus, quos miſit, dedit.

Cæterum, hic notandum eſt, Papam

(c) Conf Grot. L. 1. C. 1. §. 10. Vid. diſſ. procem. 1. §. 59. & 60. (d) Rapin hiſt. d'Anglet. Tom. V. p. 246. ſeq. (e) Conf. B. Par in diſp. de fund. in tern. juriſd. tit. 3. §. 21.

Digitized by Google

pam non ex hac ratione pro validitate matrimonii pronunciaſſe, quod diſpenſare ſibi de inceſtu morali liceat; ſed quod matrimonium cum defuncto fratre nunquam fuerit conſummatum, juramento id confirmante Catharina. Ex qua ratione Petrus quoque Portugalliæ rex Alphonſi fratris uxorem eo adhuc vivente duxit. Quo caſu diſpenſationi omnino locus eſſe poteſt.

§. LXIII. Hinc porro conſtat, Principem jus tertio quæſitum auferre non poſſe; quia æterna lex, quæ Principes quoque obligat, hæc eſt, ut jus ſuum cuique tribuatur.

Excipe ſi illi, quibus jus quæſitum eſt, conſentiant. Conſentire autem videntur qui in civitatem coëunt, & rerum ſuarum arbitrium in unum conferunt. Hoc igitur caſu jus civium tolli poteſt, ſi reipublicæ ſalus, vel utilitas id requirit. Hinc Civitas civem utut innocentem hoſti id poſtulanti dedere poteſt, ſi aliter civitas ſervari nequit. Ex hac ratione cives corpore, & bonis ſuis civitatem defendere tenentur; & ex eadem ratione certis quibuſdam caſibus libertas emendi, vendendi, nubendi &c. tolli poteſt.

At hoc verum tantum eſt in illis juribus, quæ a conſenſu dependent; ſecus igitur ſi Deo quoque jus quæſitum eſt: nam de jure Deo quæſito nemo diſpenſare, nec conſenſu ſubditorum, poteſt. *f*

§. LXIV. SUBJECTUM juris naturæ ſunt omnes creaturæ ratione utentes; adeoque & ſummæ poteſtates: cum enim ſolæ creaturæ ratione præditæ intelligant præcepta ſui Creatoris, etiam ſolæ inde obligantur.

Hinc præcepta juris naturæ non pertinent ad bruta. Immo nec furioſi, aut infantes in leges naturæ, ad effectum pœnæ, peccare poſſunt.

§. LXV. OBJECTUM juris naturæ eſt *jus*, quod vel Deo, vel cuique hominum, naturali ratione quæſitum eſt; cum enim lex naturæ conſiſtat in *jure ſuo* cuique tribuendo, neceſſario ſupponi debet, *jus* aliis natura quæſitum eſſe, quod eis tribui debeat.

§. LXVI. EFFECTUS juris naturæ eſt, 1. quod ei, cui jus aliquod naturali ratione quæſitum apparet, facultas competat de jure illo intra fines conceſſæ a natura facultatis diſponendi, illudque defendendi, ſive per judicia, ſive per bellum: 2. quod nemo facultates aliis conceſſas ulla ratione turbare, ſed cuique jura quæſita tribuere teneatur. Cum enim Creator præciſe voluerit, ut ſuum cuique tribuatur, non poteſt non ratione hominum neceſſitas oriri ut tribuant; quia contradictio eſt, Deum aliquid jubere, & rem tamen arbitrio hominum relictam eſſe.

§. LXVII. Merito autem definitioni addimus, homines jure naturali obligari *ſub comminatione pœnæ*: ſi enim homini juſſum illum tranſgredienti nihil metuendum eſſet, revera omnis obligatio ejus arbitrio relinqueretur; nec effectum obligatio haberet, quia impune omitti poſſet. Quod egregrie demonſtrarunt RICHARDUS CUMBERLAND[b], & SELDENUS. [c]

Sane, omnes gentes a rerum initio

(a) Jus meum. controv. L. 1. tit. 4. q. 11. & L. 42. tit. 3. q. 10. (b) De legibus naturæ Cap. V. per tot. & §. 12. 35. ſeq. (c) De jur. nat. L. 1. C. 4. pag. 47. 49. & 79.

Digitized by Google

tio ſacrificiis placare Deos ſolicitæ fuerunt: certiſſimo indicio, gentes conſcias ſibi fuiſſe transgreſſionis legum divinarum, atque ideo vindictam læſi numinis metuiſſe.

Apud Græcos, & Romanos, quorum teſtimonia in diſciplina philoſophiæ moralis magnam auctoritatem habent, ſupplicia apud inferos partem religionis conſtituebant.

HESIODUS juſtitiam Jovis filiam fingit, quæ apud patrem ſe læſam ab hominibus queritur; & tradit, Jovem ideo varias calamitates, variaque pœnarum genera in humanum genus decreviſſe [d]. CHRYSIPPUS teſtatur, Deum peccata hominum ulciſci [e]; & EPICTETUS ait, neminem ſine damno, & pœna malum eſſe. Optime rem explicat CICERO: *Quod ſi homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet, quænam ſolicitudo vexaret impios ſublato ſuppliciorum metu? Quod ſi pœna, ſi metus ſupplicii, non ipſa turpitudo deterreret ab injurioſa, facinoroſaque vita, nemo eſt injuſtus; at incauti potius habendi ſunt improbi: nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem, vel judicem* [f]. Et mox, *utiles eſſe has opiniones*, ait, *cum intelligit, quam multos divini ſupplicii metus a ſcelere revocaverit.* g

Supponimus autem *pœnas* non tantum temporarias, quæ cum vita finem accipiunt, ſed etiam tales, quæ poſt mortem infliguntur: idque ex natura, & eſſentia entis perfectiſſimi ſupponimus.

Cum enim experientia teſtetur, malis durante vita bene eſſe, neceſſario inde ſequitur, futuram eſſe aliam vitam, ubi reus tot criminum talionem paſſurus eſt; quia pugnaret cum perfectione divina, eos non punire, qui voluntati divinæ repugnant, & Creatoris ſui decreta nauci habent. Immo providentiæ divinæ injuria fieret, cujus præcipuum munus eſt obſervare actiones hominum, ad eum effectum, ut pro meritis juſta diſtributio fieri poſſit. Accedit, quod alias præcipua, immo ſola ratio naturalis, ex qua animæ immortalitas deduci poteſt, tolleretur: ideo enim animam ſuperſtitem gentes, & merito, judicaverunt, quia ens perfectiſſimum rariſſime pœnas a reis criminum in hac vita ſumere ſolet; unde ex natura illius entis collegerunt, id in futura vita fieri debere.

Inter Chriſtianos res extra omne dubium poſita eſt, quibus per revelationem id, quod ratio nobis ſuppeditat, confirmatum legimus.

Equidem inter veteres Philoſophos inventi ſunt multi, qui leges naturæ admiſerunt; at pœnas tales poſt mortem infligendas negarunt. CICERO juſtitiam naturalem firmiſſimis, uti vidimus, argumentis probat, adeo ut ſcelerum, atque impietatum nullam expiationem ſtatuat. Sed ubi pœnam deſcribit, addit, *homines pœnas luere non tam judiciis, ſed NB. ut eos agitent, inſectenturque furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu* [h]. Adeoque pœnam in mala conſcientia poſitam eſſe, ait, quæ vitæ fines non excedit. SENECA in conſolatione ad Martiam ait: *cogita, nullis defunctum malis affici; illas, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulas eſſe.... Luſerunt iſta*

(*d*) Ἔργων pag. m. 18. (*e*) Apud Græv. ad Cic. de offic. L. 1. C. 7. p. m. 27. (*f*) L. 1. de Legib. p. m. 430. 439. (*g*) d. Lib. 1. p. 440. (*h*) Lib. 1. de Legib. dict. pag. 430.

Digitized by Google

iſta Poëtæ, & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum & ſolutio eſt, & finis. [i]

De Sadducæis ipſa ſacra pagina teſtatur, eos nullas poſt mortem pœnas ſtatuiſſe; eamque ſententiam temporibus Joſephi obtinuiſſe, ipſe teſtatur. [k]

At mirum eſt, inter Chriſtianos quoque inveniri, qui pœnas poſt mortem infligendas ex ratione probari non poſſe, ajunt [l]; immo ipſas illas pœnas nihil aliud eſſe, ſtatuunt, quam afflictiones, & incommoda, adeoque mala phyſica, quæ crimina comitari ſolent [m]. In præcedentibus jam demonſtravi, pœnas poſt mortem negari non poſſe, niſi injuria inferatur providentiæ, & perfectioni divinæ. Pœnas autem illas, quæ ex nexu rerum ſumuntur, nec naturali ratione pœnarum nomine venire poſſe, adeoque exiſtentiam pœnarum re ipſa negari, alibi [o] probavimus.

Pœnæ autem non ſemper in æterna damnatione conſiſtunt, ſed & in carentia præmiorum in pœnis temporalibus, &c. Sane, pœnarum æque, ac præmiorum gradus dari, vix dubitare licet.

§. LXVIII. Quæri ſolet, quænam ſit differentia inter *jus naturæ*, & inter *præcepta moralia*, vel quod idem eſt, *virtutum regulas?* Reſp. præcepta moralia ſunt pars *juris naturalis*, quatenus illud *officia hominum erga Deum* reſpicit.

n. 1. Repetendum enim ex prioribus eſt, quædam eſſe jura naturali ratione *Deo* quæſita, quædam *hominibus inter ſe* (§. 50. & 52.) Jura, quæ *ſolum Deum* reſpiciunt, obligationem fallem producunt inter Deum, & homines, adeo ut ſi quis hominum jura illa violat, ſoli Deo reparatio debeatur, quia ſolius Dei jus læſum eſt. (§. 47.)

n. 2. Rem exemplo illuſtrabimus. Ponamus hominem, qui nemini injuriam infert, & cuique ſuum tribuit, at non amore juſtitiæ, nec pia intentione, ſed ſolo metu pœnæ, &c. Hic nemini, facit injuriam, adeoque *intuitu aliorum hominum* juſtus eſt; nihil eis abeſt, ad quod tribuendum agere poſſint.

At *intuitu Dei* non ſufficit, ad legem bonum eſſe; ille tanquam ens perfectiſſimum, modo perfectiſſimo leges ſuas vult impleri: adeoque *intuitu Dei* præter actus externos puritas quoque mentis requiritur in agente, quæ ſi deficit, jus Dei violatur, homo contra cultum Deo debitum agit; adeoque hoc jus Deo tribuere, & ſi non tribuit, ei pœnas dare debet.

n. 3. Ut autem exemplo aliorum virtutum id illuſtretur, ponamus, hominem nec liberalem eſſe, nec charitatis regulas obſervare, vel obſervare quidem, at non amore virtutis, ſed ex vana oſtentatione: neutro caſu jus aliorum hominum violatur. Nemini enim jus in meas res, & actiones quæſitum eſt; adeoque nemini aliquid abeſt, quod ei tribui debeat. Quia vero pars cultus eſt *imitari perfectiones divinas*, hactenus *Deo* jus quæſitum eſt, *ejuſque* jus violat, qui perfectionum regulas omittit, i.e. perfectiones divinas non imitatur, adeoque partem cultus divini negligit. (§. 50. ſeq.)

n. 4. Legiſlatores humani, qui ſecuritati

(i) Add. Sen. ep. 24. (k) De bell. jud. L. 2. C. 7. (l) Hobbeſ. Leviath. C. 31. pag. 168. & 172. & Cap. 44. pag. 300. (m) Hobbeſ. dict. locis. (o) Differt. procem. VIII. §. 13. & Diſſert. XI. §. 10.

Digitized by Google

curitati ſaltem ſuæ ſocietatis proſpicere ſolent, in conſtituendis legibus, & pœnis, præcipue ad *jura hominum inter ſe* reſpiciunt, & in id ſaltem intenti ſunt, ut jura civium inter ſe legibus pœnalibus tuta reddant, parum ſolliciti de actibus internis, de puritate mentis, & de officiis charitatis, i. e. de juribus Deo quæſitis: tum quia de puritate mentis legiſlator judicium ferre nequit, tum quia contemta religio ſatis Deum ultorem habere videtur; quam rationem allegat Imperator ALEXANDER (p). Ne tamen ſubditi hanc juris naturalis partem negligant, ſed ſalutis quoque ſuæ curam habeant, præcones in ſingulis civitatibus conſtitui ſolent, qui auctoritate publica officia hominum erga Deum ſubditis inculcarent, puritatem animi in obſervandis legibus commendarent, perfectiones divinas explicarent, imitationem earum, i. e. charitatis regulas, hominibus exponerent, modum colendi tum naturalem, tum revelatum docerent, præmia agentibus proponerent, & ſupplicia æterna immorigeris minarentur. (*Diſſ. proœm.* 3. §. 48.)

n. 6. Hinc Servator perpetuo provocat æque ad legem MOSIS, ac ad Prophetas; quia lex jura *hominum* inter ſe, Prophetæ autem jura *Dei* exponunt. Nam totam legem naturæ his duobus contineri, ait MOSES: *dilige Deum tuum ex toto corde, ex toto animo, & ex omnibus viribus; & proximum tuum ſicut te ipſum.*

§. LXIX. Porro quæri ſolet, quomodo jus naturæ differat a politica? Reſp. *Politica* non indicat quid juſtum ſit, ſed ibi ſaltem quæritur, an id, quod juſtum eſt, utile ſit; adeoque politica ſupponit, jure nos agere poſſe, & utilitatis ſaltem rationes indigitat, juxta quas examinare debemus, utrum nobis conveniat jure noſtro uti, an vero magis utile ſit jus noſtrum remittere. (q)

§. LXX. Quæſtio proponi ſolet, an ATHEUS vir bonus haberi poſſit? Quod negamus. Qua enim ratione vir bonus haberi poteſt, qui omnia licita ſibi eſſe exiſtimat; cui nihil ſacrum eſt, & qui nihil metuit, ſi modo clam crimina perpetrare poteſt? Quis, quæſo, tutus erit contra inſidias Athei? Equidem fateor, contingere poſſe, ut Atheus ſecundum leges civitatis tranquille vivat, inprimis ſi inclinatio animi eum non ad malum incitat. At tunc non eſt bonus vir, ſed inſtar boni viri vivit; adeoque vir bonus eſt ſolo exercitio. Verum enim vero cum omnis probitatis regula a Deo ſit, & in cultu, ac imitatione perfectionum divinarum conſiſtat (r), concipi vir probus non poteſt, ſi Deum non agnoſcit.

§. LXXI. Denique quæritur, an ſalvari poſſit homo juſtitiam naturalem implendo? In Theſi id affirmatur: nam damnatio pœna eſt, quæ infligitur ob transgreſſionem legis naturalis, ceſſante autem tranſgreſſione, ceſſat damnatio.

Cum vero nemo inter homines ſit, qui naturæ leges ex omni parte implere poſſit, cum, inquam, omne genus humanum ob tranſgreſſionem legis damnationi æternæ ſit obnoxium, facile conſtat, neminem in ſtatu corruptionis æternam ſibi ſalutem parare poſſe, niſi irato numini ſatisfecerit.

Equi-

(p) L. 2. C. Reb. cred. vid. diſſ. proœm. 3. §. 48. (q) Grot. Proleg. §. 57. Lib. 3. Cap. 12. §. 7. n. 1. (r) Vid. diſſert. proœm. II. §. 30. ſeq.

Equidem ſolis Chriſtianis verus ſatisfaciendi modus revelatus eſt, iiſque conſtat, nullam eſſe ſalutem extra fidem in Salvatorem; at cum hic modus non omnibus hominibus ſit revelatus, aſſerere non auſim, Deum omne reliquum humanum genus (quod non tam ſuo facto, quam ex transgreſſione primorum parentum peccat, & ſatisfactionis modum ſolis Chriſtianis revelatum ignorat: ceterum, per ſacrificia, &c. iratum numen placare ſtudet) damnare, æterniſque pœnis exponere voluiſſe. Merito igitur rem tanti momenti judicio divino relinquimus. Quod alibi uberius expoſuimus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

DE JURE DEI IN HOMINES

PROOEMIUM.

§. LXXII. DIXIMUS, omne jus naturæ conſiſtere in *ſuum cuique tribuendo* [s]; adeoque omnem obligationem hominum contineri hoc uno præcepto generali, ut *jus ſuum cuique tribuant* [t]. Diximus porro, naturali ratione jura quædam quæſita eſſe Deo, quædam hominibus inter ſe. [u]

§. LXXIII. PRIMO igitur agemus de juribus, quæ Deo propria ſunt, & quæ in *cultu* conſiſtunt; ubi cauſam, ſubjectum, objectum, & effectus *cultus divini* exponemus. [v]

§. LXXIV. SECUNDO recenſebimus *partes cultus divini*, quatenus ex ratione naturali deducuntur. [x]

§. LXXV. TERTIO agemus de jure, quod Deo competit in *hominem*, ejuſque *vitam*, *& actiones*, nec non *in res terræ*. [y]

CAPUT I.

De Juribus, quæ Deo propria ſunt, & in Cultu conſiſtunt.

§. LXXVI. JURA quædam Deo in homines competere, eique propria, ac quæſita eſſe, apparet ex *natura perfectiſſimi Creatoris.* Ratio enim nos docet, Deum exiſtere a ſe ipſo, adeoque eſſe ens perfectiſſimum, vel potius omnium perfectionum regulam, ac normam.

Hinc neceſſario ſequitur, omnia ea ad *jus Dei* pertinere, quæ ejus naturæ, ac perfectioni conveniunt, & omnia *jus ejus* lædere, quæ cum perfectione divina pugnant. (Supr. §. 67.)

His principiis poſitis apparet, CULTUM eſſe jus Deo proprium, & quæſitum, quia cultus nihil aliud eſt, quam æſtimatio perfectionis. Cum igitur

(s) Supr. §. 51. ſeq. (t) d. §. 51. ſeq. (u) Supr. §. 68. n. 1. (v) Vid. infr. Cap. 1. (x) Vid. infr. Cap. 2. (y) Vid. infr. Cap. 3.

Digitized by Google

tur Deus ſit ens perfectiſſimum, non poteſt non velle, ut a creatura ſua colatur, i. e. ut perfectio ejus merito ſuo æſtimetur. *Cultus* igitur eſt *jus*, quod Deo ex ſua natura *ſuum* eſt.

Hoc *jus* Deo quæſitum homo, opus Creatoris, violare, i. e. *cultum* ei denegare, vel perfectioni ejus aliquid contrarium ſtatuere nequit; qui proinde Deum non colit, jus Dei lædit, eique injuriam infert, quam reparare, i. e. jus ſuum cuique tribuere tenetur.

§. LXXVII. *Cauſa* cultus divini eſt *Dei voluntas*, qua coli ſe velle declaravit, & quæ ex ejus eſſentia neceſſario ſequitur; quia non velle coli imperfectionem infert, quæ in Deum non cadit. a

§. LXXVIII. *Subjectum* ſunt homines rationis uſum habentes. Hinc lex de colendo Deo ad bruta non pertinet, nec ad furioſos, & infantes, quia nec Deum, nec ejus voluntatem cognitam habent.

§. LXXIX. *Objectum* cultus ſunt omnes actus, qui ex natura, eſſentia, ac perfectione Creatoris inferuntur, & quibus neglectis perfectioni divinæ injuria fieret (*vid.* §. 71.). Singulas autem ſpecies cultus divini per indicem capite ſequenti indagabimus.

§. LXXX. *Effectus* cultus divini eſt, ut homines præciſe hæc jura ad cultum pertinentia Deo tribuere teneantur. Si igitur cultui huic contrarium aliquid agunt, injuriam Deo inferunt, unde oritur reparandi neceſſitas. b

§. LXXXI. Quæri ſolet, an Magiſtratus crimina in Deum commiſſa punire poſſit? Equidem conſtitutis civitatibus nulla ratio dubitandi ſupereſt, Magiſtratum non tantum *in violatores cultus naturalis*, ſed & *in eos, qui modum colendi publica auctoritate præſcriptum violant*, animadvertere poſſe.

Sane is, qui civitati ſe ſubmittit, promittit, ſe legibus civitatis pariturum: ſi non paret, violat fidem datam, atque ideo puniri poteſt; quæ pœna etiam ad vitam extendi jure poteſt, ſi motus ex contraventione legis vel oriuntur, vel metuuntur. c

Neque civis excuſare ſe poterit conſcientiæ prætextu, quia in ejus arbitrio eſt deſerere civitatem, & alibi conſcientiæ libertatem quærere: ſi hanc Princeps tollit, injuria agit (§. 106.). Merito autem excipimus caſum, ubi eis, qui aliena ſacra profitentur, fides publica data eſt. Hæc enim eis invitis violari nequit.

§. LXXXII. Hinc jam conſtat, civitati nullum jus coërcendi aliam civitatem propter impietatem competere, nec gentem aliam gentem ob crimina in Deum commiſſa punire poſſe. Unde negamus, bella in gentes propter Atheiſmum, idololatriam, aut aliam impietatem licita eſſe d: Niſi ipſe Deus vindictam certæ genti committat, quod in populis damnatis factum eſſe, hiſtoria ſacra nos docet.

CAPUT

(a) Supr. §. 47. (b) Vid. §. 76. (c) Vid. infra §. 106.

(d) Diſſentit Grot. L. 2. C. 20. §. 48. ſeq.

Digitized by Google

C A P U T II.

De Cultus Divini partibus.

§. LXXXIII. PRIMA, & præcipua cultus divini pars, quatenus ex ratione naturali inferri poteſt, conſiſtit in cognitione Dei, nimirum, *Deum exiſtere neceſſario* (*vid.* §. 24.). Hæc exiſtentia neceſſaria eſt jus Dei, quod a creatura ei tribui debet. Qui igitur exiſtentiam Dei neceſſariam negant, eo ipſo negant, ſe ab eo cauſam habere; adeoque ſe ejus imperio, & juri eximunt, eoque jus Dei violant, & injuriam in Deum committunt. Unde ſequitur, ATHEISMUM atrociſſimum crimen natura eſſe, quia jus Deo quæſitum ab ejus creatura aufertur.

§. LXXXIV. *Secunda pars* cultus eſt, *Deum* cognoſcere *unum* (*vid. d.* §. 24.); hæc enim unitas inſeparabilis eſt ab ejus exiſtentia, utpote quæ conceſſa cauſarum pluralitate plane fit incerta. Qui igitur pluralitatem Deorum ſtatuunt, revera exiſtentiam Dei negant, indeque jus Deo quæſitum auferunt, eoque injuriam Deo faciunt, unde POLYTHEISMUS itidem crimen eſt naturale.

§. LXXXV. *Tertia* cultus divini pars eſt, cognoſcere, *Deum* eſſe *ſpiritum*, (§. 24.) i. e. ens ab omni materia ſeparatum; contradictio enim eſt, materiæ facultatem cogitandi, aliaque attributa divina tribuere. Hoc attributum Deo ex ejus eſſentia proprium, indeque jus ei quæſitum eſt: qui proinde Deum rem materialem ſtatuit, eumque in imagine colit, adeoque Creatorem cum creatura confundit, injuriam enti perfectiſſimo infert, & jus Dei violat; unde *idololatria* ratione naturali crimen eſt.

§. LXXXVI. *Quarta* cultus divini pars eſt, *Deum credere Creatorem univerſi, & hominum* (vid. §. 26. & §. 100.), adeoque & dominum creaturarum, quia id negantes hoc ipſo tanquam ſubditi rebelles imperio divino ſe eripiunt, adeoque jus Dei turbant, indeque crimen læſæ Majeſtatis divinæ committunt. *Vid. Cap. ſeq.*

§. LXXXVII. *Quinta* cultus divini pars eſt, credere, *Deum eſſe providentem*, (vid. §. 27.) eumque *curare* non tantum ordinem naturæ, ſed & actiones humanas, ita ut præmia tribuat bonis, pœnas vero malis. Qui ergo negat providentiam, jus Dei tollit, Deum imbellem, & omnium rerum ignarum ſtatuit; & cum nihil a Deo aut ſperet, aut metuat, eo ipſo cultum ei denegat, quod naturali ratione impietatem infert.

§. LXXXVIII. Atque eadem ratio eſt reliquorum attributorum, nimirum, *omnipotentiæ*, & *omniſcientiæ*. (Vid. §. 28.) Si enim Deus non omnia *poteſt* agere, executio legum naturalium dubia redditur. Et ſi humanas actiones *ignorat*, neque præmia, neque pœnas pro merito tribuere poteſt agentibus. Quo ipſo omnis effectus legis naturalis ceſſat.

§. LXXXIX. Atque hæ ſunt notiones, quas contemplativas vocat GROTIUS,

Digitized by Google

TIUS, & quàs culpa non vacare, ait *e*. Ex his jam ſequuntur notiones activæ. Nam poſito fine, i. e. cultu neceſſario, etiam ponitur, Deum omnia fieri voluiſſe, ſine quibus cultus ille perfici nequit; adeoque homines nihil omittere poſſe, quod cultui illi, vel indirecte, vel directe repugnat (*vid.* §. 47. 49. & 52.). Hinc igitur ſequitur,

§. XC. *Sexto*, Deum adorandum, & laudandum eſſe. Adoratio enim, & laus, ſunt media perfectionem divinam manifeſtandi, gratique animi notam teſtificandi, adeoque modi colendi Deum. Qui ergo injurias in Deum evomit, is cultum ei debitum denegat, adeoque jus Deo proprium violat, unde *blaſphemia* naturali ratione delictum eſt.

§. XCI. *Septimo*, pœnitentia cultus divini pars eſt; cum enim offendamus quotidie ens illud perfectiſſimum, ratio nobis dictat, pœna divina nos dignos eſſe, adeoque placari offenſum numen debere, quod nonniſi pœnitentiam agendo fieri poteſt. Atque hæc ratio eſt, cur omnes gentes ſacrificia Diis iratis obtulerint.

§. XCII. *Porro*, preces quoque pars cultus ſunt. Cum enim omnia bona a Deo veniant, gratias ei pro beneficiis in nos collatis agere, & implorare ejus opem neceſſario debemus, ut bonorum illorum participes nos faciat, & mala avertat. Si enim id negligimus, vel id fit opinione meriti noſtri ſufficientis, vel ex contemtu. Utrumque pugnat cum cultu divino, adeoque cum jure naturali.

§. XCIII. Atque hæc *immediate* ad cultum divinum pertinent. Sunt autem præterea quidam actus, qui *mediate* ad cultum divinum referuntur, & ſic naturali quoque ratione præcepti cenſeri debent.

Ita enim *Octavo* is, qui per nomen Dei jurat, vel *promittendo* aliquid, vel *aſſerendo g*, neceſſario fidem datam ſervare, vel verum dicere tenetur; quia ſi fidem fallit, vel falſum aſſerit, Deum teſtem perfidiæ, & mendacii adhiberet, quod cum perfectione divina, adeoque ejus cultu pugnat: quod plenius in materia de promiſſis *h* explicabimus.

§. XCIV. *Nono*, ſpecies quoque cultus eſt, *jus ſuum cuique tribuere*, i. e. officia hominibus jure naturæ debita præſtare. Cum enim alibi *i* probatum a nobis ſit, Deum legem dediſſe hominibus, ut ſuum cuique tribuant; inde neceſſario ſequitur, divinæ perfectioni inſultare eum, qui voluntatem illam violat. Atque hinc legem naturæ turbare, i. e. jus ſuum cuique non tribuere, crimen natura eſt; & jus Deo competit, pœnam ſive immediate, ſive per vicarios ſuos exigendi ab hominibus transgreſſoribus illarum legum.

§. XCV. Hinc jam apparet, homines contra Dei voluntatem, & juſſum agentes cultui ipſius aliquid contrarium perpetrare, *etſi aliis hominibus jus ex tali facto non auferatur.* Quoties enim de voluntate Creatoris conſtat, certum eſt, hominibus jus non eſſe voluntatem illam divinam evertendi: jus enim Deo quæſitum auferrent.

Atque ex hoc principio *Sodomia*, *Antocheiria*, *Caſtratio*, *Blaſphemia*, *Inceſtus*, *&c.* crimina ſunt jure naturæ prohi-

(*e*) Lib. 2. C 20. §. 46. (*g*) Vid. infr. l. 5. c. 3. Sect. 1. (*h*) Dict. lib. 5. c. 3. (*i*) Vid §. 41. §. 46. ſeq.

prohibita; quia etſi aliis hominibus nulla fiat injuria, nec jus eorum turbetur, tamen jus Dei violatur: finis enim creationis, i. e. voluntas Creatoris, evertitur, eoque cultus ei debitus tollitur.

Atque huc quoque pertinet crimen *Onaniticum*. Crimen hoc occaſione Onani filii Judæ nomen accepit, qui cum fratris viduam ducere ſecundum legem coactus fuit, ſemen in terram dejecit, quia liberi inde nati non ſui, ſed defuncti fratris eſſe reputarentur; & ideo morte mulctatus a Deo eſt [k]. Hinc hodieque multi ſunt, qui capitali pœna eum dignum ſtatuunt, qui ſemen perdit. [l]

§. XCVI. Hæc igitur capita ſunt religionis naturalis, quæ dictante recta ratione omnibus hominibus innoteſcunt. Cum igitur eis conſtet, jus hoc Deo quæſitum eſſe, neceſſario inde ſequitur, hoc jus ab hominibus ei tribui debere, nec ſine ſcelere Deo auferri poſſe.

§. XCVII. *Denique* jus quoque Dei violatur, *ſi quis perfectionum regulas omittit*, adeoque liberalitatem, charitatem, patientiam, &c. cum poſſit, non exercet; cum enim cultus divini pars ſit imitari perfectiones divinas, adeoque & benefacere aliis, injuriam Deo infert, qui partes hujus cultus negligit. Et licet in foro ſoli actio in eum non detur, Deum tamen pœnas ideo olim ſumturum eſſe, certum eſt; & ex ipſa perfectione divina ſequitur. (*Vid. Diſſert. proœm.* 2. §. 32. & 33.)

§. XCVIII. Omnia reliqua religionum capita, quæ ad *modum colendi* pertinent, non ex ratione fluunt, ſed per revelationem demum publicata ſunt; qui igitur revelationem illam non credit, errat, at crimen naturali jure non committit. Unde is, qui in *aliis fidei articulis errat*, criminis reus natura non eſt; hi enim argumentis mere naturalibus perſuaderi non poſſunt, ſed nituntur hiſtoria tum reſurrectionis Chriſti, tum miraculorum ab ipſo, & Apoſtolis editorum: quæ res eſt facti, olim quidem irrefragabilibus teſtimoniis probata, ſed olim; ita ut & hæc quæſtio facti ſit, & jam perantiqui: quo magis fit, ut hæc doctrina ab his, qui nunc primum eam audiunt, penitus in animum admitti nequeat, niſi ſecretis Dei auxiliis accedentibus, &c. Quæ ſunt verba Grotii. [m]

§. XCIX. Ceterum, alibi jam dictum eſt, Magiſtratum eos, qui his religionis capitibus ſubſcribere detrectant, civitate pellere, & ſi contra legis prohibitionem eis aliquid contrarium doceant, & inde motus oriantur, corporis, immo capitis pœna plectere poſſe. Prohiberi autem cultus civibus nequit, ſi fides publica eis ſemel data ſit. (*Vid.* §. 81.)

CAPUT III.

De jure, quod Deo competit in corpus, & vitam hominum, nec non in res terræ.

§. C. Diximus in præcedentibus, partem quoque cultus divini eſſe, *Deum credere Creatorem univerſi.* (§. 26. §. 38.)

Ex

(k) Gen. 38. v. 8. 9. & 10. (l) Matth. de Crim. tit. 3. §. 6. n. 8. in f. (m) Lib. 2. C. 20. §. 48. n. 1.

Ex hac autem qualitate Creatoris duo neceſſario ſequuntur: 1. quod Deus jus pleniſſimum habeat in *corpus*, *vitam*, & *actiones* ſuæ creaturæ; 2. quod ſupremum dominium ei competat in *res* hujus terræ.

n. 1. *Primo* igitur Deo pleniſſimum jus competit in *corpus*, *vitam*, & *actiones hominum*. Homo enim eſt opus Creatoris, qui potuit eum creare, vel non creare, adeoque & lege, qua vult, creare. Creatura igitur hæc ab arbitrio Creatoris dependet, nec aliquid extra Deum eſt, quod arbitrium hoc impedire poſſit. Deus ergo pro lubitu de ſua creatura diſponere, eique vitam quovis mortis genere auferre poteſt. Atque hoc jure nititur mandatum Abrahamo datum de immolando Iſaaco.

Neque obſtat, hac ratione Deo facultatem tribui homines innocentes cruciatibus exponendi, &c. quod cum ejus perfectione pugnaret. Reſp. Cum omnes homines peccato, adeoque & pœnæ ſint obnoxii, nemo coram Deo innocens dici, adeoque nemo hominum de injuria queri poteſt. Verum, & cruciatus illi aliquando tendunt ad explorandam fidem, & conſtantiam electorum, vel ad manifeſtandam gloriam Dei, vel in ſalutem eorum, qui caſus tales patienter tulerunt, vergunt; idque exemplo Jobi alibi probavimus. *n*

n. 2. *Secundo*, ex eadem qualitate Creatoris ſequitur, eum ſupremum dominium in *res terræ* jure ſuo ſibi vindicare. Is enim auctor eſt omnium rerum, quarum uſum quidem conceſſit hominibus, dominium ſupremum autem ſibi reſervavit. Ex hoc igitur imperio pro lubitu de rebus terræ diſponere, eas dignis auferre, & indignis conferre poteſt, nec ulli hominum hactenus fit injuria, quia Deus ſuo jure utitur.

Atque pro hoc ſupremo dominio juſſit Iſraelitas, ut vaſa Ægyptiorum auferrent, Jobumque omnibus exuit bonis.

n. 3. Si quis ergo hominum eo impudentiæ proceſſerit, ut Deo ſuccenſeat quod morbo afficiatur, quod violentæ morti deſtinetur, quod bona ei auferantur, quod honoribus deſtituatur, &c. is negat ſupremum jus Dei in creaturam, adeoque ejus imperio ſeſe eximit; quod pugnat cum cultu Deo debito: inprimis cum cognitum hominibus eſſe debeat, Deum ens perfectiſſimum calamitates illas nonniſi ex juſtis inferre cauſis. *Vid. n.* 1.

§. CI. Ceterum, pleniſſimum jus rebus terræ utendi creaturæ ſuæ conceſſit rerum Creator; & hæc facultas naturali ratione nullo modo reſtricta apparet. Unde liquet, diſtinctionem in res *divini*, & *humani* juris [o] eſſe juris civilis; adeoque jure Romano demum ſtatutum eſſe, ne res *divini juris* in commercio hominum ſint, & ne in proprietatem ſingulorum venire poſſint.

§. CII. Res autem *divini juris* triplices faciunt JCti Romani: nimirum, *ſacras*, *ſanctas*, & *religioſa*; de quibus ſingulis infra *Lib.* 4. *Cap.* 1. agemus.

(n) Differt. proœm. I. §. 60. & ſupr. §. 61. (o) L. 1. ff. Rer. div.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

DE JURE PERSONARUM,

Seu de Jure, quod cuique competit ex hominum ſtatu.

PROOEMIUM.

§. CIII. EXPLICAVIMUS jura, quæ *Deo* competunt, eique ex ſua natura, ac eſſentia propria, ac quæſita ſunt, & quæ homines Deo tribuere tenentur: ſequuntur nunc jura, quæ *hominibus* competunt, quæ naturali ratione ſingulis quæſita ſunt, adeoque quæ homo homini tribuere tenetur.

§. CIV. Repetendum autem ex præcedentibus eſt, omne jus, quo homines inter ſe utuntur, pertinere [p] vel ad *perſonas, earumque ſtatum*, vel ad *res*, vel ad *obligationes perſonæ*. [q]

Incipiemus a *jure perſonarum*, i. e. a jure, quod cuique competit *ex ſtatu hominum.* Hæc enim paria JCtis Romanis eſſe, vel exinde apparet, quia titulus, qui in inſtitutionibus inſcribitur *de jure perſonarum*, in Pandectis recenſetur ſub rubro *de ſtatu hominum.* [r]

§. CV. Agemus autem *I.* de ſtatu hominum in genere. *Vid. Cap.* 1.

II Perſonarum differentias, quatenus ex ſtatu hominum oriuntur, explicabimus. *Vid. Cap.* 2.

III. Speciatim agemus de ſtatu libertatis. *Vid. Cap.* 3.

IV. Sequetur tractatio de ſtatu familiæ; ubi de nuptiis, de patria poteſtate, & de tutela agetur. *Vid. Cap.* 4.

Denique *V.* Explicabimus ſtatum civitatis. *Vid. Cap.* 5.

CAPUT

(p) L.b. 1. ff. de ſtat. hom. (q) Vid. ſupr. §. 52. (r) Vid. tot. tit. ff. de ſtat. hom. Lib. 1. Lib. 2. ff. eod.

Digitized by Google

C A P U T I.

De ſtatu hominum in genere.

§. CVI. STATUS HOMINUM *eſt conditio, per quam perſona capax ſit jurium, quæ ad ſtatum hominum pertinent* [s]. Hic *ſtatus* vel in *genere* homines reddit jurium capaces, vel ſaltem jurium *quorundam*.

§. CVII. Ad *priorem* ſtatus ſpeciem refertur *libertas*. Unde *ſumma* diviſio dicitur perſonarum, quod alii ſint liberi, alii ſervi [t]. Ut igitur perſona jurium in genere capax ſit, requiritur, ut *libera*, i. e. alieno dominio non ſubjecta ſit; ſi enim ſtatus hic ceſſat, omnia perſonæ jura, i. e. omnes ejus facultates agendi, vel habendi, alieno dominiò ſubjacent, adeoque ipſa nullius juris capax eſt.

§. CVIII. Ad *poſteriorem* ſtatus ſpeciem pertinet 1. *Civitas*; ut igitur perſona de juribus civitatis participare poſſit, requiritur, præter libertatem, ut membrum ſit illius civitatis; ceſſante enim civitate, perſona ab omnibus juribus illi civitati propriis excluditur: 2. *Familia*; nemo enim etſi liber, & licet civis ſit, jura familiæ ſibi arrogare poteſt, niſi pars ſit illius familiæ. Qui proinde ſtatum hunc familiæ non habent, incapaces ſunt eorum jurium, quæ familiæ adhærent.

§. CIX. Recte igitur JCti Romani ajunt, tria nos habere ad eum effectum, ut jurium civilium ſimus capaces, *libertatem*, *civitatem*, & *familiam*. [u]

§. CX. CAUSA *ſtatus hominum* eſt ipſa ratio naturalis, quod in ſingulis ſpeciebus probabimus.

§. CXI. SUBJECTUM illius ſtatus ſunt perſonæ, quatenus vel *liberæ* ſunt, vel *cives*, vel membra *familiæ*.

§. CXII. OBJECTUM ſtatus hominum ſunt jura, quæ ex *libertate*, *civitate*, & *familia* oriuntur.

§. CXIII. EFFECTUS intuitu ejus, qui ſtatum habet, in eo conſiſtit, quod jura, quæ ſtatum illum comitantur, defendere poſſit vel bello, ſi ſit ſumma poteſtas, vel per actiones, quas JCti Romani vocant *actiones præjudiciales*. [v]

Hæ actiones neque ſunt reales, nec perſonales. Non *reales*, quia ex hypotheſi juris Romani quatuor ſaltem ſunt ſpecies juris in re, ex quarum nulla actio præjudicialis oritur: neque *perſonales*, quia actionibus præjudicialibus non agimus ut alter aliquid faciat, vel præſtet, ſed ut agnoſcat, me eſſe liberum, vel civem, vel membrum familiæ.

Neque obſtat, jure Romano has actiones *in rem dici* [x], indeque & a Docto-

(*s*) Laut. comp. tit. de ſtat. hom. pr. B Parens in hyp. inſt. tit. de Cap min. §. 1. Struv. Ex. 3. th. 6. (*t*) L. 3. ff. ſtat. hom. (*u*) l. fin. ff. Cap. dem. (*v*) §. 13. inſt. de act. L. 5. §. 18. ff. Agnoſc. Lib. l. 130. pr. l. 37. O. A. L. 1. §. 2. R. V. Robert. Lib. 1. ſent. 13. Rævard. L. 1. & 2. de præjudiciis Bachov. do action. Diſp. 2. th. 19. & ad Treutl. vol. 2. diſp. 26. th. 4. & late Muller ad Struv. Ex. 40. §. 62. lit. a. (*x*) §. 13. inſt. act. ibique Theoph.

Digitized by Google

Doctoribus [y], & a GROTIO [z] quoque eo referri. Reſp. Pugnat id cum natura actionum realium. Per actiones *in rem* aſſero, rem meam, & in meo dominio eſſe: quis vero ſtatuet, parentes, liberos, uxores, agnatos, cives, &c. in dominio eſſe ejus, qui præjudiciali actione agit? Sane, diſerte traditur in jure Romano [a], liberas perſonas, quæ ſunt juris noſtri, uti liberi, non peti per rei vindicationem, ſed præjudiciis, i. e. actionibus præjudicialibus.

§. CXIV. Homo, qui ſtatum habet, *caput* vocatur, unde quoties ſtatus ille mutatur, *capite* minui dicitur. Uti igitur ſtatus hominum triplex eſt, ita & mutatio ſtatus, ſeu *capitis deminutio*, triplici modo contingit, nimirum, ſi *vel* libertas tollitur, *vel* civitas aufertur, *vel* ſi quis membrum familiæ eſſe deſinit.

§. CXV. Antequam vero ſingulas ſpecies, quæ ſtatum hominum conſtituunt, explicemus, differentias perſonarum in genere prius examinabimus.

CAPUT II.

De Perſonarum differentia quoad effectum Juris.

§. CXVI. UT appareat, quænam perſonæ ſtatum habeant, neceſſe eſt examinare differentias perſonarum.

§. CXVII. Perſonæ I. vel ſunt *liberi*, vel *ſervi* [b]. LIBERI ſunt, qui ſuo arbitrio omnia agunt, quæ jure, vel vi non prohibentur: SERVI, qui alieno dominio ſubjiciuntur.

§. CXVIII. Liberi ſunt vel *ingenui*, qui liberi nati, nec in juſtam ſervitutem redacti ſunt [c]: vel *libertini*, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt [d]; hi igitur naturali ratione quoque ab ingenuis differunt, quia ex diſpoſitione dominorum ſub certa lege libertatem conſecuti ſunt. Merito igitur JCtus ait [e], jure gentium (i. e. naturæ) triplex hominum nomen ortum eſſe, *liberorum*, *ſervorum*, *&* *libertinorum*.

§. CXIX. Perſonæ *II.* ſunt vel *ſui*, vel *alieni juris* [f]. SUI JURIS ſunt qui alterius poteſtati non ſubjacent, ut patres familias, & matres familias [g]. ALIENI JURIS, qui ſunt ſub poteſtate patria [h], vel dominica. [i]

Non ergo alieni juris eſt I. UXOR, quia non eſt in dominio mariti conſtituta, ſed ſocia, ac conſors jurium maritalium, adeoque ſui juris [k]: nec 2. PUPILLUS etſi ſub tutela conſtitutus [l]; nam is ſuo jure omnia habet, & agit, adeoque alieno dominio non eſt ſubjectus, ſed adminiſtratio ſaltem conceditur tutori.

§. CXX.

(y) Conf. B. Par hyp. inſt. tit. de Act. §. 16. (z) Grot. L. 2. C. 10. §. 1. Diſſ. proœm. V. §. 13. & §. 15. (a) L. 1. §. 2. R. V. (b) pr. inſt. de jur. perſonar. (c) Tot tit. inſt. de ingenuis. (d) pr. inſt. de libertinis.

(e) in L. 4. ff. de juſt. & jur. (f) Tot. tit. inſt. De his, qui ſui, vel al. (g) Leg. 1. L. 4. ff. his, qui ſui, vel al. (h) Vid. Cap. 5. (i) Vid. infr. §. 130. (k) L. 4. his, qui ſui, vel al. jur. (l) d. L. 4.

Digitized by Google

§. CXX. *III.* Perſonæ ſunt vel *cives*, vel *extranei*. CIVES, qui jurium civitatis, cujus pars ſunt, capaces ſunt: EXTRANEI, qui non ſunt pars civitatis, adeoque a juribus civitatis illius excluduntur. [m]

§. CXXI. *IV.* Perſonæ ſunt vel *ſub tutela*, & *cura*, vel *non ſunt* [n]. *Illæ* ſunt, quæ per ætatem, vel aliam cauſam, ſe ipſas defendere non poſſunt, uti impuberes, furioſi, &c. Harum enim perſonarum curam vel familia, vel civitas ſuſcipere tenetur; de quo mox.

§. CXXII. Præterea perſonæ ſunt [*a*] vel nati, vel naſcituri [o]; [*b*] vel maſculi, vel fœminæ, vel hermaphroditæ [p]; [*c*] vel uxores, vel virgines, vel viduæ, &c. At hæ differentiæ ad ſtatum perſonarum non pertinent. [q]

Natura enim conditionem harum perſonarum nulla ſpecialia jura comitantur, neque commoda quædam propria huic qualitati cohærent, ſed eadem jura in naſcituris, in fœminis, in hermaphroditis, in virginibus, & viduis obtinent, quæ in natis, in maſculis, in uxoribus, &c.

Cum vero naſcituri præſens jus non habeant, ſed eventuale, ſi ſcilicet nati fuerint, interim venter jura naſciturorum repræſentat. Hinc mater ventris nomine in poſſeſſionem mittitur [r] (at ſi per calumniam ſe gravidam dixerit, actione in factum ideo tenetur [s]). Ad exemplum hujus juris Prætor quoque, ſi venter præteritus fuerit a patre, matrem mittebat in poſſeſſionem dato curatore. [t]

CAPUT III.

De ſtatu Libertatis, & modis illum finiendi.

§. CXXIII. PRIMUS, ac præcipuus hominum ſtatus, eſt STATUS LIBERTATIS. [u]

§. CXXIV. *Libertas* autem a Jctis Romanis definitur, *facultas naturalis agendi quicquid libet, niſi ſi quid vi, vel jure prohibeatur* [v]. PERSIUS [x] libertatem eodem modo deſcribit.

Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit?

Libertas ergo duo ſupponit: 1. *facultatem naturalem agendi quicquid libet*. Unde PERSIUS alio loco ait, [xx]

An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet ut voluit?

CICERO [y] deſcribit libertatem, *poteſtatem vivendi ut velis*, &c. Eaque definitio Stoicorum eſt; ut ex Laertio, & Epicteto probat LIPSIUS. [z]

Sup-

(*m*) Laut. comp. p. 12. in fin. (*n*) §. 1. & 2. inſtit. De tutelis. (*o*) Laut. Comp. pag. 13. (*p*) Laut. d. p. 13. (*q*) Diſſentit. Struv. Ex. 3. th. 1. & 2. (*r*) tot. tit. ff. ſi ventris nomine &c. (*s*) tot. tit. ff. ſi mulier ventris nomine &c. (*t*) tot. tit. ff. de ventre in poſſeſſ. mitt. (*u*) Unde ſumma perſonarum diviſio dicitur, quod alii ſint liberi, alii ſervi. L. 3. ff. de ſtat. hom. (*v*) L. 4. pr. de ſtat. hom. (*x*) Satyr. 5. v. 89. (*xx*) ibid. v. 83. (*y*) Paradox. v. (*z*) Manud. ad phil. Stoic. L. 3. diſſ. 12.

Supponit 2. *ut facultas illa naturalis non ſit jure, vel vi reſtricta* [a]. Alibi [b] enim probavimus, ſolam potentiam naturalem hominibus jus agendi non dare, quia eadem potentia brutis quoque communis eſt; ſed tunc demum jus agendi ipſis a Creatore conceſſum eſſe, quando facultas illa non eſt *jure* prohibita.

Sane, Deus humano generi facultatem ratiocinandi conceſſit, cujus ope cognitum hominibus eſt, Creatori jura quædam in creaturam quæſita eſſe [c], quæ Creatori neceſſario tribui debent. Hactenus igitur facultates hominum naturales agendi quicquid libet *intuitu Dei* reſtrictæ, & prohibitæ ſunt. Sed & ex eadem ratione cuique hominum innoteſcit, Deum aliis quoque hominibus facultates naturales, & æquales, agendi quicquid libet, conceſſiſſe; in quas proinde facultates alienas nullum jus nobis competit: unde neceſſario ſequitur, noſtras facultates naturales *intuitu aliorum hominum* quoque reſtrictas, & prohibitas eſſe.

Sed & *vi* prohiberi facultates naturales, JCti Romani ajunt. Quod fit ſi prædo vincula alicui injicit, eoque eum impedit, quo minus libere, i. e. juxta illas facultates naturales agere poſſit. Hinc non libere agit qui metu coactus aliquid promittit [d]; & nihil magis contrarium bonæ fidei videtur, quam vis, & metus [e]. Atque hinc amittit poſſeſſionem, qui metu prædonum fundum ſuum ingredi non audet; deficit enim facultas naturalis rem tenendi. [f]

§. CXXV. Hinc jam nobis innoteſcit, quid JCti Romani per STATUM LIBERTATIS intelligant, nimirum, *jus perſonæ* [g] *inhærens, vi cujus agere poteſt quicquid vult, exceptis eis, quæ jure, vel vi prohibentur.* Hoc jus perſonæ igitur in eo conſiſtit, quod homo ſui juris, i. e. corporis ſui, ſuarumque actionum, ac rerum arbiter, adeoque alieno dominio non ſubjectus ſit.

Etſi igitur quædam facultates naturales agendi *jure*, vel *vi* prohibitæ ſint, *ſtatus libertatis* ideo non tollitur, vel mutatur; ſi enim *jure* facultates naturales prohibentur, actus illi, a Creatore prohibiti, moraliter pro impoſſibilibus habentur, adeoque libertatem agendi, quæ quoad actus jure prohibitos nunquam ſuit, non imminuunt. Si *vi* facultates quædam prohibentur, injuria id fit: adeoque jus agendi quicquid lubet ſubſiſtit, facultas moralis manet, & perſona *libera* dicitur. Atque hinc a latronibus captus non fit ſervus [h], ſed *ſtatum libertatis* retinet, etſi omnes ejus facultates naturales *vi* prohibeantur.

§. CXXVI. *Status* igitur *libertatis* eſt *jus* cuique hominum naturali ratione, & ex Creatoris voluntate ſuum, proprium, & quæſitum.

Apparet id *I.* ex *actione Creatoris*, qui cuique homini proprias agendi facultates dedit, adeoque voluit, ut homines juxta facultates illas, i. e. *libere*, agant. Unde neceſſario ſequitur, alios homines facultates illas impedire, vel turbare non poſſe, quia creatura tranſiret divinæ voluntatis lineam, quæ ſuum cuique dedit, & quid ſuum cujuſque

(a) L. 4 pr. de ſt. hom. Perſ. d. Sat 5. (b) Diſſert. proœm. 4. §. 42. n. 10. Diſſ. 8. §. 13. n. 2. Diſſ. 10. §. 21. (c) Vid. ſupr. §. 76. ſeq. (d) L. 21. §. 4. ff. Quod met. cauſ. (e) L. 116. Reg. jur. (f) L. 7. l. 52. in fin. de Acq. poſſeſſ. (g) Nam ſtatus hominum ab Imperatore vocatur jus perſonarum. Tot. tit. inſt. de jur. perſon. (h) L. 24. ff. captiv. & poſtl.

Digitized by Google

juſque eſſe voluerit, definivit. Qui igitur facultates alii conceſſas turbat, injuriam infert Creatori, perrumpendo fines ab ipſo ſtatutos. [i]

Confirmatur *II.* hæc voluntas Creatoris ex *motibus cuique hominum a natura inditis.* Omnes enim homines ad libertatem trahuntur magis, quam feruntur, ac dominium alterius averſantur. Creator igitur per hos motus, quos creaturæ ſuæ indidit, ſatis declaravit, ſe voluiſſe ut homines juxta illos motus, i. e. *libere* agant. Nemo ergo motus hos impedire, ac contra intentionem Creatoris libertatem agendi alii adimere poteſt.

Libertatem jus hominum eſſe, probatur *III.* ex *fine actionis.* Sane, nulla ratio dari poſſet, cur Deus cuique propriam, & omnibus æqualem agendi facultatem dederit; cur inſtinctum in unaquaque creatura condiderit, qui eam ad libertatem ducit, & vi cujus ab omni ſervitute abhorret: niſi ea fuiſſet Creatoris intentio, ut cuique jus ſit juxta illas facultates, & juxta illos motus agendi. Creatura igitur *finem* hunc intervertere, & jus aliquod in facultates, quas Creator aliis proprias eſſe voluit, ſibi arrogare nequit. Sane, ſi homo in alterius hominis facultates dominium ſibi arrogare poſſet, mutuum inter homines oriturum eſſet bellum, nonniſi deſtructione humani generis finiendum. Quod itidem cum *fine* creationis pugnat, ex quo apparet, conſervationem humani generis curæ Creatori eſſe.

Homines natura liberos, i. e. alieno dominio non ſubjectos eſſe, apparet *IV.* ex *natura entis perfectiſſimi.* Sane, fruſtra Creator cuique hominum proprias, & non prohibitas facultates agendi conceſſiſſet, fruſtra motus indidiſſet humano generi, quo dominium alienum averſantur homines, &c. ſi jus cuique eſſet alios ſuo dominio ſubjiciendi: Deus autem nihil fruſtra agit.

Denique & *V.* omnes gentes in eo conveniunt, homines natura liberos naſci [k]. Hinc JCti Romani ſervitutem contra naturam, i. e. contra factum, & finem creationis, introductam eſſe, tradunt.

§. CXXVII. *Subjectum* ſtatus libertatis ſunt omnes homines, etiam liberi, uxor, & pupilli; licet in patris, mariti, & tutoris poteſtate ſint conſtituti. Etſi enim facultates eorum naturales agendi quoad certos actus *jure* ſint reſtrictæ, *ſtatus* tamen *libertatis* manet, neque ideo alieno dominio ſubjiciuntur. (§. 125.)

§. CXXVIII. *Objectum* illius ſtatus eſt facultas naturalis agendi quicquid lubet, niſi ſi quid jure, vel vi prohibeatur.

§. CXXIX. *Effectus* ſtatus libertatis eſt, quod is, qui *ſtatum* talem habet, ſui juris eſſe dicatur, & a nullius arbitrio dependeat, i. e. alieno dominio non ſit ſubjectus; atque ideo facultatem habeat agendi quicquid lubet, quatenus jure, vel vi non prohibetur.

Hinc ſequitur, neminem alium ſtatum hunc libertatis, jus hoc cuique hominum quæſitum, turbare, i. e. alium ſuo dominio ſubjicere poſſe: injuriam enim committeret, tum in *Creatorem*, qui omnes homines liberos eſſe voluit,

(*i*) Diſſ. procem. X. §. 5. in add. ad lit. l. & §. 8. lit. e. f. g. (*k*) L. 4. ff. juſt. & jur. §. pen. inſt. de Libertin. Senec. Lib. 5. ep. 57.

(*l*) L. 4. §. 1. ff. ſtat. hom. Conf. Diſſ. procem. IV. §. 42. n. 7.

voluit, tum in *homines*, quibus Creator jus illud conceſſit, quod proinde eis ab aliis hominibus tribui debet.

§. CXXX. Tollitur ſtatus libertatis per *ſervitutem*, quæ eſt *conſtitutio juris gentium*, *qua quis alieno dominio contra naturam ſubjicitur* [m] ita, ut facultates naturales agendi, vi vel jure non prohibitæ, ab alieno arbitrio dependeant.

Quæri ſolet, an *ſervitutis ratio ſit a jure naturali?* Equidem plerique Doctores ſervitutem, quæ jus vitæ, & necis domino tribuit, contrariari naturali juri ajunt, indeque *jure gentium voluntario* demum ſervitutes introductas éſſe, ſtatuunt [n]: at verius eſt, ſervitutes ex ipſo jure naturali originem cepiſſe. Certum enim eſt, cuique hominum non tantum jura quædam a Creatore aſſignata eſſe, quæ ab aliis turbari, vel auferri non poſſunt; ſed & eos, qui jura illa turbaut, vel auferunt, reparare hanc injuriam teneri, vel damnum reſtituendo, vel talionem patiendo: quæ talio aliquando ad amiſſionem vitæ, & bonorum, extendi poteſt.

Cum igitur hoſtis in nos, noſtramque civitatem, arma ſumit, cives noſtros interimit, bona civitatis rapit, & vaſtat, &c. adeoque non tantum jura naturali ratione nobis quæſita aufert, ſed & reparationi juris noſtri injuria (ex judicio noſtræ civitatis) reſiſtit, nulla dubitandi ratio ſupereſt, quin in tales hoſtes, ſi capti ſunt, omnia liceant, utpote qui per victoriam rei facti ſunt [o], adeoque mortis ſupplicio digni ſunt [p]. Sane, cum in eos, qui unius homicidii rei ſunt, vel ſaltem opem præſtiterunt, aut conſilio adjuvarunt, capitis pœna naturali jure ſtatuta ſit [q], multo magis ab eis ſanguis repoſci poterit, qui promiſcue in totam civitatem, ejuſque cives graſſantur, cædibus civitatem implent, & bona civium rapiunt, vaſtant, &c.

His principiis poſitis neceſſario ſequitur, hoſti in pœnam uti omnia jura, ita & libertatem auferri poſſe; adeoque jus quoque eſſe tales hoſtes capiendi, eoſque in ſervitutem redigendi. Quem enim ſtatim occidere licet, eum magis ſervare, ac dominio noſtro ſubjicere, & ſupplicium (reſervato jure vitæ, & necis) differre licitum eſt. [r]

Atqui Jcti Romani ſervitutem, dixere, eſſe *conſtitutionem juris gentium* [s]; adeoque ſervitus non a *natura* eſſe videtur: ſed & nomen ſervorum *jure gentium* introductum eſſe, ajunt. [t]

At ex præcedentibus repetendum eſt, JCtos Romanos per *jus gentium* intelligere ipſum jus naturale, jus, inquam, quod ratio naturalis inter gentes conſtituit [u]. Sane, jus, quod per captivitatem in ſervos acquirimus, JCti Romani tribuunt *juri gentium*, quod cum humano genere originem cepit [v]. Cajus poteſtatem dominorum *juris gentium* eſſe, ait, quia apud omnes peræque gentes animadvertere poſſumus, in ſervos vitæ, neciſque poteſtatem fuiſſe, & quodcunque per ſervum acquiritur,

(*m*) L. 4. de ſtat. hom. (*n*) Grot. L. 3. C. 7. §. 1. n. 2. §. 2. §. 5. & paſſ. (*o*) Grot. L. 1. C. 2. §. 7. n. 13. (*p*) Grot. L. 3. C. 4. §. 15. (*q*) Vid. Diſſert. procem. VII. §. 70. & 71. (*r*) L. pupillus ff. V. S. Grot. l. 3. c. 7. §. 5. n. 1. (*s*) §. 2. Inſt. de Jur. pers. (*t*) L. 6. ff. juſt. & jur. (*u*) Diſſert. procem. IV. §. 33. ſeq. (*v*) L. 1. junct. l. 5. §. f. de A. R. D. l. 7. pr. ff. Eod. §. 1. Inſt. His, qui, ſui, &c. L. 1. §. 1. ſeq. ff. Eod. l. 5. §. 1. ff. Stat. hom.

quiritur, id domino acquiri [x]. Quando igitur Ulpianus [y] ait, *jure gentium* ſervorum nomen cepiſſe, intelligendum id eſt de jure naturali, quod *ratio naturalis* inter gentes conſtituit; aliud enim jus gentium Romanis JCtis cognitum non fuit.

Neque *obſtat*, ſervitutem *contra naturam* introductam dici [z]; ergo juri naturæ contraria eſſe videtur. Reſp. Alibi [a] jam probavimus, per *naturam* hic intelligi facultatem mere naturalem, motum materialem, quo omnia animantia natura ducente feruntur ad libertatem: huic facultati mere naturali repugnat ſervitus; at id non impedit, quo minus hæc facultas in pœnam, etiam naturali ratione, alicui auferri, & criminis reus alieno dominio ſubjici poſſit.

§. CXXXI. *Subjectum* ſervitutis ſunt ſervi. Fiunt autem ſervi vel *jure gentium*, vel *lege civili*. [b]

Jure gentium ſervi fiunt 1. capti ab hoſte, adeoque tantum illi, qui juſto bello capiuntur, non ſi a prædonibus, &c. [c]: 2. capti a gente, cum qua nobis quidem bellum non eſt, at nec amicitia; & apud quam cives noſtri ſervi fiunt. Hujus enim gentis cives jure talionis, cum ad nos pervenerunt, in ſervitutem redigi poſſunt. [d]

Lege civili variis modis ſervi fiunt in pœnam. Sic jure Romano ſtatus libertatis mutatur per deportationem, per damnationem ad metalla, ſi quis precii participandi cauſa ſe venundari paſſus eſt, &c. [e]

§. CXXXII. *Objectum* ſervitutis ſunt jura, quæ domino in vitam, corpus, actiones, & res, immo & in liberos ſervi competunt: de quibus juribus ſtatim agemus.

§. CXXXIII. *Effectus* ſervitutis eſt, quod omnis facultas ſervi naturalis agendi ſublata ſit; & vita, corpus, actiones, res, & liberi ejus ab alieno arbitrio dependeant: adeoque homo alieno dominio ſubjectus ſit [f], indeque nec ſtatum, nec caput habeat. [g]

n. 1. Hinc naturali quoque ratione 1. ſervus, tanquam criminis reus occidi [h], 2. vendi, donari, legari [i], & 3. noxæ dari [k] poteſt: atque hoc ſenſu 4. rerum, & beſtiarum loco habetur [l]; indeque 5. dominus vindicat ſervum fugitivum, & ad eum exhibendum agit. [m]

Sed & porro 6. ſervile caput nullum jus habere [mm], & nullius, i. e. nullius juris capax eſſe [n], immo nullam perſonam habere, dicitur [nn]; adeoque mortuis comparatur [o]. 7. Nuptiæ cum ſervis non ſunt [p]; nec 8. liberos

(x) L. 1. §. 1. his, qui ſui, &c. (y) l. 4. ff. juſt. & jur. (z) §. 2. Inſt. de jur. pers. l. 4. §. 2. ſtat. hom. (a) Diſſert. procem. 4. § 38. (b) L. 1. ſtat. hom. (c) L. poſtliminium 24. §. 2. ff. Captiv. Grot. l. 3. c. 3. §. 1. n. 1. (d) L. 5. §. 2. de Captiv. & poſtl. rev. (e) Laut. comp. tit. de his, qui ſui, vel al. Heinecc. in Inſtit. de jure perſ. §. 81. & in Elem. jur. tit. de ſtar. hom. §. 136. (f) L. 4. ff. ſtat. hom. (g) §. 1. & 2. Inſt. de Cap. minut. (h) L. 1. §. 1. ff. his, qui ſui, vel al. Senec. l. 3. de benef. c. 23. Grot. l. 3. c. 4. & c. 7. per. tot. l. 16. §. 2.

(i) l. 44. pr. Uſucap. l. 43. §. 1. contr. emt. l. 31. ff. Evict. Senec. Ep. 81. & Controv. l. 2. Heinecc. Ant. Rom. l. 1. tit. 3. §. 4. (k) l. 1. ff. Nox. act. (l) Heinec. Ant Rom. dict. tit. §. 2 Conf. l. 32. §. 2. legat. 2. Ulp. fragm. XIX. 1. leg. 2. §. 2. ad. L. Aquil. (m) Leg. 2. l. 5. §. fin. ff. R. V. l. 21. l. 58. Eod. Tot. tit. ff. de ſerv. fugit. tot. tit. ff. ad exhibendum. (mm) l. 3. §. 1. ff. Cap. min. (n) L. 32. ff Reg. jur. (nn) Theoph. de ſtip. ſerv. pr. (o) l. 59. in fin. ff. de Cond & dem. (p) Ulp. tit. 5. §. 5. l. 3. C. inceſt. nupt. Paul 2. ſent. 19. §. 3.

beros habent in poteſtate [q]. 9. Liberi ſervorum non ſuccedunt patri [r]. 10. Injuria nulla poteſt fieri ſervo, ſed ſoli domino [s]. 11. Liberi quoque, utpote portiones corporis ſervilis, fortunam parentum ſequuntur. [t]

n. 2. Cum igitur ſervi in dominio alterius ſint, ultro inde ſequitur, eos nihil proprii habere [u], ſed quicquid acquirunt ipſo jure acquirere domino [v]; qui enim in poteſtate alterius eſt, nihil proprii habere poteſt [x]. Acquirit autem domino etiam ignoranti [y], & invito [z], immo & vetanti. [a]

Quod vero domino ignoranti acquirat, duplicem patitur exceptionem: 1. ſi de nudo facto poſſeſſionis agitur; poſſeſſio enim non acquiritur niſi volenti [b]: 2. ſi facta a perſona ſeparari non poſſunt; hæc enim nec volenti domino acquiruntur. [c]

n. 3. Ex eodem principio quoque ſequitur deciſio quæſtionis, an ſervus ſe obligare, vel alium ſibi obligare poſſit.

Equidem jure naturali ſervus omnino ſe obligare *pacto* ſuo poteſt; nam voluntas perſonæ inhæret, adeoque in dominium alterius tranſire nequit: atque hinc etiam jure Romano ſervus *naturaliter* obligari dicitur [d]. At quia ſervus nullum jus habet, de quo diſponere, & quod in alterum transferre poſſit, inanis eſt actio, adeoque ſervus *conveniri* nequit [dd]; ita ut nec in dominum actio detur, niſi ex cauſa peculii, & de in rem verſo. [e]

Quis ergo eſt effectus illius *naturalis* obligationis? Reſp. omnes effectus debiti obtinent, ſola actione excepta. Hinc 1. ſi ſervus fidejuſſorem dedit, is conveniri poteſt. 2. Si quis nomine ejus ſolvit, ſolutum non condicit tanquam indebitum. 3. Si ſervus ex peculio ſolvit, cujus adminiſtrationem habet, repeti ſolutum nequit. Sed & 4. pignus pro eo datum tenebitur. [f]

An vero ſervus ex *delicto* ſe obligare poteſt? Reſp. Omnino obligatur: ſed ſi *delictum* eſt *civile*, *conveniri* non poteſt; verum, actio contra dominum datur, ut ille damnum a ſervo datum reſtituat, vel eum puniat, vel noxæ det [k]. At in *criminibus* ipſe ſervus conveniri, & ab eo ſupplicium ſumi poteſt [l]. Neque obſtat, ſervum, vel ſervam de adulterii crimine accuſari non potuiſſe [m]. Nam ideo id ſtatutum eſt jure Romano, quia inter ſervos thorus non eſt, adeoque nec ejus violatio. Etſi vero actio ex lege Julia non detur contra ſervos adulteros, aliæ tamen actiones intuitu hujus criminis dantur: v. g. Legis Aquiliæ, injuriarum, ſervi corrupti, &c. [n]

n. 4.

(*q*) L. 14. §. 3. Rit. nupt. Paul. 2. ſent. 19. §. 3. d. l. 3. & l. 12. l. 24. ff. ſtat. hom. Gaji Inſt. l. 1. tit. 4. §. 10. (*r*) tot. tit. Inſt. ſerv. Cogn. (*s*) §. 3. Inſt. de injur. (*t*) Grot. l. 2. c. 5. §. 29. l. 3. c. 7. §. 2. (*u*) §. 3. Inſt. per quas perſ. l. 10. § 1. Acq. rer. dom. l. 1. §. 1. His, qui ſui, &c. (*v*) §. 3. & §. 5. Inſt. per quas pers. (*x*) d. §. 3. Conf. d. l. 10. §. 1. l. 32. Eod. &. l. 79. ff. Acq. hær. (*y*) d. §. 3. (*z*) l. 32. A. R. D. d. §. 3. (*a*) L. 62. de V. O. l. 24. Acq. poſſ. l. 20. §. fin. A. R. D. (*b*) l. 1. §. 5. Acq. poſſ. d. l. 24. Vid. tamen l. 1. §. 19. Acq. poſſ. (*c*) l. 44. pr. §. 1. ſeq. Cond. & dem. (*d*) l. 13. l. 64. ff. Cond. ind. l. 14. Obl. & act. l. 8. §. 4. de acceptil. (*dd*) L. 22. pr. l. 107. Reg. jur. ibique Goth. l. 14. l. 43. Obl. & Act. §. 6. Inſt. de inut. ſtip. (*e*) L. 6. l. 11. C. Quod cum eo. l. 1. § 4. l. 27. ff. de pecul. l. 1. ff. de in rem vers. (*f*) L. 13. ff. Cond. ind. l. 14. Obl. & act. ibique Goth. (*k*) l. 24. §. 3. Min. l. 17. §. 4. de injur. Tot. tit. ff. de noxal. act. (*l*) l. 14. ff. Obl. & act. l. 2. §. 3. l. 5. §. 1. Cap. Min. l. 11. §. 1. & 2. l. Ad. leg. Corn. de Sicear. (*m*) l. 23. l. 24. ff. de Adult. (*n*) L. 6. pr. adult. l. 25. ff. de injur. l. 27. pr. & ſeq. Nox. act.

Digitized by Google

n. 4. Servus alium quoque *ſibi obligare* poteſt: is enim, qui ſervo promittit, ſua voluntate jus in eum transfert, quod præſtare ei tenetur. Atque hinc promiſſor *naturaliter* ſervo obligari dicitur o. At actio ſervo non datur contra promittentem p, ſed ſoli domino, utpote cujus inſtrumentum eſt ſervus q.

Quis ergo effectus eſt illius *obligationis naturalis*, qua promiſſor ſervo tenetur? Reſp. itidem omnes effectus debiti obtinent præter actionem. Hinc 1. ſi promiſſor ſervo debitum ſolvit, id repetere non poteſt; adeo ut nec dominus id, quod ſervo promiſit, & eo manumiſſo ſolvit, condicere tanquam indebitum poſſit r. 2. Servus (iſque ſolus, non vero dominus) promiſſori acceptum ferre poteſt debitum s. 3. Servus paciſci poteſt *ne petatur*, & hoc pactum etiam prodeſt domino t; non vero valet pactum, *ne a ſe petatur* u, quia ſoli domino ex pacto ſervi competit actio.

§. CXXXIV. Ceterum, quod diximus, ſervum nullius juris eſſe capacem, id verum ſaltem eſt de juribus permiſſivis, non de juribus præceptivis v. Hinc 1. etiam ſervus Deum, & patrem colere tenetur, 2. inceſtum committit x, 3. a criminibus, & delictis abſtinere debet y: ſed & in genere 4. ſervi quoque jus ſuum cuique tribuere tenentur.

§. CXXXV. *Not.* etſi dictum ſit, liberos quoque ſervorum ſervos fieri, & fortunam parentum ſequi, id tamen ad jus vitæ, & necis extendi nequit, uti alibi probavimus. z

§. CXXXVI. Servitus jure naturali finitur 1. morte ſervi, non domini: 2. ſi captus ab hoſte ad priſtinum limen revertitur; tunc enim jure poſtliminii omnia jura recipit a: 3. per manumiſſionem, quando quis ſervum ſub certa lege e manu, & poteſtate ſua dimittit. Sane, hanc manumiſſionem non ex ficto aliquo jure gentium voluntario, ſed ex ipſo naturali jure originem ducere, alibi b dictum eſt.

Jure Romano multa ſingularia circa manumiſſos, (qui liberti, ſeu libertini dicuntur) ſtatuta ſunt; de quorum conditione, & juribus, latius in Digeſtorum libris agitur.

CAPUT IV.

De ſtatu Familiæ.

§. CXXXVII. SECUNDO ad jus perſonarum, i. e. ad ſtatum hominum, pertinet STATUS FAMILIÆ (§. 116. & 131.)

§. CXXXVIII. FAMILIA eſt corpus aliquod, quod vel *proprio jure* ipſorum continetur, vel *jure communi univerſæ cognationis.*

Fami-

(o) L. 13, L. 64, ff. cond. ind. L. 14, oblig. & act. L. 8, §. 4, ff. Acceptil. (p) L. 14, ff. obl. & act. §. 6, inut. ſtip. Conf. L. 56, ff. obl. & act. L. 41, ff. pecul. (q) L. 1, pr. L. 2, L. 4, L. 5, L. 11. L. 15, de ſtip. ſer. §. 1, & 2, inſt. eod. §. 3, inſt. & L. 3, C. per quas perſ. (r) d. L. 64. (s) d. L. 8, §. 4. (t) L. 21, §. 1, pact.

(u) Ibid. (v) §. 10, inſt. De nupt. Conf. L. 40. obl. & act. Grot. L. 2, C. 26, §. 3, n. 2. (x) L. 8, L. 14, §. 2, & 3, Rit. nupt. §. 10. inſt. De nupt. (y) L. 12, §. f. ff. L. 2, C. Accus. (z) Vid. infr. L. 7, C. 2. (a) Ibid. C. 3. (b) Differt. procem. 4, §. 39. (c) L. 195. §. 2. de verb. ſign.

Familiam, quæ *proprio jure continetur*, dicimus *plures perſonas*, *quæ ſunt ſub unius poteſtate*, *aut natura*, *aut jure ſubjectæ*, ut *patrem familias*, *matrem familias*, *filium familias*, *filiam familias*; quique deinceps vicem eorum ſequuntur, ut *nepotes*, *neptes*, & *deinceps*. [d]

Communi jure familiam dicimus *omnium agnatorum.* Nam etſi patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habeant, tamen omnes, qui ſub unius poteſtate fuerunt, recte ejuſdem familiæ appellabuntur, qui in eadem domo, & gente geniti ſunt. [e]

§. CXXXIX. Corpus familiæ, quod aut jure proprio ipſorum, aut communi jure univerſæ cognationis continetur, jura quædam tribuit ſingulis familiæ membris; qui proinde jura hæc ſibi arrogare vult, *ſtatum familiæ* habeat neceſſe eſt.

§. CXL. STATUS igitur FAMILIÆ eſt conditio perſonæ, per quam quis conſtituitur membrum familiæ, eoque capax fit jurium, quæ familiæ adhærent, & ex ea ſequuntur.

§. CXLI. Conſtituitur autem familia naturali ratione tantum per *juſtas nuptias* [g], i. e. per talem conjunctionem maris, & fœminæ, quæ fit ad individuam vitæ conſuetudinem.

Pater familias enim genus ſuum propagaturus, & ſibi ſimiles producturus, ſociam propagationis ſibi eligit, fœminam nimirum, quæ uſum corporis ſui ad eum finem ipſi præbet.

Ex hac intentione patrisfamilias igitur apparet, eum ſociam ſibi quærere animo liberos ex ſuo ſemine procreandi, quibuſcum tanquam veris portionibus corporis ſui omnia ſua jura communicare, eoſque ſucceſſores familiæ ſuæ relinquere poſſit.

Cum ergo unicus finis hujus negotii eo tendat, ut pater familias liberos ſuſcipiat ex ſuo ſemine, neceſſario ſequitur, eum velle *certum*, & *indubitatum natorum eſſe patrem.*

Hæc autem *certitudo* haberi non poteſt, niſi *per juſtas nuptias*, i. e. per talem conjunctionem maris, & fœminæ, *quæ individuam vitæ conſuetudinem continet*, adeoque ubi fœmina ſoli marito uſum corporis ſui promittit, atque in eum finem in domum ejus tranſit, ac hac ratione quaſi ſub oculis, & cuſtodia ejus conſtituitur. Hinc regula naturæ eſt, *filius eſt*, *quem juſtæ nuptiæ demonſtrant* [h]; & Julianus ait, *non ferendum eſſe eum*, *qui cum uxore aſſidue moratus eſt*, *nolle filium agnoſcere quaſi non ſuum.* [i]

Familia igitur non conſtituitur ſi fœmina promiſcue corporis ſui uſum aliis quoque præbet: naturæ enim ratio æque, ac votum patris familias, repugnat. Sane, de patre ejus, qui vulgo natus eſt, conſtare non poteſt; adeoque per rei naturam pars familiæ patris, qui ignoratur, eſſe, ac de juribus illius participare nequit.

Et cum ſupponamus, votum patris familias in eo conſiſtere, ut liberos ex ſe procreet, eoſque jurium ſuorum participes reddat, nihil magis huic voto repugnat, quam ſi fœmina corpore ſuo quæſtum facit, adeoque ignoratur, ex quo ſemine partus ille natus ſit.

Equidem ſi quis natum ex meretrice, i. e. quæ uſum corporis ſui aliis quoque præbet, pro filio ſuo agnoſcit, hic fit pars familiæ non natura, (nam pater

(*d*) L. 195, §. 2, de verb. ſign. (*e*) d. L. 195, §. 2. (*g*) L 3. ff. his, qui ſui, vel &c. (*h*) L. 19, L. 24, De ſtat hom. L. 4, L. 6, ff. his, qui ſui, &c. (*i*) D. L. 6.

pater certus non eſt) ſed per adoptionem. Ceterum, liberi ſpurii ſequuntur matrem, quæ ſemper certa eſt. [k]

Certiſſimum igitur eſt, *ſtatum familiæ* a natura eſſe. Bene CICERO [l]: *Cum ſit hoc commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia.* Idem tradit ARISTOTELES [m]: *Ex his ſocietatibus*, inquit, *domus prima;* recteque HESIODUS ait: *Domus inprimis, mulieremque, & bovem aratorem, &c.* (i. e. ſervum.)

Quotidiana igitur ſecundum naturam conſtituta domus eſt, quæ perficitur liberis.

Adeo autem hic ſtatus familiæ in ratione naturali fundatur, ut omnis conjunctio maris, & fœminæ, prohibita ſit, quæ non fit animo conſtituendi familiam, i. e. quæ non fit ad individuam vitæ conſuetudinem: quod infra *Cap.* 4. plenius demonſtrabimus.

Hinc jam facile conſtat ratio, cur adulterium apud omnes gentes inter enormiſſima crimina referatur, & ubique fere pœna mortis in id crimen conſtitutum ſit. *Adulter* enim votum patris familias intervertit, fidem conjugis marito datam corrumpit, partum ex ſe progenitum alienæ familiæ obtrudit, hæredem extraneum ei ſubſtituit, legitimis hæredibus jura eis ſolis quæſita aufert, & ſic furta in ea familia perpetuat; jus igitur totius familiæ læditur, quod proinde reparari debet: vix autem aliter reparatio juſta talione fieri poteſt, niſi per pœnam capitis. *Adultera* non tantum ejuſdem ſuppoſitionis alieni partus rea eſt, ſed præterea fidem, quam marito dedit, violat, adeoque magis, ac adulter, ad reparationem injuriæ marito, immo toti familiæ, illatæ tenetur.

§. CXLIII. *Subjectum* familiæ ſunt paterfamilias, materfamilias, liberi, & agnati ex juſtis nuptiis nati. (§. 140.)

§. CXLIV. *Objectum ſtatus familiæ* ſunt jura, quæ familiæ adhærent, & ex ea ſequuntur. Alia autem ſunt jura *patris familias*, alia *matris familias*, alia *liberorum*, alia *agnatorum*: de quibus ſectionibus ſequentibus agemus.

§. CXLV. Illi, qui *ſtatum familiæ habent*, jura, quæ ab illo ſtatu dependent, ſibi arrogare, eaque armis, vel actionibus defendere poſſunt. *Alii* autem hunc ſtatum turbare, & jura inde cuique quæſita auferre non poſſunt, ſed jus ſuum cuique tribuere tenentur.

Actiones, quibus leges Romanæ ſtatum illum defendunt, vocantur *actiones præjudiciales* (§. 113.). Dantur autem *I. Marito* contra uxorem, vel uxori contra maritum, ſi alter ſe conjugem eſſe negat. [n]

n. 1. Præcipue *II. uxori* contra maritum, ad partum ex ſe editum agnoſcendum [o]; quæ actio plerumque facto divortio moveri ſolet. Quo caſu (ne partus ſupponatur) ex SCto Planciano plures ſolennitates requiruntur: nimirum, [α] uxor intra 30. dies tenetur denunciare, ſe gravidam eſſe; [β] maritus cuſtodes ventris mittere, & denunciare debet, dimiſſam a ſe gravidam non eſſe; [γ] ſi uxor non denunciat, vel cuſtodes a marito miſſos non admittit, maritus agnoſcere partum non tenetur, adeoque nec alere (etſi poſtea

(*k*) L. 19. L. 14. ff. de ſtat. hom. (*l*) L. 1. de offic. C. 17. (*m*) Polit. L. 1. C. 2. & 3. B. Cocceji Diſp. Vol. 1. p. 48. & ſeq. (*n*) l. 3. §. 4. agnoſc. lib. (*o*) tot. tit. ff. agnoſc. vel al. lib.

poſtea filius ipſe ad ſe agnoſcendum agere poſſit); [*d*] ſi pater neque contradenunciaverit, neque cuſtodes miſerit, agnoſcere, & alere partum tenetur. [p]

n. 2. *III. Marito*, & *Uxori* contra agnatos, qui vel matrimonium validum fuiſſe, vel viduam gravidam, vel partum defuncti eſſe, negant. Cautiones in hujuſmodi caſibus adhibendas expoſui in jure meo controverſo [q]. Quomodo in imperiis, ſi metus aliquis partus ſuppoſititii adſit, caveri ſoleat, ibidem explicavi: nimirum, proceres, & agnati citari, & iis præſentibus partus edi debet; quæ ſolennitates ſi negliguntur, excluditur partus a ſucceſſione, quia contra leges regni natus eſt. Atque hæc præcipua ratio eſt, cur Jacobi II. liberi a ſucceſſione excluſi fuerint. [r]

n. 3. *IV. Parentibus* contra *liberos*, vel *liberis* contra *parentes*: ſi ſcilicet *liberi* negant, ſe ex eo, qui ſe parentem ait, natum eſſe; vel ſi *parentes* eos, qui ſe pro liberis gerunt, ex ſe natos eſſe negant.

Actio hæc datur *liberis* 1. etſi mater ſolennitates lege ſtatutas contra patrem negantem filium eſſe omiſerit [s]; 2. etſi mater confeſſa ſit, filium ex adulterio natum eſſe [t]: quia ſoli confeſſioni matris propriam turpitudinem allegantis non creditur [u]; niſi adulterium aliis modis probari poſſit. Jure Romano quoque cautum eſt per edictum Carbonianum, ut ſi nato impuberi quæſtio ſtatus movetur, is cauſa cognita mittatur in poſſeſſionem, quæſtione præjudiciali ad pubertatem dilata. [v]

n. 4. *V. Agnatis* contra alios agnatos, qui in eorum præjudicium liberos ſupponunt, vel qui eos agnatos eſſe negant.

Not. Actor probare debet, ſe membrum familiæ eſſe [x], niſi in quaſi poſſeſſione hujus ſtatus ſit conſtitutus. [y]

§. CXLVI. Finitur, & tollitur ſtatus familiæ 1. *Morte*, ſi vel paterf. vel materf. vel liberi, vel agnati, decedunt; mors enim omnia jura ſolvit: 2. ſi quis horum in ſervitutem redigitur; quia omnes ejus facultates naturales alieno dominio ſubjectæ ſunt: 3. præterea intuitu conjugum, ſublato per divortium matrimonio: 4. intuitu patris per adoptionem, & emancipationem.

Not. Tribus poſterioribus caſibus jura ſanguinis manent; adeoque leges, quæ ex ſanguine ſequuntur, ſubſiſtunt: hinc filius, & ſervus emancipatus matri nubere non poteſt. Et licet ſoluto per adulterium matrimonio uxor deſinat eſſe pars familiæ, nuptias tamen cum liberis ſuis contrahere prohibetur.

Non vero 5. tollitur ſtatus familiæ per nuptias liberorum; etſi Dionyſius Halicarnaſſenſis [z] id antiquo jure Romano obtinuiſſe, afferat. Tantum abeſt, ut dos quoque, quæ filio nubenti datur, patri acquiratur. [a]

Sectio I.

De Juribus, quæ Patriſfamilias ex ſtatu familiæ competunt in Uxorem.

§. CXLVII. Diximus, jura quædam ex *ſtatu Familiæ* acquiri iis, qui ſunt

(*p*) d. tit. Conf. Heinecc. ibid. §. 285. ſeq. (*q*) Lib. 25. tit. 4. q. 1. (*r*) d. tit. 4. q. 1. in fin. (*s*) l. 1. §. 8. agn. lib. (*t*) Cocceji. Hyp. Inſt. Tit. de patr. pot. §. 2. (*u*) l. 29. §. 1. probat. (*v*) tot. tit. de Carbon. edict. (*x*) L. 1. ff. probat. (*y*) L. 8. probat. arg. L. 7. §. f. de lib. caus. Laut. Comp. pag. 457. in fin. (*z*) L. 2. p. m. 53. (*a*) Vid. infr. Sect. 2.

ſunt membra illius familiæ; præcipue autem PATRIFAMILIAS tanquam domino ſuæ domus, adeoque capiti, ac Principi familiæ.

§. CXLVIII. *Primo* igitur patrifamilias qua marito poteſtas quædam competit in UXOREM [b], utpote quæ conſenſu ſuo, adeoque *jure*, marito eſt ſubjecta [c]. Uxor enim tranſit in domum, cujus dominus eſt maritus [d]; corpus ſuum ejus poteſtati, ac cuſtodiæ tradit ea intentione, ut ei ſuum hæredem procreet. Uti ergo dominus legem domui ſuæ dicere poteſt: ita uxor, quæ ſua voluntate in domum tranſit, legibus illis obedire tenetur.

Uſus omnium gentium hanc poteſtatem probat, & hiſtoriæ populorum, etiam maxime barbarorum, teſtantur, uxores ſub manu, & cuſtodia maritorum conſtitui.

Ipſe Deus Evæ legem hanc dixit [e], *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi.* Atque ad hanc legem provocat Paulus de fœminis in eccleſia loquentibus agens [f]: *non enim*, ait, *eis loqui permittitur, ſed ſubditas eſſe; ſicut & lex dicit: ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Rationem idem Paulus allegat, *quia vir non creatus eſt propter mulierem, ſed mulier propter virum* [g]. Sane, Apoſtoli perpetuo hortantur mulieres, ut ſubditi ſint viris ſuis ſicuti domino [h], NB. *quia vir caput eſt uxoris.* [i]

Ariſtoteles ait, *conſervationem familiæ requirere imperantem, domum autem regi per ſeniorem* [k]; & alibi ait, *viri mores pro lege impoſitos eſſe uxori* [l]. JURE CANONICO jus mariti in uxorem diſerte confirmatur [m]: *Eſt ordo naturalis in hominibus, ut ſerviant fœminæ viris*; & alibi: *ſubditas fœminas viris, & pene famulas lex voluit eſſe uxores*; & mox [o]: *conſtat, mulierem ſubjectam dominio viri eſſe.* Hinc alio in loco [p] Canones ajunt, alterius uxorem nec judicari, nec diſponi niſi a proprio viro, eo vivente, poſſe. Immo porro [q] marito pro modo ſuo perinde jus dant regendi uxorem, ac judici provinciam. Denique idem jus Canonicum [r] uxorem vinculis, & jejuniis coërcere ex juſta cauſa permittit.

JURE ROMANO id extra dubium eſt, & uxor ideo, quia eſt in domo mariti, ejus poteſtati ſubjecta dicitur [s]. Unde ſequitur, 1. marito jus aliquod acquiri in ipſum corpus uxoris, ejuſque uſum, quatenus ad procreationem ſobolis pertinet. ARTEMIDORUS ait, qui connubii lege fœminæ jungitur, is in corpus ejus dominium acquirit [t]. 2. Uxor denegare concubitum marito, vel deſerere eum ſine cauſa nequit. 3. Maritus jus corrigendi mores uxoris, & jus eam caſtigandi habet [v]. 4. Uxorem defendere poteſt maritus. [x]

Præterea 5. Uxor nihil proprii habet: nam omnium rerum, quas ſecum

(*b*) L. 4. ff. His, qui ſui, vel &c. (*c*) l. 195. §. 2. V. S. Heinecc. Elem. jur. Civ. part. 1. §. 159. Grot. l. 2. c.5.§.8.n.3. (*d*) d. l. 199. §. 2. ff. V. S. (*e*) Genes. III. 16. (*f*) 1.Cor. XIV. 34. ſeq. Conf. 1. Tim. II. 12. & 13. (*g*) 1. Cor. XI. 7. 8. 9. Tim. VI. 13. (*h*) 1.Cor.XI. 3. Eph. V. 23. (*i*) Eph.V.22. & 23.Coloſſ.III.18.1 Petr.III.1.1.Cor.XI.3. (*k*) Lib. 1. Polit. c. 2. (*l*) Lib. 2. Oecon. c.1.

(*m*) C. 12. XXXIII. q. 5. (*n*) C. 14. d. qu. 5. (*o*) C. 17. d.qu.5. (*p*) C 39.VII.qu.1. (*q*) C. 35. XXXIII. q. 4.(*r*) C.10.XXXIII. q. 2. (*s*) l. 195. §. 2. V. S. (*t*) apud. Grot. l. 2. C. 5. §. 9. n. 2. (*v*) l. 14. §. 1. ſol. matr. l. un. §. 7. C. rei ux. act. l. 48. §. ff. oper. lib. Nov. 117. C. 14. arg. l. p. C. de repud. &c. (*x*) L. 2. ff. de injur.

Digitized by Google

cum affert, dominium transfert in maritum [y]. *6.* Quicquid uxor acquirit, acquirit eidem tanquam domino domus, & capiti familiæ [z]. 7. Hinc maritus jure veteri Romano non ſuccedebat uxori, utpote quæ nihil proprii habebat [a]. 8. Uxor autem fiebat marito ſua, & neceſſaria hæres [b], utpote pars, & membrum familiæ.

At quod *9.* maximum eſt, jus vitæ, & necis, apud Romanos veteres, maritis in uxorem competebat. Unde quidam nugantur, uxores vera mancipia, & ſervorum jure habitas fuiſſe [c]. Res ita ſe habet: Pater familias in ſtatu naturali dominus, caput, & princeps eſt ſuæ domus, & familiæ; adeoque imperium in uxorem, & liberos naturali ratione habet: vi hujus imperii domeſtici de criminibus membrorum familiæ cognoſcere, & mortis quoque pœnam reis infligere potuit. [d]

Hoc jus cognoſcendi de criminibus familiæ, inſtitutis civitatibus, alicubi reſervatum fuit patrifamilias; quod apud Romanos quoque factum eſt. Unde conſtat, patrem familias non promiſcue jus vitæ, & necis in uxorem, ut in ſervos, exercere potuiſſe, ſed tantum propter crimina prævia cauſæ cognitione, & adhibito plerumque conſilio propinquorum. Teſtis hujus rei eſt TACITUS [e], qui maritum priſco inſtituto, coram propinquis, de capite, famaque conjugis cognoviſſe, & inſontem nuntiaſſe, refert. TIBERIUS [f] auctor fuit, ut propinqui majorum more matronam proſtratæ pudicitiæ de communi ſententia coërcerent. De antiquiſſimo Romanorum more DIONYSIUS HALICARNASSENSIS [g] tradit: *ſi qua autem iure deliquiſſet uxor, judicem habebat maritum læſum, & pœnæ magnitudinis arbitrum; de his vero cognoſcebant cognati cum viro.* De eodem more LIVIUS [h] ait, *mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu eſſet, tradebant, ut ipſi in privato animadverterent in eas.* Metellus [i] uxorem, quod vinum bibiſſet, fuſtim interemit; idque factum non accuſatore tantum, ſed & reprehenſione caruit. [k]

Immo mortuis maritis familiæ judicio fœminas damnatas, legimus. Publicia, quæ Poſthumium Albinum conſulem, & Licinia, quæ Claudium Aſellium, maritos ſuos, veneno necaverant, ideo propinquorum decreto ſtrangulatæ ſunt [l]. In fœminas, quæ ſacris bachanaliorum inceſtu uſæ, & damnatæ fuerunt, cognati intra domos animadverterunt. [m]

Matrona, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, reſignaviſſet, a ſuis inedia mori coacta eſt [n]. Atque hoc jus hodieque inter Americæ gentes obtinere, ac civitates jus de criminibus uxorum, ac liberorum cognoſcendi, familiæ capitibus relinquere, teſtis eſt Laffiteau *des mœurs des ſauvages.*

Neque obſtat, uxorem in manu, i. e. in poteſtate mariti eſſe; idem autem de ſervo dicitur. Nam formula illa *in manu eſſe* non infert dominium: pupillus in manu tutorum eſt, neque tamen

(*y*) Heinecc. Antiq. Rom. l. 1. tit. 10. §. 6. & 7. Diſſentit. Grot. l. 2. C. 5. §. 8. (*z*) Cic. Top. IV. Heinecc. d. l. & l. 2. tit. 9. §. 4. (*a*) Heinecc. Ant. Rom. lib. 3, tit. 10, §. 6. (*b*) Gell. Noct. att. 18, 16. Ulp. Fragm. IX. 1. Dion. Halic. lib. 2, p. m. 52. (*c*) Gell. Noct. Att. l. 16, C. 16. (*d*) Vid. infr. L. 6, Cap. 1. (*e*) Annal. XIII. 32, 2. (*f*) Suet. in Tiber. C 35, pr. (*g*) L. 2, C. 4, p. m. 52. (*h*) Lib. 39, C. 18. (*i*) Vel ut Plinius refert, *Mecennius*, Hiſt. 1, 14, C. 13. (*k*) Valer. Max. l. 6, C. 3, n. 11. Conf. Dion. Halic. d. pag. 62. (*l*) Val. Max. L. 6, C. 3. (*m*) Val. Max. d. C. 3. n. 11. (*n*) Plin. d. C. 13.

Digitized by Google

tamen ejus dominio eſt ſubjectus. Sed & poteſtas mariti ex conſenſu eſt; quis vero aſſeret, uxorem ſe in ſervitutem dediſſe, eoque jus vitæ, & necis in maritum transtuliſſe? Sane, uxor, nec ſi vellet, de vita ſua diſponere poteſt.

Sectio II.

De juribus, quæ Patriſfamilias ex ſtatu familiæ competunt in liberos; ubi de patria poteſtate agitur.

§. CXLIX. Jura, quæ Patrisfamilias in liberos competunt, duplici nituntur ratione; 1. quod liberi ſint vera portio corporis parentum; 2. quod liberi ſint in domo patris, cujus dominium ad patrem pertinet. Ex *priori* ratione ſequuntur jura ſanguinis, quæ etiam matri communia ſunt; ex *poſteriori* jura familiæ, quatenus poteſtatem in liberos inferunt, quæ ſoli patri propria ſunt.

§. CL. Primo igitur certum eſt, liberos eſſe veram portionem corporis parentum [o], præcipue autem partem viſcerum maternorum antequam eduntur [p], quos, utpote ex ſemine patris natos, pater ſuo jure vindicat [q]. Hinc parentes amare dicuntur liberos ut ſe ipſos, quia ex ſe quiddam ſunt [r]; & cum ex iis orti ſint, ſunt quaſi alteri ipſi, ſunt enim in cauſa ut ipſi ſint. [s]

Hæc ratio eſt, cur exſtinctus non videatur pater, quamdiu filius ſupereſt, in quem ſubſtantia, & caro patris quaſi fuit infuſa [t]. Hinc filius coloni non videtur acquiſiviſſe libertatem longi temporis abſentia, ſi durante illo ſpatio pater fundum coluit [u]. *Cum enim pars quodammodo corporis* (filii) *remanebat, non videtur abeſſe;* indeque concludit Imperator, *filium ipſum videri in agro reſediſſe, donec ejus cognatio in fundo remanet.*

Immo hæc ratio eſt, cur familia patris non dicatur exſtincta, quamdiu filius adhuc ſupereſt, & cur pater, ac filius habeantur pro una perſona. (*V. inf.* L. 5. C. 3. S. 3.)

Atque ex hoc capite jus aliquod toti in partem competit; quod enim ex aliquo ortum eſt, id ei quaſi proprium eſt. [v]

§. CLI. Secundo, alibi probavimus, patremfamilias ſolum jus familiæ habere; uxorem ſuo conſenſu in domum mariti tranſire, & liberos in domo patris naſci, dominium autem domus ad patrem pertinere (§. 141.). Ex his juribus imperium, & poteſtas in familiam, ſpeciatim autem in liberos oritur. Hinc pater caput, & princeps familiæ dicitur. [x]

§. CLII. *Patria* igitur *poteſtas* eſt jus patri competens in liberos, tanquam portiones corporis ſui, & tanquam membra domus, cujus ipſe eſt dominus.

§. CLIII. Acquiritur patria poteſtas *I.* per procreationem ex juſtis nuptiis, i. e. per talem conjunctionem corporum, quæ fit ad individuam vitæ conſuetudinem [y], utpote per quam ſolam pater

(o) Ariſt. Mor. l. 8. C. 14. (p) L. 1. §. 1. Ventr. inſp. (q) d. l. 1. §. 1. (r) Ariſt. Ethic. l. 8. C. 14. (s) Ariſt. Ethic. l. 8. C. 14. & Mor. l. 9. C. 2. (t) L. 85. §. f. Hær inſt. l. 30. C. de fidei C. (u) L. 22. §. 1. C. Agric. & Cens. (v) Ariſt. Nicom. VIII. (x) L. 195. V. S. Grot. L. 2. C. 5. §. 3. (y) Pr. & §. 12. Inſt. de patr. pot. L. 4. de his, qui ſui, vel al. L. 19. ſtat. hom.

pater certus ſit (§. 187.) Hinc regula: *Pater eſt, quem juſtæ nuptiæ demonſtrant* [z]. *Non enim ferendum eſt, eum, qui cum uxore ſua aſſidue moratus eſt, nolle filium adgnoſcere quaſi non ſuum.* [a]

§. CLIV. Præſumuntur autem liberi ex juſtis nuptiis nati, qui naſcuntur termino legitimo [b]. Terminus legitimus eſt vel *a quo*, vel *ad quem*.

n. 1. Terminus *a quo* eſt, ſi partus ſeptimo, vel octavo, &c. menſe *poſt nuptias* naſcitur [c]. Si *ante* naſcitur, pro legitimo haberi nequit, niſi ſit imperfectus. [d]

Sed & ſi *ſeptimo*, vel *octavo* menſe natus omnibus partibus abſolutus, atque perfectus editur, patri invito obtrudi nequit, ſed cauſa cognita judex deſuper pronunciare tenetur. [e]

n. 2. Terminus *ad quem* eſt, ſi partus *nono*, vel *decimo* menſe *poſt obitum patris* editur [f]. Poſtea nati regulariter cenſentur illegitimi [g]. Cum vero ſæpius ludere natura, & terminum, quo partum in lucem protrudere debet, prorogare ſoleat, pariter examinari debent mores uxoris, aliæque circumſtantiæ. Sane, exempla in promtu ſunt partuum, qui decimo tertio, immo decimo quarto menſe poſt obitum patris nati, a ſummis dicaſteriis pro legitimis declarati ſunt. [h]

n. 3. Sed & ſi *nono*, vel *decimo* menſe perfectus partus prodit, defunctus autem ante obitum longo, & gravi morbo laboraverit, indeque agnati, &c. negant partum legitimum eſſe, eadem cauſæ cognitio requiritur; & judex juxta circumſtantias obvenientes judicat, utrum partus pro legitimo habendus ſit, an vero minus.

n. 4. Eadem quæſtio etiam ſtante matrimonio moveri poteſt [i]. Quid ſi enim conſtet, patremfamilias ea valetudine fuiſſe, ut generare non poſſit? Reſpondet ULPIANUS [m], filium non eſſe.

n. 5. Præſumptio pro eo, qui ex juſtis nuptiis legitimo tempore natus eſt, tanta eſt, ut licet mater aſſerat, partum eſſe adulterinum, ei tamen non credatur. [n]

§. CLV. *II.* Conſtituitur quoque patria poteſtas per ADOPTIONEM [o]; quæ eſt actus, quo quis eum, quem in poteſtate non habet, adſumit in poteſtatem, ac ſi in ea natus eſſet. [p]

n. 1. Requiritur autem conſenſus 1. & patris naturalis, & patris adoptivi [q]; 2. filii, de cujus adoptione agitur; 3. ſi adoptandus impubes, & pater ejus mortuus eſt, tutoris. [r]

n. 2. Cauſa igitur adoptionis ex ratione naturali ſequitur: prout enim partes de ſuo jure diſponunt, ita jus eſt.

n. 3. Adoptati tranſeunt in patris adoptivi, etiam extranei, poteſtatem, omniaque jura, quæ inter patrem, & filium naturalem obtinent, ex pacto per adoptionem patri, & filio adoptivo acquiruntur. [t]

n. 4.

(z) L. 5. ff. in jus voc. L. 6. pr. his, qui ſui. (a) L. 6. ff. his, qui ſui &c. (b) ibid. (c) L. 12. ff. ſtat. hom. L. 3. §. fin. ſuis, & legit. (d) Laut. comp. tit. de his, qui ſui, vel &c. (e) Vid. jus meum controv. Lib. 1. tit. 5. q. 4. (f) L. 2. §. pen. ſuis, & legit. (g) L. 6. ff. his, qui ſui, vel &c. (h) Jus meum controv. d. l. (i) Arg. L. 3. §. 1. ff. agn. lib. L. 6. ff. his, qui ſui, vel al. &c. (k) Vid. jus meum controv. d. l.

(l) L. 3 §. 1. ff. Agnoſ. lib. (m) L. 6. ff. His, qui ſui, vel &c. (n) Arg. L. 29. §. 1. ff. prob. Cocceii hyp. inſt. tit. de patr. pot. §. 2. (o) Grot. L. 2. C. 5. §. 26. (p) L. 1. §. 25. §. 1. L. 37. 43. 44. ff. de Adopt. (q) L. 2. L. 5. L. 24. ff. adopt. (r) ibid. (s) L. 8. ff. de adopt. l. fin. C. De aut. tut. (t) §. 10. Inſt. de adopt. l. 2. §. f. l. 15. pr. l. 40. pr. adopt.

n. 4. At jura, quæ ſanguini cohærent, inter patrem, & filium naturalem manent [u]. Hinc reverentia naturalis debetur parentibus: nuptiæ inter parentes, & liberos prohibentur: parricidium liberi, etſi ab alio adoptati, committunt, &c.

n. 5. Jure Romano ſingularia quædam in adoptione conſtituta ſunt: 1. ut ab *extraneo* adoptatus maneat in patris naturalis poteſtate [v], nec in familiam adoptivi tranſeat, niſi quoad effectum ſuccedendi [x]; ſecus ſi ab *aſcendente* adoptatur [y]: 2. quod minor adoptari ſine conſenſu curatoris nequeat [z]: 3. quod in adoptione filii familias conſenſus magiſtratus ſufficiat; in adoptione patrisfamilias autem requiratur conſenſus Principis [a]: 4. quod in arrogatione impuberum cautiones quædam adhibeantur [b]: 5. Quod ſcelere ſuo caſtrati non poſſint adoptare [c]: 6. Quod fœminæ non poſſint adoptare, niſi ob orbitatem [d]: 7. quod minor 18. & major 70. annis adoptare non poſſit [e]: 8. quod inceſtus civilis cum tali filio adoptivo committatur. [f]

§. CLVI. *III.* Jure Romano acquiritur patria poteſtas per LEGITIMATIONEM; quæ eſt modus, quo liberi *naturales* conſentientes fiunt legitimi [g]. Eaque jure Romano triplex eſt: [*a*] per ſubſequens matrimonium: [*b*] per oblationem curiæ: & [*c*] per reſcriptum Principis.

n. 1. Legitimatio *per ſubſequens matrimonium* eſt, cum pater concubinam in uxorem ducit. [h]

Jure naturæ *legitimatio* hæc cognita non eſt. Nam liberi *naturales*, i. e. ex concubina nati, ipſa naturali ratione ſunt in poteſtate patris. Differentia enim inter *uxorem*, & *concubinam*, eſt ex jure civili. Hinc patet ratio, cur *legitimati per ſubſequens matrimonium retro* ſint legitimi, quia naturali jure ex concubina nati veri, & legitimi ſunt liberi, indeque accedentibus poſtea ſolennibus matrimonii, priſtina naturæ jura, quaſi poſtliminio recipiunt. Hæc quoque ratio eſt cur in feudis ſuccedant [i], & cur in ſtatutis voce *der ehelich gebohrnen* ipſa naturali ratione veniant. [k]

n. 2. Legitimationes, quæ fiunt per *oblationem curiæ*, vel per *reſcriptum principis*, indubie ex jure Romano originem habent. [l]

§. CLVII. *Cauſa* patriæ poteſtatis a natura eſt; quod ſupra §. 41. & paſſim probavimus. Sane, omnes gentes in eo conſentiunt, liberos eſſe in poteſtate patris. JCti Romani liberos *natura* ejus poteſtati ſubjectos ſtatuunt [m] (etſi jura quædam ſpecialia jure Romano patri fuerint tributa, quorum intuitu patria poteſtas civilis dicitur [n]). Pomponius religionem erga Deum, & *obedientiam parentibus debitam* conjungit, ac utramque obligationem ad jus gen-

(*u*) L. 10. §. 1. C. adopt. l. 33. ff. adopt. (*v*) L. p. pr. de adopt. (*x*) §. 2. Inſt. adopt. l. pen. pr. & §. 1. c. de adopt. (*y*) Laut. tit. de adopt. (*z*) L. 8. adopt. l. auct. tut. (*a*) §. 1. Inſt. adopt. L. 1. §. 2. l. 2 pr. ff. eod. (*b*) l. 6. l. 17. ſeq. l. 32. ff. l. 2. De adopt. §. 3. inſt. eod. (*c*) §. 9. Inſt. adopt. (*d*) §. 10. Inſt. adopt. l. 5. ff. eod. (*e*) L. 15. §. 2. l. 17. §. 2. De adopt. §. 4. Inſt. & l. 40. §. 1. eod.

(*f*) §. 1. ſeq. Inſt. de nupt. l. 14. §. 1. eod. (*g*) §. fin. Inſt. de nuptiis Nov. 89. c. 11. (*h*) L. 5. C. nat. lib. §. 2. inſt. de hæred. quæ ab int. Nov. 89. c. 8. 11. 12. §. 4. (*i*) II. Feud. 26. §. naturales. (*k*) Laut. comp. p. m. 15. (*l*) Laut. comp. p. m. 16. (*m*) L. 195. V. S. (*n*) §. 2. Inſt. De patr. pot.

Digitized by Google

gentium refert [o]. De aliis gentibus Auctores id paſſim teſtantur [p]

§. CLVIII. *Subjectum* ſunt liberi ex juſtis nuptiis legitimo tempore nati (*vid.* §. 153.). Non ergo ſpurii, ſeu vulgo quæſiti. [q]

§. CLIX. *Objectum* patriæ poteſtatis ſunt jura, quæ patri naturali jure competunt, & quæ ex duplici principio ſequi, diximus (*vid.* §. 149.): *tum* quia liberi ſunt vera portio corporis paterni, *tum* quia pater eſt dominus domus ſuæ, & ſuæ familiæ caput.

n. 1. Præcipuum jus, quod patrifamilias in liberos competit, eſt *Imperium.* Alibi [r] enim probavimus, patribus familias imperium in totam familiam, adeoque & in liberos, naturali ratione competere; & patrem pro hoc imperio leges familiæ dare, lites dirimere, crimina punire, & jus vitæ, & necis in familiam exercere poſſe. Diximus quoque ibidem, jus hoc vitæ, & necis conſtitutis civitatibus aliquando capiti familiæ relictum, & ſic patremfamilias judicem domeſticum fuiſſe.

n. 2. At præter imperium alia quoque jura privata vi patriæ poteſtatis patri in liberos competunt, de quibus præcipue hic quæritur. Præmittendum autem generatim eſt, liberos parentibus debere reverentiam, tanquam auctoribus ſuis [r]. Hinc PHILO ait, *Parentes Deum quodammodo referre gignendo.* Sequela hujus reverentiæ eſt, quod patienter ferre debeant injurias [s] parentum [t], & quod eis obedire teneantur [u]. Speciatim autem

n. 3. *Primo*, pater jus aliquod in corpus, & perſonam liberorum, utpote membra corporis ſui, & familiæ habet, cujus effectus ſunt, 1. quod pater liberos, ſi ab alio detinentur, vindicare [v]; atque in eum finem 2. ad exhibendum [x], etiam contra matrem [y], agere: immo 3. ſurripientem liberos actione furti convenire poſſit [z]. Quoties 4. liberi ſeſe venumderunt, pater eos in libertatem revocare [a]; & 5. filium delinquentem defendere poteſt [b]: immo 6. jus vendendi liberos habet; ſi ſcilicet nec pater, nec ipſi ſe alere poſſunt, nec alia alendi ſubſidia adſint. Cui enim onus alendi incumbit, ei omnia licent, ſine quibus alimenta præſtari non poſſunt. Neque liberi per hanc venditionem ſervi fiunt; ſed operas ſaltem præſtant emtori, donec pro alimentis ſatisfactum ſit [c]. 8. Vota eorum effectum non habent ſine voluntate patris [d]. 9. Pater filio tutorem dare, & 10. coërcere immorigerum poteſt. [e]

n. 4. *Secundo*, Pater, & filius habentur pro una perſona [f]. Hinc nulla obligatio inter patrem, & filium intercedere poteſt. Adeoque filius, qui a patre ſtipulatur, nullum jus acquirit,

(*o*) L. 2. ff. juſt. & jur. (*p*) Vid. Plin. in Paneg. Trajan. Ariſt. 8. Eth 12. & lib. 1. Polit. c. 12. Conf. Can. Eſt ordo &c. c. 33. q. 6. Ex aliis id probat Heineccius Antiq. Rom. l. 2. tit. 9. §. 1. nimirum, ex Sexto Empyrico, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Arriano, ac Suetonio. Sacræ quoque literæ poteſtatem hanc indigitant. Deut. V. 6. Exod. XX. 12. Ephes. VI. 12. (*q*) l. 19. l. 24. de ſtat. hom. (*r*) Vid. infr. Lib. 7. C. 1. (*s*) Grot. l. 2. c. 5. §. 1. 6. &c. (*t*) Grot. Lib. 1. c. 4. §. 4. n. 6. (*u*) L. 2. ff. juſt. & jur. (*v*) L. 1. §. 2. ff. R. V. (*x*) L. 1. de lib. exhib. (*y*) l. 1. §. 5. de lib. exhib. (*z*) L. 14. §. 13. l. 38. ff. furt. (*a*) L. 1. l. 3. ff. de Liberali cauſa. (*b*) L. 33. l. 34. ff. Nox. act. (*c*) Vid. l. 2. C. de patr. qui fil. (*d*) Numer. XXX. 2. 3. 4. 5. Grot. l. 2. c. 5. §. 7. (*e*) §. 3. Inſt. de teſt. tut. l. 1. pr. ff. Eod. (*f*) Grot. l. 2. c. 4. §. 2. n. 1. §. 4.

Digitized by Google

rit, adeo ut nec fidejuſſor a patre datus teneatur, quia nemo poteſt pro eodem, ac eidem eſſe obligatus [g]; hæres tamen patris tenetur peculiotenus [h]. Pariter, ſi pater a filio ſtipuletur, actio non datur in filium: at fidejuſſor a filio datus tenetur. [i]

n. 5. Cum igitur pater, & filius, habeantur pro una perſona, naturale eſt ut filius ſit inſtrumentum patris [k]. Hinc pater filio ſtipulando ſibi acquirit [l]; uti filius, ſtipulando patri, acquirit patri [m], etiam ignoranti [n], *quia vox patris tanquam filii ſit, ſicut & filii vox tanquam vox patris intelligitur in iis rebus, quæ patri acquiruntur.*

Porro ſi filius paciſcitur *ne a patre petatur*, patri acquiritur exceptio [p]. Idem obtinet ſi filius paciſcitur *ne a ſe petatur*; nam hoc quoque pactum perſonale patri prodeſt [q]. Item ſi filius paciſcitur de eo, quod cum ipſo, vel cum patre contractum eſt, patri acquiritur exceptio. [r]

n. 6. Denique ex eadem unitate perſonæ ſequitur, ut liberi nihil proprii habeant, nec ſibi aliquid acquirant, ſed omnia acquirant patri, tanquam capiti familiæ, & domino domus, etiam ignoranti [rr]. Immo & poſſeſſionem, modo patris nomine capiant, & is velit [s]. Hinc ſequitur, patrem de eo, quod quocunque titulo ad liberos pervenit, diſponere pro lubitu poſſe [t]; quod verum quoque eſt, etſi liberi matrimonium contraxerint [u]. Atque hæc ratio eſt, [*a*] quod liberi nec actionem ſuo nomine inſtituere poſſint, niſi voluntate patris [v] (cauſas quaſdam excepit jus Romanum [x]): [*b*] quod filius teſtamentum jure Romano non confecerit [y]: & [*c*] quod pater filio pupillariter ſubſtituere potuerit. [z]

Jure Romano tamen poſterioribus temporibus quædam bona diſpoſitioni filiorum relicta fuere; & quidem 1. peculium caſtrenſe: cui 2. mox additum fuit peculium quaſi caſtrenſe: 3. bona materna: 4. lucra nuptialia, & ſponſalitia: Denique, & 5. omnia bona adventitia [a]. De his igitur bonis liberi hodie certo modo diſponere poſſunt.

n. 7. Unitas autem illa perſonæ tantum obtinet ſi *de acquirendo* [b], non autem ſi *de obligatione agitur* [c]. Pater enim ex obligatione filii non te netur; ſed ſolus filius obligatur, tum civiliter [e], tum criminaliter [f]. Si tamen filius peculium profectitium habet, pater tenetur peculiotenus. [g]

n. 8.

(*g*) L. 56. §. 1. de fidejuſſ. (*h*) L. 38. pr. Cond. indeb. (*i*) d. l. 56. (*k*) Grot. de jur. bell. & pac. Lib. 2 c. 5. §. 3. & l. 3. c. 6. §. 9. (*l*) L. 39. V. O. (*m*) §. 4. inut. ſtip. l. 38. §. 17. V. O. l. 17. §. f. (*n*) l. 18. l. 19. Pact. d. §. 4. d. l. 130. (*o*) d. §. 4. l. 130. V. O. (*p*) l. 17. §. fin. pact. (*q*) l. 19. §. 1. de pact. (*r*) l. 18. ff. Pactis. (*rr*) Vid. omnes textus ante allegatos. (*s*) l. 1. §. 5. l. 4. Acqu. Poſſ. L. 10. §. 2. A. R. D. l. 53. Eod. Diſſentit Grotius l. 2. c. 5. §. 2. (*t*) L. 53. l. 10. pr. A. R. D. §. 1. inſt. per quas pers. L. 6. C. de bon. quæ lib. l. 2. C. patr. pot. Gaji Inſt. l. 1. §. 9. pr. Heinecc. antiq. Rom. l. 2. t. 9. §. 1. (*u*) Leg. 1. 2. & 3. C. bon. quæ lib. (*v*) L. 39. O. A. (*x*) l. 9. ff. O. A. l. 6. § 2. l. 3. ff. Adult. (*y*) pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. (*z*) §. 4. Inſt. Pup. ſubſtit. (*a*) Heinecc. d. l. §. 2. (*b*) §. 4. de inut. ſtipul. l. 120. V. O. (*c*) l. 30. O. A. (*d*) d. l. 39. l. 1. §. 8. his, qui effud. ibique Goth. l. 58. Reg. jur. l. 5. Cond. furt. (*e*) d. l. 39. (*f*) l. 8. §. f. acceptil. Conf. §. fin. Inſt. de nox act. l. 5. §. 5. O. A. l. 3. §. 11. de pecul. (*g*) l. 1. §. 5. l. 4. Acq. Poſſ. l. 3. §. 11. de pecul.

n. 8. Denique ex illa unitate oritur, quod liberi tanquam ſui hæredes neceſſario ſuccedant in omne jus defuncti. Atque hæc vera ratio eſt, cur jure naturali parentum conſenſus ad nuptias liberorum requiratur, ne hæres ſuus patri invito obtrudatur. [b]

n. 9. Dixi, patrem, & filium non haberi pro una perſona, 1. ſi filius ſe obligat. Idem quoque dicendum, 2. ſi tertius aliquis, v. g. fidejuſſor, filii obligationi accedit; nam liberi patri obligantur naturaliter [i]: 3. in cauſis publicis; hinc filius judex patris eſſe poteſt. [k]

n. 10. Denique notandum eſt, virtutes, ac vitia parentum liberis (etſi ſint portio corporis parentum) imputari non poſſe [l]; adeoque iniquum eſſe, liberos pro delictis parentum punire. [m]

n. 11. Quæri ſolet, an liberi teneantur alere parentes egenos? Jure Romano id ſtatutum eſt, atque hoc jus ex æquitate, & charitate ſanguinis deducitur [n]. Immo & gentium legibus id cautum eſſe, videmus [o]. Equidem parentibus nullum jus competit in bona filii (nam ſupponimus filium aliquid proprii habere); adeoque actio patri non datur, ut alatur ex illis bonis, nec adigi ad id poteſt filius: ſed hic contra perfectionem, & charitatem ſanguinis peccat, adeoque jus Dei violat; uti optime rem ita explicat Grotius [p]. Atque hinc jam conſtat ratio, cur Servator adeo improbet votum, quo liberi bona ſua Deo dicabant, eoque alimenta patri roganti denegabant, ſub prætextu, omnia *Corbam*, id eſt, Deo dicata, eoque veſci nefas eſſe. [q]

§. CLX. Quidam exiſtimant, jure Romano liberos intuitu patris inſtar ſervorum fuiſſe, eademque jura patri in liberos, quæ in ſervos, competiiſſe [r]. Idque inde probant: 1. quod liberi in patris dominio Quiritario fuerint [s]: 2. quod pater jus vitæ, & necis in liberos habuerit [t] 3. quod pater filium tanquam *rem* ſuam, adeoque jure dominii, a quocunque poſſeſſore vindicare [u], atque 4. in eum finem ad exhibendum agere [v], 5. liberos ſurreptos actione furti (quæ tantum domino datur [x]) repetere [y], & 6. ſi filius ſe venumdedit, in libertatem eum revocare potuerit [z]: quod 7. patri ter vendere liberos [a], eoſque 8. noxæ dare licuerit [b]: 9. quod omnes liberorum actiones dependerent ab arbitrio patris, utpote cum nec agere in judicio, neque vota facere, neque nuptias contrahere, abſque conſenſu patris, potuerint (*vid. ſupr.* §. 159.): ſed & 10. liberi ſunt inſtrumentum patris, uti ſervi domini; adeoque paciſci patri poſſunt

(*b*) Grot. l. 2. c 5. §. 10. n 1. (*i*) §. 4. Inſt. de inut. ſtip. (*k*) l. 77. ff. de jud. l. 9. ff his, qui ſui, &c. l. 13. §. 5. l. 14. pr. Ad Sc. Treb. Cap. fin. de jud. in 6. Heineccii Elem. p. 1. §. 150. (*l*) Grot. L. 2. c. 20, § 13, n. 1. (*m*) d. c. 20. §. 15. n. 1. (*n*) L. 5. § 1. & 2. ff. de agnoſc. lib. (*o*) Goth. ad d. l. 5. §. 1. (*p*) L. 2. c. 7. §. 4. Conf. Laut. Comp. p. 458 (*q*) Zigler. ad Grot. l. 2. c. 13. §. 7. (*r*) Liban. declam. 37. Senec. Controv. III. 9. & 18. Sext. Empir. pyrrh. hyp. III. Merill. Obſ. 3. 4. Caji Inſt. 1. 6. 3. Conf. Heinecc. tit. de his, qui ſui, vel al. §. 144. 145. (*s*) L. 1. §. 2. R. V. (*t*) L. 11. ff. de liber. & poſth. Grot. l. 2. c. 5. §. 7. (*u*) L. 1. §. 1. R. V. (*v*) L. 1. §. 1. ad exhibendum. (*x*) L. 23. ff. furt. (*y*) l. 14. §. 13. l. 38. ff. furt. (*z*) arg. l. 1. §. 2. R. V. Hunn. ad Treutl. V. 1. D. 2. th. 12. (*a*) Dion. Halic. II. pag. 97. Grot. l. 2. c. 5. §. 5. (*b*) §. 7. Nox. act. Collat. Leg. Mos. & Rom. tit. II. §. 3. Conf. l. 3. §. 4. lib. hom. exhib.

Digitized by Google

ſunt, etiam ignoranti [c]: II. quicquid acquirebant, patri acquirebant, &c.

n. I. At his non obſtantibus dicimus, *liberos*, etiam jure Romano, eſſe perſonas liberrimas, etſi in poteſtate patris conſtituti ſint. Sane, uxores quoque ſunt in poteſtate mariti, & pupilli in poteſtate tutorum, nec tamen ſunt ſervi. Poteſtas ergo patria libertatem liberorum non tollit, ſed jura ſaltem quædam tribuit patri, quæ ex natura familiæ ſequuntur, & perſonam ipſam afficiunt.

Sane, jure Romano *liberi* dicuntur perſonæ liberæ. JCtus expreſſis verbis ait, *perſonas liberas, quales ſunt liberi in poteſtate conſtituti, per rei vindicationem peti non poſſe* [d]. Conſtantinus refert, LIBERTATI *a majoribus tantum impenſum eſſe, ut patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque poteſtas olim erat permiſſa*, LIBERTATEM ERIPERE NON LICERET [e]. Sed liberi *ſtatum familiæ* habent, *nuptias* contrahunt, *dignitates* nanciſcuntur, &c. Immo filius ex omnibus cauſis tanquam paterfamilias *obligatur*, & ob id *agi* cum eo tanquam cum patrefamilias poteſt [f], &c. Quæ omnia ſecus ſe habent in ſervis. [g]

n. 2. Equidem I. negari nequit, jure Romano dominium patri in liberos tribui: at id non *verum* eſt dominium, ſed *Quiritarium*; quod nudum nomen eſt, & nihil ab ænigmate diſcrepat, nec unquam videtur, nec in rebus apparet, ſed vacuum eſt, & ſuperfluum verbum [h]. Atque ideo hoc antiquæ ſubtilitatis ludibrium Juſtinianus ſuſtulit. [i]

Per hoc *dominium Quiritarium* igitur Romani legislatores nihil aliud deſignare voluerunt, quam jus, quod patri ex ipſo facto naturæ in perſonam liberorum, tanquam portiones corporis paterni, & membra familiæ, quæſitum eſt; cum enim hoc jus perſonam ipſam afficiat, illud quaſi reale aliquid judicabant, & ficto nomine dominium Quiritarium appellabant.

Atque hactenus verum eſt, quod jus patriæ poteſtatis ſit proprium civium Romanorum [k]: Dominium enim Quiritarium non niſi civibus Romanis competit. At verum non eſt quod Tribonianus more ſuo fingit, *nullos alios homines eſſe, qui ſimilem in liberos habeant, poteſtatem* [l]: nam pleraque jura patriæ poteſtatis, quæ ad dominium Quiritarium referuntur, ex ipſa ratione naturali ſequuntur.

n. 3. Ceterum, quod 2. ad *jus vitæ, & necis* attinet, alibi probavimus, jus illud ab initio patribus familias competiiſſe jure imperii, & conſtitutis demum civitatibus iis ademtum fuiſſe (*vid. infr. l.* 7. *c.* I.). At quibuſdam civitatibus, inprimis a regibus Romanorum, jus illud patribus familias relictum fuit: non tamen indiſtincte tale jus ipſis conceſſum fuit, ut in ſervos, ſed tanquam judicibus domeſticis. Sane, ex omnibus exemplis, quæ in hanc rem afferuntur, apparet, liberos non niſi ob crimina, adhibito conſilio proximorum, per ſententiam condemnatos fuiſſe.

T. Arius filium in parricidio deprehenſum, advocato in conſilium Auguſto, exilio damnavit [m]. Caſſius filium, poſt-

(*c*) pr. Inſt. per quas perſ. (*d*) L. I. §. 2. R.V. (*e*) L. f. C. patr. pot. (*f*) l. 39. O. A. l. 8. §. f. acceptil. §. 6. de inut. ſtip. (*g*) d. l. 39. (*h*) quæ ſunt verba legis un. C. de nudo jure Quirit. toll. (*i*) d. l. un. Heinecc. antiq. Rom. L. 2. tit. I. §. 29. (*k*) L. 3. ff. His, qui ſui, &c. (*l*) §. 3. Inſt. de patr. pot. (*m*) Sen. de clem. l. I. c. 15.

poſtquam poteſtatem tribunitiam depoſuit, adhibito propinquorum, & amicorum conſilio, affectati regni crimine domi damnavit [n]. Manlius Torquatus ne conſilio quidem neceſſariorum indigere ſe credidit, & Senatus, ac creditorum conſenſu cognitionem ſuſcepit, domi conſedit, ſoluſque utrique parti per biduum vacavit, & publicata ſententia filium & domo, & republica indignum judicavit, atque domo exire juſſit [o]. L. Gellius, univerſo pene ſenatu adhibito in conſilium, filium de inceſtu cum noverca, & parricidio ſuſpectum, abſolvit de conſilio, tum etiam ſententia ſua [p]. Idem jus obtinuit apud Perſas [q], apud antiquos Gallos [qq], apud Burdegalenſes, Japonios [r], & Americæ populos. [s]

Sed & ſublato jure vitæ, & necis, veſtigium adhuc ſupereſt in licentia patri conceſſa, vi cujus filiam adulteram in continenti occidere potuit. [t]

n. 4. Et licet 3. pater ad exhibendum agere, & vindicare filium potuerit, ex ipſis tamen legibus Romanis apparet, liberos non tanquam *rem*, quæ in bonis patris eſſet, vindicari potuiſſe [u], (utpote quod in ſolis ſervis verum erat) ſed tanquam *rem*, quæ patris erat ex jure Quiritario, i. e. ex umbra, & nudo nomine dominii. Atque hinc adjici debuit cauſa, ſcilicet, *hunc hominem ego ex jure Quiritium meum eſſe dico.* [v]

n. 5. Eodem quoque ſenſu pater 4. furti agere contra eum, qui filium ſurripuit, & 5. in libertatem revocare filium, qui ſeſe venumdedit, potuit. Agitur enim de portione corporis paterni; de membro familiæ, cujus actiones a patris arbitrio dependent.

n. 6. At 6. verum non eſt, patrem liberos ter vendere potuiſſe: nam trina illa venditio, quæ a Doctoribus allegari ſolet, erat ſolemnitas, & fictio, quæ intervenire ſolebat quando agebatur de filio emancipando. Hæc venditio imaginaria dicebatur, per quam non fiebat ſervus, ſed liber. [x]

n. 7. Sed & 7. verum non eſt, patrem liberos *noxæ dedere* potuiſſe. Tribonianus quidem id olim obtinuiſſe fabulatur; at nullum ejus conſuetudinis in Digeſtis extſtat veſtigium. Ex titulo *de noxalibus actionibus* apparet, definitionem noxalis actionis tantum ad ſervos reſtringi. [y]

Neque *obſtat*, filios æque, ac ſervos, noxali judicio conveniri [z]. Reſp. noxale judicium nihil aliud eſt, quam criminale judicium. Noxa enim omne maleficium, & peccatum denotat [a]. Hactenus igitur verum eſt, utrumque noxali judicio conveniri poſſe. Sed diſerte diſtinguuntur *ſervi*, & *liberi* [b]. *Illi* enim, ſi dominus eos defendere nolit, abſque cauſæ cognitione noxæ dedebantur, adeo ut nec innocentiæ probatio ipſis permiſſa fuerit: hi autem, ſi pater defendere eos nolebat, ſeipſos defendere poterant, & lata demum ſententia puniebantur; certiſſimo indicio, noxæ dari non potuiſſe. Quod ſatis quoque in aliis textibus innuitur. [c]

n. 8. Quod vero 8. liberi ſint inſtrumen-

(*n*) Val. Max. l. 5. 6. 1. (*o*) Val. Max. d. c. 1. (*p*) Val. Max. Lib. 5. c. 9. n. 1. (*q*) Grot. l. 2. c. 21. §. 15. & l. 2. c. 5. §. 7. (*qq*) Cæſar de bell. gall. l. 6. (*r*) Pufend. L. VI. C. II. §. 12. (*s*) Laffiteau des mœurs des Ameriquains. Conf. Struv. ad. tit. de his, qui ſui, &c. (*t*) l. 20. l. 21. l. 23. ff. de Adult.

(*u*) L. 1. §. 2. R. V. (*v*) d. l. 1. §. 2. (*x*) Conf. Heinecc. ant. Rom. L. 1. t. 9. §. 6 & 9. (*y*) Conf. Heinecc. antiq. Rom. L. 3. tit. 8. §. 3. (*z*) l. 33. l. 34. Nox. act. (*a*) l. 45. §. 1. Legat. 1. l. 4. l. 32. ff. Nox. act. Heinecc. antiq. Rom. Lib. 4. tit. 8. §. 2. (*b*) in. d. l. 33. & 34. (*c*) L. 5. §. pen. Obl. & act.

Digitized by Google

ſtrumentum patris: quod 9. actiones eorum ab arbitrio patris dependeant; quod 10. omnia patri acquirant, &c. id non eſt ex jure dominii, ſed ſequitur ex jure familiæ, ſalva libertate. Liberi enim, qui ſunt portio corporis paterni, & in domo patris naſcuntur, nihil a ſe, omnia a genitore habent; adeoque huic idem jus in portiones ſui corporis competit, quod in proprium corpus. Præterea, pater caput, & rector eſt corporis familiæ, adeoque leges dicere poteſt tum perſonis, tum rebus, quæ ſub corpore illo continentur.

§. CLXI. *Effectus* patriæ poteſtatis eſt, ut paterfamilias qualitatem hanc, i. e. ſtatum paternitatis, defendere poſſit, tum bello, tum in judicio, (mediantibus actionibus præjudicialibus [d]) contra omnes, qui eum patrem eſſe negant.

§. CLXII. Solvitur patria poteſtas 1. morte naturali, niſi filius ſit recaſurus in poteſtatem avi [e]: 2. ſi libertate privatur, i. e. alieno dominio ſubjicitur; uti ſi ab hoſte capitur, nec poſtliminio receptus eſt [f]: 3. emancipatione, quæ eſt modus dimittendi liberos ſuos conſentientes [g] e patria poteſtate [h]: 4. adoptione, utpote quæ emancipationem ſupponit [i]: non vero 5. dignitate: nec 6. capitis deminutione media [k]; nedum relegatione: nec 7. ſi quis paciſcitur ſaltem cum alio de jure filii [l]: nec 8. ſi familia exceſſerunt [m]: nec 9. per nuptias filii. (*Vid. ſupr.* §. 159. *n.* 6.

Apud Græcos patria poteſtas non erat perpetua, ſed admodum variabat tempus, quo ea duraret. Apud quasdam civitates finiebatur tertio pubertatis anno expleto; alibi, quamdiu cœlibes manſiſſent; alibi, donec nomen eorum inter viros relatum eſſet [n]. Dionyſius Halicarnaſſenſis refert, legem Numæ Pompilii exſtare, quod pater filium vendere prohibeatur ſi permiſerit filio uxorem ducere, quæ particeps ſit ſacrorum, & bonorum [o]. At alibi jam probavimus, patri nunquam jus fuiſſe vendendi liberos. Scriptor Græcus facile in rebus Romanorum errare potuit, uti revera erravit, dum patrem ter vendere potuiſſe liberos, aſſerit.

Sectio III.

De juribus, quæ Matrifamilias ex ſtatu familiæ competunt, tum intuitu mariti, tum intuitu liberorum.

§. CLXIII. Diximus, *uxorem* eſſe in poteſtate mariti, atque hanc poteſtatem ex ſtatu familiæ ſequi (§. 148.). Cum vero hæc uxor certa lege in familiam mariti tranſeat, ac ſe poteſtati mariti ſubjiciat, examinandum eſt, quænam jura *uxori* inde competant.

§. CLXIV. Uxor, quæ in domum mariti, ejuſque familiam tranſit, duplicem finem ſibi propoſitum habet: 1. ut omnis vitæ commercium cum marito habeat, eique ad individuam vitæ conſuetudinem jungatur: 2. ut ſobolem marito, eique ſoli, procreet.

n. 1. Ex *priori* fine ſequitur, 1. ut membrum fiat familiæ mariti, eoque jura

(*d*) Vid. ſupr. §. 113. & §. 145. (*e*) pr. Inſt. quib. mod. patr. pot. (*f*) Vid. ſupr. §. 133. (*g*) Nov. 89. c. 2. l. 5. C. de emanc. (*h*) §. 7. Inſt. Quib. mod. patr. pot. ſolv. (*i*) §. 8. Quib. mod. pat. pot. (*k*) Secus jure Romano §. 1. Inſt. dict. tit. (*l*) Vid. jus. meum controv. L. 1. t. 7. q. 14. §. 12 (*m*) Diſſentit Grot. l. 2. c. 5. §. 6. (*n*) Dion. Halic. l. 2. p. m. 52. (*o*) d. l. p. m. 63.

Digitized by Google

jura divina, & humana mariti cum ea communicentur [p]: 2. quod participet de dignitate mariti, etiam poſt ejus mortem, donec ad ſecunda vota tranſeat [q]; hinc nomen ejus gerit, & inſignibus ejus utitur. 3. Uxor ſequitur mariti domicilium [r], forum, & municipium [s]. 4. Quodammodo eſt domina bonorum mariti [t]; cujus effectus eſt, quod poſt mortem dimidiam bonorum acquirat: quæ communio bonorum hodieque pluribus in locis obtinet [tt]. (Jure Romano antiquo uxor filiæ loco fuit, & uti reliqui liberi, tanquam ſua, & neceſſaria hæres marito ſucceſſit) [u]. 5. Maritus uxorem repudiare, vel deſerere nequit abſque juſta cauſa [v]. 6. Cum uxoris bona acquirantur marito, illaque nihil proprii habeat, ali debet a marito (ſive dotem ille acceperit, ſive non) [x], ejuſque ſumtibus ſepeliri debet [y], niſi propria bona habeat. [z]

n. 2. Ex *poſteriori* fine ſequitur, 7. ut maritus debitum conjugale ei præſtare teneatur [a]: 8. quod uxor, ſi maritus impotens eſt, ad ſeparationem agere poſſit, niſi cognita ipſi fuerit impotentia, vel ea ſuperveniat: 9. quod cum alio rem habere non poſſit, &c.

§. CLXV. Sed & MATRI FAMILIAS ex ſtatu familiæ jura quædam *in liberos* naturali jure competunt, quia liberi æque, & magis, ſunt portio corporis materni. Hinc 1. liberi debent matri reverentiam; quæ ratio eſt, cur jure Romano ſpurius matrem in jus vocare non potuit [b]. 2. Mater corrigere mores liberorum, eoſque caſtigare poteſt, &c.

At 3. alere eam præciſe liberi non tenentur; ſed contra pietatem agerent, ſi egenam matrem non alerent. Hinc tantum ex æquitate, & charitate ſanguinis hæc alimenta deberi dicuntur. [c]

SECTIO IV.

De juribus, quæ Liberis ex ſtatu familiæ competunt.

§. CLXVI. CUM dictum ſit, liberos eſſe portionem corporis parentum, inde facile conſtat, 1. alendos eſſe liberos a *patre* [d], & quidem ſtatim a nativitate [e]: 2. deficiente patre, *ad avum*, reliquoſque aſcendentes paternos, officium alendi nepotes pertinere.

3. His quoque deficientibus *mater mariti*, & ea deficiente aſcendentes materni alimenta exhibent. [g]

4. Si omnes deficiunt, ipſa mater infantis alere eum tenetur in ſubſidium. [h]

Hæc omnia vera ſunt ſi partus ſe ipſum exhibere nequit; ſecus ſi ipſe habeat unde alatur. [i]

Ali

(p) L. 1. ff. Rit. nupt. l. 22. §. 7. ſol. matrim. Goth. ad. Leg. XII. tabb. tit. 17. § 3. Forcat. 10. c 5. (quod apud omnes gentes ita obſervatur. Vid. Juſtin. 23. 2. Tacitus de Germ. Mor. 18. & 12. Ann. 5. c. 3. Liv. L. 1. c. 19. (q) l. 8. l. 10. C. Rit. nupt. l. 13. C. de dignit. (r) l. 5. l. f. ff Rit. nupt. (s) l. p. ff. juris d. l. f. §. 3. ff. ad Municip. l. f. c. de incol. Grot. l. 3. c. 21. §. 17. (t) l. 1. ff. Rer. am l. 4. & 5. C. Crim. expil. hær. l. 52. de re jud. (tt) Vid. B. Par. diſſert. de Succeſſ. ab inteſt. c. 3. (u) Dion. Halicarn. L. 2. antiq. p. m. 41. (v) tot. tit. ff. de divortiis, & repud. (x) l. 22. §. 8. Sol. matr. l. 2. ff. injur. (y) l. 16. ff. Relig. (z) d. l. 16. (a) Grot. l. 3. c. 5. §. 9. n. 2. (b) l. 5. §. 5. agnoſc. lib. (c) l. 5. §. 2. ff. agn. & al. lib. (d) l. 5. pr. §. 1. l. 10. ff. d. de agnoſc. & al. lib. l. 3. l. 4. C. Eod. (e) dd. leg. & l. 5. ff. de ventre in poſſ. (f) L. 5. §. 2. l. p. ff. agnoſc. lib. dict. jus. contr. l. 25. tit. 3. q. 2. (g) L. 5. §. 2. l. p. ff. agnoſc. lib. d. quæſt. 2. (h) L. 5. §. 14. agnoſc. lib. l. 11. C. Neg. geſt. (i) L. 5. §. 7. ff. agnoſc. lib.

Digitized by Google

§. CLXVII. Aliquoque a patre debent *liberi naturales*, i.e. ex concubina nati*k*. Nam etſi concubina non ſit uxor, nec mater familias, tamen loco uxoris eſt, & ſupponitur, eam uni ſoli indubitata affectione conjunctam, & ſine nuptiis *in domo* alicujus eſſe *l*, indeque de patre certo conſtare. (*Vid. infr.* §. 173. *n.* 7.)

Non ergo alia patre debent *ſpurii*, i. e. vulgo quæſiti *m*; quia cum de certo patre non conſtet, nemo obligatur alieno partui alimenta ſubminiſtrare. Moribus etiam *ſpurii* ali debent; habetur enim pro certo patre, qui ſe rem habuiſſe cum fœmina fatetur, modo legitimo a die concubitus tempore partus editus ſit. Idque verum eſt, etſi 1. mater antea jam ſtuprata fuerit; vel 2. ſtuprator ſe invitatum eſſe ad ſtuprum, probet; vel 3. ipſe manu ſua quotidianum victum quærere teneatur. *n*

Jure Civili liberi ex nefario, aut inceſtuoſo coitu nati a patre, &c. alimenta exigere non potuere *o*: at id quoque jure Canonico, & moribus *p* mutatum eſt.

Quid ſi ſtuprator neget ſe eſſe patrem, & ſtupratam cum alio quoque rem habuiſſe afferat? Reſp. tenetur alere partum, donec id probaverit. Modum procedendi expoſui in jure meo controverſo. *q*

§. CLXVIII. 6. Educari a parentibus debent liberi. Sub educatione autem etiam ea continentur, quæ ad formandos mores pertinent. *r*

§. CLXIX. Liberi 7. participes fiunt privilegiorum familiæ paternæ. Hinc patris nomen gerunt, ejus inſignibus utuntur, ſequuntur forum, & domicilium patris *rr*, immo & fortunam ejus; nam ex ſervo, & ſerva nati fiunt ſervi. &c.

8. Liberi continuant familiam patris; adeoque eo mortuo ſuccedunt in omnia ejus jura: niſi ea lege conjuges coiverint, ne liberi ſuccedant. (*Vid. l.* 4. *c.* 3. *ſect.* 3.)

S E C T I O V.

De Juribus, quæ Agnatis ex ſtatu familiæ competunt.

§. CLXX. Denique Agnati quoque ad familiam, quæ communi univerſæ cognationis jure continetur, pertinent; quia eorum parentes ſub unius poteſtate fuerunt, adeoque omnes agnati ex eadem gente, & domo prodierunt. *s*

Ex hoc ſtatu familiæ itidem varia jura oriuntur. Nam 1. omnia privilegia, quæ familiæ adhærent, etiam ad agnatos pertinent; adeoque idem nomen gerunt, iisdem inſignibus utuntur, &c. 2. Injurias familiæ illatas vindicare poſſunt; cujus illuſtre exemplum exſtat in vindice ſanguinis. 3. Defendere membra familiæ debent, quæ ipſa ſe defendere nequeunt; quæ eſt ratio tutelæ legitimæ. Non vero 4. ſuccedunt agnatis. (*Vid. infr. l.* 4. *c.* 3. *ſect.* 3.)

S E-

(*k*) Auth. licet. c. de. Nat. lib. (*l*) l. 143. V. 5. (*m*) l. 5. §. 6. &. §. 4. de agnoſc. lib. (*n*) Vid. Jus meum Controv. L. 25. tit. 3. quæſt. 2. (*o*) Auth. ex complexu &c. c. de inceſt. nupt. (*p*) d. quæſt. 2. (*q*) L. 25. tit. 3. q. 2. (*r*) L. 4. ff. ubi pupil. ed. l, 6. §. 5. ff. Carbon. edict. Grot. l. 2. c. 7. §. 4. c. 5. §. 4 (*rr*) L. 1. §. 1. & 2. l. 6. pr. ſeq. ad Municip. l. 3 c. Eod. l. 3. c. de incol. (*s*) l. 195. §. 2. V. S.

Digitized by Google

SECTIO VI.

De Sponſaliis, & de Nuptiis.

§. CLXXI. DIXIMUS, jura quædam ex *ſtatu familiæ* conjugibus, parentibus, & liberis quæri: cum vero familia non niſi per *juſtas nuptias* conſtituatur [t], de his nunc ex profeſſo agemus.

§. CLXXII. Nuptias præcedunt SPONSALIA, quæ ſunt *mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum.* [u]

NUPTIÆ ſunt *viri, atque mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.* [v]

§. CLXXIII. Hinc conſtat differentia inter *ſponſalia, & nuptias. Illa* enim nudo conſenſu partium conſiſtunt de ſe conjungendo in futurum; unde ſola actio ad implendum, nullum vero jus in perſonam conjugis quæritur: neque enim per *ſponſalia*, etſi verbis de præſenti concepta, ſponſa conſtituitur in poteſtate ſponſi. Sed in NUPTIIS ſupponitur *conjunctio*, i. e. facultas actu ſeſe conjungendi: adeoque *nuptiæ* ſupponunt quaſi traditionem, per quam fœmina conſtituitur in poteſtate mariti, ita ut jus in ipſam perſonam, & in corpus conjugis quæratur.

Atque hæc ratio eſt, cur apud Romanos deductio in domum ad eſſentiam nuptiarum pertinuerit; quia tunc demum in cuſtodia, & poteſtate mariti conſtituta, eoque quaſi tradita marito videbatur. [x]

Hinc quoque apparet ratio, cur vir abſens uxorem in domum per procuratorem ducere, non vero uxor abſens per procuratorem duci potuerit, quia in mariti poteſtate nondum eſt conſtituta [y]. Unde porro apparet ratio, cur donatum ſponſæ ipſa nuptiarum die ſubſiſtat ante deductionem in domum, non poſt eam. [z]

Sponſalia, etſi priora, poſtponuntur nuptiis poſterioribus [a]; quia per hanc quaſi traditionem, quæ in nuptiis ſupponitur, marito jus aliquod in perſonam ipſam, ejusque corpus, competit: cum e contrario in pacto ſponſaliorum factum aliquod futurum promittatur, ubi ſponſus liberatur præſtando id, quod intereſt.

§. CLXXIV. Licitas eſſe nuptias, i. e. a Creatore approbari, vix opus habet probatione. Ens hoc perfectiſſimum [a] duplicem ſexum creavit, [b] facultates utrique conceſſit corpora jungendi, [c] motum indidit, quo ad conjunctionem corporum feruntur [d] finem quoque hujus actionis manifeſtavit, ut propagetur genus humanum; [e] omnes gentes ductum hunc naturæ ſequuntur, &c. Adeoque extra omne dubium poſitum eſt, conjunctionem maris, & fœminæ, non repugnare voluntati divinæ, quia alias fruſtra creaſſet duplicem ſexum, fruſtra facultates illas conceſſiſſet, fruſtra motus illos indidiſſet, & fruſtra propagationem generis injunxiſſet.

At Deum non promiſcue illam conjunctionem maris, & fœminæ, fieri voluiſſe, ſed *tantum ad individuam vitæ conſuetudinem*, ipſa ratio nos docet.

(t) Vid. t. Inſt. de patr. pot. &. §. pen. Inſt. de nuptiis. (u) L. 1. Sponſal. (v) §. 1. Inſt. de patr. pot. l. 1. ff. Rit. nupt.

(x) L. 5. ff. Rit. nupt. (y) d. l. 5. Paul. ſent. l. 19. 5. (z) L. 6. C. de don. ant. nupt. (a) C. 3. c. 5. ſpons. duor.

Digitized by Google

Cum enim liberi, qui naſcuntur, ſint vera portio corporis paterni, (etiamſi mater cum pluribus rem habuerit, eoque pater ignoretur) ex hac unitate varia jura, variaque officia inter parentes, & liberos oriuntur, quæ invicem præſtari neceſſario debent. Ita enim [a] patri debetur reverentia, etiam invito; [b] filia cum patre, filius cum matre, frater cum ſorore, &c. propter illam unitatem carnis concumbere nec naturali ratione poſſunt; [c] Liberi educari, i. e. ad maturitatem produci, & ali a patre debent, &c. Omnia hæc officia præſtari non poſſunt ſi pater ignoratur; uti ignoratur ſi fœmina corpore ſuo quæſtum facit.

n. 1. Accedit, quod Deus voluerit propagari genus humanum. Omnia igitur voluntati divinæ repugnant, quæ propagationem impediunt. Certum autem eſt, & experientia docet, nimio veneris uſu, (i. e. ſi fœmina uſum corporis ſui promiſcue concedit) propagationem impediri. Atque in eo conſiſtit vera ratio *ſuperfœtationis* [aa]: per confuſionem enim ſeminis fœtus fœtum quaſi opprimit, adeoque procreationem ſobolis impedit.

n. 2. Sed & ex natura ſanctiſſimi Creatoris certiſſima ratione demonſtratur, eum nonniſi per juſtas nuptias, (i. e. per talem conjunctionem, quæ fit ad individuam vitæ conſuetudinem) per quas ſolas pater certus conſtituitur, propagationem generis humani fieri voluiſſe; niſi aſſerere velimus, Deum inceſtus inter parentes, & liberos, &c. permiſiſſe, ac reliqua quoque officia omitti poſſe: quod neceſſario ſequetur ſi pater ignoratur, & certus non eſt.

n. 3. Uſus quoque omnium gentium comprobat, promiſcuos concubitus apud eas non admitti; ſed unumquemque ſociam propagationis ſibi aſſumere ad individuam vitæ conſuetudinem, i. e. ea lege, ut cum nemine alio conſuetudinem habeat. Egregie hoc teſtantur JCti Romani: poſtquam enim *conjunctionem maris*, *& fœminæ*, procreationem ſobolis, ejusque educationem, ex jure naturali, quod natura omnia animalia docuit, deduxere, addiderunt, *quod nos matrimonium vocamus* [b]; id enim non contrahitur niſi *ad individuam vitæ conſuetudinem*. [c]

n. 4. Hinc jam certum eſt, fœminam non poſſe uſum corporis ſui pluribus permittere, ſed uni ſaltem. Idque extra dubium poſitum eſt ſi fidem uni dedit, qui eam ſociam propagationis ſibi elegit, et individuam vitæ conſuetudinem cum ea contraxit, i. e. familiam conſtituit. (*Vid. ſupr.* §. 141.)

Equidem Dionyſius Halicarnaſſenſis allegat legiſlatores quosdam, *qui exemplum a brutis ſumentes*, *ſolutos*, *& communes concubitus maris cum fœmina fecerint; quod hoc modo humanam vitam ab amatoriis furoribus à ſe liberatam imputarent*, *quodque zelotypiam mutuarum cædium cauſam eſſe judicarent: denique quod homines a multis aliis malis*, *quæ & privatas domos*, *& integras civitates propter mulieres ſolent invadere*, *a ſe liberari poſſe exiſtimarent.* At nullum talem legiſlatorem nominat, nec forte nominare poterit. [d]

n. 5. Per hanc conjunctionem maris, & fœminæ ad individuam vitæ conſuetudinem naturali jure FAMILIA conſtituitur: i. e. fœmina fit ſo-

(*aa*) L. 3. ſi pars hær. ibique Budæus. (*b*) L. 1. ff. juſt. & jur. (*c*) §. 1. Inſt. de patr. pot. L. 1. ff. Rit. nupt. Conf. l. 10. l. Eod. §. 12. Inſt. nupt. (*d*) Antiq. p. m. 51.

cia omnium fortunarum mariti, & communicantur cum ea omnia jura ſacra, & humana: liberi ex tali concubitu nati pars fiunt illius familiæ, & poſt mortem patris continuant familiam, i. e. in omnia ejus jura ſuccedunt. Atque talis fœmina *uxor* vocatur, *mater familias*, &c. (Vid. infr. n. 11.

n. 7. Aliquando tamen ſeſe conjungentes (inprimis ſi fœmina eſt vilioris conditionis) paciſci invicem ſolent, ne liberi ex conjugio nati de commodis familiæ participent, nomen familiæ gerant, in bonis ſuccedant, &c. Hi enim liberi etſi certi ſint, & in poteſtate patris conſtituti, non tamen juribus familiæ gaudent. Tale autem pactum jure naturæ licitum eſt: nam finis matrimonii manet, certitudo nimirum patris; ceterum cohabitantes de ſuis juribus, & bonis pro lubitu diſponere, & ne fœmina, aut liberi de juribus, privilegiis, ac bonis familiæ participent, paciſci poſſunt. Neque liberis fit injuria, quia nihil a ſe, omnia a parentibus, & ex eorum voto habent, eoque, quod parentes ipſis deſtinant, contenti eſſe debent, neque a parentibus ipſis præter educationem aliquid debetur.

Ex ſacra hiſtoria apparet, hunc *concubinatum* inter Patriarchas admodum uſitatum fuiſſe, & concubinas eorum non participes fuiſſe dignitatis familiæ. Hagar erat ancilla Ægyptia; Sara eam marito ſuo in uxorem dedit [e], ut ſuſciperet ex ea liberos. Manebat hæc ancilla ſub imperio Saræ, & cum offenderet heram, hæc eam caſtigavit [f]: Ipſe Deus fugientem revocavit, juſſitque ut ſub manu heræ ſe humiliaret [g]. Tandem vero ad preces inſtantes Saræ, & juſſu Dei ejecta e domo eſt [h]. Idem Abrahamus poſt obitum Saræ non aliam uxorem duxit, ſed concubinam Keturam [i]. Sic Jacob habuit concubinas Balam, & Zelpham [k]. Eliphatæ concubina fuit Timnat [l]. Liberi ex his concubinis nati non ſuccedebant liberis legitimis exſtantibus. Abrahamus enim filiis concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaaco filio ſuo; idque de Iſmaele [m], & liberis Keturæ [n] diſerte traditur in ſacra hiſtoria.

Neque *obſtat*, liberos ex concubina Bala, & Zelpha Jacobo natos cum reliquis liberis æquo jure ſucceſſiſſe. Reſp. jure adoptionis: nam ea lege ab uxore dabantur in conjugium marito, ut NB. ex illis liberos ſuſciperent; & maritus conſentiebat: adeoque liberi reputabantur eſſe uxorum.

Inſto, Hagarem quoque ea lege uxorem datam fuiſſe Abrahamo, neque tamen filium ſucceſſiſſe. Reſp. durum hoc ipſi Abrahamo viſum fuit; indeque noluit conſentire in exhæredationem, & juſſu demum Dei eum ſucceſſione privavit. [o]

n. 9. Apud Romanos differentia *uxorum*, & *concubinarum* maxime in uſu fuit. Atque has tum plerumque ſibi jungere conſuevere, vel ubi prohibitum fuit talem perſonam in uxorem ducere; vel ubi liberi jam ex juſto matrimonio exiſtebant, quibus ſpem hæreditatis intervertere patres noluerunt: quod exemplis plurium Imperatorum probat celeberrimus Heineccius. [p]

n. 10. Romani itidem talem concubina-

(*e*) Gen. 16. v. 1. ſeq. (*f*) d. c. 16. v. 5. & 6. (*g*) ibid. v. 9. (*h*) ibid. v. 10. & 12. (*i*) Gen. 25. v. 1. ſeq. & 6. (*k*) Gen. 35. v. 22. ſeq. (*l*) Gen. 36. v. 12. & 16. (*m*) Gen. 21. v. 10. ſeq. (*n*) Gen. 26. v. 5. & 6 (*o*) Gen. 21. v. 12. ſeq. (*p*) in antiq. Rom. append. ad l. 1. §. 41.

Digitized by Google

binatum demum admiſerunt, qui contineret *individuam vitæ conſuetudinem*; adeoque cum fœmina, quæ cum uxor non eſſet, cum mare vivebat, & uxoris loco ſine nuptiis in domo ejus erat [q], indeque in poteſtate viri conſtituta fuit. Nam in tali fœmina, intuitu certitudinis partus, eadem ratio obtinet, quæ in uxore legitima: non enim ferendum eſt, eum, qui cum concubina aſſidue moratus eſt, nolle filium agnoſcere quaſi non ſuum [r]. Cum hac concubina igitur eſt matrimonium quidem, ſed illegitimum, & injuſtum [s] (quia ſcilicet ſolennitates veri matrimonii non adhibentur); uxor vocatur gratuita, & ſodalitiaria [t], conjugium cum ea eſt, ſed inæquale [u]: indeque inter concubinam, & uxorem nil niſi dignitate intererat. [v]

Hinc in dubio quoque nuptiæ præſumebantur, (non concubinatus) ſi quis cum honeſta fœmina conſuetudinem habuit [x], niſi aliud teſtato declaraverit [y]. Nam a ſola animi deſtinatione [z], a ſolo delectu [a], & a maritali affectione [b] dependebat, utrum concubina, an uxor eſſet.

n. 11. Vera igitur differentia uxoris, & concubinæ apud Romanos in eo conſiſtebat, 1. quod *uxor* fuerit ſocia omnium fortunarum mariti, materfamilias, & princeps familiæ, quæ de dignitate, juribus, & bonis familiæ participabat [c]: *concubina* autem tantum uxoris loco habebatur, nec ſocia fiebat omnium fortunarum; indeque nec de dignitate, nec de juribus, nec de bonis familiæ participabat [d]. Unde 2. *illa* in matrimonio, *hæc* in conſuetudine eſſe dicitur [e]. Hinc 3. *uxor* plerumque ex paribus dignitate eligi ſolebat; *concubina* autem accipi vel talis, quæ uxor per leges eſſe non poterat, vel quæ vilioris conditionis erat [f] (nam cum ea, quæ honeſtæ vitæ fuit, non erat concubinatus, niſi id publice teſtatum fuerit [g]). 4. Ut *uxor* fieret, requirebantur certæ ſolennitates, confarreatio, vel cöemtio [h]; cum *concubina* ſufficiebat conſuetudo, & ut cum ea in una domo viveretur. [i]

Effectu quoque 5. differebant. *Uxor* enim, cum qua intercedit communio jurium ſacrorum, & humanorum [k], ſequebatur maritum [l] quoad nomen [m], dignitatem [n], & forum [o]; ea adulterii accuſari potuit jure mariti [p]; maritus donare ei inter vivos prohibebatur [q]; præſidi provinciæ ex eadem provincia eligere uxorem non licuit, &c. [r]. *Concubina* non participabat de dignitate mariti; in eo enim differebat ab uxore [s]: neque enim in matrimonio erat, ſed in conſuetudine [t]. Hinc non ſequebatur forum mariti, ſed originis [u]; nec

(*q*) l. 144. V. S. II. Eclog. 2. c. 144. (*r*) L. 6. ff. His qui ſui &c. (*s*) l. 37. Municip. l. 13. adult. (*t*) Heinecc. d. l. §. 38. (*u*) l. 3. c. nat. lib. ibique Goth. (*v*) l. 49. §. 4. leg. 3. (*x*) l. 24. Rit. nupt. l. 31. pr. don. l. 9. l. 13. c. de nupt. Alciat. 3. præs. 38. (*y*) l. 3. Concub. Goth. ad l. 7. c. divort. (*z*) L. 4. Concub. (*a*) Paul. l. 2. ſent. 20. (*b*) l. 31. pr. donat. (*c*) l. 1. Rit. nupt. §. 1. Inſt. patr. pot. §. 12. nupt. l. 31. pr. donat. l. 16. §. 1. his quæ ut ind. (*d*) l. 144. V. S. l. 37. Munic. l. 13. adult. l. 3. c. nat. lib. 49. §. 4. Legat. 3. (*e*) l. 34. ff. adult. (*f*) Heinecc. antiq. in append. ad libr. 1. §. 40. (*g*) l. 3. Concub. ibique Goth. l. 3. c. divort. (*h*) Rubr. ff. de Ritu. nuptiarum. l. p. ff. de donat. int. conjuges. ibique Goth. l. 13. c. Nupt. (*i*) l. 144. V. S. l. 34. ff. adult. (*k*) L. 1. ff. Rit. nupt. (*l*) *l.* 125. V. S. l. 44. Religios. (*m*) l. 198. V. S. (*n*) l. 8. l. 12. ſenat. (*o*) l. 19. judic. (*p*) l. 13. ff. adult. (*q*) l. 1. ff. don. int. conj. (*r*) l. f. ff. Concub. (*s*) l. 49. §. 4. leg. 3. (*t*) L. 144. V. S. (*u*) l. 37. ff. ad Munic.

Digitized by Google

nec accuſari poterat adulterii a marito jure mariti, ſed jure extranei [v]; donari ei inter vivos potuit [x]; & concubinam ex provincia habere licebat [y]. Liberi ex *uxore* nati ſunt pars familiæ, in eam agnaſcuntur ex voto parentum communi: adeoque gaudent omnibus juribus, & privilegiis familiæ; nomen, & inſignia patris gerunt; ac denique mortuo patre in omnia ejus bona ſuccedunt. Liberi ex *Concubina* nati agnaſcuntur quidem familiæ; at nec dignitate, nec juribus, nec privilegiis familiæ utuntur: adeo ut Octavianus Cæſari inter alia objecerit, quod natum e Cleopatra filium appellari nomine ſuo paſſus fuerit [z]. Atque hinc tales liberi ſine patre eſſe dicebantur, quod ex inſcriptionibus probat Heineccius [a]. Sane, liberi naturales nonniſi per legitimationem, & arrogationem, ac oblationem curiæ jura legitimorum, & liberorum acquirebant [b]. Ceterum, matri ſuccedebant, & quidem æquali jure cum legitimis [c]; & additur ratio, quia ex licita conſuetudine procreantur: concubinatus enim per leges nomen aſſumſit. [d]

n. 12. Non ergo pro legitimo concubitu haberi poſſunt, nec effectu juris gaudent conjunctiones promiſcuæ, quæ cum meretrice fiunt, quia certitudo illa prolis ceſſat [e]. (*Vid.* §. 173.)

§ CLXXIV. Nuptiæ contrahuntur *utriusque conſenſu* [f]. Hinc nuptias impedit error in perſona [g], error in virginitate ſponſæ [h], furor [i], ſumma ebrietas [k]. Neque conſentire videtur is, qui conditionem adjicit, quæ cum eſſentia matrimonii pugnat [l]. Qui vi, vel metu compulſus nuptias init, conſentit quidem, ſed coactus, atque ideo ad ſeparationem agere poteſt. [m]

Præterea requiritur *conſenſus patris*: idque rationi naturali conveniens eſſe, ait Juſtinianus [n]; ei enim invito ſuus agnaſceretur hæres: non vero requiritur conſenſus *matris*. [o]

§. CLXXV. Contrahunt nuptias in genere *omnes homines* uſum rationis habentes, & qui conſentire poſſunt: adeoque & *filii familias*, & *ſervi* [p]; modo pater, & dominus conſentiant.

n. 1. Contrahuntur autem nuptiæ 1. tantum *inter marem*, & *fœminam* [q], etſi alteruter ſit *hermaphrodita* [r]. Excluduntur igitur omnes conjunctiones cum eodem ſexu, vel cum brutis. (*Vid. ſupr.* §. 43. *ſeq.*)

n. 2. Nuptiæ 2. licitæ tantum ſunt, ſi *una cum uno* jungitur. Nam polygamia cum pluribus viris repugnat rationi naturali [s], tum quia certitudo prolis haberi non poſſet, tum quia propagatio generis humani impediretur per confuſionem ſeminis. (*Vid. ſupr.* §. 145. *n.* 1.

Aliud

(v) l. 13. ff. adult. (x) l. 58. ff. don. int. conj. (y.) l. 38. ff. Rit. nupt. (z) Dio. Hiſt. Rom. p. m. 479. (a) Antiq. Rom. L. 1. t. 10. §. 19. & 21. (b) ibid. §. 22. &. 21. (c) l. 5. C. SC. Orphit. (d) L. 3. §. 1. ff. Concub. (e) l. 19. l. 24. Stat. hom. (f) l. 2. ff. Rit. nupt. l. 30. Reg. jur. l. 15. ff. Cond. & dem. (g) l. 9. pr. Hær. inſt. l. 15. ff. de juriſd. (h) Nov. Leon. 39. (i) l. 16. §. 2. Rit. nupt. (k) Laut. Comp. tit. de Rit. nupt. pag. 443. (l) B. Parens in Hyp. Inſt. tit. de nupt. §. 9. (m) jure Romano ipſo jure nullæ ſunt. l. 12. l. 14. C. nupt. l. 22. ff. Rit. nupt. l. 21. ff. l. 14. C. Nupt. l. 134. V. O. (n) pr. Inſt. de nupt. l. 5. C. Eod. (o) L. 20. C. l. 20. ff. Nupt. (p) jure Romano conjunctio ſervorum dicitur contubernium l. 14. §. 3. Rit. nupt. l. 3. C. de inceſt. (q) Levit. XXX. 13. l. 31. C. adult. Ord. Crim. art. 16 (r) Laut. comp. tit. de Rit. nupt. p. m. 442. (s) Laut. comp. tit. de Ritu nupt. ibid.

Digitized by Google

Aliud obtinet in *polygamia plurium fœminarum*, ubi rationes illæ ceſſant [t]: etſi Chriſtianorum moribus eam prohiberi, omnes fateantur [u]; & apud Romanos quoque prohibita fuerit. [v]

n. 3. Supponitur autem, 3. *contrahentes eſſe* ad matrimonium *idoneos*, i. e. corpora invicem jungere poſſe. Hinc non valent nuptiæ cum eo, qui juſtam ætatem non habet, v. g. cum impubere [x]. (Tempus pubertatis jure naturæ definitum non eſt; alii enim citius, alii tardius pubeſcunt; Romani fœminas anno 12, mares anno 14. puberes declararunt.)

Sed nec ſpadones, caſtrati, aliique, qui impotentia naturali laborant, nuptias contrahere poſſunt [y]; niſi debilitas cognita alteri fuerit, vel ſupervenerit. (*Vid.* §. 164. *n.* 2.)

n. 4. Denique, & 4. nuptias contrahere non poſſunt *qui ſanguine, vel affinitate inter ſe juncti ſunt.*

§. CLXXVI. Quæri ſolet, an naturali ratione inceſtus detur? i. e. an jure naturæ nuptiæ quædam cum eodem ſanguine junctis prohibitæ ſint? Alii negant, alii affirmant.

Sane, Diogenes, & Chryſippus nullum dari inceſtum natura, ſtatuunt, atque ad exemplum brutorum provocant [z]. Affirmantes diſtinguunt inter *lineam rectam*, *lineam tranſverſam*, & gradus *affinitatis.*

n. 1. In *linea recta* natura prohibitas eſſe nuptias, omnes fere conveniunt; ſed quoad gradum prohibitionis admodum variant. *Alii* enim in infinitum prohiberi nuptias inter adſcendentes, & deſcendentes, ſtatuunt: *alii* ſaltem ad primum gradum prohibitionem reſtringunt, ut Cajetanus, & Sanchez [a]: *alii* ad tertium gradum, ut Auguſtinus [b]: *Canones* ad quartum gradum [c]: *Covarruvias* ad gradum vigeſimum. [d]

n. 2. In *linea tranſverſa*, ſeu collaterali, & inter *affines*, plerique negant, prohibitionem naturalem extare; quam ſententiam Grotius defendit [e], & jure demum divino voluntario inceſtum in his gradibus ſtatutum eſſe, tradit: indeque jus hoc non obligare, ait, eos, quibus id revelatum non eſt. [ee]

Verior autem eſt ſententia affirmantium, quæ a pleriſque etiam recepta eſt; etſi Doctores in gradu prohibitionis admodum differant. *Alii* enim ſolas perſonas Lev. XVIII. nominatas duci non poſſe, ſtatuunt; *alii* non tantum nominatas perſonas, ſed & eas, quæ in eodem gradu ſunt, inceſtum committere, putant; *alii* nec omnes perſonas nominatas, ſed quaſdam ſaltem; ubi nimirum eadem prohibitionis ratio eſt, ſub prohibitione naturali contineri, autumant.

n. 3. Porro in ratione moralitatis inveſtiganda Doctores admodum deſudant. In *linea recta* enim *alii* nuptias prohiberi, ajunt, ob reverentiam marito debitam: nuptias ergo inter matrem, & filium, ideo illicitas dicunt, quia filius, qui lege matrimonii ſuperior eſt, non poteſt reverentiam debere uxori, quæ ſimul mater eſt. Sic nec filiam patri præſtare poſſe reverentiam, ajunt, quam natura exigit, quia filia

(t) Grot. L. 2, c. 5, §. 9, n. 1, & 3. (u) Grot. ibid. n. 3. (v) §. 6, & 7, Inſt. nupt. L. 1, ff. His qui not. infam. l. 2. C. de inceſt. nupt. (x) pr. Inſt. de Nupt. Conf. Heinec. Elem. part. 4, §. 162. (y) L. 30, ff jure dot. (z) Grot. L. 2, c. 5, §. 12, n. 3. (a) Zigler ad Grot d. §. 12 (b) De Civitate Dei L. 15, c. 16. (c) c. 10. x. de Conſang. (d) Tom. 1, P. 2, C. 6, §. n. 13. (e) L. 1, c. 1, §. 15, n. 2. (ee) L. 2, c. 5, §. 13.

Digitized by Google

filia ſimul uxor eſt, matrimonium autem talem inducere ſocietatem, quæ illius neceſſitudinis reverentiam excludit [f]. Quam rationem illuſtrant ex ſermone Phœdræ novercæ, quæ amore erga filium flagrans eum ſic alloquitur:

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens;
Noſtros humilius nomen affectus decet,
Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca.

Alii ob ætatis diſparitatem inter liberos, & parentes, prohiberi nuptias, exiſtimant, quia ex tali conjugio aut ſterilitatem, aut male conformatam ſobolem oriri, ajunt; quam rationem allegat Socrates refutatus a Grotio [g]. *Alii* ob averſionem naturalem, quæ & inter bruta obtineat, ab ejuſmodi nuptiis abſtinendum eſſe, ſtatuunt [h]. *Alii* pro ratione prohibendi allegant unitatem carnis, quæ inter parentes, & liberos intercedit; contrariari enim hanc unitatem naturæ procreationis, ajunt, ad quam duo requiruntur [i]. *Alii* ob confuſionem jurium inter parentes, & liberos, nimirum, educationis, ſucceſſionis, &c. nuptias prohiberi, tradunt.

Alii denique rationem prohibitionis in detectione turpitudinis ponunt, eamque cum reverentia naturali parentibus debita pugnare, contendunt. [k]

n. 4. In *linea collaterali*, & affinitatis gradibus, plerique cum Plutarcho, & Auguſtino, prohibendi rationem eſſe, afferunt, ut eo latius ſpargantur amicitiæ per diffuſas affinitates; vel ut evitentur ſcortationes inter eos, qui in una domo habitant. Utraque autem ratio mere civilis eſt. [l]

n. 5. Nos B. Parentem ſecuti, omnem rationem prohibitionis tum in *linea recta*, tum in *linea collaterali*, tum in gradibus *affinitatis*, unice conſtituimus in ignominiæ, & turpitudinis detectione, quæ illicita eſt inter eos, qui vel *una caro ſunt invicem*, vel qui ſunt *caro carnis noſtræ*, vel *qui accedunt ad conjugem ejus, qui una caro nobiſcum, & ex eodem ſanguine, & ſemine ortus eſt*, vel *qui detegunt turpitudinem uxoris ejus, qui unam cum nobis carnem conſtituit.*

n. 6. Hinc jam tota inceſtus ratio quatuor regulis abſolvitur. Non enim nuptias contrahere poſſum 1. cum eo, qui una mecum caro eſt; nec 2. cum eo, qui caro carnis meæ eſt; nec 3. cum conjuge ejus, qui una mecum caro eſt; nec 4. cum uxore (aliud in marito) ejus, qui caro carnis meæ eſt.

Priores duæ regulæ ad gradus cognationis pertinent; *poſteriores* duæ ad gradus affinitatis. Cujus prohibitionis rationes nunc plenius examinabimus.

n. 7. *Primo* igitur certum eſt, naturali ratione neminem nuptias contrahere poſſe cum eo, *qui una caro mecum eſt.* Unde nuptias in *linea recta* prohibitas eſſe, vix dubium eſt, & præter paucos Atheos nemo unquam inter parentes, & liberos, nuptias licitas eſſe, ſtatuit. Sane, 1. omnes in eo conſentiunt, liberos eſſe veram portionem corporis parentum, utpote ex ſemine, & ſanguine parentum ortos. Omnes fatentur, liberis nihil magis ſanctum eſſe, quam corpus parentum (parentes enim gignendo quaſi dii ſunt); pugnat ergo cum ea ſactimonia, propagationis opus cum hoc corpore

(*f*) Grot. d. c. 5, §. 12, n. 2. (*g*) d. §. 12, n. 4. (*h*) Grot. d §. 12, n. 5. (*i*) Teſm. ad. Grot. d. §. 12, lit. a. l. f. C. de imp. ſubſt. (*k*) B. Parens in not. ad Grot. d. §. 12, ſeq. (*l*) Vid. Grot. L. 2, c. 5, §. 12, n, 2.

Digitized by Google

pore peragere, tupitudinem, & ignominiam, quæ pudendis natura ineſt, detegere. Sed & 2. monſtroſum videtur, cum ſuo corpore cohabitare. Sane, 3. ordo naturæ repugnare videtur: ideo enim parentes liberos procreant, ut hi familiam ulterius propagent, novam priori addant, humanumque genus per novas familias multiplicent. Interverteretur hic ordo naturæ ſi liberi ad ſuum ortum redirent, & ſe cum illis jungerent, a quibus propagati ſunt; eadem maneret familia, quia alia demum fit acceſſione novæ perſonæ. Accedit 4. averſio illa naturalis, quæ non tantum inter homines, ſed & inter pleraque bruta obtinet, quod exemplis variis probari ſolet. Præterea 5. omnia jura divina, & humana per tales nuptias confunduntur: filius ducendo matrem imperium aliquod in eam acquirit; mater nubendo nepoti, filio ſuo, ſimulque ſocero, officia quædam deberet, &c.

Atque hæc prohibendi ratio ab unitate carnis deſumta, etſi obſcura videatur, eo magis 6. naturalis eſt, quia non tantum Deus ea utitur in recenſione graduum prohibitorum, uti mox videbimus; ſed & addit, gentes ideo ejectas fuiſſe; ejici autem ſalva juſtitia non potuiſſent, niſi prohibitio quædam naturalis præceſſiſſet. Et cum 7. omnes fere gentes inter eos, qui unam carnem conſtituunt, prohibitionem aliquam agnoſcant, inde conjecturari licet, unitatem illam carnis naturali ratione niti. Atque hunc conſenſum gentium exemplis illuſtravit B. Parens in Commentario ad Grotium.

n. 8. *Secundo* nuptiæ prohibentur cum perſona, quæ *caro carnis meæ eſt.* Huc pertinent omnes prohibitiones in *linea collaterali*, ſi nimirum nubens una caro eſt cum parente ejus, cui nubere vult. Non ergo licitum mihi eſt cum *fratre*, *ſorore*, *patruo*, *avunculo*, *amita*, & *matertera*, cohabitare, quia hi omnes una cum parente meo caro ſunt: revelarem igitur turpitudinem, & ignominiam perſonæ, quæ caro patris mei eſt, eoque ipſam turpitudinem patris detegerem; quod cum reverentia naturali pugnat. Hæc ratio itidem confirmatur ex conſenſu gentium, inprimis autem ex revelatione divina, quæ gentes ob ejuſmodi inceſtus ejectas eſſe, aſſerit; ex qua pœna, rationem naturalem prohibendi ſubeſſe, neceſſario inferri debet.

n. 9. *Tertio* nuptiæ prohibentur cum *conjugibus* eorum, *qui una mecum ſunt caro.* Quo fundamento nituntur omnes prohibitiones in linea *recta affinitatis.* Hinc 1. *noverca* non poteſt nubere *privigno*, quia cohabitaret & cum patre, & cum filio, qui ſunt eadem caro. 2. *Vitricus* non poteſt nubere *privignæ*, quia concumberet, & cum matre, & cum filia, quæ itidem unam carnem conſtituunt. 3. *Socrus* non poteſt nubere *genero*; jungeretur enim is & matri, & filiæ, quæ ſunt una caro. 4. *Socer* non poteſt nubere *nurui*; quia nurus cohabitaret & patri, & filio, quæ itidem una ſunt caro.

n. 10. *Quarto* prohibentur nuptiæ cum *uxore* (non cum marito) *ejus*, *qui caro carnis meæ*, i. e. patris mei *eſt*, quæ eſt ratio prohibitionis in *linea affinitatis inæquali.* Is enim, qui caro carnis meæ eſt, dum cohabitat cum uxore ſua, ſemen immittit in ejus corpus; ſi igitur ego quoque ſemen immitterem in idem uxoris corpus, revelarem turpitudinem, quam is, qui caro

caro carnis, i. e. patris mei eſt, revelavit. Ego igitur non poſſum in receptaculum fœminæ mingere ſi alius, qui caro carnis meæ eſt, in idem receptaculum minxit; adeoque ſemine meo imprægnare corpus non poſſum, quod is, qui una caro mecum eſt, ſemine ſuo imprægnavit. *Duo* igitur *fratres* ſemen in unum fœminæ corpus immittere non poſſunt, quia ejuſdem carnis ſemina in eodem receptaculo confunderentur. Unde peſſimo exemplo ad Reſponſum facultatis juridicæ Hallenſis hæ nuptiæ permiſſæ ſunt per reſcriptum in cauſa viduæ Geiſellen, die 20. Dec. 1725. datum.

Eadem ratio eſt *in viduabus patrui, & avunculi*; nam ſi cum horum viduabus concumberem, revelarem turpitudinem *patrui*, & *avunculi* mei, qui caro ſunt carnis meæ.

Hæc prohibitio igitur ſaltem pertinet ad *uxores*, non vero ad *maritos* earum perſonarum, quæ caro carnis noſtræ ſunt: adeoque nuptiæ non prohibentur cum *ſororis*, *amitæ*, & *materteræ* viduis; illi enim vidui cohabitando cum defunctæ uxoris ſorore, amita, & matertera, non in idem corpus ſemen immittunt, quia diverſa ſunt receptacula uxoris, ejuſque ſororis, amitæ, & materteræ.

Atque has quoque prohibitiones in gradibus affinitatis ex jure naturali ſequi, probatur, tum ex conſenſu gentium, tum ex revelatione divina, quia gentes, quæ inceſtus tales commiſere, ideo ejectæ dicuntur.

n. 12. Hæ rationes naturales hactenus allegatæ, a divino legislatore perpetuo quoque allegantur. Primo enim quoad *cognatos* Moſes præcipit in genere, *neminem debere accedere ad proximam ſanguinis ſui* (i. e. ad eam, quæ unum ſanguinem, unamque carnem cum concumbente conſtituit) *ut revelet turpitudinem ejus* [m], i. e. ut cum ea cohabitet.

Proximi autem ſanguinis ſequenti modo recenſentur: 1. *Parentes* [n]; hinc ei, qui cum matre ſua concumbit, maledicitur, quia operimenta lectuli paterni revelat. [o]

Idque verum eſt in infinitum; unde nec avo *neptis* turpitudinem detegere licet, quia turpitudo filii eſt [p] (cum quo neptis eſt una caro).

2. *Fratres*, & *ſorores* tupitudines ſuas invicem detegere, & revelare non poſſunt [q], rem nefariam committere dicuntur, & occidi debent in conſpectu populi [r], etiam ſi ſit ſoror uterina [s]. 3. Amitæ, & materteræ turpitudinem revelare non licet, quia ſunt caro patris, & matris [t]; & hinc qui cum eis concumbit, dicitur ignominiam carnis ſuæ, i. e. patris ſui, nudaſſe [u]. An *patruo*, & *avunculo* nubere licet? Equidem certum eſt, nominatas non eſſe has perſonas: at tamen negari nequit, eas ſub prohibitione legis comprehendi, non ex paritate gradus, ſed ex paritate rationis. Nam 1. amitæ, & materteræ nuptiæ ſunt inceſtuoſæ [v], quia caro carnis meæ ſunt, eadem autem ratio obtinet in patruo, & avunculo: 2. a majori, nam cum patrui, & avunculi vidua nuptiæ prohibentur [x]; multo magis igitur cum patruo, & avunculo ipſo.

Ul-

(*m*) Levit. 18. v. 16. (*n*) d. cap. 18. v. 7. (*o*) Deut. cap. 27. v. 20. & C. 22. v. 30. (*p*) Levit. 19. v. 10. (*q*) Levit. 19. v. 9. (*r*) Levit. 20. v. 17. (*s*) Levit. 29. v. 11. Deut. 27. v. 21.

(*t*) Levit. 18. v. 12. 13. & cap. 20. v. 19. (*u*) d. Cap. 20. v. 19. (*v*) Lev. 18. 12. Deut. 27. v. 21. (*x*) Levit. c. 18. v. 12. & C. 20. v. 20.

Ultra hos gradus cognationis nuptiæ lege divina non ſunt prohibitæ; adeoque nec 1. inter comprivignos, nec 2. inter patrueles, quia ratio prohibitionis, quæ in unitate carnis conſiſtit, in his ceſſat.

n. 13. Prohibitio divina circa *gradus affinitatis* curate convenit cum ratione naturali, & eædem perſonæ lege Moſis nominatim prohibentur. [y]

In *recta* enim *affinitatis* linea prohibentur nuptiæ cum conjugibus eorum, qui una caro nobiſcum ſunt.

Adeoque 1. *noverca* turpitudinem detegere non licet, quia revelaretur turpitudo patris [z]. Morte ambo puniuntur, quia filius revelavit ignominiam patris ſui [a], cum quo una eſt caro. Hinc jure primogenituræ excidit Ruben, quod lectum patris ſui aſcenderat, & pellicem patris violaverat [b]. Sed & ſacra pagina docet, Deum, cum ob graviſſima delicta minaretur Davidi atrociſſimas pœnas, cohabitationem filii cum novercis memoraſſe [c]. 2. Nec turpitudinem *vitrici* [d] detegere licet, quia filiæ caro ſunt matris, cum qua cohabitavit vitricus [e]. Nec 3. turpitudinem *nurus* tuæ detegere tibi licet, quia uxor filii tui eſt [f] (qui una tecum caro eſt); mortis pœna rem talem perpetrantibus infligitur, quia ſcelus perpetrarunt. [g]

Nec 4. turpitudinem *ſocrus* [h]; ex eadem ratione: proinde qui id facit, ſcelus operatur, & vivus ardebit.

n. 14. In linea *affinitatis inæquali* itidem ſaltem prohibentur nuptiæ cum *uxore* (non cum marito) *ejus*, *qui caro carnis noſtræ*, i. e. patris, *eſt*.

Non ergo cohabitare licet 1. cum *patrui vidua* [i], quia patrui turpitudinem revelarem, qui eſt caro patris mei. An 2. cum *avunculi vidua* nuptiæ prohibentur? Equidem ſpeciatim nominata non eſt: verius tamen eſt, eam quoque ſub prohibitione comprehendi; non quidem ex paritate gradus, ſed ex identitate rationis. Nam 1. patrui viduam ideo ducere non poſſum, quia revelarem turpitudinem patrui, qui eſt caro carnis meæ, adeoque duæ perſonæ ejuſdem carnis mingerent in idem receptaculum: eadem autem ratio obtinet in nuptiis, quæ cum avunculi vidua contrahuntur. Accedit, quod Levitici XX. v. 20. generatim dicatur, quicunque concubuerit cum דדה (Dodah), nuditatem דד (Dod) revelavit: at vox Dodah generalis eſt, & æque ad patrui, ac ad avunculi viduam referri poteſt. Atque hinc in vulgata etiam avunculi vidua nominatim exprimitur.

Adeo autem nuptiæ hæ prohibitæ ſunt, ut matrimonium conſummatum quoque diſſolvatur [k]. Neque *obſtat*, pœnam à Deo ſaltem ſtatutam eſſe, ut ſine prole mori debeant [l]. Reſp. ſenſus hujus phraſeos eſt, quod liberi ex tali coitu nati jura legitimorum

(*y*) Levit. XVIII. Levit. XX. & Deut. XXVII. (*z*) Levit. 18. v. 8. C. 20. v. 11. Ezech. 22. v. 10. (*a*) Ibidem. (*b*) Gen. C. 35. v. 22. junct. C. 49. v. 4. & 1 Paral. 1. v. 1. (*c*) 2. Sam. 12. v. 11. & C. 16. v. 22. (*d*) Levit. 18. v. 17. (*e*) Ibidem. (*f*) Levit. C. 18. v. 14. & 15. (*g*) Levit. C. 20. v. 12. (*h*) Deut. 27. v. 23. Lev. XX. v. 14. (*i*) Levit. 18. v. 14. Levit. 20. v. 20. (*k*) Diſſent. Schilt. Inſt. Jur. Can. l. 2. t. 10. §. 29. Carp. 2. Conſiſt. l. 2. tit. 6. def. 99. (*l*) Lev. 20. v. 20.

rum liberorum non ſint habituri; adeoque parentes quoad effectus juris improles ſint deceſſuri.

Nec 3. turpitudinem *fratriæ* revelare licet, quia turpitudo eſt fratris [m], (qui eſt caro carnis tuæ) & ſic frater turpitudinem fratris revelaret. [n]

Nec *obſtat* præceptum de fratria ducenda, ſi improlis deceſſerit frater. Reſp. hæc exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis: Deus autem ex cauſa ſpeciali, ne confundantur ſtirpes, id ſtatuit. Ceterum, non Moſes hanc legem tulit, ſed eam longe ante Moſem obtinuiſſe, exemplo Thamar apparet. [o]

n. 15. Cum vero Levitici XVIII. non nominatim prohibeantur nuptiæ cum *ſororio*, nec cum *amitæ*, *ac matertera* viduis; hinc 4. quæſtio orta eſt, an nominata perſona in Levitici XVIII. totus gradus prohibitus cenſeatur? adeoque an cum *ſororio*, cum *viduis amitæ*, & *matertera*, ideo nuptiæ prohibitæ ſint, quia cum fratria, & cum viduabus patrui, & avunculi, quæ perſonæ in eodem gradu ſunt, nuptiæ prohibentur? Nos dicimus, prohibita perſona non videri prohibitum totum gradum: 1. quia prohibitiones ſunt ſtricti juris, adeoque ultra verba legis non extendendæ. Sane, 2. in lege illa plures ejuſdem gradus perſonæ occurrunt, & tamen in ſingulas ſeparatim præceptum ſtatuitur, v. g. ne cum ſorore *germana*, *conſanguinea*, & *uterina*, nuptiæ contrahantur; item ne cum *amita*, & *matertera*, ne cum *vitrico*, & *noverca*, ne cum *ſocero*, & *ſocru*, &c. quæ repetitio ſuperflua, & inepta eſſet, ſi Deus nominata perſona totum gradum prohibitum voluiſſet: certiſſimo indicio, perſonas non nominatas non comprehendi ſub gradu. 3. Poſito illo principio abſurdum ſequeretur, ut conſobrinam ducere non poſſim, quia abneptem ducere non licet: utraque enim in pari eſt gradu. Sed & 4. per rei naturam Moſes non potuit cogitaſſe de paritate gradus, quia computatio graduum eo tempore incognita fuit, & moribus demum introducta eſt.

Neque *obſtat*, 1. quod poſita hac ſententia nubere liceret & *patruo*, & *avunculo*; nam neuter nominatus eſt lege divina: adeoque non prohibitæ poſſunt dici tales nuptiæ, niſi admiſſa regula, quod nominata perſona totus gradus intelligatur. Reſp. Dictum jam eſt, harum perſonarum nuptias prohiberi non ex paritate gradus, ſed 1. ex paritate rationis prohibendi, & 2. argumento a majori deſumto; quia enim viduabus patrui, & avunculi nubere non licet, multo minus patruo, & avunculo.

Neque *obſtat*, 2. quod in omnibus perſonis ejuſdem gradus eadem ſit prohibendi ratio. Reſp. Immo rationem differentiæ mox explicabimus.

Obſtat, 3. quod hac ratione proavus proneptem poſſit ducere, quia nominatæ hæ perſonæ non ſunt in lege divina. Reſp. 1. Eadem prohibendi ratio eſt: nam aſcendentes, & deſcendentes in infinitum unam carnem conſtituunt. Immo 2. in ſacris voce filii, & nepotis, omnes deſcendentes, uti voce patris, & avi, omnes aſcendentes continentur; adeoque ex

(*m*) Levit. 18. v. 16. C. 20. v. 21. (*n*) d. C. 20. v. 21. (*o*) Gen. cap. 38. v. 8. 9. 12.

ex genio linguæ Hebreæ nominatim nuptiæ inter eos prohibentur.

Hinc jam conſtat, nuptias cum *ſororio*, cum *amitæ*, & *materteræ viduis*, non ſub prohibitione legis contineri, etſi in quibuſdam perſonis ejuſdem gradus prohibitio extet, quia diverſa in illis obtinet ratio. Diximus enim, omnem prohibitionis rationem in linea affinitatis inæquali hanc eſſe, *quod turpe ſit ad eam accedere, cum qua is, qui caro carnis meæ eſt, cohabitavit, & in cujus corpus ſemen immiſit.* Atque hæc ratio eſt, cur cum *avunculi*, & *patrui*, ac *fratris viduabus* nuptiæ prohibitæ ſint. At tota hæc ratio ceſſat in allegatis perſonis; nam qui cum duabus *ſororibus* cohabitat, non in idem, ſed in duo diverſa receptacula mingit: ſane, Jacob duas ſorores uxores duxit, quod facturus non fuiſſet, ſi juri naturæ id contrarium crediſſet. *Vidum amitæ*, vel *materteræ*, cohabitando cum nepte ex ſorore uxoris, non in idem corpus immittit ſemen: aliud enim eſt neptis receptaculum, aliud receptaculum amitæ, & materteræ.

At, ais, jure divino prohibitum eſſe *ſororiæ* nubere? Reſp. Verum id tantum eſt in caſu *ſi id fiat invita ſorore, ea vivente.* Quæ prohibitio proinde mere civilis eſt, & reſpicere videtur exemplum Leæ, & Rachelis, inter quas diſſenſiones ideo exortæ ſunt, quas impedire legislator voluit.

Sororiæ igitur, juxta hanc legem Hebræorum, Judæus nubere potuit, vel ſi uxor ejus aſſentit, vel poſt mortem uxoris; quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis.

n. 16. Cæterum, notandum eſt, his caſibus nuptias inceſtas eſſe, etſi perſonæ ex meretrice, vel ſerva, vel liberta, cognatæ ſint, aut affines. [p]

n. 17. Atque hæ prohibitiones in linea *cognationis* æque apud Romanos obtinuerunt; immo & inter *affines* quoque, exceptis thiorum viduis, & viduabus.

n. 18. Inter *Cognatos* nuptiæ jure Romano prohibentur 1. in *linea recta* inter aſcendentes, & deſcendentes, in infinitum. [q]

n. 19. 2. In *linea collaterali* autem 1. cum patruo [r], 2. cum avunculo [s], 3. cum ami-

(*p*) l. 7. ff. Grad. (*q*) *L.* 9. *l.* 14 §. 2. 3. & 4. *l.* 53. *l.* 54. *l fin. ff. de Rit. nupt. Ulp. tit.* 5. §. 6. *Conf. pr. Inſt. de Nuptiis.* Etſi filia divortio facto ex alio patre nata ſit, *l.* 12. §. 3. *Rit. Nupt.*

(*r*) *L.* 39. *l.* 53. *ff. Rit. nupt. l.* 17. *C. Nupt. ibique Goth. l.* 5. *l.* 6. *C. inceſt. Nupt.* Idque verum quoque eſt de patruo magno; quia cujus filiam ducere non licet, nec ejus neptem, *dd. leg. Gaji Inſt. tit.* 4. §. 4. *lib.* 1. Ante Claudium hæ nuptiæ incognitæ fuere, & conjugia talia *inceſta habebantur.* Sueton. in Claud. c. 26. Unde Tacitus, *nova Romanis eſſe in fratrum filias conjugia*, ait. Claudius primus ſuadente Senatu Agrippinam fratris filiam duxit; & aliis quoque venia talium conjugiorum data eſt. At non reperti ſunt, qui ſequerentur exemplum, excepto quodam libertino, & altero primipilari. *Sueton. d. l.* Ipſe Domitianus, qui inter ſceleratiſſimos nomen meretur, *fratris filiam in matrimonium oblatam recuſavit*, licet ea poſtea tanquam ſcorto uſus ſit. *Suet. in Domit. c.* 22. Nerva iterum prohibuit tales nuptias; uti Xiphilinus ex Dione refert. Vid. Goth. ad. l. 17. C. nupt. Unde Gajus, qui tempore Adriani vixit, nuptias has inter inceſtas, & prohibitas refert, in Inſt. L. 1. Sane, Ulpianus, qui temporibus Alexandri Severi floruit, notat, ad ſua uſque tempora nuptias ad quartum uſque gradum cognationis prohibitas fuiſſe, & excipere ſaltem videtur nuptias cum avun-

amita [t], 4. cum matertera [u], 5. inter fratres, & ſorores. [v]

n. 20. Inter *affines* jure Romano prohibentur nuptiæ. 1. cum vitrico [x], 2. cum noverca [y], 3. cum ſocero [z], 4. cum ſocru [a], 5. cum fratria [b], 6. cum ſororia. [c]

n. 21. Non vero 7. cum patrui vidua

culo; de quo mox plenius agemus. Heraclitus contraxit nuptias cum fratris filia Martina, *vid. Gutbberl. Chronol. in Heraclito;* adeoque ſuo exemplo prohibitionem ſuſtuliſſe videtur. At Chriſtiani Imperatores ſeveriſſime has nuptias prohibuerunt, eaſque antiquo legum tenori ſubjecere, *L.* 5. *l.* 8. *l.* 9. *C. de inceſt. nupt.* & Anaſtaſius conſtitutiones, quibus ejuſmodi nuptiæ permiſſæ fuere, ad tyrannidis tempora refert, d. l. 9.

(*s*) *l.* 12. §. 4. *l.* 14. §. 2. *l.* 39. *pr.* 55. *l.* 57. *ff. Rit. Nupt. l.* 17. *C. eod.* Idque verum etiam eſt de avunculo magno, *d. l.* 17. *C. Nupt. l.* 9. *C. inceſt. nupt. Gaji Inſtit. L.* 1. *tit.* 4. §. 4. Neque obſtat, quod Ulpianus in fragmentis nuptias cum ſororis filia permiſſas fuiſſe, de ſuo tempore teſtetur; ita enim ait in fragm. tit. 5. §. 6. *Inter parentes, & liberos infinite cujuſcunque gradus connubium non eſt; inter cognatos autem ex transverſo gradu olim quidem uſque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant: nunc autem etiam in tertio gradu licet uxorem ducere: ſi tamen fratris filia, (non etiam ſororis filia) &c. fuit, ducere non poſſumus.* Equidem ſuſpecta mihi hæc lectio videtur; præterea enim, quod ſenſus, uti ex inſpectione apparet, corruptus ſit, certum eſt, ipſum Ulpianum nuptias cum ſororis filia prohibitas ſtatuiſſe: is enim *in l.* 12. §. 4. *ff. Rit. Nupt.* ait, ſororis filiam adoptivam ideo duci poſſe, quia frater per adoptionem non fit avunculus; ſi ergo vere eſſet avunculus, ducere non poſſet. Hinc idem Ulpianus diſertis verbis ſtatuit, ſi quis concubinam habuerit ſororis filiam, licet libertinam, inceſtum committere, *l.* 56. *ff. Rit. Nupt.* Sane, Pomponius, qui tempore Ulpiani (qui auditor Papiniani fuit, *van Eck, Com. Jur. tit. de orig. jur.* §. 37.) floruit, cum avunculo inceſtum jure gentium committi, ait *l.* 38. *ff. adult. junct. l.* 42. *V. S.* Paulus (qui itidem una cum Ulpiano aſſeſſor Papiniani fuit, *vid. van Eck, d. l.* §. 37.) eandem prohibitionem allegat. *l.* 14. §. 2. *l.* 39. *ff. Rit. Nupt.* Miror igitur, Gothofredum in ea fuiſſe opinione, apud Romanos cum patruo nuptias contrahi potuiſſe, non cum avunculo, *ad l.* 5. *C. inceſt. Nupt. lit. b.* nam cum neutro licuit, niſi tyranidis tempore.

(*t*) Prohibitio hæc apparet ex Gaji Inſtitutionibus *L.* 1. *tit.* 4. §. 5. & ex Ulpiani fragmentis *tit.* 5. §. 6. Papinianus diſertis verbis has nuptias inter prohibitas refert, *l. fin. pr. Cond. ſin. cauſ. l.* 38. §. 1. *adult. Conf. l.* 17. §. 2. *ff. de Rit. nupt. l.* 17. *C. nupt.* §. 5. *Inſt. Nupt. l.* 6. *C. inceſt. nupt.*

(*u*) Huc pertinent omnes ante allegatæ leges: nam eadem ratio eſt in matertera, quæ in amita; idque verum eſt, etiamſi matertera, vel amita magna ſit, *ibid.* quia parentum, & liberorum loco ſunt, *l.* 53. *Rit. nupt.* inter quos nuptiæ in infinitum non ſubſiſtunt, *ibid.*

(*v*) l. 35. §. 1. l. 67. §. 2. V. O. l. 17. ff. Rit. nupt. Gaji. Inſt. l. tit. 4. §. 3. Conf. l. 17. C. nupt. §. 2. Inſt. eod. l. 6. C. inceſt. Nupt.

(*x*) l. 14. §. 3. & ſeq. l. 15. ff. de R. N. l. 38. ff. ad leg. Jul. de adult. l. fin. in fin. Condict. ſin. caus. l. 4. §. 6. & 7. de grad. conf. l. 17. C. nupt. §. 6. Inſt. Eod. Gaji Inſt. l. 1. tit. 4.

(*y*) l. 14. §. 3. & ſeq. l. 15. ff Rit. nupt. l. 5. ff. de parricid. l. 4 §. 6. & 7. grad. Conf. l. 17. C. nupt. §. 7. Inſt. eod. Nov. 115. c. 3. §. 6. c. 4. §. 3. Gaji Inſt. L. 1. t. 4. Conf. l. 5. Cond ſin caus.

(*z*) l. 14. §. 3. R. N. l. 4. §. 6. & de grad. conf. §. 4. & 6. Inſt. de nupt. l. 17. C. eod. Conf. l. 5. Cond. ſin. caus.

(*a*) l. 14. §. 3. R. N. l. 4. §. 6. & 7. de grad. conf. l. 17. C. nupt. §. 7. Inſt. eod.

(*b*) Exſtat hæc prohibitio in Gaji Inſt. *l.* 1. *tit.* 4. §. 8. Vixit autem Gajus temporibus Adriani; & ad antiquam legem provocat Zeno *in l.* 8. *C. inceſt. nupt.* Equidem Conſtantinus refert, veteribus creditum fuiſſe, nuptias has licitas fuiſſe; at id ad Tyrannidis tempora refert, *in l.* 9. *junct.*

Digitized by Google

dua, nec 8. cum avunculi vidua, nec 9. cum amitæ viduo, nec 10. cum materteræ viduo: omnes enim hæ perſonæ legibus Romanis nullibi nominantur, adeoque omnis prohibitio ibi ceſſat.

n. 22. Denique notandum eſt, prohibitiones in *ſecundo affinitatis genere* eſſe meri juris civilis [d]. Hinc novercæ viduum, & vitrici viduam jure naturali matrimonio nobis jungere licet, quia nec cognati nobis, nec affines ſunt, & tota ratio prohibitionis ceſſat: non enim concubuere cum tali perſona, quæ caro carnis noſtræ eſt.

§. CLXXVII. *Objectum* nuptiarum eſt conjunctio corporum ad individuam vitæ conſuetudinem. Hinc diximus, nuptias 1. non eſſe cum iis, qui corpora jungere ob impotentiam non poſſunt; nec 2. cum ea, quæ corpore quæſtum facit.

§. CLXXVIII. *Effectus* nuptiarum eſt, ut uxor, & vir familiam conſtituant; unde jura quædam tum marito, tum uxori, tum liberis, qui ex nuptiis ſequuntur, competunt: de quibus ſupra egimus.

§. CLXXIX. Quæri ſolet, an populus alium populum excludere a connubiis poſſit? Nos affirmamus [e], quia quilibet populus de ſuo jure diſponere poteſt: modo non ex ratione id fiat, quæ ignominiam infert; alias enim juſta inde belli cauſa oritur, non ob denegata connubia, ſed ob ignominiam illatam. Atque hoc jure raptus Sabinarum nititur.

§. CLXXX. Diſſolvuntur nuptiæ jure naturali 1. mutuo conſenſu [f], 2. morte alterius, 3. per divortium, modo juſta cauſa ſit.

Juſta cauſa eſt [*a*] adulterium, [*b*] malitioſa deſertio, [*c*] quælibet turpis cauſa, ut inimicitia capitalis; vel ſi abſque periculo vitæ vivere uxor cum tali marito nequit, uti ſi lepra, morbo gallico, &c. conjux infectus eſt [g]: [*d*] ſi vi, & metu injuſto, nuptiæ ſint contractæ. [h]

Non ergo diſſolvitur 1. ob hæreſin, nedum 2. ob diſſenſum circa articulos religionis, nec 3. ob impotentiam ſupervenientem, vel aliud impedimentum ſuperveniens, uti ſi fiat furioſus, &c. nec 4. per captivitatem [i]. An deportatione? Negatur [k]. Soluto matrimonio uxor non poteſt convolare ad ſecunda vota, niſi conſtet, eam gravidam non eſſe. [l]

§. CLXXXI. Liberi matrimonio per divortium ſoluto educandi ſunt apud patrem, quia ei præcipue cura hæc incumbit, & in ejus familia ſunt. Jure civili in pœnam ei auferuntur, ſi cauſam dat divortio. [m]

§.

l. 16. §. *Eccleſ. C. de inceſt. nupt. conſ. C. Theodoſ. l.* 2. *inceſt. nupt.* Sub Chriſtianis Imperatoribus prohibitio perpetuo continuavit, *l.* 5. *l.* 8. *l.* 9. *C. inceſt. nupt. Cod. Theod. l.* 2. *l.* 4. *de inceſt. nupt. arg. l.* 17. *C. ibi: cæteriſque, quæ jure antiquo prohibentur, &c. de inceſt. nupt.*

(*c*) Has nuptias olim plebiſcito permiſſas fuiſſe, ait Plut. *probl.* 6. *apud. Goth. ad l.* 17. *C. de inceſt. nupt.* At tempore Hadriani prohibitas fuiſſe, patet ex Gaji Inſt. *L.* 1. *tit.* 4. §. 8. ut & ſub Imperatoribus Chriſtianis, *l.* 5. *inceſt. nupt. Goth. d. l.* 5.

(*d*) l. 15. ff. Nupt. (*e*) Diſſent. Grot. l. 2. c. 2. §. 21. (*f*) Vid. jus meum controv. tit. de divort. q. 5. (*g*) Vid. jus meum controv. tit. de divort. q. 5. & q. 8. (*h*) B. Par. Hyp. Inſt. de nupt. §. 9. (*i*) Vid. infr. l. 7. c. 3. (*k*) Vid. jus meum controv. tit. de divort. q. 2. (*l*) Vid. jus controv. tit. de his, qui ſui, vel al. jur. q. 4. (*m*) Vid. Laut. comp. tit. de divort. in fin.

§. CLXXXII. Quicquid uxor habet, dotis nomine marito acquiritur; atque ideo ali ab eo debet, & maritus onera matrimonii ferre tenetur. Quod verum quoque eſt ſi maritus uxorem abſque dote recepit.

Sectio VII.

De Tutela.

§. CLXXXIII. Diximus, ex *ſtatu* familiæ membris ejus jus aliquod competere, ut defendi a familia debeant, ſi ſe ipſa defendere non poſſunt. [n]

§. CLXXXIV. Equidem jure naturæ ſoli patri poteſtas in liberos competit; & totum educationis officium ei ſoli incumbit. Soluta patria poteſtate liberi quidem ſui juris fiunt; at ſi impuberes ſunt, eoque ſibi ipſis conſulere non poſſunt, neceſſitas educandi *familiæ* incumbit: unde *tutela legitima* ortum habet. [o]

§. CLXXXV. Tutela igitur eſt vis, ac poteſtas, ad tuendum eum, qui ſe ipſum defendere per ætatem nequit. Et eſt vel *legitima*, vel *dativa*, (*teſtamentaria* juri Romano originem debet.) [o]

§. CLXXXVI. *Tutela legitima* eſt, quæ proximis cognatis defertur, & quidem ſi plures ejuſdem gradus ſunt, omnibus; modo adminiſtrationis capaces ſint. [p]

§. CLXXXVII. Hæc *tutela* ratione naturali conſtituta eſt. Nam 1. omnes, qui familiam conſtituunt, una nobiſcum caro, vel caro carnis noſtræ ſunt: uti igitur quiſque ſuum corpus, ita & ejus portiones conſervare tenetur, quod ſine tutela fieri nequit. 2. Quia pupilli membra ſunt ejuſdem corporis familiæ; corpus igitur ſua membra defendere, & conſervare tenetur. Probatur id 3. *ex medii neceſſitate*, quia ſine ejuſmodi tutela impuberes educari, adeoque genus humanum ſubſiſtere nequit. 4. *Ex perfectione divina*; quia fruſtra alias creaſſet humanum genus, quod ſine tutela conſervari non poteſt. 5. Ex *conſenſu gentium*; nam apud omnes gentes familia eorum impuberum, qui ad eandem familiam pertinent, curam habet.

Tribonianus ait, naturali juri conveniens eſſe ut is, qui perfectæ ætatis non ſit, alterius tutela regatur [q]. *Diſſentiunt* alii, qui tutelam ex jure civili originem ducere, putant. Hinc Grotius tutelam infantium natura eſſe nullius, ac cedere occupanti, & idoneo, ait [r]. Et ipſe ego olim eam ſententiam defendi, tutelam natura non dari [s].

Quæritur, *quibus tutela competat in regnis?* Grotius exiſtimat, in regnis patrimonialibus eam conceſſam eſſe illis, quos pater, aut propinqui elegerunt; in regnis uſufructuariis, eis, quibus lex publica, aut ea deficiente conſenſus populi commendat [t]. At verius eſt, tutelam iis, qui proximam ſpem ſuccedendi habent, competere; quod rationibus probavit B. Parens in commentario ad Grotium.

§. CLXXXVIII. *Dativa* quoque tutela a natura eſt. Quoties enim agnati non extant, vel impediuntur, familiæ quidem tutela ceſſat; at quia plures familiæ ea lege, eaque intentione ſocietatem civilem contraxere, ut &

(n) ſupr. §. 8, & §. 12. (o) Vid. infr. §. 87. (p) Tot. tit. ff. de tutelis. & tt. de legit. tit. (q) §. p. Inſt. de Attil. tut. L. 1. ff. de Minor.

(r) L. 2, c. 22, §. 12. (s) in jure meo controv. tit. de tutelis q. 3. (t) L. 1, c. 3, §. 15, n. 1.

Digitized by Google

& jura, & perſonæ ſingulorum, communi ope defendantur, ideo civitas ex eodem pacto quoque tenebitur proſpicere pupillis, qui ſe ipſos propter ætatem defendere non poſſunt: atque hactenus quoque DATIVA TUTELA naturalis merito dici poteſt. [u]

§. CLXXXIX. Dari tutores a civitate poſſunt omnes, qui adminiſtrationis capaces ſunt; etiam fœminæ, creditores, & debitores pupilli (ſecus, ac jure Romano): non vero furioſi, ſervi, &c. [v]. Si civitas incapaces dat, dolo, vel culpa tenetur in ſubſidium. [x]

§. CXC. Petere autem tenentur tutores proximi e familia, & ſi nemo petit, magiſtratus ex officio proſpicere tenetur [y]. Jure Romano cavere tutor debet fidejuſſoribus. [z]

§. CXCI. Dantur autem tutores illis, qui propter ætatem ſe ipſos defendere nequeunt, adeoque ſolis impuberibus.

§. CXCII. Nec legitimi tutores, nec dativi excuſare ſe poſſunt a tutela, quia eſt jus, quod familiæ, & civitati, naturali jure cohæret, niſi juſtæ ſint excuſandi cauſæ, quas jus Romanum determinavit. [a]

§. CXCIII. Objectum tutelæ ſunt principaliter perſonæ, & conſequenter res. [b]

§. CXCIV. Effectus tutelæ *intuitu tutorum* eſt, ut educare pupillum, & de ejus alimentis ſoliciti eſſe [c], præterea auctoritatem ejus actibus præſtare [d], ac bona ejus adminiſtrare debeant [e]. Non ergo alienare, nec tranſigere tutor poteſt de rebus pupilli, niſi id ad utilitatem pupilli pertineat. (Jure Romano in alienatione immobilium decretum requiritur.) [f]

Hinc tutor præſtat omnem culpam, etiam leviſſimam. (Jure Romano eam tantum, quam bonus paterfamilias præſtare ſolet, quia ex neceſſitate gerit.)

Denique rationes reddere, & reliqua præſtare tenetur. Atque ad eum finem pupillo datur *actio tutelæ directa*. [g]

Intuitu pupilli effectus eſt, ut ille ex facto tutoris conveniri, & agere poſſit [h]; adeo ut nec reſtituatur in integrum ſi læſus eſt, ſed contra ſolum tutorem agat (ſecus, ac jure Romano). Atque in eum finem ei datur *actio tutelæ contraria*. [bb]

§. CXCV. Quando quis *pro tutore* negotia pupilli gerit [i], vel *falſo tutorem* ſe gerit [k], *actio* priori caſu pupillo datur *protutelæ*; poſteriori caſu *actio quod falſo tutore*: utroque tamen caſu negotium quoque nullum dici poteſt. [kk]

§. CXCVI. Quoties quis ob aliam cauſam, præter ætatem, ſe ipſum defendere nequit, ſuccurritur ei per *curam*, quam vel familia, vel civitas ſuſcipere tenetur [l]: & tunc eadem jura in curatore obtinent, quæ in tutore. Jure Romano minoribus 25. annis tales curatores conſtituuntur, qui auctoritatem non præſtant actibus minorum, ſed lubricum ſaltem ætatis ſupplent, adeoque hactenus a tutoribus differunt. [ll]

§. CXCVII. JCti. Romani tertiam tutelarum ſpeciem introduxerunt, nimi-

(*u*) §. p. Attil. tut. l. 1, ff. Min. (*v*) tot. tit. de confirm. tut. & tot. tit. de tutor & cur. dat. (*x*) tot. tit. ff. de Mag. Conv. (*y*) tot. tit. ff. Qui pet. tut. vel cur. (*z*) tot. tit. ff. de fidejuſſ. & nominat. (*a*) tot. tit. ff Excus. tut. (*b*) §. 4. Inſt. Qui. teſt. tut. (*c*) t. t. ubi pupillus educari &c. (*d*) t. t. ff. de autor. tut. (*e*) t. 1. de adm. & per. tut. (*f*) t. t. ff. de rebus eorum &c. (*g*) tot. tit. ff. de tut. & rat. diſtrah. (*h*) tot. tit. Quando ex facto tut. (*bb*) t. t. de contraria tutelæ. act. (*i*) tot. tit. De eo, qui pro tutore &c. (*k*) tot. tit. Quod falſo tutore &c. (*l*) tot tit ff. de curatoribus &c. (*ll*) tot. tit. ff. de minor.

Digitized by Google

mirum, *teſtamentariam*; quando pater liberis impuberibus dat tutorem [m]. At uti ipſa teſtamenta, ita & tutela teſtamento delata meri juris civilis eſt.

§. CXCVIII. Finitur tutela 1. morte alterutrius: 2. ſi alteruter in ſervitutem redigitur; tunc enim ſervi actiones omnes dependent ab arbitrio domini; nam & pupillus, ejuſque vita, res, & actiones, poteſtati domini ſubjacent: 3. pubertate; quæ incipit naturali ratione a facultate generandi: (cum vero terminus ille variet, pleræque gentes certum tempus pubertatis definivere, & Romani in maſculis tutelam poſt decimum quartum annum, in fœminis poſt duodecimum annum finiri, ſtatuerunt) 4. ſi tutor ipſe ſe defendere nequit, uti ſi ipſe eſt furioſus: 5. ſi tutor non defendit, ſed perdit jura pupilli; tunc enim tutor tanquam ſuſpectus removeri poteſt [n]: 6. ſi ad certum tempus vel ſub certa conditione tutor datus eſt, finitur tutela exiſtente conditione, vel finito tempore. [o]

C A P U T V.

De ſtatu Civitatis.

§. CXCIX. Tertius hominum ſtatus eſt Status civitatis. *Civitas* eſt cœtus plurium familiarum juris tuendi cauſa congregatus: & hactenus a natura. Poſtquam enim plures familiæ communi conſenſu in civitatem coëunt, eo ipſo corpus aliquod conſtituunt, cui jura quædam, & prærogativæ adhærent, quibus nemo frui poteſt, niſi membrum ſit illius civitatis; adeoque a quibus extranei, qui non ſunt partes illius corporis, excluduntur. (§. 107.)

§. CC. *Status* igitur *civitatis* eſt conditio, aut qualitas perſonæ, per quam quis jurium civitatis capax fit.

Status civitatis non eſt *immediate* a natura, ſed *mediate*, quia civitates conſenſu conſtituuntur: unde obligatio inter membra civitatis oritur ex pacto, & hactenus ex jure naturali. (§. 55.)

§. CCI. Acquiritur ſtatus civitatis jure naturali 1. *ex nativitate*, ſi quis, nimirum, a patre cive ex juſtis nuptiis naſcitur: 2. *pacto*, quando quis in civitatem, ejuſque jura, recipitur [p]; qui actus vulgo *naturaliſatio* vocari ſolet.

Statum igitur *civitatis* habent perſonæ liberæ, vel a patre cive natæ, vel in cœtum illum pacto receptæ. Differunt ab incolis, qui domicilium quidem in loco habent, non vero honorum, ac ſuffragiorum participes ſunt. [q]

Perſonæ, quæ ſtatum illum habent, ſunt vel imperantes, vel parentes.

§. CCII. Objectum ſtatus civitatis eſt qualitas, ſeu conditio illa, ex qua quis eſt membrum civitatis, eoque capax jurium, quæ ex hac qualitate ſequuntur.

Jura autem illius ſtatus vel ad *imperantes* pertinent, vel ad *parentes*. *Illa* continentur ſub regula generali, quod omnia

(m) t. t. ff. de teſtam. tut. (n) t. t. ff. de ſuſpect. tut. (o) Laut. comp. pag. 479. (p) L. 1, pr. §. 1, & §. 2, ff. L. 3, C. ad Municip. L. 15, §. f. l. 17, §. 9, l. 22, pr. ff. l. 2, C. Eod. (q) tot. tit. ad L. Mun. & de incolis.

Digitized by Google

omnia facere poſſint imperantes, & omnia eis præſtari debeant, quæ ad ſalutem civitatis pertinent.

Hæc uno hoc principio abſolvuntur, quod cives defendere civitatem operis, & opibus teneantur, & quod defendi a civitate debeant, nec excludi a commodis, & privilegiis civitatis poſſint.

§. CCIII. Effectus ſtatus civitatis eſt, ut tam *imperantes*, quam *parentes*, defendere illum ſtatum poſſint armis, & judicio, (per actiones nimirum præjudiciales) contra omnes, qui negant, eos partem illius corporis, & membrum civitatis eſſe. Hoc jure nititur bellum Romanorum contra Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum, quod Tyrannus eſſet, & contra Perſeum, quod ſpurius eſſet. [r]

§. CCIV. Tollitur ſtatus civitatis, *intuitu imperantium*, omnibus illis modis, quibus regnum amittitur [s]: ratione *civium* vero 1. morte naturali; 2. in pœnam, uti ſi civis deportatur, vel proſcribitur, vel in ſervitutem redigitur; 3. ſi deſerit civitatem, eoque membrum ejus eſſe deſinit; 4. per deditionem, quæ fit a civitate, ſi deditus ab hoſte recipitur; 5. captivitate; non vero 6. per relegationem.

JCtis Romanis is, qui civitate privatur, *capitis deminutionem mediam pati* dicitur. (Vid. ſupr. §. 114.)

§. CCV. In genere autem hic notandum eſt, parem rationem obtinere in omnibus corporibus, & univerſitatibus: ut collegiis opificum, ordinibus equeſtribus, &c. Nam ibi quoque ſtatum habere debet illius collegii, ordinis, &c. qui juribus illius ordinis, collegii, &c. gaudere vult [t]; & hunc in finem actiones quoque præjudiciales dantur.

§. CCVI. Civitas ſi aliquid in ſe ſtatuit, jure talionis quoque idem contra ſe admittere tenetur. Si proinde cives noſtri prohibentur in vicina territoria merces tranſportare, ſi extranei gabellam hæreditariam nobis ſolvere tenentur, &c. vicini in ſuo territorio quoque a commerciis nos excludere, gabellam hæreditariam a nobis exigere, &c. poſſunt.

§. CCVII. Quomodo ſuffragia in civitate computanda ſint, alibi examinabimus. [u]

LIBER

(r) Grot. l. 2. c. 7. §. 16. ibique Teſm. (s) Vid. Infr. lib. 6. c. 2. (t) B. Par. in hypomn. Inſt. tit. de action. §. 16. (u) Vid. infra Lib. 6. c. 1. Grotii ſententiam expoſuimus in Diſſert. procem. V. §. 10.

L I B E R IV.

DE JURE RERUM,

Seu de Jure, quod cuique hominum in res naturali ratione competit.

PROOEMIUM.

§. CCVII. EXPLICAVIMUS hactenus *primum objectum juris*; nimirum, JUS PERSONARUM, ſeu jus, quod perſonæ competit EX STATU HOMINUM. Sequitur nunc *alterum* juris naturalis *objectum*, ſcilicet, JUS RERUM, ſeu jus, quod cuique hominum naturali ratione quæſitum eſt IN RES.

§. CCVIII. Præmittimus autem *primo* rerum diviſiones: ubi ſimul demonſtramus, diviſiones rerum, quas JCti Romani propoſuere (exceptis rebus divini juris,) ex ratione naturali ſequi. (*Vid. Cap.* 1.)

§. CCIX. *Secundo* exponemus differentiam inter imperium, & dominium. (*Vid. Cap.* 2.)

§. CCX. *Tertio* explicabimus veram dominii originem, modoſque acquirendi dominii naturales, ſpeciatim per ſucceſſionem ab inteſtato. Ubi ſimul probabimus, nec teſtamentarias diſpoſitiones, nec præſcriptionem immemorialem, eſſe modos acquirendi dominii naturales. [v]

§. CCXI. *Quarto* demonſtrabimus, præter dominium nullum aliud *jus in re* naturali jure dari; adeoque ſervitutes, pignus, aliaque jura, quæ Legibus Romanis jus in rem tribuunt, non niſi actionem perſonalem producere. [x]

§. CCXII. Tandem ſequentur modi amittendi dominii. [y]

CAPUT

(v) Vid. infr. Cap. 7. ſect. 1. &. ſeq. (x) Vid. Cap. 3. ſect. 6. ſeq. (y) Vid. Cap. 3. ſect. 9.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Rerum Diviſione.

§. CCXIII. Antequam de modis acquirendi dominii tractationem incipiamus, præmittendæ ſunt rerum diviſiones; *tum* ut appareat, quarum rerum dominium acquirere poſſimus, vel non poſſimus; *tum* ut conſtet, an, & quatenus rerum diviſiones a JCtis Romanis expoſitæ juri naturali conveniant.

§. CCXIV. Per Res intelligimus quicquid in hominum uſu eſſe poteſt, ſive res ſit in patrimonio, ſive extra patrimonium [z]. Adeoque & res *divini juris*, res *communes*, & res *publicæ*, ſeu *univerſitatis*, æque rerum nomine veniunt, ac res, quæ *in ſingulorum bonis ſunt*.

Rei autem appellatione etiam cauſæ (i. e. fructus, uſuræ, impenſæ, & id, quod intereſt) & *jura* (i. e. actiones, obligationes, &c.) veniunt. [a]

§. CCXV. Hæ Res juxta doctrinam Marciani [b] vel ſunt *communes* omnium, (ſub quibus comprehendit res natura *nullius*, & *publicas jure Gentium*) vel *univerſitatis*, vel *nullius*, vel *ſingulorum*. Tres priores ſpecies extra patrimonium ſingulorum eſſe dicuntur [c], quia occupari proprietas earum a ſinlis vel a natura, vel lege nequit, ſed ſolus uſus.

§. CCXVI. Res communes JCtis Romanis dicuntur, quarum uſus omnibus hominibus communis eſt [d], quæ omnibus hominibus patent [e], vel quod idem eſt, quæ ſunt publicæ jure Gentium, & comparantur eis, quæ a natura prodita ſunt, & in nullius adhuc patrimonium pervenerunt [f]. Eſſentia, & proprietas harum rerum communium eſt, quod nemo prohiberi poſſit quo minus rebus illis utatur; cum enim hæ res in nullius bonis, ac proprietate ſint, nemo jus arcendi alios ab uſu earum arrogare ſibi poteſt.

§. CCXVII. Inter res *communes*, ſeu *publicas jure Gentium*, refertur I. Aer [g]. Complexus enim atomorum, qui aerem conſtituit, inexhauſtus, indefinitus, ac indeterminatus eſt, & ſingulis momentis mutatur; adeoque ſua natura occupari, i. e. in poteſtatem, & cuſtodiam noſtram redigi non poteſt.

Cum ergo nemo ſit, qui aërem ſuum dicere poſſit, neceſſario ſequitur, uſum ejus eſſe *communem*, eumque omnibus Gentibus, ſingulisque hominibus patere [h], quia nemini jus prohibendi competit. Quilibet igitur hominum aucupari poteſt [i]; & quod in aëre capitur, ſtatim fit capientis [k], etſi in loco, cujus

(z) pr. Inſt. R. D. (a) l. 23. V. S. Goth. ad l. 2. ff. de reb. cred. lit. b. (b) l. 2. §. 2. l. 6. R.D. (c) pr. Inſt. Rer. Div. (d) §. 1. & §. 2. Inſt. Rer. Div. l. 24. pr. damn. inf. l. 2. §. 1. R. D. l. 3. ff. ne quid in loco publ. (e) l. 13. pr. Comm. præd. l. 3. ne quid in loc. publ. (f) §. 4. Inſt. R. D. l. 4. §. 1. l. 5. ff. rer. div. l. 24. pr. damn. inf. l. 1. §. 18. op. nov. nunc. (g) l. 14. pr. A. R. D. (h) l. 13. §. f. ff. de injur. L. 3. §. 1. ne quid in loc. publ. §. 1. Inſt. Rer. div. L. 2. ff. Eod. (i) dd. ll. (k) l. 13. §. f. ff. injur.

Digitized by Google

cujus proprietas ab alio occupata eſt, capiatur: nam & aër, & avis ipſa, ſunt nullius. [l]

n. 1. Grotius [m] aërem in proprium jus abire poſſe, atque hactenus diſſimilem ejus a mari eſſe rationem, ſtatuit; quum nullus ejus uſus ſit, ad quem terræ uſus non ſit neceſſarius. Cum igitur terra illa legem accipiat ab eo, qui in terra imperium habet, inde concludit, aërem quoque legem ab imperante accipere poſſe, atque ex hac ratione aucupia vetari poſſe, ait.

At bene notandum eſt, prohibitionem legis non impedire, quo minus aër maneat communis, i. e. nullius, & quo minus avis in aëre capta fiat acquirentis. Leges Romanæ nobis indigitant, feram, etiam in alieno captam, fieri capientis, quia quod nullius eſt, cedit occupanti [n]. Capiens autem, qui lege prohibente ingreſſus eſt alienum fundum, ideo injuriarum actione domino fundi tenetur [o]. Etſi igitur fundus alicui jure dominii competat, inde tamen non ſequitur, aëris quoque eum eſſe dominum, nedum avium in aëre volantium, cum nec aër, nec avis unquam in domini poteſtate corporali fuerint.

§. CCXVIII. *II.* AQUA PROFLUENS communis eſt [p], ſive in flumine publico, ſive privato fluat. Complexus enim aquarum itidem ſua natura in ſingulorum proprietatem venire nequit: nam hæc quoque aqua inexhauſta, & indeterminata eſt, & ſingulis momentis mutatur; adeoque poſſideri, i. e. in cuſtodiam noſtram, & poteſtatem corporalem redigi non poteſt. Hinc uſus aquæ omnibus hominibus communis [q], & cuique liberum eſſe dicitur, haurire, & ducere aquam e flumine. [r]

§. CCXIX. *III.* MARE quoque eſt res *communis* [s] *ſeu publica jure Gentium* [t]. De aqua marina id indubium eſt: ſane, complexus ille aquarum indeterminatus, & inexhauſtus eſt, ac itidem ſingulis momentis mutatur; adeoque minus adhuc, quam aqua profluens, in cuſtodiam, ſeu poteſtatem noſtram corporalem redigi poteſt.

n. 1. Mare igitur quatenus pro aqua marina ſumitur, *nullius* eſt [u], i. e. nullius in bonis, patrimonio, & proprietate: dominus non eſt, qui jus ſibi hactenus arrogare, aliosque ab uſu ejus arcere poſſit [x]. Atque hæc ratio eſt, cur uſus maris omnibus hominibus communis dicatur, uti aër [y]; cur omnibus pateat [z], publicusque ſit jure Gentium. [a]

n. 2. Hinc [α] cuique liberum eſt in mari navigare, & piſcari [b], (uti ludere in atrio publico [c]) etiam ante alterius

(*l*) L. 1. §. 1. l. 3. pr. & §. 1. Acq. rer. dom. Vid. Theophil. Inſtit. §. 11. de rer. div. (*m*) d. l. 3. §. 1. d. l. 13. §. f. (*n*) L. 2. c. 2. §. 3. (*o*) l. 1. §. f. l. 3. pr. & §. 1. de A. R. D. arg. l. 50. Eod. (*p*) l. 3. §. 1. A. R. D. §. 12. Inſt. Rer. Div. conf. l. fin. §. 3. Quod vi, aut clam. (*q*) L. 2. §. 1. ff. rer. div. §. 2. Inſt. Eod. Grot. l. 2. c. 2. §. 15. (*r*) §. 2. Inſt. Rer. div. (*s*) L. 2. ff. Flumin. l. un. §. 1. Ut in flum. publ. Grot. l. 2. c. 2. §. 12. (*t*) L. 2. §. 1. ff. Rer. div. §. 1. Inſtit. Eod. (*u*) d. §. 1. Inſt. de rer. div. (*v*) §. 5. Inſt. Rer. div. (*x*) l. 13. §. f. De injur. (*y*) L. 3. §. 1. Ne quid in loc. publ. (*z*) L. 13. pr. Commun. præd. (*a*) §. 5. Inſt. de rer. div. (*b*) L. 4. §. 1. ff. Rer. div. §. 1. Inſt. Eod. L. 13. §. f. injur. L. 1. §. 1. ff. Acq. rer. dom. l. 2. §. 9. ne quid in loc. publ. (*c*) d. l. 2. §. 9. d. l. 13. Comm. præd.

alterius ædes, vel prætorium [d]; adeo ut ſi quis me prohibeat, actione injuriarum ideo teneatur [e]: niſi juri ſuo renunciaverit [f]. [β] Privata lege mari ſervitus imponi nequit [ff] (ſervitus enim nonniſi a domino conſtituitur: nemo autem maris dominus eſt). [γ] Quicquid mari capitur, fit capientis [g]; quia quod nullius eſt, cedit occupanti [h]. [δ] Inſulæ in mari natæ nullius ſunt, indeque cedunt occupanti [i]. [ε] Si quid mari injicitur, ſi ædificium ei imponitur, &c. id fit occupantis, quia nullius eſt. [k]

§. CCXX. *IV.* ALVEUS MARINUS ejusdem juris eſſe dicitur, cujus eſt mare, & littora maris [l]: at mare, & littora maris, ſunt communia [m]. Sane, cum aqua marina communis ſit, neceſſario quoque alveus, qui aqua marina perpetuo tegitur, communis erit [n]. Unde dominium fundi, quem mare novo confecto alveo inundat, interire dicitur. [o]

n. 1. Proprietas igitur *alvei marini* nullius eſt [p], i. e. in nullius proprietate, ſeu dominio. Nemo ibi jus prohibendi, vel alios arcendi, ſibi arrogare poteſt. Sed uſus communis eſt omnium hominum [q]; omnibus patet, & publicus eſt jure Gentium. [r]

n. 2. Hinc 1. pilæ in mare jactæ, item molæ, cedunt ei, qui injecit [s], quia uſus maris omnibus communis eſt [t]; & quicquid deſuper ædificatum eſt, acquiritur ædificanti [u]: idque ſuum facere dicitur, etſi non in ſuo ædificet [v]. 2. Inſulæ ex alveo maris natæ (adeoque quæ pars alvei ſunt) [x], nullius eſſe intelliguntur, ideoque cedunt occupanti. [y]

CCXXI. *V.* LITTORA MARIS JCtis Romanis dicuntur communia *per mare* [z]; unde ejusdem juris eſſe dicuntur, cujus eſt mare, quod eſt commune [a]: mare enim, & littora communia omnium ſunt, ſicut aër. [b]

Not. Littora hic intelliguntur, quatenus hyberno tempore mare maxime excurrit. [c]

n. 1. Hactenus igitur littora ſunt pars maris; ſine littoribus enim uſum maris, qui communis eſt omnium, exercere non poſſumus. Proprietas ergo littorum nullius eſt [cc], i. e. in nullius bonis, & dominio: adeoque nemini jus arcendi alios ab eorum uſu competit. Eſt igitur littorum uſus omnium hominum communis [d], & omnibus vacat [e], omnibus patet, eoque eſt publicus jure Gentium [f]. Unde JCti tradunt, in littoribus idem obtinere, quod

(*d*) d. L. 13. §. fin. Injur. (*e*) d. L. 13. §. fin. injur. d. l. 2. §. 9. (*f*) L. 14. ff. de injur. l. 13. pr. Comm. præd. (*ff*) d. L. 13. pr. comm. præd. (*g*) l. 1. in fin. Acq. rer. dom. (*h*) L. 3. pr. Acq. rer. dom. Conf. l. 1. §. I. de Acq. poſſ. (*i*) L. 7. §. 3. Acq rer. dom. L. 1. §. 1. ff. Acq. poſſ (*k*) L. 30. §. f. Acq. rer. dom. l. 50. Eod. (*l*) §. 5. Inſt. Rer. div. (*m*) L. 2. § 1. Rer. div. (*n*) arg. l 1 §. 7. flum. l. p. ff. Rer. div. (*o*) L. 23. & 24. ff. Quib. mod. uſusfr. amit. L. p ff. Rer. div. L. 3. §. 17. l. 30. §. 3. Acq. poſſ. arg. l. 1§. 7 flum. (*p*) l. 30. §. f. Acq. rer. dom. §. 5. Inſt. Rer. div. (*q*) §. 5. Inſt. Rer. div. (*r*) L. pen. ff. Rer. div. (*s*) L. 2. §. 8. l. 3. §. 1. ne quid in loc. publ. (*t*) L. 3. ne quid in loc. publ. l. 50. de Acq. rer. dom. (*u*) l. 30. §. f. Acq. rer. dom. l. 50. Eod. (*v*) l. 1. §. 18. Nov. op. nunc. d. l. 50. (*x*) L. 30. §. 1. § 3. Acq. rer. dom. l. 1. § 6. flum. (*y*) Vid. infr. c. 4. ſect. 8. §. 28. (*z*) §. 5. Inſt. rer div. l. 2, §. 1. ff. Eod. (*a*) §. 5. Inſt. Eod. (*b*) l. 13. §. f. de injur. (*c*) §. 3 inſt. de rer. div. (*cc*) §. 5. Inſt. rer. div L. 51. ff. contr. Emt. l. 14. pr. Acq. rer. dom. (*d*) L. 3 Ne quid in flum. publ. l. 13. §. f. de injur. l. 24. pr. Damn. inf. (*e*) L. 51. ff. contr. emt. (*f*) L. 14. l 65. §. 1. ff. Acq. rer. dom. §. 5. Inſt. Rer. div.

Digitized by Google

quod in uſu aëris, maris, fluminis, & viarum publicarum. [g]

Atque hæc ratio eſt, cur 1. nemo prohiberi poſſit ad mare accedere piſcandi cauſa, quia littora maris communia ſunt [h] : 2. cur quilibet caſam ibi ponere, retia exſiccare, & ex mari deducere poſſit [i] : 3. cur nemo in littoribus aliquid facere poſſit, quo iter, navigatio, & ſtatio deterior fiat, adeoque quo uſus juris Gentium impediatur; nam is manu quoque a quolibet prohiberi poteſt [k] : 4. cur quilibet in littore ædificare poſſit [l], & ædificando ſubito ædificium ſuum faciat [m], etſi non in ſuo ædificet [n]; res enim nullius cedit occupanti [o] : unde navigantes abſtinere ab illis ædificiis debent; nam id non pertinet ad uſum maris, qui ſolus juris gentium eſt [p] (Dominium autem hoc ceſſare ceſſante uſu, infra [q] videbimus). 5. Cur nec littora, nec alia loca publica, prædio vendito juncta, in modum computentur [r]; quia in dominio venditoris non ſunt, adeoque vendita non cenſentur: 6. cur ea, quæ in littoribus inveniuntur, ſtatim noſtra fiant; quia nullius ſunt [s], & uſus littorum omnibus hominibus communis eſt: 7. cur inſulæ prope littora natæ cedant occupanti; quia ſequuntur naturam contingentis agri, qui publicus eſt. [t]

n. 2. Neque in littoribus diſtinguebant JCti Romani, utrum agri vicini eſſent arcifinii, an limitati. Nam omnes agri erant limitati, quia littora numquam aſſignabantur privatis. [u]

Aliud igitur obtinet ſi Princeps viciniis prædiis agros aſſignat usque ad mare, vel ipſa littora eis in feudum dat (uti in Pomerania in terris nobilium ad littus maris ſitis fieri ſolet); tunc enim idem obtinet, quod in ripis fluminum publicorum: ut nimirum incrementa cedant vicinis prædiis, quia agri ſunt arcifinii. Cum enim proprietas littorum, extra uſus maris, vicinis prædiis aſſignata ſit, neceſſario ſequitur, jus alluvionis ibi obtinere, inſulas vicinas cedere domino littorum, ædificium ab alio in illo littore poſitum acquiri ei, qui proprietatem littorum habet, &c.

§. CCXXII. *VI.* FLUMINA quoque JCtis Romanis dicuntur *communia*, ſeu publica jure gentium [v]. Poſtquam enim Marcianus explicavit [x], quænam ſint jure naturali communia, nimirum, *aër*, *aqua profluens*, *mare*, & per hoc *littora maris*, ita pergit [y] : *Sed & flumina pene omnia, & portus, publica*

(*g*) L. 3. Ne quid in loc. publ. (*h*) §. 1. §. 2. §. 5. Inſt. Rer. div. l. 4. l. 5. §. 1. ff. Eod. (*i*) L. 5. ff. Rer. div. §. 5. Inſt. Eod. (*k*) L. 50. acq. rer. dom. l. 1. §. 17. ne quid in loc. publ. (*l*) L. 3. l. 4. ne quid in loc. publ. l. 14. pr. acq. rer. dom. l. 50. l. 65. §. 1. eod. l. 1. §. 18. de nov. op. nunc. l. 6. pr. rer. div. (*m*) L. 2. §. 8. ne quid in loc. publ. l. 30. §. 5. acq. rer. dom. (*n*) L. 1. §. 81. oper. nov. nunc. l. 6. pr. rer. div. (*o*) L. 14. pr. acq. rer. dom. (*p*) §. 1. inſt. rer. div. l. 1. ff. eod. (*q*) Vid. infr. n. 16. (*r*) L. 51. contr. emt. (*s*) L. 3. ff. acq. rer. dom. l. 1. §. 1. acq. rer. dom. (*t*) L. 65. §. 1. & 2. acq. rer. dom. (*u*) d. l. 51. 1. (*v*) L. 4. §. 1. ff. rer. div. §. 2. inſt. eod. l. 3. pr. ff. de flumin. l. 7. §. 5. acq. rer. dom. l. 45. pr. uſurp. (*x*) L. 2. §. 1. rer. div. (*y*) L. 4. §. 1. rer. div.

Digitized by Google

blica ſunt. Immo eodem modo publica jure gentium dicuntur, uti ripæ [z], & alveus [a], quorum uſus eſt communis. (*Vid.* §. 223. & 224.)

n. 1. Uſus igitur *fluminis* eſt publicus jure gentium, quemadmodum uſus riparum [b], viarum publicarum, & littorum. [c]

n. 2. Hinc 1. quilibet in flumine publico piſcari [d], 2. navigare [e], 3. pecus ad flumen appellere [f], 4. ibi ædificare, & ædificatum deſtruere poteſt [g]; 5. nemo jus prohibendi alios ab uſu fluminis habet [h]. Unde JCti Romani contra prohibentem dant interdictum uti poſſidetis [i], vel actionem injuriarum [k]; adeo ut nec 6. præſcriptionem opponere alii poſſit is, qui longo tempore flumine uſus eſt. [m]

n. 3. Notanter autem Marcianus ait, flumina *pene* omnia *publica* eſſe [n]; nam dantur quoque flumina *privata* [o], quorum uſus non eſt omnium hominum communis, ſed flumina hæc in privatorum dominio [p], & intra eorum fines ſunt [q], eodem modo, quo lacus, & ſtagna [r]. Ratio enim fluminum publicorum, quod populus iis utatur, hic ceſſat.

§. CCXXIII. *VII.* RIPÆ quoque fluminis publici ſunt communes: nam eodem jure habentur, quo ipſum flumen [s], quod commune eſt. Riparum igitur uſus eſt communis omnium hominum, & jure Gentium publicus. [t]

n. 1. Hinc 1. cuique liberum eſt ad ripam appellere, caſam ibi ponere, naves alligare, retia exſiccare, onus reponere [u]. 2. Nemo poteſt prohiberi appellere pecus ad ripam fluminis publici [v]. 3. Inſulæ juxta ripas natæ publicæ ſunt [x]. 4. Cuique in ripa fluminis publici ædificare licet. [y]

n. 2. Neque *obſtat*, quod jure Romano ripæ in proprietate vicinorum eſſe dicantur [z], & quod ſolum illud privatum videatur [a]. Ripæ igitur non ſunt *res communes*, ſeu *publicæ jure Gentium*.

Ut hoc dubium rite ſolvatur, præmittendum eſt, JCtos Romanos differentiam inſignem ſtatuiſſe inter agros *limitatos*, & *arcifinios*. Romani enim agros ita aliquando aſſignare ſolebant, ut certi limites agris conſtituerentur; aliquando ita, ut flumen ipſum terminus fuerit agrorum. *Prius* agrorum genus Romani vocarunt agros *limitatos*, & *poſterius*, agros *arcifinios*. *Priori* caſu alveus, & ripæ, non ſunt pars agrorum: neque enim in ſingulos diſtributæ ſunt, ſed id, quod ultra limites ſitum eſt, publico relictum videtur. Hoc igitur caſu ripæ, & alvei nullius in bonis, & in nullius proprietate, ac dominio ſunt, indeque ſunt

(z) d. l. 3. §. 4. inſt. rer. div. (a) d. l. 7. §. 5. (b) L. 5. pr. rer. div. §. 4. inſt. eod. (c) L. 24. pr. damn. infect. (d) L. 45. pr. uſurp. l. 7. ff. div. temp. præſcr. §. 2. inſt. rer. div. (e) L. 5. ff. rer. div. §. 4. inſt. rer. div. (f) L. un §. fin. ut in flum. publ. (g) L. 24. pr. dam. inf. (h) d. l. 7. l. 13. §. fin. injur. l. un. §. 1. ut in flum. publ. (i) L. 14. ff. injur. d. l. un. (k) L. 13. §. f. ff. injur. l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. (m) l. 45. pr. uſurp. & uſuc. (n) L. 4. §. 1. Rer. div. (o) tot. tit. ff. de flumin. (p) L. 1. §. 9. & 10. ff. de flumin. (q) L. 6. de fin. regund. (r) L. 13. §. f. de Injur. l. un. pr. ut in flum. (s) l. 5. pr. Rer. div. §. 4. Inſt Eod. l. 3. pr. de flumin. (t) L 5. pr. Rer. div. d. l. 3. l. 65. §. 1. & 2. Acq. rer. dom. (u) d. l. 5. d. §. 4. L. un. ff. ut in flum. (v) d. l. un. §. f. (x) l. 65. §. 1. & 2. Acq. rer. dom. (y) d. l. 65. §. f. (z) l. 5. ff. Rer. div. §. 5. Inſt. Eod. (a) L. 30. §. 1. Acq. rer. dom. l. 1. §. 11. flum.

Digitized by Google

ſunt publicæ jure Gentium, i. e. uſus earum omnibus hominibus communis eſt: atque de his loquuntur prædictæ leges. *Poſteriori* caſu ibi limes eſt ubi eſt flumen; adeoque cum flumen ipſum terminum conſtituat, alveus, & ripæ pars agrorum ſunt [b]. Hinc dominus ripæ arborem ibi natam ſuam facit [c]; ædificia ab aliis ibi poſita cedunt domino fundi, ſeu ripæ [d]. Unde JCti tradunt, ſi quid in ripa fit, non videri in publico factum, ſed in privato [e]. Atque hæc ratio eſt cur ripæ, inſulæ in flumine publico natæ, alveus derelictus, &c. ipſo jure vicinis prædiis cedant. [f]

n. 3. His ita præmiſſis dicimus, verum omnino eſſe, *ripas* quoad proprietatem in *agris arcifiniis* pertinere ad vicinos; hæc autem proprietas vicinis non aliter aſſignata eſt, nec aſſignari potuit, quam *ſalvo uſu juris Gentium.* Proprietarii igitur ea, quæ *ad uſum juris Gentium* pertinent, nullo modo impedire poſſunt, quamdiu flumen ſubſiſtit. Flumen enim ſemper publicum eſt jure Gentium; adeoque ejus uſus communis eſt omnium hominum. [g]

§. CCXXIV. *VIII.* Alveus fluminis publici itidem communis eſt, ſeu publicus jure Gentium; nam ejusdem juris eſt, cujus eſt flumen [h], & aqua, quæ alveum tegit, quæ eſt communis [i]. Sane, quamdiu flumen alveum tegit, tamdiu alveus ſequi debet naturam fluminis: nam impoſſibile eſt, ut alveus fluminis publici non ſit publicus. [k]

n. 1. *Proprietas* igitur *alvei* nullius eſt, & adeo nullius, ut is, qui dominus eſt fundi, dominium perdat ſi flumen locum inundat [l], novumque alveum conſtituit [m]. Unde ſequitur, uſum alvei eſſe publicum jure Gentium [n], i. e. uſum ejus omnibus patere, & omnium hominum eſſe communem.

n. 2. Hinc 1. cuique ædificare, & ædificata deſtruere, in flumine publico licet [o]. 2. Nihil facere in alveo poſſumus, quo uſus publicus deterior reddatur [p]. 3. Inſulæ in flumine publico natæ ſunt publicæ, ceduntque occupanti [q]. 4. Alveus derelictus ei cedit, qui primus occupat. [r]

n. 3. Neque obſtat, *proprietatem alvei* ad dominos vicinorum prædiorum pertinere [s]; adeoque alveum non eſſe communem, ſeu publicum jure Gentium: nam dubio huic jam ſatisfactum eſt. In agris enim *limitatis* omnino verum eſt, alveum adjacentem eſſe publicum jure Gentium [t]; quia ultra limites aſſignatos nullum jus vicinis competit. In agris *arcifiniis* vero negari nequit, ripas, & alveum quoad proprietatem aſſignatos eſſe vicinis prædiis [u], ſolumque privatum eſſe [v]. Cujus rei effectus in eo conſiſtit, ut domini ripæ acquirant inſulas in flumine publico

(*b*) §. 5. Inſt. Rer. div. (*c*) L. 30. §. 1. Acq. rer. dom. l. 5. Rer. div. §. 4. Inſt. Eod. (*d*) L. 15. Acq. rer. dom. (*e*) L. 1. §. 11. Flumin. (*f*) Vid. infr. c. 4. ſect. 2. §. 24. (*g*) Vid. ſup. n. 10. (*h*) L. 1, §. 6, & 7, Flumin. l. 7, §. 5, l. 30, §. 3, Acq. rer. dom. §. 23, Inſt. rer. div. (*i*) §. 1, Inſt. rer. div. L. 2, §. 1, ff. eod. (*k*) L. 1, §. 7, flum. arg. l. pen. Rer. div. (*l*) L. p. Rer. div. l. 24, ff. Quib. mod. uſusfr. am. l. 7, §. 1, Acq. rer. dom. (*m*) l. 23, & 24, ff. Quib. mod. us. am. (*n*) d. l. 42, l. 7, §. 5, Acq. Rer. dom. (*o*) L. 24, ff. Damn. infect. (*p*) d. l. 24 (*q*) l. 65, §. f. Acq. Rer. dom. l. 1, §. 6, & 7, ff. Flumin. (*r*) d. l. 1, §. 6. & 7, Vid. infr. (*s*) §. 5, Inſt. Rer. div. (*t*) L. 30, §. 3, Acq. Rer. dom. l. 23, l. 24, Quib. mod. us. am. l. p. ff. Rer. div. l. 3. §. 17, l. 30, §. 3, Acq. poſſ. (*u*) L. 1, §. 6, & 7, ff. de flum. §. 5, Inſt. Rer. div. L. 3, §. 2, Aqua. quot. (*v*) L. 30, §. 1, & §. 3, A. R. D. d. l. 1, §. 6, & 7.

Digitized by Google

blico natas [x], quia ad uſum fluminis non pertinent; & ut alvei derelicti itidem cedant vicinis prædiis [y], quia deſinit jam eſſe flumen publicum, & populus eo non amplius utitur. [z]

n. 4. Diximus autem, hanc *proprietatem* non impedire, quo minus *alveus*, cujus pars *ripa* eſt, maneat communis, & jure Gentium publicus; *quoad uſus ſcilicet juris Gentium*, quos modo recenſuimus.

§. CCXXV. *IX.* VIÆ quoque PUBLICÆ natura communes ſunt, ſeu publicæ jure Gentium; quod ex ratione juris naturalis originem ducit.

n. 1. Præmittendum autem eſt, cuique hominum *tranſitum innoxium* competere per totum terrarum orbem, non ex innoxia aliqua utilitate, uti Grotius ſtatuit, (ea enim nemini jus dat in res alterius) ſed ex plane aliis naturæ rationibus. Sane, 1. orbis humani generis cauſa conditus eſt; omnes res terræ in hominum uſum creatæ ſunt; provida natura ſingulis facultatem rebus illis utendi conceſſit: unicuique igitur homini naturali ratione jus eſt quærendi res ad uſus ſuos neceſſarias. At fieri hoc abſque tranſitu per alterius territorium nequit. Negato igitur tranſitu, homo excluderetur a jure hoc quærendi res ad ſuos uſus neceſſarias, & ejus cauſa creatas; eoque jus ipſi quæſitum injuria auferretur. 2. Omnes in eo conſentiunt, me non poſſe impediri, quo minus per mare, & per flumen publicum navigem, i. e. tranſeam: quod igitur in mari, & in flumine publico licet, id magis licebit in territorio; ſive enim navi, ſive curru, ſive pedibus per alterius territorium tranſeam, nihil intereſt. Sed & 3. contingere poteſt, ut populus aliquis remotior injuriam mihi inferat; hoc caſu negari nequit, me illatam injuriam vindicare poſſe: vindicare autem eam non poſſem, ſi vicino jus eſſet tranſitum mihi negandi. Ex medii ergo neceſſitate apparet, jus mihi eſſe tranſitum petendi, quia omnia licent, ſine quibus jus meum tueri non poſſum. Quin 4. contingere poteſt, ut fame, peſte, injuria vicinorum, populus deſerere ſuam civitatem cogatur: ſane, jus hoc caſu competit populo alias ſedes quærendi, adeoque per vicina territoria tranſeundi: omnia enim media permiſſa ſunt, ſine quibus populus conſervari nequit. 5. Commerciorum quoque licentia juris naturalis eſt [a]: commercia autem ſine tranſitu exerceri non poſſunt. Atque hoc 6. confirmatur uſu omnium gentium, etiam barbararum, quæ tranſitum omnibus permittunt. Hinc in ſacra quoque hiſtoria juſta belli cauſa habita fuit tranſitus denegatio. [b]

Equidem tranſitus ille occupato territorio non quolibet loco exerceri poteſt; ſed ſufficit, locum aliquem a populo, vel eo, qui jus publicandi habet, deſtinari, & relinqui, per quem publice ire, ac commeare liceat [c]. Atque is locus *via publica* dicitur.

n. 2. *Via* igitur *publica* (ſeu jus tranſeundi) omnibus hominibus communis [d] & ſolum publicum eſſe dicitur [e], indeque nullius in proprietate [f] (ſecus, ac

(*x*) L. 1, §. 7, Acq. Rer. dom. (*y*) l. 30, §. 1, Acq. Rer. dom. l. 7, §. 5, Eod. l. 1, §. 6, & 7, de Flumin. (*z*) d. l. 30, §. 1. (*a*) Vid. Grot. L. 2, c. 2, §. 13. n. 1, & 5. (*b*) Vid. Grot. d. c. 2, §. 13. (*c*) L. 2, §. 21, Ne quid in loc. publ. (*d*) d. l. 2, §. 3, §. 21. (*e*) d. l. 2, §. 21. (*f*) arg. l. 2, §. 1. Ne quid in loc. publ.

ac in via privata, ubi via fundi eſt [g]). Atque hinc uſus viarum publicarum publicus jure Gentium, (ſicut fluminum publicorum, & littorum [h]) & ad omnes homines pertinere dicitur. [i]

n. 3. Unde 1. nemo prohibere poteſt, quo minus per viam publicam eam [k]. 2. Nihil fieri poteſt in via publica, quo iter deterius reddatur [l]. 3. Via publica non poteſt venire in modum agri venditi; quia non eſt venditoris, &c. [m]

Hoc autem verum tantum eſt, quamdiu *Via* ſubſiſtit. Si proinde flumen viam inundat, novumque alveum facit, deſinit eſſe via [n]; adeo ut licet poſtea aqua recedat, & viam reſtituat, non tamen reviviſcat via publica, utpote ſemel extincta, ſed ea vicinis cedat. [o]

n. 4. Notanter autem dixi, *tranſitum innoxium* cuique hominum liberum eſſe [p] (hinc omnis vis abeſſe debet [q]). Tranſire autem quis poteſt, etiam cum integro exercitu [r]. Si tamen fœdere cum alio inito cautum ſit, ne quis alterius hoſti præbeat tranſitum, id licitum quidem eſt [s]; at negans eo ipſo fit ſocius hoſtis, eoque hoſtis ipſe.

n. 5. Quæritur, an neceſſaria tranſeuntibus præberi debeant? Affirmat id Grotius, juſto oblato pretio [t]. Nos commercia quidem juris naturalis eſſe, ſtatuimus: at inde non ſequitur, aliquem invitum vendere teneri; & incolas, per quorum territorium tranſitur, invitos cogi ad vendendum poſſe. Neque *obſtat*, quod aliter tranſire non poſſimus. Reſp. neceſſitas hæc eſt hypothetica: nam commeatum ſecum ducere poſſunt tranſeuntes; ſi id fieri nequit, vel plane non, vel non cum tantis copiis ſimul tranſire deberent. Sane, neceſſitatem jus aliis in res meas non tribuere, alibi probavimus. (*Vid. infr. cap. pen.*)

n. 6. Denique notandum, tranſeuntibus vectigal imponi poſſe [u]. Sed & morari aliquamdiu tranſeuntes in territorio poſſunt, ſi neceſſitas id poſtulet [v]: perpetuam autem habitationem exigere invito populo imperante nequeunt; etſi ſterile ſit territorium, & deſertum [x]. Cæterum, non tantum perſonis tranſitus concedi debet, ſed & rebus. [y]

§. CCXXVI. Ad res *communes*, ſeu *publicas jure gentium*, vel, quod idem eſt, ad res *nullius*, pertinent omnia, quæ primum a natura prodita ſunt, & in nullius adhuc dominium pervenerunt [z]: uti piſces, feræ [a], inventa in littore. [b]

§. CCXXVII. Atque ad has res communes, ſeu *nullius* quoque pertinent [a] res, quæ dominum quidem habuerunt, ſed quas dominus in rerum ſuarum numero amplius habere noluit, uti *derelicta* [c]: [b] illæ, quæ dominum habent, ſed qui ignoratur; uti *theſauri* [d]: & [c] reliqua *adeſpota*. [e]

§. CCXXVIII.

(*g*) L. 38. §. f. Acq. rer. dom. d. l. 5. §. 21. (*h*) l. 24. Damn. inf. (*i*) L. 1. ff. de loc. & itin. (*k*) l. un. §. 1. ut in flum. publ. (*l*) Tot. Tit. ff. Ne quid in loc. publ. (*m*) l. 51. ff. Contr. emt. l. 7. §. 1. ff. Peric. & comm. (*n*) l. 35. Acq. Rer. dom. (*o*) d. l. 38. in fin. (*p*) Grot. l. 2. c. 2. §. 13. (*q*) Grot. l. 3. c. 17. §. 2 (*r*) Grot. d. §. 13. (*s*) Grot. l. 2. c. 15. §. 6. n. 3. (*t*) Grot. l. 2. c. 2. §. 18.

(*u*) Grot. l. 2. c. 2. §. 14. (*v*) d. c. 2. §. 15. (*x*) Diſſentit Grot. l. 2. c. 2. §. 16. & 17. (*y*) Grot. d. c. 2. §. 13. (*z*) L. 14. A. R. D. l. 1. §. 1. l. 3. ff. Acq. Poſſ. (*a*) d. l. 14. (*b*) l. 2. l. 3. ff. R. D. §. 18. Inſt. Eod. (*c*) §. 46 Inſt. R. D. (*d*) L. 31. §. 1. A. R. D. §. 12. Inſt. Rer. Div. (*e*) Grot. l. 2. c. 8. §. 5. 6. 7.

Digitized by Google

§. CCXXVIII. Coronidis loco notandum eſt, imperantem his rebus naturali jure *communibus* etiam quoad uſum legem dicere poſſe. Nam 1°. diximus, legibus Romanis ſtatutum eſſe, ne dominium littorum quis ſibi acquirere, ſed ut ſaltem uſum eorum occupare poſſit. Unde is, qui ædificat in littore, non in ſuo ædificare dicitur; at ædificium ſibi acquirit, quia uſus littorum communis eſt: ad uſum autem quoque pertinet, ædificium ibi ponere. *Vid.* §. 221.

n. 1. Dominium autem hoc ædificii tantum durat quamdiu ædificium extat; nam deſtructo ædificio res redit ad priſtinum ſtatum, i. e. locus ille, & pars illa littorum, iterum fit publica jure Gentium, adeoque cedit ei, qui uſum illius rei noviter occupat.

Egregie rem explicat Neratius [f]: *Quod in littore quis ædificaverit, ejus erit: nam littora publica non ita ſunt, ut ea, quæ in patrimonio ſunt populi, ſed ut ea, quæ primum a natura prodita ſunt, & in nullius adhuc dominium pervenerunt; nec diſſimilis conditio eorum eſt, atque piſcium, & ferarum, quæ ſimul, atque apprehenſæ ſunt, ſine dubio ejus, in cujus poteſtatem pervenerunt, dominii fiunt. Videndum eſt ſublato, ædificio, cujus conditionis ſit is locus, h. e. utrum maneat ejus, cujus fuit ædificium, an rurſus in priſtinam cauſam recidat; perindeque publicus ſit, ac ſi nunquam in eo ædificatum fuiſſet? Quod propius eſt, ut exiſtimari debeat; ſi modo recipit priſtinam littoris ſpeciem.* Hinc is, qui olim in littore ædificium poſuit, ei, qui finito uſu, & deſtructo ædificio, locum illum occupat, exceptionem præſcriptionis opponere nequit. Papinianus ait: *Præſcriptio longæ poſſeſſionis ad obtinenda loca juris Gentium publica concedi non ſolet; quod ita procedit: Si quis ædificio funditus diruto, quod in littore poſuerat, aut dereliquerat ædificium, alterius poſtea eodem loco exſtructo occupantis datam exceptionem opponat: vel ſi quis quod in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure uti prohibeat* [g]. Sed & Marcianus poſtquam dixerat, flumina, & portus, publica eſſe [h], ita pergit [i]: *In tantum, ut & ſoli domini conſtituantur, qui ibi ædificant; ſed quamdiu ædificium ibi manet: alioquin dilapſo ædificio quaſi jure poſtliminii locus revertitur in priſtinam cauſam; & ſi alius in eodem loco ædificaverit, ejus erit.*

Illuſtratur hæc res exemplo rerum univerſitatis. Hæ enim res quoad proprietatem ſunt quidem civitatis, ſeu univerſitatis [k]; at quia civitas communi civium uſui hanc proprietatem deſtinavit, quilibet ex civibus re illa uti, & utendo rem ſuam facere poteſt, ita ut quamdiu utitur, alius eum impedire non poſſit. Optime Cicero: *Theatrum commune eſt, recte tamen dici ejus eſſe locum, quem quisque occupavit.* Verum, hæc occupatio jus tantum dat, quamdiu occupat, i. e. quamdiu civis utitur: nam ceſſante uſu res in priſtinum ſtatum redit, i. e. iterum fit occupantis.

n. 2. 2°. Populus, qui imperium occupavit, prohibere poteſt, ne in littore absque ejus decreto ædificium ponatur [l], vel ne ante alterius ædes, vel præ-

(*f*) L. 14, Acq. rer. dom. (*g*) L. 45, ff. Uſurp. & uſuc. (*h*) L. 4, §. 1, Rer. div. (*i*) L. 6, ff. Eod. (*k*) Lib. 1, ff. Rer. div. (*l*) l. 50, Acq. rer. dom. l. 1, §. 18, Nov. op. nunc.

prætorium, in mari piſcari liceat [m]. Hinc 3°. conductores reipublicæ alios a piſcando excludere poſſunt. Sane, hodieque videmus, jus piſcandi quibuſdam conductoribus privative concedi ſolere; & experientia docet, nobiles ad littora maris habitantes feudi jure jus piſcandi ſibi arrogare, aliosque arcere.

§. CCXXIX. RES UNIVERSITATIS (*vid.* §. 225.) JCtis Romanis dicuntur, quarum proprietas ad univerſitatem pertinet, uſus vero ad ſingulos cives [n]. Inſerviunt igitur uſibus privatorum, non quaſi propriæ cujusque, ſed jure civitatis; & tantum in illas juris habemus ad exhibendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum [o]: & hoc ſenſu publici juris eſſe dicuntur. [p]

Hæ *res univerſitatis* a JCtis, (ut ut improprie) vocantur res *nullius*, quia non ſunt in ſingulorum bonis [q]; proprietas enim ad civitatem pertinet. Ad has *res univerſitatis* referuntur campi publici, ubi ſingulis ludere licet; balnea publica, ubi quilibet lavare ſe poteſt; theatrum publicum, ex quo cuique ſpectare licet [r]; ſtadia, &c. [s], muri, fora, portæ, circus, arena, &c [t]

Differunt autem *res univerſitatis* a rebus *communibus*, ſeu *jure Gentium publicis*, quod *harum* uſus non ſolis civibus, ſed omnibus hominibus pateat [u]; deinde, quod quarundam *rerum communium* proprietas plane occupari non poſſit: ut in aëre, aqua profluente, mari &c. [v]

§. CCXXX. Per RES NULLIUS in hac generali rerum diviſione, quam Marcianus ſuppeditat, intelliguntur RES DIVINI JURIS. Marcianus enim poſtquam res communes [x], resque univerſitatis [y] explicavit, ita pergit [z]: *Sacræ res, & religioſæ, & ſanctæ, in* NULLIUS *bonis ſunt.* Gajus [a] ait: *Quod autem divini juris eſt, id* NULLIUS *in bonis eſt.* Unde Imperator quoque in Inſtitutionibus [b] poſtquam explicavit, quid ſint res *communes* [c], & *res univerſitatis* [d], continuando ait [e]: NULLIUS *autem ſunt res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ.* Atque ex his jam conſtat, in hac Marciani diviſione non intelligi eas *res nullius*, quarum uſus omnibus hominibus communis eſt, nec eas, quæ univerſitatis ſunt: etſi omnes hæ res certo ſenſu *nullius* dici poſſint.

Res ergo NULLIUS, ſeu DIVINI JURIS ſunt vel *ſacræ*, vel *ſanctæ*, vel *religioſæ*; quæ diviſio meri juris civilis eſt.

§. CCXXXI. RES SACRÆ ſunt, quæ auctoritate Principis Deo conſecratæ ſunt [f] (unde conſtat, natura res ſacras non eſſe). Eoque referuntur ædes ſacræ, donaria, quæ rite ad miniſterium Dei dedicata ſunt [g], &c.

n. 1. Non ergo res ſacræ fiunt, ſi auctoritate privata Deo dicantur [h]; ſed ma-

(*m*) L. 13, fin. ff. de injur. junct. Conf. Nov. Leon. 56, Sed Leo rationem juris naturalis ignoravit. (*n*) l. 1, pr. Rer. div. L. 6, §. 1. Eod. l. 14, pr. Acq. rer. dom. l. 15, V. S. (*o*) l. 2, §. 2, ff. Ne quid in loc. publ. (*p*) Gaji Inſt. de rer. div. §. 2. (*q*) L. 1, pr. Rer. div. (*r*) L. 2, §. 9, Ne quid in loc. publ. (*s*) L. 6, §. 1, Rer. div. Cic. de finib. lib. 3, Conf. l. 122, ff. de legat. 1. (*t*) Gaji Inſt. Rer. div. §. 3. (*u*) l. 14, Acq. Rer. dom. (*v*) Vid. ſupr. §. 217. ſeq. (*x*) L. 2, l. 4, l. 6, pr. Rer. div. (*y*) L. 6, §. 1, Eod. (*z*) L. 6, §. 2. Eod. (*a*) L. 1, pr. Rer. div. (*b*) in tit. Rer. div. (*c*) pr. & §. 1. Rer. div. (*d*) §. 6, Inſt. Eod. (*e*) §. 7, Inſt. Eod. (*f*) §. 8. Inſt. R. D. l. 9, pr. & §. 1, Eod. l. f. ut in poſſ. l. Grot. L. 3, c. 5, §. 2, n. 1, L. 1, c. 3, §. 2, n. 2, B. Parens in diſp. de Evoc. Sacr. ſect. 2, §. 20, ſeq. (*g*) d. §. 8. (*h*) d. §. 8, Aliter B. Par. d. diſp. ſect. 2, §. 13, & §. 18.

Digitized by Google

manent profanæ, quia privatis jus conſecrandi non competit. Atque hæc ratio eſt, cur in tali re, ſi furto auferτur, non committatur ſacrilegium. [i]

n. 2. *Res ſacræ* non ſunt in patrimonio ſingulorum, indeque nullius eſſe dicuntur [k], quia in nullius bonis ſunt, nec eſſe poſſunt. Hinc nec alienari, nec obligari poſſunt [l]. Immo nec aliquid in loco ſacro facere, aut immittere licet [m], niſi ornamenti cauſa fiat [n]. Et diſpoſitio de tali re adeo nulla eſt, ut nec æſtimatio, nec pœna inde debeatur; nec ex poſtfacto convaleſcat. [o]

Deſinunt eſſe *res ſacræ I.* ſi ab hoſte occupantur [p]: tunc enim deſinit imperium ejus, qui conſecravit, nec hoſtem obligant leges conſecrationis; etſi eadem quoque hoſtibus ſit religio. [q]

Not. apud Romanos dii tutelares evocari ſolebant, cum hoſtium terras ingrederentur [r]: ſed non ea intentione id fiebat, ut loca capta religione liberarent, & quod crederent fugatis, vel fugientibus Diis ipſo jure res fieri privatas [s]; ſed ut eos ſibi propitios redderent. Religione autem res liberabantur citra evocationem, quia jus conſecrandi, re ab hoſte occupata, ceſſat.

II. Seculariſatione, quando res Deo conſecrata, lege Principis a religione liberatur, adeoque uſui profano reſtituitur. [t]

III. Si res alienantur ex cauſa redemptionis captivorum, &c. [u]

IV. Si res ſacra plane interit [v]: non ſi ædes ſacræ diruuntur; nam locus ſacer manet. [x]

V. Præſcriptione. [y]

§.CCXXXII. RES SANCTÆ ſunt, quæ ſanctione quadam confirmatæ, eaque ſubnixæ [z], i. e. lege pœnali ab injuriis hominum defenſæ, atque munitæ ſunt [a]. Eoque referuntur muri, portæ, fora, theatra, circus, arena [b], legati [c], Tribuni plebis. [d]

Ex *his rebus* tollere aliquid, aut contingere non poſſumus [d]. Hinc in *muros* nihil immittere licet [e], nec aliquid eis conjungere, ſeu ſuperponere [g], nec aliquid in eis ſine conſenſu Principis reficere [h], nec habitare in *muris*, & in *porta* licet. [i]

Hæ res extra patrimonium ſingulorum ſunt, indeque *publici juris* eſſe dicuntur [k], & *nullius*, quia in nullius privati bonis ſunt. [l]

Ex hac deſcriptione *rerum ſanctarum* apparet, res ſanctas ſupponere ſanctionem, i. e. legem pœnalem (illæ enim legis partes quibus pœna conſtituitur adverſus eos, qui contra leges fecerint, ſanctiones vocantur [m]); adeoque

(*i*) L. 9, §. 1, ad Leg. Jul. de peculat. (*k*) §. 7, R. D. l. 1, pr. l. 6. §. 2, R. D (*l*) §. 8, Eod. (*m*) Rubr. & l 1. ff. ne quid in loco ſacr. (*n*) l. 1, §. 2, Eod. (*o*) d. diſp. ſect. 2, § 1, 18, & 19. (*p*) Leg. 36. de Relig. ibique Goth. Dict. diſp. de Evocat. Sacr. 1, § 15, & 16, S. 3, §. 4, & 21. (*q*) Aliter B. Par. in dict. diſp. S. 3, §. 4, ſeq Grot. l. 3, c 5, §. 2, n. 4, & cap. 12. § 6, n. 1. (*r*) l. 9, §. 2, R. D (*s*) Aliter B. Par. dict. S. 1, §. 4, uſque ad §. 18. (*t*) d. diſp. S. 3, §. 22, ſeq § 32, ſeq. (*u*) d. §. 8, Rer. Div. L. 21, C. de ſacr. Eccl. d. diſp. S. 3, §. 26, ſeq. Grot. l. 3, c. 5, §. 2, n. 1, L. 2, c. 19, §. 3, n. 3. (*v*) d. ſect. 3, § 2. (*x*) d. ſect. 3, §. 2, (*y*) l. 9, §. 3, R D. (*z*) d. §. 8, R. D. & l. 23. C de contrah. emt. (*a*) l. 8, l. 9, §. 3, ff. R. D. junct. l. 41, ff. pœn. §. 11, Inſt. R D. B. Par. diſp de legato ſancto c. 1, §. 2, 3, & 4. (*b*) Gajus l. 2, l. 1, §. 2, L. 2, ff. ne quid in loc. ſacr. § 10. (*c*) d. l. 8. §. 2, (*d*) l. 9 §. 5, R. D. (*e*) Gajus ibid. L. 2, ff ne quid in loc. ſacr. (*f*) d. l. §. 2 (*g*) l. 9, §. 5, R. D. (*h*) l. 9, §. 4, R. D. (*i*) l. 3, ne quid in loc. ſacr. (*k*) Gajus d. §. 2. (*l*) l. 1, pr l. 6, §. 2, R. D. §. 7, §. 10, Inſt. Eod. l. 83, §. V. O. l. 182, Reg. (*m*) §. 11. Inſt. R. D. l. 9, §. ff. 3, Eod. l. 41, ff. pœn.

Digitized by Google

que res naturali ratione ſanctas non dari, ſed lege demum conſtitui.

§. CCXXXIII. Res religiosa eſt locus, in quem homo mortuus in perpetuum illatus eſt [n] ab eo, qui jure inferre poteſt [o]. Hinc *cœmeteria* & *cenotaphia* per ſe non ſunt religioſa [p]; nec *ſervitus*, quæ ad ſepulchrum conceditur: nam hæc privati juris eſt, indeque a domino remitti poteſt. [q]

Hæc *religio* ex ſuperſtitione gentilium orta eſt: hi enim animas particulas auræ divinæ eſſe, ſtatuerunt, & ex quo a corpore ſeparatæ fuere, MANES appellaverunt [r]. Hos autem manes obambulare, credebant, circa corpus defunctorum, nec quieſcere illos poſſe, exiſtimabant [s], nec ab inferis recipi [t], niſi ſepulto corpore. Hinc tanta cura Gentibus fuit corpus condendi, ut manes requieſcant, & ſepultura officium humanum dicitur. [u]

Hæ res religioſæ itidem publici juris [v]; & nullius dicuntur, quia in nullius privati bonis ſunt [x], nec eſſe poſſunt; ſed naturaliter locus videtur ad mortuum pertinere. [y]

Etſi vero *loca religioſa* in proprietate, & dominio non ſint, jus tamen in his rebus cuique competere poteſt ad uſus religioſos, uti jus inferendi mortuum, cenotaphia faciendi, &c.

Effectus *rerum religioſarum* eſt, 1. ut *actio* mihi detur *in factum* contra eum, qui mortuum in meum locum infert [z]. 2. Si alius me impedit, leges Romanæ actionem mihi contra eum dant *de mortuo inferendo*. 3. Si quis me prohibeat ſepulchrum ædificare, monumentum exſtruere, cenotaphia erigere, &c. dant actionem *de ſepulchro ædificando*. 4. Si quis expenſas in funus alienum fecit, *actio funeraria* ideo datur. 5. Si quis ſepulchrum violaverit, contra eum datur actio *de ſepulchro violato*.

Res ergo *religioſæ* natura non dantur; & doctrina de *manibus* mera fabula eſt. Sane, ſepultura non eſt jus naturali ratione homini quæſitum: homo deſinit eſſe homo ſi moritur; nec jura dantur mortuorum, ſed viventium. Fruſtra proinde hic quæritur de jure ſuo cuique tribuendo, cum homini mortuo jus quæſitum non ſit, nec natura quæri poſſit. Sed nec viventibus jus quæſitum eſſe, aſſeri poteſt: eorum enim non intereſt, quomodocunque cadaver annihiletur.

At ex rationibus politicis *ſepulturæ* neceſſitas in rebuspublicis bene ordinatis merito introducta eſt.

§. CCXXXIV. *Secundo*, res naturali jure ſunt vel *corporales*, vel *incorporales*. *Illæ* ſunt, quæ tangi poſſunt: *hæ*, quæ tangi non poſſunt; qualia ſunt ea, quæ in *jure* conſiſtunt, uti hæreditas, obligatio, ſervitus, juriſdictio, &c. [a]

§. CCXXXV. *Tertio*, res corporales vel *mobiles* ſunt; vel *immobiles*. *Illæ* ſolo non cohærent: *hæ* ſolo cohærent, vel natura ſua, vel ex deſtinatione hominis. [b]

Res *incorporales* autem nec mobiles ſunt, nec immobiles; ſed ſequuntur naturam rei, cui cohærent. Atque hinc actiones reales ad immobilia referuntur, quia dantur pro obtinenda re immobili. [c]

CAPUT

(*n*) L. 40, l. 42, ff. Relig. (*o*) l. 2, §. 2, Eod. (*p*) l. 6, l. 7, Eod. (*q*) l. 14, §. 1, ſervit. (*r*) Feſtus, voce Manes: Gutherus de jure Man. l. 1, c. 27, & l. 2, c. 9. (*s*) Thomaſin. de don. vet. c. 23, & c. 37. Guther. d. l. 2, c. 36. (*t*) Guther. d. l. 2, c. 10, & 16.

(*u*) Grot. l. 2, c. 19. (*v*) Gajus l. 2, l. 1, §. 2. (*x*) l. 1, pr. l. 6, §. 2, R. D. (*y*) l. 4, ff. Relig. l. 4, C. Sepul. viol. (*z*) Laut. comp. pag. 165. (*a*) L. 1, §. 1, Rer. div. B. Par. hyp. Inſt. de Rer. div. §. 2. (*b*) B. Par. d. §. 2. (*c*) l. 15, §. 3, qui ſatisd. cogunt.

Digitized by Google

CAPUT II.

De differentia inter Imperium, & Dominium.

§. CCXXXVI. ANTEQUAM modos acquirendi dominii explicemus, præmittendum eſt, in rebus terræ duo eſſe occupabilia *Imperium*, & *Dominium*. [d]

Equidem quid ſit *Imperium*, quomodo acquiratur, & quæ inde ſequantur jura, infra examinabimus. Hic ſaltem indigitabimus, quid interſit inter *Imperium*, & *Dominium*; & quodnam jus competat imperanti in *Dominium* ſingulorum.

§. CCXXXVII. IMPERIUM *I.* eſt poteſtas proprio jure competens, ad tuenda jura civitatis.

DOMINIUM eſt facultas domino competens de re ſua pro lubitu diſponendi. [e]

II. Ex jure *Imperii* igitur ſaltem facultas oritur tuendi, & conſervandi perſonas, & res imperio ſubjectas: *Ex Dominio* autem ſequitur facultas etiam perdendi res. [f]

III. Acquiri *Imperium* poteſt, etſi res ſingulæ natura in dominium venire non poſſint. Sane, imperium aëris; aquæ profluentis, maris, &c. [g] habere poſſumus, etſi nec aër, nec aqua profluens, nec mare in *proprietate* noſtra ſint conſtituta.

IV. Occupato *Imperio* nondum videtur occupatum *Dominium*, ſeu proprietas rerum ſingularum (quod etiam de *dominio generali* aſſerimus [h]). Intra fines igitur imperii infinitæ dantur res, quæ nullius ſunt, i.e. quæ in proprietatem nondum venerunt, ut feræ, gemmæ, & lapilli in littoribus inventi, &c. [i]

Hinc *V.* apparet, in occupatione *Imperii* non præciſe requiri, ut res in corporali noſtra poteſtate conſtituatur; ſed ibi ſufficere, ut imperans legem cum effectu rei dicere poſſit. At ad acquirendum *Dominium* præciſe requiritur corporalis rei apprehenſio. Merito igitur JCtus ait, *dominia rerum a poſſeſſione initium ſumſiſſe.* [k]

§. CCXXXVIII. Inſignis autem hujus *imperii* eſt effectus, *tum* circa res communes, quæ plane in dominium ſingulorum venire non poſſunt; *tum* circa res, quæ in ſingulorum proprietatem venire poſſunt, at occupatæ nondum ſunt; *tum* circa eas, quæ in ſingulorum dominio conſtitutæ ſunt.

§. CCXXXIX. PRIMO enim imperans legem dicere poteſt *rebus communibus*, quarum uſus omnibus hominibus patet: ita enim is, qui mare occupavit, (quod commune eſt) velorum ſubmiſſionem a tranſeuntibus exigere, vectigal navigantibus imponere, &c. poteſt: ſed & *aëri* legem dicere, adeoque prohibere poterit, ne quis aucupia exerceat [l], ne quis ædes altius tollat, &c. Denique prohibere poteſt,

(*d*) Grot. l. 2, c. 3, §. 4. (*e*) l. 21, C. Mand. (*f*) dict. leg. l 21. (*g*) l. 50, A. R. D. l. p. Ne quid in loc. publ. (*h*) Differt. procem. VI. §. 19. 24, & 17. (*i*) l. 50, A. R. D. l. 14. pr. Eod. Grot. l. 2, c. 2, §. 17. (*k*) L. 1, §. 1, de Acq. poſſ. (*l*) L. 3, §. 1, A. R. D.

Digitized by Google

teſt, ne in *littoribus*, (quæ ſunt communia) ædificetur absque conſenſu Principis &c. [m]

§. CCXL. SECUNDO, Princeps imperare poteſt, *ne res, quæ in proprietatem noſtram venire poſſunt, occupentur:* atque hac ratione prohibere Princeps poteſt, v. g. ne loca ſterilia, & inculta invito imperante *poſſideantur* [n]; ne uniones, & gemmas in littore legere liceat; ne adespota a privatis occupentur, &c. Sed & talem legem dare poteſt, ut res occupata, & in noſtro dominio conſtituta videatur, etſi vere occupata non ſit. [o]

Bene autem notandum eſt, *uſum juris Gentium* tali lege imperantis impediri non poſſe; adeoque neminem a navigatione, nec a piſcatione, nec ab omnibus illis juribus, quæ in præcedenti ſectione recenſuimus, excludi poſſe.

Neque *obſtat*, experientiam teſtari, Gentes quasdam alias gentes excludere a piſcatione, a facultate legendi uniones, &c. Reſp. Hoc caſu ſupponitur, gentem, quæ alios prohibet, uſum maris, & littorum occupaſſe. Cum enim uſus maris omnibus gentibus communis ſit, ea gens, quæ uſum illum occupavit, jure ſuo utitur; adeoque quamdiu utitur, omnes alios excludere poteſt. Si proinde uſus certo ſaltem tempore recurrit, & gens quædam quotannis piſcationem exercuit, in uſu hoc turbari ab aliis non poteſt, quamdiu utitur.

Atque ex eadem ratione illi, qui publice conduxerunt piſcationem [p], vel eam in feudum a Principe acceperunt [q], prohibere alios poſſunt; quia actu utuntur, adeoque, quamdiu utuntur, alios jure excludunt. Si vero uti deſinunt, res redit in priſtinum ſtatum, i. e. quilibet uſum illum occupare poteſt. (*vid.* §. 3. 238.)

Hinc jam facilis eſt deciſio quæſtionis, an dominus prædii maritimi propellere piſcantes ante ædes, vel prætorium ejus poſſit? Ulpianus id negat, quia mare eſt commune, uti aër; adeo ut injuriarum agi contra dominum prohibentem poſſe, exiſtimet. Leo id affirmat, & jus illud, quod dominum prohibentem actioni injuriarum ſubjicit, iniquum judicat [r]. Prior ſententia jure naturæ vera eſt; & merito JCtus ait, contrarium quidem uſurpari, at nullo jure. Nec repugnat Leonis conſtitutio; is enim ſupponit, uſum occupatum a domino eſſe, quia oras illas loco veſtibuli, ſeu atrii eſſe, ait, cujus uſum dominus poſſident. [s]

§. CCXLI. *Tertio*, effectus imperii inſignis *ratione rerum, quæ in ſingulorum proprietatem venerunt*, hic eſt, ut imperans ex duplici cauſa de hoc dominio diſponere, & rebus illis legem dicere poſſit: nimirum, ob utilitatem publicam, & in pœnam [t]. Nunquam autem extra hos caſus ex plenitudine poteſtatis jus aliis quæſitum auferri poteſt. [u]

CAPUT

(*m*) L. 50, A. R. D. l. p. ne quid in loc. publ. (*n*) Diſſent. Grot. l. 2, c. 2, §. 17. (*o*) Grot. l. 2, c. 2, §. 5. (*p*) L. 13, §. 7. injur. (*q*) Vid. ſupr. §. 121, n. 2. (*r*) Conſt. 56. (*s*) dict. Conſt. 56. (*t*) Grot. l. 2, c. 3, §. 4, n. 2, c. 14, §. 7, 8, 14, c. 13, §. 20, n. 3, c. 25, §. 3, 4. L. 3, c. 20. §. 9. (*u*) Vid. jus meum controv. L. 1, tit. 4, & L. 42, t. 1, q. 10.

Digitized by Google

CAPUT III.

De jure, quod nobis competit in Res terræ Jure Dominii; ubi de Origine Dominii, & de modis ejus acquirendi, agitur.

§. CCXLII. Explicatis differentiis inter *imperium*, & *dominium*, ſupereſt ut exponamus, quomodo res naturali jure fiant *ſingulorum* (*vid. ſupr.* §. 215.). Eo magis autem intereſt vera indigitare principia, quia Grotius [v] increpat JCtos Romanos, quod modos acquirendi in Titulo de *acquirendo rerum dominio* recenſitos juri Gentium, ſeu naturæ tribuerint.

Ex ſequentibus apparebit, omnes illos modos acquirendi dominii vere naturales eſſe, indeque JCtos injuria vapulare. Error Grotii in eo conſiſtit, quod crediderit, JCtos Romanos in omnibus acquirendi modis dominium plenarium, & perpetuum, etiam in re alterius, tribuere. At nunquam id ſenſiſſe JCtos, ex ipſa tractatione apparebit.

§. CCXLIII. Præliminaris autem quæſtio eſt, quænam ſit origo dominiorum, i. e. quomodo in primævo hominum ſtatu res terræ in proprietatem ſingulorum pervenerint? Equidem Grotius [y] in ea opinione eſt, dominia non eſſe a natura, ſed omnes res fuiſſe ab initio communes; & homines demum pacto (tum expreſſo, tum tacito) ab illa communione receſſiſſe: adeoque poſſe quidem dominia, poſtquam facto, & voluntate hominum introducta ſunt, juris naturalis dici, ſed *pro certo rerum ſtatu*. Quam hypotheſin late alibi explicavimus [z], ſimulque communionem illam naturalem rerum refutavimus. [a]

§ CCXLIV. Nos ſtatuimus, res ab initio non *communes*, ſed *nullius*, i. e. in nullius hominum bonis, & proprietate fuiſſe, ac per occupationem demum in dominium ſingulorum perveniſſe.

§. CCXLV. Primo igitur aſſerimus, *res terræ* ab initio fuiſſe *nullius*. Ut enim res in alicujus bonis, & proprietate eſſe dicatur, requiritur, ut poſſeſſionem ejus rei acquiſiverit, i. e. ut facultatem naturalem habuerit rei incumbendi cum animo ſibi habendi [b]: poſſeſſio enim non acquiritur niſi corpore, & animo [c]. Si proinde nunquam facultatem habuit rem tenendi, impoſſibile eſt ut pro lubitu de ea diſponere poſſit. Hinc notanter JCtus ait, *dominia rerum a poſſeſſione initium cepiſſe.* [d]

Certum autem eſt, primum hominem a Deo formatum eo momento nihil proprii habuiſſe. Nulla res in ejus corporalem poteſtatem adhuc pervenit; adeoque nullum jus in eam habuit: nedum igitur in omnes res jus aliquod ſibi arrogare potuit, utpote quæ maximam partem cognitæ ipſi non fuere; adeoque & detentio, & animus ſibi tenendi, deficiebat: fuere igitur res nullius.

n. 1.

(v) l. 2. c. 8 §. 1. (y) L. 2. c. 2. §. 2. n. 5. C. 8. §. 1. n. 2. (z) Vid. Diſſert. proœm. I. cap. fin. & Diſſert. VI. Cap. 1. (a) d. Diſſert. VI. c. 5. §. 3. (b) l. 1. pr. ff. de acq. poſſ. l. 3. §. 13. eod. (c) l. 6. §. fin. de acq. poſſ. l. 3. §. 3. Eod. (d) L. 1. §. 1. A. P.

Digitized by Google

n. 1. Sed & porro ſi res in primævo rerum ſtatu in bonis, & proprietate alicujus fuiſſent, aut *uni* proprias fuiſſe oportet, aut *pluribus*, aut *omnibus*. Non autem fuere propriæ *uni*; uti modo probavimus: nec *pluribus*; tum ex eadem ratione, tum quia per rerum naturam conſtare non poteſt, qui plures illi ſint, quibus, excluſis reliquis, Creator proprietatem rerum terræ conceſſiſſet: nec *omnibus*; quia 1. dictum eſt, nec primum hominem tempore formationis res aliquas detinuiſſe animo ſibi habendi, nec homines ex eo natos aliquid poſſediſſe, dum naſcebantur: adeoque res univerſas eis proprias nunquam fuiſſe, quia nemo dominium acquirit, niſi res in ejus corporali poteſtate conſtituatur. Sed & ſi 2. omnibus hominibus res univerſæ propriæ eſſent, neceſſario inde inferri deberet rerum communio: ea autem poſita infinitæ contradictiones, & difficultates ſequerentur, quas alibi [e] expoſuimus.

Cum igitur res terræ nec *uni*, nec *pluribus*, nec *omnibus* propriæ ſint, *nullius* eſſe oportet.

n. 2. Res natura *nullius* eſſe, JCti Romani paſſim indigitant. Occupationem enim rerum, quæ *nullius* ſunt, juri gentium, quod cum genere humano initium cepit, adſcribunt [f]: adeoque eo tempore, quo genus humanum initium cepit, res *nullius* fuere. Sed & alibi afferunt, littora ita publica eſſe, *uti res, quæ natura proditæ ſunt, nec in dominium pervenerunt* [g]; adeoque exiſtunt res, quæ natura proditæ ſunt, & in nullius dominium adhuc pervenerunt. At hæ res dicuntur *nullius*; quod de littoribus diſertis verbis a JCtis traditur. [h]

§. CCXLIII. Poſito principio, *res terræ nullius*, neceſſario ſequitur, cuique hominum jus eſſe res illas occupandi, & ſuas faciendi. Hoc autem Jus homini naturali ratione quæſitum eſſe, probatur *I.* ex FACTO CREATIONIS. Deus enim cuique hominum non tantum in genere dedit *libertatem*, i. e. facultatem naturalem agendi quicquid lubet, ſed & ſpeciatim cuique conceſſit potentiam arripiendi res terræ, percipiendi fructus, &c. Hæc facultas, hæc potentia, tamdiu licita eſt, donec prohibita probetur.

At talis prohibitio probari nequit, quia res omnes natura ſunt nullius; adeoque nemo eſt, qui jus ſibi in rebus illis arrogare, & occupantes impedire, aut ab uſu illarum rerum repellere poſſit.

II. Jus occupandi res nullius confirmatur ex MOTIBUS cuique hominum a natura inditis. Homines enim anxie ea, quæ ad vitæ neceſſitates pertinent, appetunt, eaſque ſummo ſtudio ad uſus ſuos arripiunt. Homines ergo motus illos ſequendo, juxta voluntatem Creatoris, i. e. jure agunt.

Demonſtratur id jus *III.* ex FINE ACTIONIS CREATORIS. Sane, in eum ſolum finem Deus res terræ creavit, & nulli alii uſui, quam ut homines illis uti poſſint. Atque hoc argumento utitur JCtus [i], cum demonſtrat, homines non eſſe in fructu aliorum: nam, ait, *natura omnes fructus hominum cauſa produxit*. Etſi vero animalium quoque cauſa terræ fructus conditi ſint, verum tamen manet, fructus in uſum hominum con-

ditos

(*e*) Differt. proœem. ad Grot. VI. §. 68 (*f*) l. 1. pr. §. 1. & l. 3. pr. A. R. D. R. Ratione naturali res nullius capientium fieri, traditur in d. l. 3. pr. (*g*) l. 14. A. R. D. (*h*) l. 51. Contr. emt. (*i*) in §. 37. Inſt. de rer. div.

Digitized by Google

ditos eſſe, quia ipſa animalia condita ſunt in uſum hominum. [k]

Præterea *IV.* negari nequit, Deum velle humanum genus conſervari, & propogari: cum vero citra occupationem rerum, quæ ad alendos homines pertinent, humanum genus conſervari non poſſit; ex MEDII NECESSITATE ſequitur, Deum quoque voluiſſe, ut homines res illas in uſus ſuos arripere, eoque ſuas facere poſſint.

Sane, *V.* Ex NATURA ENTIS PERFECTISSIMI certiſſima ratione infertur, Deum, qui res terræ produxit, eaſque in nullius poteſtate conſtituit, immo ſingulis facultatem iis utendi conceſſit, motuſque eas in ſuos uſus convertendi indidit, eumque unicum finem in producendis fructibus manifeſtavit, &c. voluiſſe, ut homines res terræ ſuas faciant; quia vult quidquid agit, nec aliquid *fruſtra* agit.

Denique, & *VI.* USUS OMNIUM GENTIUM indigitat, homines occupando res terræ, eas ſuas facere quatenus nullius ſunt. JCti Romani inter modos acquirendi *juris gentium*, quod ab ipſa ratione naturali procedit, & cum genere humano ortum eſt, referunt *occupationem rerum*, *quæ nullius ſunt* [l]; & Neratius poſtquam aſſeruit, *quod in littore quis ædificavit*, *ejus eſſe*, rationem addit, *quia littora ita ſunt publica*, *ut ea*, *quæ primum a natura ſunt prodita*, *& in nullius dominium adhuc pervenerunt.* [m]

Hinc regulam generalem ſtatuunt, *quod nullius eſt*, *naturali ratione cedere occupanti* [n]. Atque ex hac ratione capta in aere, aqua, & terra, jure gentium, quod cum genere humano initium cepit, fieri capientium, ajunt; quia ſcilicet hæ res nullius ſunt [o]. Hinc quia littora nullius ſunt [p], inventa in littore [q], ac ædificia ibi poſita [r], cedunt occupanti, &c. [s]. Porro mare [t], ejuſque alveum [u], nullius eſſe, ſtatuunt; indeque concluduut, omnia incrementa fluvialia fieri occupantis [v]. Denique ideo novam ſpeciem fieri facientis, docent, *quia id*, *quod factum eſt*, *antea nullius fuit.* [x]

Cum ergo probatum ſit, jus occupandi ex voluntate Creatoris cuique hominum quæſitum eſſe, ſponte inde ſequitur, id, quod occupamus, noſtrum fieri, & alios homines rem a me occupatam auferre mihi non poſſe. Everterent enim *actionem Creatoris*, & factum creationis; prohiberent *motus* a creatore cuique hominum inditos; impedirent *finem*, quem Creator agendo ſibi propoſuit; tollerent *media* ad obtinendum finem neceſſaria; inculparent *perfectiones divinas*, quaſi Deus fruſtra aliquid feciſſet; & denique improbarent id, quod *apud omnes gentes* pro licito habetur. Hinc alibi probavimus, furta, i. e. contrectationes fraudulentas rerum ab aliis occupatarum, communi gentium calculo improbari. [y]

§. CCXLIV. *Cauſa* igitur *dominii*, ſive originarii, ſive derivativi, eſt jus natu-

(*k*) Vid. Diſſert. procem. X. §. 8. lit. h. (*l*) L. 1. pr. junct. l. 3. pr. A. R. D. (*m*) l. 14. ff. Acq. rer. dom. (*n*) L. 1. pr. & §. 1. junct. l. 3. pr. A. R. D. (*o*) d. l. 1. §. 1. & l. 3. pr. d. l. 14. (*p*) d. l. 14. l. 51. ff. Contr. emt. (*q*) l. 2. ff. Rer. div. (*r*) l. 14. A. R. D. (*s*) Vid. ſupr. § 221. n. 1. (*t*) d. §. 5. l. 30. §. f. A. R. D. (*u*) §. 1. Inſt. Rer. div. (*v*) Vid. ſupr. §. 220. ſeq. (*x*) l. 7. §. 7. A. R. D. (*y*) Grot. l. 1. c. 1. §. 10. n. 4. ibique not.

naturæ, i. e. voluntas Creatoris, qui cuique hominum facultatem conceſſit res hujus terræ occupandi, ſuaſque faciendi, & de occupatis diſponendi.

§. CCXLV. *Subjectum dominii* ſunt homines ratione præditi: unde dominium acquirere non poſſunt bruta, infantes, furioſi, ſumme ebrii, &c.; deficit enim animus ſibi tenendi.

§. CCXLVI. *Objectum* ſunt res corporales, quæ in proprietatem venire poſſunt, mobiles, & immobiles [z]: non vero res incorporales; nec juria univerſitatis, niſi quatenus corpori cohærent [a]; nec res natura communes. [b]

§. CCXLVII. *Effectus* dominii acquiſiti *intuitu domini* ſunt, 1. ut quilibet homo de re occupata pro lubitu diſponere, eamque in alium transferre poſſit. Cum enim omne jus in illam rem ſit penes ſolum occupantem, nemini injuria fit illa diſpoſitione, & nemo jus contradicendi ſibi arrogare poteſt. Atque hoc principio nititur regula illa JCtorum, *nihil tam naturale eſſe, quam voluntatem domini rem ſuam in alium transferre volentis, ratam habere.* 2. Quod omnia licita ſint, ſine quibus diſpoſitio illa exitum habere nequit; adeoque dominus defendere poteſt rem ſuam contra vim aliorum, etiam cum internecione vim inferentis, ſi aliter defendere nequit: immo & vindicare, & repetere eam poteſt a quocunque, qui rem illam ſine cauſa tenet.

n. 1. Actio, quæ ex dominio oritur, JCtis dicitur *rei vindicatio* [c]: per quam rem ipſam, ejuſque dominium a quocunque poſſeſſore vindicamus, cum fructibus pendentibus, utpote qui ſunt pars rei.

n. 2. Si fama mihi compertum eſt, rem meam penes alium, qui forte id negat, exiſtere, jure naturali quoque *actio* mihi competit *ad exhibendum*; idque ex medii neceſſitate. Rem enim meam vindicare non poſſum, niſi prævia exhibitione conſtet, eam meam eſſe; unde hæc actio præparatoria rei vindicationis dicitur. [d]

n. 3. Equidem Dominus jure naturæ præterea a poſſeſſore rei ſuæ etiam fructus ſeparatos, conſumtos, percipiendos, omneque id, quod intereſt, repetere, immo ad omne damnum culpa, vel dolo in re datum, agere poteſt: at hæ actiones non ſunt reales, nec ex jure in re oriuntur, quia fructus ſeparati, &c. nunquam mei fuere; ſed hæ præſtationes ſequuntur vel ex delicto, vel ex variis cauſarum figuris. Jure Romano tamen cautum eſt [e], ut in judicis arbitrio ſit, ſi poſſeſſor ad mandatum non reſtituat, etiam de illis judicare. Unde *rei vindicatio* dicitur arbitraria.

§. CCXLVIII. *Effectus* dominii *intuitu aliorum* eſt, ut [*a*] illi facultatem pro lubitu de re mea diſponendi impedire, & turbare nequeant. Sane, cum Deus cuique hominum facultatem dederit rem occupandi, & de re illa diſponendi, alii facultatem hanc a Creatore conceſſam turbare, & hoc jus naturali ratione quæſitum occupanti auferre abſque injuria non poſſunt; quia conceſſionem divinam interverterent, & jus ſuum cuique non tribuerent. [*b*] Ut ſi rem alterius, etiam bona fide, tenent, eam domino reſtituere teneantur, quia jus alienum tenent.

Hæc

(z) l. 1. pr. & §. 1. R. V. §. 1. in f. Inſt. de Act. (*a*) l. 56. ff. R. V. (*b*) Vid. ſupr. §. 216. ſeq. (*c*) Tot. tit. ff. Rei vind. (*d*) Tot. tit. ad exhibend. (*e*) l. 10. uſur. l. 25. §. 8. Ædil. edict. l. 68. R. V. Laut. Comp. p. 117.

Hæc autem reſtituendi neceſſitas deſinit ſi poſſeſſor rem hanc alienam non amplius tenet, ſed eam, etiam pendente lite, alienat. Actor enim rem vindicare non poteſt, niſi a poſſeſſore; & reus reſtituere per rerum naturam non poteſt rem, quam non tenet. (*Vid.* §. *præced.*)

§. CCXLIX. Ultimo loco notandum eſt, dominium acquiri poſſe vel plene, vel ſub certis legibus: v. g. [*a*] ſub lege cenſus; unde bona cenſitica, emphyteutica, &c: [*b*] ſub lege fidelitatis, & ſervitiorum; quo pertinent feuda. Atque hæc negotia valent juxta leges pacti. [f]

De modis amittendi dominii infra *ſectione finali* agemus.

§. CCL. Dominium, ſeu rei proprietatem, jure naturæ variis acquirimus modis; & quidem 1. ex facto noſtro, 2. jure rei noſtræ, 3. per continuationem familiæ, i. e. jure ſucceſſionis ab inteſtato: non vero 4. per præſcriptionem, nedum 5. per teſtamentum. De quibus ſingulis nunc agemus.

SECTIO I.

De acquiſitione dominii ex Facto noſtro.

§. CCLI. FACTO noſtro dominium acquirimus, 1. *occupatione* rei, quæ nullius eſt: 2. *ſpecificatione*; quo etiam pertinet *confuſio*, & *commixtio*: 3. *occupatione* rei hoſtilis: 4. *perceptione fructuum* ex re aliena: 5. *traditione*.

§. CCLII. *Primo* igitur jus in re acquirimus *per occupationem rei nullius*. OCCUPATIO eſt actus, quo rem, quæ nullius eſt, in poteſtatem, & cuſtodiam ea intentione redigimus, *ut res ipſa noſtra ſit.* [g]

§. CCLIII. In præcedentibus demonſtravimus, ab initio rerum omnes res hujus terræ fuiſſe nullius, i. e. in nullius bonis, & proprietate (§. 24[illegible].); adeoque unicuique jus competiiſſe res illas occupandi, eaſque ſuas faciendi, (§. 143.). Certum igitur eſt, occupationem eſſe modum acquirendi naturalem. Unde JCti Romani quoque eam retulerunt ad jus gentium, quod cum ipſo genere humano ortum eſt [h]. Hæc occupatio recte dicitur acquiſitio originaria [i], quia in primo hominum ſtatu hic modus unicus fuit, quo res in proprietatem hominum tranſiit.

§. CCLIV. Requiritur autem ad hanc acquiſitionem, ut res in poteſtate noſtra corporali ſit conſtituta, ita ut facultatem naturalem habeamus rei inſiſtendi. Nam per dominium intelligimus facultatem pro lubitu de re diſponendi, eam perdendi, &c. [k]. Hanc facultatem in actum deducere non poſſumus, niſi res ita occupata ſit, ut in noſtra cuſtodia ſit poſita. Hinc notanter JCti Romani ajunt, *dominia rerum ex poſſeſſione naturali originem cepiſſe* [l], quia per poſſeſſionem demum res ſub noſtra cuſtodia conſtituitur. [m]

Hinc jam apparet, nondum rem occupatam eſſe; adeoque nec noſtram dici poſſe: *I.* ſi animum ſaltem habemus rem occupandi, quia ſolo animo poſſeſſio non acquiritur [n], adeoque nec dominium. *II.* Non ergo viſus ſolus ſufficit

(*f*) B. Par. in hyp. Inſt. tit. Loc. cond. §. 6. Grot. L. 2. c. 6. §. 1. §. 9. & §. 14. & c. 8. §. 1. (*g*) L. 55. ff. de A. R. D. junct. §. 11. Inſt. de R. D. B. Par. Hyp Inſt. tit. de R. D. §. 19. (*h*) L. 1. pr. ff. A. R. D. (*i*) Grot. L. 3. c. 2. §. 1. (*k*) l. 21. C. Mand. (*l*) L. 1. §. 1 Acq. poſſ. (*m*) L. 3. §. 3. & §. 17. l. 1. pr. l. 47. ff. Acq. poſſ. (*n*) L. 3. §. 3. Acq. poſſ.

Digitized by Google

ſufficit [o]. Nec *III.* per jactum teli res, quæ antea nullius fuit, in noſtra poteſtate conſtituitur [p]. E contrario, occupata cenſetur *IV.* fera, quæ laqueo capta ſe amplius extricare nequit [q]. *V.* Piſces in piſcinis, non vero in rivis privatis [r]. *VI.* Feræ in vivariis, non vero in ſylvis circumſeptis [s]. *VII.* Res hoſtiles, quæ intra fines noſtros pervenerunt. [t]

§. CCLV. Occupare, i. e. dominium acquirere poſſunt omnes, qui maturum judicium habent, & rem, quæ nullius eſt, animo ſibi habendi occupant; non ergo furioſi, nec infantes.

§. CCLVI. Verum, & per alios rem, quæ nullius eſt, occupare poſſumus. Quod variis modis contingere poteſt.

Primo enim liberæ perſonæ, quæ in piſcando, aucupando, venando, margaritas legendo, &c. operam ſuam aliis addixerunt, ſtatim quod acceperunt acquirunt ipſis, quibus operam navant [u]. Sane, poſſeſſionem per alios acquiri poſſe, JCti aſſerunt [v]. Ratio eſt, quia naturaliter homo hominis alterius volens volentis inſtrumentum eſſe [x], i. e. ita de actionibus ſuis diſponere poteſt, ut voluntas ſua ab alia pendeat [y]. Atque hoc caſu actio non eſt agentis, ſed cauſæ; & commodum actionis non ad inſtrumentum pertinet, ſed ad cauſam.

§ CCLVII. *Secundo*, acquirimus dominium, etiam ignorantes, ſi res ab illis noſtro nomine occupatur, qui in poteſtate noſtra ſunt; nimirum, a ſervis, ac filiis familias [z]. Hinc verum non eſt, quod Grotius [a] ait, *diſcrimen, quod traditur inter liberas perſonas, & ſerviles, circa acquiſitiones eſſe juris civilis, & ad acquiſitiones civiles pertinere.* Nam ſervus naturali ratione eſt inſtrumentum domini, quia omnes facultates naturales agendi ſervi alterius dominio ſubſunt; quod egregie teſtatur Democritus. [b]

§. CCLVIII. *Tertio*, imperantes acquirunt omnia, quæ a ſubditis bello capiuntur; quia ſubditi ſunt inſtrumentum imperantium [c]: quicquid enim in bello agunt, jure, & nomine imperantis agunt. Hinc admitti non poteſt diſtinctio, quam Grotius affert, inter res mobiles, & immobiles: quaſi res *immobiles* demum captæ cedant Principi; *mobiles* autem, quæ extra miniſterium publicum capiuntur, occupanti [d]. Nam utrobique eadem eſt ratio. Cauſa belli ad imperantem pertinet; ſubditi ejus jure, & nomine agunt: quicquid igitur tanquam inſtrumentum imperantis occupant, non ſibi, ſed cauſæ acquirunt; adeoque ſubditi ſemper, quæ capiunt, actu bellico capiunt: quo caſu ipſe Grotius fatetur, capta acquiri imperanti. [e]

§. CCLIX. *Quarto*, Tutores quoque, & curatores, (quibus naturali ratione defenſio earum perſonarum injuncta eſt, quæ ſe ipſas defendere, rebuſque ſuis præeſſe nequeunt) quæ occupant nomine pupillorum, &c. his acquirunt. [f]

§. CCLX.

(*o*) Vid. jus meum controv. tit. de. Acq. rer. dom. q. 1. (*p*) Vid. Ærod. Rer. jud. l. 5. c. 1. (*q*) §. 13. Inſt. Rer. div. (*r*) l. 3. §. 14. Acq. poſſ. (*s*) d. l. 3. §. 14. (*t*) Grot. l. 3. c. 6. §. 3. (*u*) Grot. l. 3. c. 6. §. 9. n. 1. (*v*) L. 49. §. ff. A. P. l. 34. §. 1. l. 1. §. 20. Eod. L. 53. ff. A. R. D. (*x*) Grot. L. 3. c. 6. §. 9. n. 1. L. 1. c. 5. §. 3. Grot. d. §. 3. (*z*) L. 1. §. 5. A. P. l. 4. l. 46. Eod. (*a*) d. c. 6. §. 9. n. 2. add. l. 1. c. 5. §. 3. (*b*) apud. Grot. d. c. 5. §. 3. (*c*) Grot. l. 1. c. 5. (*d*) Grot. l. 3. c. 6. §. 10. 11. 12. (*e*) d. c. 9. §. 14. (*f*) L. 1. §. 3. §. 20. A. P.

Digitized by Google

§. CCLX. Occupari poſſunt Res nullius, i. e. quæ in nullius bonis, & proprietate ſunt. Si enim alius jam occupavit, ei jus voluntate Creatoris (utpote qui cuique hominum propriam facultatem occupandi conceſſit) quæſitum eſt, quod illi abſque injuria auferri nequit.

§. CCLXI. Inter res, quæ Nullius dicuntur, *quædam* ita nullius eſſe, diximus, ut ipſa proprietas occupari poſſit; *quædam* ita, ut proprietas acquiri non poſſit, ſed ſolus uſus. In *illis* res ipſa per occupationem noſtra fit; in *his* uſus ſaltem.

§. CCLXII. Res, quæ ſua natura occupari non poſſunt, ſunt 1. mare; adeoque & aqua marina, alveus, & littora: 2. flumina publica; adeoque aqua profluens, alveus, & littora fluminis: 3. aer: & 4. via publica. [g]

n. 1. Mare tribus partibus conſtat: *aqua marina*, *alveo*, *& littoribus*; de quarum occupatione quæri poteſt. *Aqua marina* occupari natura nequit; cujus rei rationem ſupra §. 219. expoſuimus.

Alveus maris itidem propter naturam rei occupari non poteſt. Res enim noſtra tunc demum fit, quando facultas naturalis nobis competit rei inſiſtendi: at per rei naturam poſſideri non poteſt alveus quamdiu aqua tegitur [h]. Quod adeo verum eſt, ut locus, quem mare inundat, deſinat eſſe meus, & fiat publicus. [i]

Littora poſſunt quidem occupari ſua natura, quia aqua non perpetuo teguntur: at cum ad uſum maris neceſſaria ſint, eatenus in proprietatem venire non poſſunt. Hinc JCti dum mare, & littora ad res communes referunt, notanter addunt, *mare*, *& per hoc littora maris*: ut, nimirum, littora communia ſint, *quatenus littora ad uſum maris pertinent*. Cum enim Creator maris uſum communem eſſe voluerit, ex medii neceſſitate ſequitur, etiam littorum uſum communem eſſe voluiſſe, quia ſine littoribus uſus maris exerceri non poteſt.

Certum ergo eſt, mare occupari non poſſe, nec totum [k], nec pro parte. [l]

n. 2. Eadem ratio eſt in Fluminibus publicis. Nam hæc quoque conſtant ex *aqua profluente*, *alveo*, *& ripis*.

Aquam profluentem occupari non poſſe, ſupra §. 218. oſtendimus.

Sed & *alveus* propter naturam rei, & quia poſſideri nequit [m], in proprietatem noſtram venire non poteſt [n]; adeo ut is, cujus ager inundatur, poſſeſſionem agri [o], & ſi flumen novum alveum facit, dominium quoque perdat [p]. Hinc JCtus ait, *impoſſibile eſſe ut alveus non ſit publicus*, *ſi flumen publicum eſt.* [pp]

Ripas fluminis publici occupari non poſſe, vel ex eo conſtat, quia earum uſus ad uſum fluminis publici neceſſarius eſt; adeoque eadem ratio hic obtinet, quæ in littoribus: nimirum, quod occupari non poſſint, quatenus ad uſum fluminum pertinent.

Hinc jam facile colligitur, littora maris, ripas, ac alveum fluminis publici, *extra uſum publicum maris*, & *fluminum*, occupari natura poſſe. Sane, jure Romano inſulæ in flumine natæ, & alvei derelicti, cedebant vicinis, quibus flumen pro limite datum eſt [q]. Sed

(g) Vid. ſupr. §. 2, 7, & ſeq. (h) L. 12, §. 2, reb. aut. jud. (i) l. p ff. Rer. div. (k) Grot. l. 2, c. 2, §. 3, c. 3, §. 8, & 9. (l) Diſſent. Grot. d. c. 2, §. 3, d. c. 3. §. 10, 11, & 12. (m) d. l. 12. (n) Vid. ſupr. §. 220. (o) L. 3, §. 17, l. 30, §. 3, A P. (p) L. p. ff. Rer. div. (pp) L. 1, §. 7, de flum. arg. l. pen. Rer. div. (q) Vid. ſupr. §. 222.

Digitized by Google

Sed & hodie littora (*der Strand*) in feudum dari ſolent nobilibus, qui prædia mari vicina poſſident.

n. 3. AER quoque occupari per rerum naturam nequit: uſus enim aëris omnibus hominibus patet. Hinc unuſquiſque aucupium in quocumque loco, etiam alieno, exercere poteſt; cuique licet ædes ſuas tollere in infinitum, nec alius ædificantem prohibere poteſt, &c. [r]

n. 4. Denique VIA PUBLICA quoque occupari, i. e. tranſitus impediri nequit; quia jus tranſeundi per vicina territoria eſt jus commune hominum [s], quod nemo eis auferre poteſt.

n. 5. In his igitur rebus, quæ ſua natura occupari, i. e. in ſingulorum dominium venire non poſſunt, uſus neceſſario omnibus hominibus *communis* eſt, quia nemo eſt, qui jus prohibendi alios ſibi arrogare poſſit (§. 216.). De littoribus ait JCtus, ea nullius eſſe, & ideo omnibus vacare [t]. Atque hæc ratio eſt: cur hæ res dicantur *publicæ Jure Gentium*, quia omnibus gentibus patent, nec ullus hominum ab hoc uſu excludi poteſt. (*d.* §. 216.)

n. 6. Equidem IMPERIUM in has res, quarum proprietas naturali ratione noſtra fieri nequit, occupari poteſt; cujus effectus eſt, quod imperans legem dicere poſſit circa uſum illarum rerum, quatenus non pertinet ad uſum publicum. Sic Leges Romanæ prohibuerunt, ne littora occupari poſſint, etiam extra uſum maris; ne ædificia ibi ponere liceat abſque Prætoris conſenſu, &c. [u]

§. CCLXIII. Ad res, quæ NULLIUS ſunt, at occupari poſſunt, omnes reliquæ res referuntur, quæ ſua natura in ſingulorum proprietatem venire poſſunt, & quæ ab aliis nondum occupatæ ſunt, vel in aliorum dominio eſſe deſierunt.

n. 1. Tales res, quæ in dominium nondum pervenerunt, ſunt *I.* feræ [v], quæ ſcil. ſua natura non niſi vi in noſtra poteſtate manent [x]. Hæ igitur ubicunque capiuntur, etiam in alieno, fiunt capientis. [y]

Cur ergo domino fundi datur actio injuriarum contra capientem, ſi hic ſuo jure utitur, & feram, quæ nullius eſt, occupando ſuam facit [z]? Reſp. Duo hic ſunt actus: 1. occupatio feræ, quæ licita eſt, quia hactenus domino (cujus fera nunquam fuit) non fit injuria: 2. ingreſſus in alienum fundum invito domino; qui actus eſt illicitus. Ingrediens enim contra jus domini agit, adeoque propter hanc injuriam conveniri actione injuriarum poteſt. [a]

Ex his principiis ſolvitur antinomia, quæ hactenus extricata nondum eſt, inter Leg. 9. §. 5. ff. Uſufr. & l. 26. ff. Uſur. In *priori* Ulpianus ait, *venationis quoque uſum pertinere ad fructuarium*: in poſteriori Julianus aſſerit, *venationem non eſſe fructum fundi.* Utrumque verum eſt: feræ enim non ſunt utilitas, quæ ex fundo provenit; adeoque recte Julianus ait, venationem non eſſe fructum fundi: at quia feræ ſunt res nullius, fructuarius ſi feram capit, eam ſuam facit jure gentium. Neque domino fit injuria, quia fera nunquam in proprietate domini fuit; quæ ratio diſerte a Tryphonino allega-

(r) Vid. ſupr. §. 217. (s) Vid. ſupr. §. 225. (t) L. 51, ff. Contr. emt. (u) Vid. ſupr. §. 228, 238. (v) L. 14, ff. A. R. D. junct. l. 1. Eod. (x) L. 1, §. 1, l. 3, ff. A. P. l 2, Pro ſuo (y) Vid. ſupr. §. 217, & l. 13, ff. de injur. (z) L. 13, ff. injur. §. 12, Inſt. Rer. div. (a) d. L. 13, Conf. Nov. Leon. 56.

allegatur [b]: *uſuſructuarium venari in ſaltibus, vel montibus poſſeſſionis, probe dicitur; nec aprum, aut cervum, quem ceperit, NB. proprium domini capit; ſed fructus aut jure civili* (nimirum quatenus ex fundo proveniunt) *aut gentium* (quatenus rem nullius occupat) *ſuos facit.*

n. 2. *II.* Res quoque nullius ſunt (adeoque occupatione noſtræ fiunt) [α] *inventa in littore* [c], [β] *theſaurus*, qui eſt vetus depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ita ut jam dominum non habeat [d]: cedit igitur inventori tanquam res nullius, quia paria ſunt, non eſſe dominum, & non apparere; idque verum eſt, ſive in ſuo, ſive in alieno inveniat.

Jure Romano 1. domino loci, ſive publici, ſive privati, dimidia tribuitur. 2. Si quis data opera, in alieno loco, vel ſacro, theſaurum quæſivit, portio inventoris in pœnam fiſco tribuitur. 3. Si quis vetitis artibus theſaurum, etiam in ſuo, quæſivit, fiſco cedit. [e]

[γ] *Res pro derelicto habitæ* [f]. Cum enim dominus ea mente rem abjiciat, ut in numero rerum ſuarum eſſe nolit, res redit in priſtinum ſtatum, i. e. fit nullius. Ad *derelicta* pertinent etiam ea, quæ in tempeſtate navis levandæ cauſa ejiciuntur [g]; niſi ejiciens expreſſe declaret, ſe hoc animo, ut ſi ſalvum foret haberet, ejeciſſe: hoc enim caſu inventor, cui de eo conſtat, & rem non reſtituit, furti tenetur. [h]

Non vero *pro derelictis* habentur quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt; nec quæ levandæ navis cauſa in tempeſtate ejiciuntur: ſi ſcilicet dominus declaret, eo animo ſe abjicere. [hh]

[δ] *Adeſpota*, ſeu res hero carentia. [i]

§. CCLXIV. Species occupationis *II.* eſt SPECIFICATIO; quando, nimirum, ex aliena materia noſtro nomine novam ſpeciem conficimus. [ii]

Equidem nota eſt diſſenſio Scholarum apud Romanos. *Sabinus*, & *Caſſius* ſtatuerunt, dominum materiæ etiam dominum eſſe ſpeciei, quæ ex materia facta eſt; quia ſine materia nulla ſpecies effici poſſit [k]. Econtrario *Nerva*, & *Proculus* docuerunt, eum eſſe dominum, qui fecerit, quia quod factum eſt, (i. e. nova ſpecies) antea nullius fuit.

n. 1. *Paulus*, aliique, mediam ſententiam amplexi ſunt diſtinguendo, an ſpecies nova ad priſtinam materiam reverti poſſit, an non. *Priori caſu*, dixere, priſtinam formam mutatam quidem eſſe, ſed non extinctam [m]; rem eandem manere [n]: indeque rem priori domino ſalvam eſſe [o]. *Poſteriori caſu* rem ipſam quodammodo extingui, & interire putarunt [p], novamque ſpeciem (quæ antea nullius

(*b*) L. 62, ff. uſufr. (*c*) §. 18, de Rer. L. 3, ff. Eod. (*d*) l. 31, §. 1, de A. R. D. §. 12, Inſt. Rer. div. (*e*) L. un. C. de theſaur. §. 39, inſt. Rer. div. (*f*) §. 46. inſt. R. D. L. 43, §. 10. furt. B. Par. hyp. inſtit. tit. de rer. div. §. 60, & 61. (*g*) l. 43, §. 11. furt. (*h*) ibid. Conf. §. 47, & 48, R. D. qui ex d. l. 43, explicari debent. (*hh*) d. l. 41, §. 11, d. §. 48. (*i*) Grot. l. 2, c. 8, §. 5, 6, 7. (*ii*) §. 25, inſt. Rer. d. l. 7, §. 7, A. R. D. l. 27, §. 1, eod. l. 27, §. 21, A. Poſſ. (*k*) L. 7, §. 7. A. R. D. Grot. l. 2, c. 3, §. 3. (*l*) d. l. 7, §. 7. (*m*) L. 24, A. R. D. (*n*) L. 76, judic. (*o*) l. 9, §. 3, ad exhib. l. 7, §. 7, A. R. D. l. 5, §. 1, R. V. (*p*) L. 9, §. 3, Ad exhib. §. 26, R. D. l. 13, §. 1, V. S. l. 5, §. 1. Rei vind, arg. l. 26, ff. de judic. l. 6, §. 1, aur. leg. l. 23, §. 5, R. V. aliam rem factam eſſe, ibid. l. 26, §. 1, A. R. D. l. 61, pr. Rei vind.

lius fuit [q]) facto facientis demum incipere eſſe in rerum natura [r]; & nihil proinde hic eſſe, quod priſtinus dominus vere ſuum dicere poſſit [s]: indeque concludunt, dominium rei per ſpecificationem acquiri facienti. [t]

Atque hanc mediam ſententiam approbavit Juſtinianus, eique vim legis perpetuæ dedit. [u]

n. 2. Equidem de *poſteriori caſu*, quando ſcilicet forma rei ita mutata eſt, ut ad priſtinam ſpeciem reverti non poſſit, ratio naturæ certa eſt. Nam 1. verum eſt, ſpeciem priorem in perpetuum deſiiſſe [v], eoque omne jus prioris domini in illam ſpeciem extinctum eſſe: quod plenius demonſtrabimus infra, ubi de modis amittendi dominii agetur. 2. Certum eſt, novam ſpeciem nunquam prioris domini fuiſſe [x]; facto enim alterius demum in rerum natura eſſe incipit [y], cum antea nullius fuerit [z]. Si proinde dominus ille materiam vindicaret, ſimul vindicaret novam hanc ſpeciem, quæ ante nunquam ejus fuit. Sane, 3. res aliter exitum habere non poteſt: duo hic concurrunt jura, jus materiæ, & jus formæ; in illam ſolus dominus, in hanc ſolus faciens jus habet: utrique res tribui non poteſt. In hoc igitur jurium concurſu, merito præfertur dominus formæ præſentis: neque alteri injuria fit, quia pretium materiæ, omneque id, quod intereſt, faciens ei reſtituere debet.

Atque hæc jure naturæ obtinent, etſi mala fide nova ſpecies facta ſit; nam eædem rationes ſubſiſtunt. Jure Romano vero in pœnam malæ fidei id mutatum eſt [a]; & hoc caſu regula obtinet, *quod ex re noſtra ſit, noſtrum eſſe.* [b]

Per *ſpecificationem* igitur acquirimus [*a*] multum, quod ex alieno vino confecimus: [*b*] oleum, quod ex alienis olivis, vel nucibus expreſſimus: [*c*] veſtimentum, quod ex aliena lana texuimus [c]: [*d*] mulſum ex melle, & vino alieno compoſitum [d]: [*e*] emplaſtrum, quod ex medicamentis alienis confecimus [e]: [*f*] maſſam ex ſcypho alieno factam [f]: [*g*] navem ex arbore aliena fabricatam. [g]

In omnibus enim his caſibus ſpecies facta ad priſtinam materiam reverti non poteſt: Adeoque res acquiritur facienti jure ſpecificationis; niſi res jure acceſſionis cedat rei prævalentiori [h]. De quo caſu infra agetur. [i]

Neque *obſtat*, rationem naturalem magis efficere, ut qui materiæ dominus fuerit, idem ejus quoque, quod ex eadem materia factum eſt, dominus ſit: quia ſine materia nulla ſpecies fieri poſſit; quæ eſt ratio Sabini, & Caſſii [k]. Reſp. Verum hoc eſſe quamdiu materia illa non novam induit qualitatem; nam nova hæc qualitas, quæ antea non fuit, domino materiæ nunquam propria fuit. Sane, veſtimentum non amplius eſt lana, & oleum non poteſt appellari oliva, &c. [l]

n. 3.

(*q*) L. 24, ff. A. R. D. (*r*) l. 7, § 21, A. D. (*s*) l. 27, §. 1, A. R. D. (*t*) l. 27, §. 1. A. R. D. (*u*) §. 26, Rer. div. (*v*) L. 9, §. 3, ff. ad exhib. ibi: nam mutata forma prope interiit ſubſtantia rei. l. 26, R. D. l. 13, §. 1, V. S. l. 5, §. 1, de R. V. (*x*) l. 27, §. 1, Acq. rer, dom. (*y*) l. 7, §. 21, Acq. poſſ. (*z*) l. 7, §. 7, Acq. rer. dom. (*a*) L. 12, §. 3, ad exhib. §. 12, inſt. rer. div. (*b*) l. 9, §. 3, ad exhib. (*c*) l. 26, A. R. D. (*d*) l. 7, §. 7, A.R.D. §. 25, inſt. R. D. (*e*) dd. ll. (*f*) L. 9, §. 3. ad exhib. (*g*) l. 26, A. R. D: (*h*) §. 26, R.V. (*i*) Vid. cap. ſeq. (*k*) Conf. Grot. d. l. 2, c. 2, §. 3. (*l*) d. l. 7, §. 7.

Digitized by Google

n. 3. De *priori* caſu, ſi ſcilicet materia ad priſtinam formam redire poteſt, res magis dubia videtur; quia priſtina forma non exſtincta eſt, adeoque rem interiiſſe aſſeri nequit. Verum, eadem ratio jure naturæ hic obtinet, ut ſcilicet dominium acquiratur facienti, quamdiu res ſeparatæ non ſunt. Sane, in acquiſitione, quæ fit per acceſſionem, Juſtinianus id admiſit; etſi enim ſeparari acceſſio poſſit, nihilo minus dominium acquiri voluit domino rei principalis, quamdiu ſeparata non eſt. Nulla autem ratio dari poteſt, cur in priori caſu ei, qui novam ſpeciem fecit, denegaverit dominium, in poſteriori caſu autem illud admiſerit, cum utrobique eadem ſit ratio: quod plenius infra demonſtrabimus.

§. CCLXV. Alia occupationis ſpecies *III.* eſt, quæ fit per CONFUSIONEM, & COMMIXTIONEM: ſi non ex aliena materia ſola novam ſpeciem confeci, ſed ſi partim ex mea, partim ex aliena materia, ſive liquida, ſive ſolida, per *confuſionem*, aut *commixtionem*, novam ſpeciem produxi; adeoque ſi non ſolam operam, ſed & partem materiæ præſtiti: uti ſi ex meo vino, & alieno melle, mulſum miſcui; aut ex meis, & alienis medicamentis emplaſtrum, aut collyrium; aut partim ex mea, partim ex aliena lana, veſtimentum feci [m]. Species enim priſtina perit. [o]

Per hanc *confuſionem*, & *commixtionem*, itidem acquiritur rei dominium ei, qui ſuo nomine novam ſpeciem miſcendo, vel confundendo, fecit [p]; quod itidem jure naturæ verum eſt, etſi res ad priſtinam ſpeciem reverti poſſit.

n. 1. Aliud igitur obtinet, nec res mihi acquiritur per *confuſionem*, & *commixtionem*: 1. ſi ego non meo nomine, ſed vel nomine communi, vel caſu, novam ſpeciem ex mea, & aliena materia conficio; tunc enim res fit communis [r]: 2. Jure Romano, ſi res reverti ad priſtinam ſpeciem poteſt; uti ſi plumbum cum argento mixtum eſt [s]: 3. ſi ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant; uti ſi æs, & aurum miſcentur [t]; item ſi mea, & aliena grana, olea, vina, greges, confunduntur [u]: adeoque ubi prior ſpecies non perit, nec nova ſpecies oritur [v]. Hoc caſu igitur quilibet ſuam partem vindicat; & ſi res difficulter ſeparari poſſint, res vero unius majoris pretii fuerit, id, quod pluris eſt, æſtimare, ejuſque reſtitutionem petere poteſt. Apud. Romanos id arbitrio judicis relinquebatur. [x]

n. 2. Non tamen credendum eſt, facientem ſive bona, ſive mala fide, lucrari hanc novam ſpeciem: id enim pugnaret cum æquitate naturali, quia locupletior fieret ex re aliena, & cum alterius jactura. Ratio igitur naturalis dictat, jus, quod facto meo alii aufertur, reparandum, i. e. cum res ipſa reſtitui non poſſit, tantundem ei reſtituendum eſſe. Unde JCti Romani ei, qui jus ſuum facto alterius amiſit, actionem in factum dedere. [y]

§. CCLXVI.

(*m*) Inſt. de rer. div. §. 25. (*o*) d. l. 5, §. 1, rei vind. (*p*) l. 5, §. 1, ff. rei vind. d. §. 25. (*q*) Vid. §. præced. (*r*) §. 27. & 28, inſt. R. D. l. 5, §. 1, ff. R. V. (*s*) d. l. 5, §. 1, R. V. (*t*) l. 5, §. 1, R. D. ubi negativa delenda, vid. Goth. ibid. propter l. 12, §. 1, A. R.D. (*u*) d. l. 5, & §. 28, Inſt. R. D. (*v*) dd. ll. (*x*) d. §. 28. (*y*) L. 23, §. 5, Rei vind.

§. CCLXVI. *III.* Facto noſtro dominium acquirimus per OCCUPATIONEM REI HOSTILIS; cum enim ex judicio civitatis noſtræ hoſtis injuria reparationi juris noſtri reſiſtat [z], vel injuria nos aggrediatur, adeoque prædoneo more perſonas, jura, & bona civitatis noſtræ violet, merito ad reparationem damni, & injuriæ contra hoſtem, raptorem, homicidam, &c. bello agere poſſumus. Unde hoſtes occidi, & res eorum capi poſſunt. Merito igitur *occupatio rei hoſtilis* inter modos acquirendi dominii refertur. De quo alibi plenius agemus.

§. CCLXVII. *IV.* Facto noſtro dominium acquirimus PERCEPTIONE FRUCTUUM EX RE ALIENA, etiamſi mala fide percipiantur. Ratio naturalis hæc eſt, quia fructus ex quo ſeparatus eſt ab arbore, non amplius eſt pars arboris; adeoque jus prioris domini, quod ei in arborem, ejusque partes competit, ad fructus ſeparatos extendi nequit. Fructus ergo ſeparati non amplius ſunt pars arboris, in quam ſolam dominium alterius eſt

n. 1. At is, qui fructus ex re aliena percipit, utut bona fide, revera locupletior fit cum alterius jactura, plus ſuo habet, jus alterius minuit; indeque naturali jure æſtimationem reſtituere, i. e. jus ſuum cuique tribuere tenetur.

Jure Romano quoque regula illa naturæ confirmatur; *bonæ fidei enim emtorem fructus ex re aliena perceptos ſuos facere*, JCti ſtatuunt [a]. At varie hanc regulam limitant: nam 1. jure Codicis emtor ille ſuos non facit fructus perceptos, *ſi adhuc extant* [b]: nec 2. ſi mala fide conſumſit [c]: 3. ſi bona fide conſumſit, nec *æſtimationem reſtituit*, ſed lucratur fructus, quos ante litem conteſtatam percepit [d]. Rationem hanc afferunt, quod bonæ fidei poſſeſſor quoad fructus domini loco ſit [e], indeque in percipiendis fructibus id jus habeat, quod dominis tributum eſt.

Præterea Prætor domino facultatem conceſſit fructus in vicinum fundum cadentes intra triduum legendi [g]: vicino autem jus dedit præſcindendi ramos in ejus fundum pendentes, ne fructus in illum cadere poſſint. [h]

§. CCLXVIII. *V.* Facto noſtro acquirimus dominium per ACCEPTATIONEM REI ab alio nobis TRADITÆ. *Traditio* autem eſt actus duorum, quo res ab altero in alterius poteſtatem transfertur ex juſta cauſa, i. e. ex cauſa dominii translativa [i]: quia nihil tam naturale eſt, quam voluntatem domini rem ſuam in alium transferre volentis ratam habere. [k]

n. 1. Requiritur ad hanc acquiſitionis ſpeciem, 1. ut dominus tradat; hic enim ſolus de re ſua diſponere poteſt: non ergo transfertur dominium, ſi res aliena traditur. 2. Ut is, qui tradit, facultatem diſponendi habeat; excluduntur igitur omnes, qui judicio carent, adeoque adminiſtrare res ſuas non poſſunt. 3. Ut res tradatur animo tranferendi dominii, i. e. ex juſta dominii transferendi cauſa;

(z) Vid. l. 19. pr. poſtlim. (*a*) L. 45. A. R. D. l. 35. ff. & §. 16. Inſt. de Rer. div. l. 4. §. 19. ff. de uſucap. l. 45. ff. uſuris. (*b*) l. 22. C. Rei vind. (*c*) d. l. 22. d. §. 36. §. 2. inſt. de off. jud. l. 2. C. de fruct. l. 33. l. 63. §. 1. ff. l. 5. C. Rei vind. (*d*) L. 3. §. fin. fin. reg. (*e*) d. l. 48. A. R. D. (*f*) l. 25. §. 1. uſur. (*g*) Tot. tit. de glande legenda. (*h*) Laut. d. tit. (*i*) §. 40. R. D. (*k*) d §. 40.

Digitized by Google

cauſa; non ergo ſi animo locandi, &c. traditur. 4. Ut alter acceptet, quia invito, & ignoranti res non acquiritur.

n. 2. Hac traditione, *ex juſta cauſa* facta, dominium acquirimus etſi cauſa illa ſit vel erronea, vel turpis, vel nulla. Nam in illa traditione aliud eſt 1. *traditio*, quæ fit voluntate domini, ex cauſa dominii translativa; eaque ſufficit ad dominium transferendum: 2. *error* transferentis, vel turpitudo, vel nullitas cauſæ. Hic error, &c. non impedit translationem dominii. Sufficit enim, quod res voluntate domini in me translata ſit: ex cauſa dominii translativa. [l]

Neque *obſtat*, quod errans non conſentiat. Reſp. Non errat in voluntate transferendi dominii, ſed in cauſa translationis.

n. 3. At quia alter ex errore tradentis rei dominus factus eſt, adeoque cum jactura ejus locupletior fit, errans agere contra perſonam, in quam rem illam tranſtulit, poteſt, non ad vindicandam rem, (quia dominus ejus eſſe deſiit) ſed ut reſtituat id, quod indebite, &c. ſolutum eſt, vel ejus æſtimationem. Atque hæ ſunt condictiones indebiti, ex turpi, & injuſta, vel ſine cauſa; quæ proinde ex ipſo jure naturæ originem ducunt: de quibus infra [m] plenius agetur.

n. 4. Tradita autem quoque res videtur, 1. ſi ita in poteſtate noſtra ponitur, ut capi poſſit, etſi actu non capiatur: Quo pertinent fictæ illæ Romanorum traditiones, quæ fiunt [a] per fictionem *brevis manus*; [b] per fictionem *longæ manus*; [c] per *ſymbola*. Nam in his omnibus requiritur, ut res in præſentia, & in conſpectu ſit poſita, vel ſymbolum tale detur, quo res in poteſtate noſtra conſtituitur [n]. 2. Si re tradita ex cauſa dominii non translativa, dominus poſtea declaret, ſe alterum dominum conſtituere rei, tunc nova traditione opus non eſt; idque *conſtitutum poſſeſſorium* dicitur. (*Vid. infr. n.* 19.)

n. 5. *Cauſa ergo* hujus acquiſitionis, quæ per traditionem fit, eſt voluntas domini rem alii tradentis: *Subjectum*, perſonæ, quæ de re ſua diſponere poſſunt: *Objectum*, omnes res, quæ occupari poſſunt, ſive mobiles, ſive immobiles; non igitur res, quæ communes ſunt omnium hominum. *Effectus* eſt acquiſitio dominii, eoque & facultas pro lubitu de ea re diſponendi.

n. 6. Hinc jam facilis eſt deciſio quæſtionis, an dominium per pacta, & promiſſiones transferri poſſit, etſi traditio non accedat? Affirmat hanc quæſtionem Grotius [p]; atque hinc in emtione, & venditione, ipſo contractus momento, dominium ſine traditione transferri putat [q]: niſi aliud, & in ſpecie id actum ſit, ne dominium tranſeat [r]. Sed & ideo parem alienandi, & promittendi eſſe rationem, ait. [s]

Ipſe quoque B. Parens jure naturæ per promiſſionem rei *jus* aliquod *in re* transferri in eum, cui promittitur, idque jure gentium demum mutatum eſſe, ſtatuit. [t]

n. 7. Ego per pactum nunquam transferri dominium natura, ſed præciſe requiri traditionem, puto. Quod egre-

(*l*) Conf. jus meum controv. tit. de reb. cred. q. 6. (*m*) Lib. V. Cap. 6. Sect. 1. (*n*) Jus meum controv. tit. de reb. cred. q. 7. & 8. (*p*) L. 2. C. 6. §. 1. n. 2. & C. 8. §. 25. L. 2. C. 11. §. 1. (*q*) L. 2. C 12. §. 15. (*r*) d. L. 2. C. 6. §. 2. (*t*) Vid. Differt. procem. X. poſ. 8.

egregie probavit B. Parens in eruditiſſima diſſertatione, *an traditio ſit neceſſaria ad transferendum dominium.* [u]

n. 8. Idque apparet 1. ex ipſa voce *dominii*, per quam intelligimus jus, quod in rem ipſam competit [v], ita ut res *noſtra* [x], & in *proprietate noſtra* conſtituta ſit [y]. Non autem jus in rem ipſam nobis arrogare, nec eam noſtram dicere, nec proprietatem in re nobis aſſerere poſſumus, ſi res illa nunquam in noſtra poteſtate, vel cuſtodia fuit.

n. 9. Sane, 2. Romani *dominos a domo* dictos eſſe, ajunt, quia omne dominium olim intra domus, habitationisque fines continebatur [z]: eodem modo uti Græci οἰκεῖον (id, quod nobis proprium eſt) ab οἶκος (i. e. domus) derivarunt [a]: certiſſimo indicio, ideo dominum aliquem dici, quia res in ejus domo, adeoque poteſtate conſtituta eſt. Atque hæc vera ratio eſt cur uxor apud Romanos non fieret, niſi per deductionem in domum; quia tunc demum in poteſtate mariti conſtituitur, & corpus uxoris quaſi traditum eſt. (*Vid.* §. 173.).

n. 10. Magis id 3. probatur ex ipſo dominii effectu. Cum enim quilibet ſit rei ſuæ arbiter, & dominus [b], ita ut abuti ea, & pro lubitu de ea diſponere poſſit; qua, quæſo, ratione hæc facultas ei tribui poteſt, qui nunquam poteſtatem in rem ipſam habuit? Neceſſario igitur requiritur ad obtinendum hunc effectum, ut res tradatur, i. e. ita in noſtra poteſtate conſtituatur, ut, quando lubet, corpore apprehendi poſſit.

n. 11. Sed & 4. non video, qua ratione is, cui res promiſſa eſt, contra tertium poſſeſſorem agere, & rem tanquam propriam jure dominii vindicare poſſit, ſi nunquam in ejus proprietate, & poteſtate fuerit. Regula naturalis eſt, quod non poſſit videri deſiiſſe habere, qui nunquam habuit [c]: & cum actio de dominio in rem ipſam, qua noſtra eſt, inferatur [d], contradictio videtur, hanc actionem dare ei, in cujus poteſtate corporali res illa nunquam fuit.

n. 12. Porro & 5. cum in acquiſitione originaria, quæ fit per occupationem rei nullius, omnium conſenſu [e] nuda voluntate dominium rei non acquiratur, ſed corporalis quædam apprehenſio requiratur; nullam video rationem, cur non ſimiliter in acquiſitione derivativa, quæ fit per promiſſionem de re transferenda, talis apprehenſio accedere debeat.

n. 13. Sane, ſi 6. ſolo voluntatis actu res, quæ alterius eſt, in meam poteſtatem tranſiret, nulla ratio dari poſſet, cur non res quoque, quæ nullius eſt, ſolo voluntatis actu in poteſtatem volentis tranſire poſſit, quod tamen omnes negant. Atque hinc rem hoſtilem noſtram non fieri antequam ad fines noſtros pervenerit, i. e. in poteſtate noſtra ſit, ipſe Grotius fatetur. Atqui hæc eſt acquiſitio derivativa. [f]

n. 14.

(*u*) Quæ extat in vol. 1, Diſp. p. 213. (*v*) L. 23. pr. R. V. arg. l. 17. ff. pignor. & hyp. l. 9. l. 18. C. eod. l. 1. §. 1, ſuperfic. L. 2, C. ſi unus ex plur. hær. (*x*) L. 3, pr. O. A. l. 25, pr. l. 28, eod. (*y*) L. 13, A. R. D. l. 14, §. 5, exc. rei jud. (*z*) Connanus Lib. 10. C. 5. n. 7. Conf. l. 195, V. S. (*a*) Vid. Vigl. tit. inſt. de hær. qual. & differ. (*b*) L. 21, C. Mand. (*c*) L 107, Reg. j. (*d*) L. 25. pr. l. 25, O. & A. (*e*) Grot. l. 2. c. 2, §. 2, n. 5. l. 2, c. 8. §. 3, l. 3, c. 6, §. 3, (*f*) Grot. d. c. 6, §. 3, c. 9. §. 16.

Digitized by Google

n. 14. Neque 7. allegari poteſt, dominum conſentire in rei translationem; adeoque dominium tranſire ejus voluntate: nam conſenſus ille efficere non poteſt ut res ſit in alterius cuſtodia, & poteſtate; quod ad eſſentiam acquiſitionis dominii requiritur. Si ſolus domini conſenſus ad transferendum dominium ſufficeret, multo magis in occupatione originaria ſolo animo dominium acquiri poſſet, uti jam dictum eſt; quia nemo ibi eſt, qui diſſentit, vel diſſentire poteſt.

n. 15. Neque 8. diſtinctio inter jus dominii, & ejus exercitium, rem expedit: quaſi *jus dominii* ſolo pacto acquiratur, ad *exercitium* vero requiratur traditio. Nam *jus* dominii, quatenus de ejus acquiſitione agitur, ſupponit neceſſario, rem eſſe in noſtra poteſtate, quia concipi non poteſt facultas re utendi, & abutendi, quæ nunquam in noſtra cuſtodia fuit.

n. 16. Atque hæc 9. eſt doctrina legislatorum Romanorum. Imperatores enim Diocletianus, & Maximinianus reſcripſerunt, *traditionibus, non nudis pactis, transferri dominia* [g]: & qui in poſſeſſionem vacuam inductus non eſt, nullam in rem actionem habere dicitur. [h].

Hinc 10. JCti Romani differentiam inter *jus in re*, & *obligationes perſonæ*, in eo conſtituunt, quod obligationum ſubſtantia non in eo conſiſtat, *ut aliquod corpus noſtrum faciat, ſed ut alium obſtringat ad aliquid dandum* [i]. Sed & diſerte in eo differre actiones reales, & perſonales, ajunt [k], quod per *actionem realem rem noſtram*, quæ ab alio poſſidetur, petamus, & quod *in rem ipſam, quia noſtra eſt*, inferatur [l]; eoque ſemper adverſus eum detur, *qui rem noſtram* poſſidet: in *perſonam* autem actionem eſſe, qua cum eo agimus, *qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid, eoque ſemper adverſus eundem locum habere* [m], etſi rem non poſſideat.

Atque hæc regula 11. vera quoque eſt etſi Princeps rem promittat; nam Principem transferre dominium ſola voluntate, nec lege civili, nec lege naturæ ſtatutum eſt. [n]

n. 17. Neque *obſtat*, 1. jure naturali quoque hæredes in dominium defuncti ſuccedere, nec traditione ibi opus eſſe. Reſp. dominium hic non noviter acquiritur, ſed acquiſitum vivente patre continuatur. Hæres enim eſt pars familiæ, conſenſuque parentum in corpus familiæ adoptatur: adeoque per hanc communicationem jurium traditio ſemel rite facta eſt. *Vid. infr. Sect. 6.*

n. 18. *Obſtat* 2. quod leges Romanæ dominium ſæpe transferant citra traditionem: ut in legatis; item ſi quid piis locis donatum, aut relictum ſit. Reſp. id eſt ex jure poſitivo; adeoque hoc caſu effectus dominii ex diſpoſitione legis acquiruntur, non jure naturæ; utpote quo demum acquiritur dominium ſecuta traditione. [o]

n. 19. *Obſtat* 3. quod per *conſtitutum poſſeſſorium* acquiratur dominium, etſi nulla traditio interveniat. Si enim res alicui donatur retento uſufructu

(g) L. 20, C. pact. ibique Goth. Conf. l. 2, & l. 5. C. pact. l. 2. C. Stellionat. l. 7. ff. pro emt. l. 15. C. Rei vind. (h) L. 13. C. Diſtr. pign. (i) L. 3, pr. Obl. & act.

(k) L. 25, pr. eod. (l) L. 25. pr. l. 28. eod. (m) d. l. 25, (n) Diſſentiunt DD. apud Barboſam voc. dominium C. 10, (o) L. 44. §. 1. l. 86, §. 2. Legat. 1.

fructu [p], vel ſi donator rem donatam a donatario conducit [q], dominium translatum videtur. Idem enim eſſe dicitur, uſum fructum retinere, quod tradere [r]: donator quippe definit poſſidere, & alium poſſeſſorem ſuo miniſterio facit (is enim poſſidet, cujus nomine poſſidetur) adeoque procurator alienæ poſſeſſionis præſtat miniſterium [s]: vult enim dimittere poſſeſſionem, quia putat, ſe transferre [t]. Reſp. ex allegatis rationibus ſatis conſtat, donatorem ſe abdicaſſe dominio, & poſſeſſione, quia non vult amplius ſuo nomine poſſidere rem, ſed conſtituit, ſe velle poſſidere nomine alieno. Cum igitur dominium ejus eſſe deſinat, hæc ipſa retentio uſusfructus infert traditionem, & putat, ſe transferre poſſeſſionem, dum eam vult dimittere. Ex diſpoſitione, & voluntate igitur donatoris res donatario tradita, & jure conducti, vel uſusfructus recepta videtur.

n. 20. *Obſtat* 4. quod jure Romano in ſocietate univerſali dominium transferatur nudo pacto. Reſp. notanter JCtus ait, traditionem factam *videri*, i. e. rem haberi pro tradita: id ergo meri juris civilis eſt. Bene autem lege civili id ſtatutum eſt, ne opus ſit ſingulas res ſocio tradere.

n. 21. *Obſtat* 5. promittentem tamen plus ſuo, adeoque æs alienum in bonis habere: eum debere ex patrimonio; ac debitum hoc dici eſſe in bonis creditoris, & æs ejus. Nam aliud eſt, rem *deberi* creditori; aliud, rem eſſe in ejus *Dominio*. Debitum, ſeu æs, quod a debitore ei debetur, omnino eſt in creditoris patrimonio, quia in patrimonio quoque ſunt actiones perſonales; at dominium non conſequitur, niſi accedente traditione.

n. 22. Effectus jure naturali inſignes ex his principiis oriuntur. Nam 1. ſi duobus res vendita eſt, is præfertur, cui res prius tradita eſt [u]. 2. Emtor expellere conductorem poteſt poſt traditionem, non ante [v]. 3. Res regulariter perit venditori, quamdiu tradita non eſt [x]. 4. Duo in ſolidum domini eſſe non poſſunt [y], &c.

§. CCLXIX. Cauſa dominii translativa quoque eſt *donatio*, quæ ex mera liberalitate, adeoque animo donandi aliquid, in alium transfertur. Jure Romano talis donatio non valet 1. inter conjuges, nec 2. ultra 500. ſolidos. Exceptiones vide apud Lauterbachium *Tit. de Donationibus*. Eodem jure donatio revocari poteſt propter ingratitudinem, & ſupervenientiam liberorum.

Si res non traditur, ſed ſaltem promittitur, pactum hoc donationis actionem ſaltem perſonalem producit. [yy]

SECTIO II.

De acquiſitione dominii Jure Rei noſtræ.

§. CCLXX. JURE REI NOSTRÆ acquirimus dominium 1. per ventrem, 2. per alluvionem, 3. jure cruſtæ, 4. per alvei derelictionem, 5. jure inſulæ, 6. jure acceſſionis.

§. CCLXXI. *Jure ventris* acquirimus fœtum [z], (etiamſi diſſentiat Grotius [a], confu-

(p) L. 28. C. Donat. (q) L. 37. R. V. l. 18. A. P. (r) d. l. 18. (s) d. l. 8. pr. (t) d. l. 18. §. 1. (u) L. 15. C. Rei. vind. (v) Vid. jus meum controv. tit. locat. q. 22.

(x) Vid. infr. lib. V. cap. 1, Sect. 6, (y) L. 5, §. fin. Commod. (yy) L. 35, §. 5, C. Donat. (z) §. 19. Inſt. Rer. div. (a) Grot. l. 2, c. 8, §. 18.

Digitized by Google

confutatus a B. Parente [b]) & partum ancillæ; quia Romani ſervos pecudum loco habebant. Grotius id juri naturali non ſatis congruere, ait [c], & juri gentium ſecundario id tribuit B. Parens. [d]

§. CCLXXII. Ratio naturalis hujus acquiſitionis eſt, 1. quia ſemen ipſum factum eſt ventris, ſeu corporis, cui commiſſum eſt; adeoque partus naturali prorſus ratione vera pars, ac viſcerum portio eſt [e]. Unde omnino conſtat, ſemen totum eſſe in dominio ejus, cujus eſt animal; nihilque eum ex alieno, ſed unice ex ſuo, ſcilicet ex ſuo animali, cujus pars eſt ſemen immiſſum, acquirere [f]. Sed & 2. non inſpiciendum eſt jus ſeminis, ex quo oritur, ſed corporis, ex quo naſcitur; idque naturæ quoque rationibus firmavit B. Parens [g]. Eandem autem rationem naturæ 3. in partu quoque ancillæ obtinere, certum eſt. Ancilla enim ſub dominio eſt; vita, corpus, & actiones ancillæ alieno dominio ſubſunt: adeoque ſemen immiſſum in corpus ancillæ fit pars illius corporis, & jure totius ad dominum pertinet.

Idque 4. adeo verum eſt, ut nec pretium ſeminis repeti poſſit. Semen enim ſeparatum nec æſtimationem ſua natura recipit, nec res patrimonii eſt, immo excrementi inſtar ſecernitur, nec inde domino aliquid abeſt. [h]

§. CCLXXIII. *Alluvio* quoque eſt modus acquirendi juris Gentium: quando, nimirum, vi fluminis paulatim pedetentim, vel alterius territorio, vel alterius prædio aliquid accedit. [i]

n. 1. Alluvio igitur *I.* obtinet *inter duo diverſa territoria* [k]: ſi nimirum vi fluminis alterius territorio aliquid ita decedit, & vicino territorio adjicitur.

Ratio naturalis hujus acquiſitionis hæc eſt: tum quia vicinus per rei naturam probare non poteſt, has, vel illas particulas, quæ alterius territorio acceſſere, antea ſuas fuiſſe, tum quia territoria vicina alium limitem præter flumen non habent; adeoque ubi flumen, ibi fines ſunt territorii.

n. 2. Sed & *II.* alluvio jure gentium obtinet *inter prædia privata*, ſi nimirum unius prædio, vi fluminis, paulatim, & pedetentim aliquid adjicitur; NB. nec præter flumen (ſive publicum, ſive privatum) alius limes inter vicinos conſtitutus eſt. Nam tunc quoque res ſtatui naturæ relicta, & ubi flumen, ibi limes eſt; quicquid igitur intra flumen continetur, ad fines prædii pertinet. Accedit, quod, uti ante dictum eſt, dominium particularum, quæ accedunt, a vindicante probari non poſſit.

Aliud ergo obinet ſi certi limites vel manu facti, vel certa quantitate comprehenſi ſunt; tunc enim quicquid vi fluminis accedit, non vicinis prædiis acquiritur, ſed vel populo, ſi populus ſibi uſum ripæ, & alvei reſervavit; vel cuique occupanti, ſi populus res illas publicas jure gentium, ſeu communes eſſe voluit; vel denique ei, cujus fines alluvione ſunt mutati.

n. 3. Atque juxta hæc naturæ principia JCti Romani jura alluvionis explicant. *Primo* enim dominium *jure gen-*

(*b*) in diſp. de jure ſeminis §. 9. & ſeq. (*c*) L. 2. c. 5. §. 29. L. 3. C. 7. §. 3. (*d*) d. diſp. §. 11. (*e*) L. 1. §. 1. ibi: *partus antequam editur, mulieris portio eſt, vel viſcerum.* ff. de inſp. ventr. Conf. ſupr. §.150. (*f*) B. Par. d. diſp. §. 9. (*g*) d. diſp. §.4. ſeq. (*h*) B. Par. d. diſp. §. 10. (*i*) l. 7. §. 1. ff. R. D. §. 20. Inſt. R. D. l. 1. l. 3. pr. C. de alluv. (*k*) Grot. L. 2. C.3. §. 16. ſeq. & C.8. §.11. & 12.

gentium per alluvionem acquiri, uno ore ſtatuunt [l]. Deinde rationem quoque hujus acquiſitionis dant, quia flumen publicum limes naturalis eſt agri: ubicunque igitur flumen eſt, ibi ager meus terminatur; unde ager meus augetur, vel minuitur, prout flumen mutatur [m]. Atque hoc eſt, quod JCti ajunt, flumina cenſitorum officio fungi.

n. 4. Hoc adeo verum eſt, ut is, qui per alluvionem dominium acquirit, nec pretium reſtituere teneatur; cum enim ſit incrementum latens, ubi de domino particularum, quæ accedunt, non conſtat, nemo eſt, qui dominium probare, & jus agendi docere poſſit.

n. 5. Jure Romano quoque jus hoc alluvionis ceſſat 1°. in agris *limitatis*: quando enim prædiis vicinis certa agrorum quantitas eſt aſſignata, adeoquê certus limes conſtitutus eſt, nihil eorum eſſe poteſt, quod limites hos excedit; ſi ergo vi fluminis publici aliquid ultra hos limites adjicitur, id publico relictum eſt [o], adeoque cedit occupanti [p]: quia nullius, i. e. in nullius patrimonio eſt. [q]

n. 6. 2°. Jure Romano alluvionis jus ceſſat in *mari*. Mare enim, cjuſque littora, quatenus ad uſum maris pertinent, natura ſunt communia, §. 5. *Inſt. Rer. div. l.* 2. §. 1. *ff. eod.* adeoque in nullius bonis, proprietate, & dominio, *d.* §. 5. *l.* 51. *ff. contr. emt.* Etſi enim Romani imperium maris, & littorum occuparint: dominium tamen in ſingulos non diſtribuerunt, adeoque uſum littorum communem, uti a natura fuit, eſſe voluerunt [r]. Atque hæc ratio eſt, cur uſus littorum omnibus vacet [s], & jure gentium maneat publicus. [t]

Quicquid igitur accedit littoribus per alluvionem, non poteſt acquiri prædiis vicinis; quia jure Romano prædia mari vicina ſemper ſunt limitata, utpote cum littora uſui publico ſint relicta. Uti igitur littora ipſa nullius ſunt in bonis: ita id, quod per alluvionem littoribus accedit, nullius erit, eoque cedit occupanti. Atque ex eadem ratione inſula in mari nata jure Romano nullius eſt [u], quia littora, & alveus marinus, cujus pars eſt inſula, nullius ſunt.

Aliud igitur in mari obtinet, ſi prædia ad mare ſita ſint arcifinia, i. e. in ſingulos diſtributa, uti in Pomerania, ubi littora, eorumque proventus (*Strand-Gerechtigkeit*) literis inveſtituræ continentur: ibi ergo quicquid accedit per alluvionem, accedit vicino prædio. *Vid.* §. 221. *n.* 2.

n. 7. 3°. Ceſſat quoque alluvio in *lacubus*, & *ſtagnis*. Nam tota alluvionis ratio ibi deficit, quia flumen non eſt, adeoque vis fluminis ceſſat, eadem forma terræ manet, & aqua ſaltem accreſcit, ac decreſcit. [v]

n. 8. 4°. Ceſſat in *fluviis privatis*. Nam de ſolo flumine publico aſſeritur, quod flumen, non ager, conſtituat confinium. Ratio in aprico eſt, quia flumen publicum non eſt inter privatos diſtributum, ſed ad uſus publicos relictum; adeoque privati nec finium regundorum, ſi flumen intercedit,

(*l*) L. 7. §. 1. A. R. D. §. 20. Inſt. R. D. l. 1. C. De alluv. (*m*) L. 4. §. 11. l. 5. & l. 6. ff. fin. reg. (*n*) L. 30. §. 3. A. R. D. (*o*) L. 16. A. R. D. (*p*) Arg. l. 1. §. 6. De flum. (*q*) L. 1. pr. in f. ff. Rer. Div. (*r*) L. 3. Ne quid in loc. publ. (*s*) L. 51. Contr. emt. (*t*) L. 14. l. 65. §. 1. ff. A. R. D. (*u*) L. 7. §. 3. A. R. D. (*v*) L. 12. A. R. D. l. 24. §. 3. de aq. & aq. pluv. l. 69. De contr. emt. (*x*) L. 4. §. f. fin. regand.

Digitized by Google

cedit, agere poſſunt [x]. Unde ſequitur, mutari fines mutato flumine; quia ubi flumen eſt, ibi ſunt fines.

Tota hæc ratio ceſſat in fluminibus, ſeu rivis privatis [y], qui apud Romanos inter ſingulos diſtribuebantur, & quorum uſus non erat publicus, ſeu populi. Ibi igitur ager, non flumen, conſtituit confinium. Si proinde per alluvionem fines illi mutantur, finium regundorum agi poteſt; quia ubi ager (non vero flumen) eſt, ibi ſunt fines. [z]

§. CCLXXIV. *Cruſtæ* quoque dominium nobis acquiritur jure rei noſtræ: ſi nimirum alii prædio vi fluminis avulſa, prædio noſtro accedit, & ibi radices egit (ſecus ſi non egit [a]; tunc enim dominus vindicat prævia reſtitutione damni, & cautione damni infecti [b]); quia una jam cum terra noſtra portio fit, adeoque noſtra facta eſt [c]. Prior igitur dominus eam vindicare non poteſt. [d]

At is, cujus fundo cruſta accedit, pretium refundere domino debet, ne locupletior fiat ejus jactura. Leo Imperator optionem dedit priori domino utrum aſportare, an derelinquere velit. [e]

Ceſſat hæc acquiſitio, uti in alluvione.

§. CCLXXV. Jure rei noſtræ dominium quoque *alvei derelicti* acquirimus, ſi non paulatim, ſed uno impetu derelictus eſt. Hic alveus igitur cedit vicinis prædiis jure gentium [f], ſi nimirum agri ſunt arcifinii, non ſi limitati.

n. 1. Cum enim JCti Romani, ſi agri ſunt arcifinii, ſupponant, ripam [g], & alveum [h] fluminis publici inter ſingulos diſtributos, eoque in proprietate privatorum eſſe; neceſſario ſequitur, alveum derelictum cedere vicinis, tanquam dominis illius fundi. Sane, uſus proprietatis ſaltem ideo ceſſat, quia alveus flumine tegitur; jus ergo dominii non in perpetuum ſublatum eſt, ſed ſaltem, quamdiu flumine inundatur.

n. 2. Atque hinc eſt, quod 1. ripæ, & alvei, publici tantum juris ſint, quatenus ad uſum fluminis publici pertinent [i]: reliqui enim uſus ad eos pertinent, quibus ripæ, & alvei aſſignati ſunt. Unde illi ſoli arbores in ripis plantare [k], & ædificium ibi ponere poſſunt, dummodo uſus publicus non impediatur [l]: ſed & ab alio poſitum eis cedit [m]. Atque hæc quoque ratio eſt, cur inſulæ in flumine publico natæ cedant vicinis. [n]

n. 3. Hinc 2. eſt, quod ceſſante flumine, (ceſſat autem *alveo derelicto*) adeoque ceſſante uſu populi, jus priſtinum dominis reſtituatur. Alveus igitur jam deſinit eſſe publicus [o]; & quia populus non amplius utitur, plenus uſus alvei derelicti redit ad eos, quorum ſolum eſt [p]: indeque domini vicinorum prædiorum recuperant uſum, qui antea eorum fuit. [q]

n. 4.

(*y*) L. 8. eod. (*z*) d. l. 5. d. l. 6. l. 18. §. 4. ff. De flum. (*a*) l. 9 §. 2. Damn. inf. (*b*) ibid. (*c*) l. 9. §. 2. Damn. inf. (*d*) d. §. 2. (*e*) Nov. 95. (*f*) §. 25. R. D. l. 7. §. 5. l. 30. §. 1 & §. 3. A. R. D. (*g*) L. 5. R. D. §. 4. inſt. eod. ibi: *proprietas* (ſcilicet riparum) *illorum eſt, quorum prædiis hærent.* l. 30. §. 1. A. R. D. l. 65. §. 1. eod.

(*h*) l. 1. §. 6. & 7. l. 3. ff de flum. l. 30. §. 1. & §. 3. A. R. D. l. 7. §. 5. eod. (*i*) L. 1. §. 7. De flum. (*k*) §. 4 R. D l. 30. §. 1. A. R.D. (*l*) L. 1. §. antepen. De op. nov. nunc. l. 14. l. 50. ff. A.R. D. l. 1. § 12. De flum. (*m*) l. 15. A. R. D. ibique Goth (*n*) Vid. §. ſeq. (*o*) L. 1. §. 7. De flum. (*p*) L. 30. §. 1. A. R. D. (*q*) L. 30. §. 3. eod.

Digitized by Google

n. 4. Illuſtratur res exemplo viarum publicarum, quæ pariter ſunt pars agrorum vicinorum, unde depromtæ ſunt [r]. Via igitur, quamdiu populus ea utitur, publica eſt, quoad uſus publicos [s]; at quoad uſus privatos, eſt, & manet privatorum [t]. Hinc ceſſante uſu publico via illa reſtituitur dominis; ceſſat enim impedimentum.

n. 5. Recte igitur 3. jus Romanum ſtatuit, ripam, & alveum in agris arcifiniis ratione proprietatis eſſe privatorum [u], etſi uſus ſit publicus. Recte ſtatuunt JCti Romani, ceſſante uſu publico, i. e. ceſſante flumine, uſum rei redire ad eum, cujus ante fuit [v], adeoque dividi inter utriuſque ripæ poſſeſſores [x], vel reſtitui ei, ad quem alveus derelictus antea pertinuit. [y]

n. 6. Neque *obſtat*, quod ripæ, & alvei fluminis publici dicantur publici, uti flumen [z]; quia impoſſibile eſt, ut alveus fluminis publici non ſit publicus [a]. Reſp. ſunt publici quamdiu flumen ibi eſt, & populus eo flumine utitur; ſed ceſſante uſu populi, adeoque ceſſante impedimento, alveus reſtituitur iis, quorum in proprietate ante fuit adeoque vicinis. Optime Celſus: *Si in ripa fluminis, quæ ſecundum agrum meum ſit, arbor nata ſit, mea eſt, NB. quia ſolum ipſum meum privatum eſt; & ideo, cum exſiccatus eſſet alveus, proximorum fit, NB. quia jam populus eo non utitur* [b]. Et Pomponius: *Sicuti hic fundus, cum alveus fluminis factus eſſet, fuiſſet publicus; ita nunc privatus ejus eſſe debet, cujus fuit.* [c]

n. 7. Hinc jam ratio conſtat, cur hæc acquiſitio naturaliter locum habere non poſſit, 1°. *in agris limitatis* [d]; ibi enim ripæ, & alvei non ſunt portiones privatorum prædiorum, nec inter ſingulos diſtributi [e], adeoque populus noluit eos eſſe in proprietate ſingulorum. Vicini igitur nullum jus in alveum derelictum habent, ſed is cedit occupanti [f], uti omnes res, quarum proprietas nullius, i. e. in ſingulos diſtributa non eſt.

n. 8. Ceſſat quoque hæc acquiſitio 2°. *in mari*: cum enim littora a populo Romano non ſint diſtributa in ſingulos, ſed reſervata ad uſus communes hominum, facile conſtat, alveum maris ejuſdem eſſe juris, indeque non acquiri vicinis prædiis, ſed eſſe nullius: uti littora maris, quæ pars ſunt alvei. [g]

n. 9. Ceſſat 3°. in *lacubus*, & *ſtagnis*, nec non *fluviis privatis*. Nam ibi proprietas, & uſus alvei ad privatos pertinet: impedimentum, quod in flumine publico obſtabat, nimirum, uſus populi, hic ceſſat; adeoque ſi exareſcit, proprietas manet ejus, cujus antea fuit.

n. 10. Atque ex his jam facile deciditur quæſtio, *an per alluvionem, vel alvei deſertionem, imperii terminus mutetur?* Grotius [h] id affirmat in agris *limitatis*, negat in *arcifiniis* (imperia autem in dubio arcifinia cenſeri, ait [i]). B. Parens nec in *arcifiniis* mutari imperii ter-

(r) L. 14. §. f. Serv. urb. (s) L. 2. §. 21. Ne quid in loc. publ. (t) L. 39. in f. A. R. D. Conf. l. 14. §. f. ſi ſerv. amit. (u) §. 4. Inſt. R. D. L. 3. §. 2. Aq. quot. Vid. ſupr n. 1. (v) L. 30. §. 3. A. R. D. (x) L. 56. §. 1. A. R. D. (y) L. 7. §. 5. & 6 l. 30. §. 3. A. R. D. (z) l. 7. §. 5. A. R. D. l. 3. pr. De flum. l. 1. §. 2. eod. §. 4. Inſt. R. D. (a) d. l. 1. §. 7. de flum. (b) L. 30. §. 1. A. R. D. (c) d. l. 30. §. 3. Conf. l. 1. §. 7. ff. de flum. (d) L. 1. §. 7. De flum. (e) d. l. 1. §. 6. & 7. De flum. Arg. l. 16. ff. A. R. d. (f) L. 1. §. 7. De flum. (g) L. 14. A. R. D. (h) L. 2. c. 3. §. 16. (i) L. 2. c. 8. §. 12.

Digitized by Google

terminum, ſed in medietate alvei terminum imperii ſubſiſtere, etiam mutato curſu fluminis, ſtatuit.

Equidem ſi in ipſo flumine certi limites imperii manu facti, & pacto conſtituti, i. e. agri utriuſque imperii *limitati* ſunt, negari nequit, terminum imperii neque alluvione, neque alvei derelictione mutari, ſed limitem ſtatutum ſemper, & perpetuo ſubſiſtere. At ſi tales limites ſignati deficiunt, & ſolum flumen territoria dirimit, i. e. ſi agri utriuſque imperii ſunt *arcifinii*; certum naturali quoque ratione eſt, terminum imperii neque per alluvionem, neque per alvei derelictionem mutari. Non per *alluvionem*, quia non agri terminum conſtituunt, ſed flumen: ubicunque igitur flumen eſt, ibi territoria terminantur; unde imperia vel augentur, vel minuuntur, prout flumen mutatur [k]. Adeoque & in imperiis verum eſt, flumina cenſitorum officio fungi [l]. Nec per *alvei derelictionem*: etſi enim flumen pro termino amplius haberi non poſſit, utpote quod eſſe deſiit, alveus tamen, qui pars eſt illius fluminis, terminus manebit.

Unde ſimul conſtat, medietatem fluminis non poſſe pro limite haberi, ſed totum flumen, eoque deficiente totum alveum. Et uti flumen pro indiviſo fuit commune, ita & alveus pro indiviſo communem terminum conſtituit. Aliquando vero per pacta medietas fluminis pro termino poni ſolet.

Cæterum, etſi hic alveus derelictus ſub communi imperio ſit, non tamen ideo in ſingulorum venit proprietatem, ſed hactenus manet nullius, adeoque cedit occupanti: i. e. dominium acquiritur eis, qui primi alveum illum occupant, ſalvis, cæterum, utriuſque imperii finibus.

n. 11. Notandum autem eſt, alveum non derelinqui ſi vicinus ager vel a fluvio, vel a mari inundatur [m]; nam hoc caſu nec *poſſeſſio*, nec *dominium* tollitur. De *poſſeſſione* id teſtatur, Paulus [n]: *Quod mari, aut flumine occupatum ſit, poſſidere non deſinimus.* De *proprietate* id aſſerit Javolenus, his verbis: [o]. *cum uſum fructum horti haberem, flumen hortum occupavit, deinde ab eo receſſit, jus quoque uſusfructus reſtitutum eſſe, Labeoni videtur; quia id ſolum perpetuo ejuſdem juris manſiſſet. Ita id verum puto, ſi flumen* INUNDATIONE *hortum occupavit.*

Aliud

(*k*) L. 4, §. 11, l. 5, l. 6, ff. fin. reg. (*l*) L. 30, §. 3, A. R. D. (*m*) L. 1, §. 5, De flum. (*n*) L. 3, §. 17, A. P. L. 12, §. 2, Reb. aut. jud.

[*Nota Editoris.* Immo utraque lege contrarium ſtatui videtur. Prioris *ſcil. L.* 3. §. 17. *A. P.* verba hæc ſunt: *Labeo, & Nerva filius responderunt, deſinere me poſſidere eum locum, quem flumen, aut mare occupaverit;* nec niſi ex Gothofredi notis *b.* apertum eſt, id ſaltem intelligendum eſſe de inundatione diuturna, non ſi ad paucos dies, aut ex conſuetudine id fiat, uti in Ægypto. Poſterior locus *ſcil. L.* 12. §. 2. *Reb. auct. jud.* ſic habet: *ſi propter naturam rei, veluti ſi prædium inundatum ſit, non poteſt poſſideri, recte dicitur, non eſſe quod poſſideatur;* ubi Gothofredus in notis itidem addit: *immo male, id enim poſſidemus.* Cæterum, verba ſupra in textu *b.* allegata non ex *L.* 3. §. 17. ſed ex *L.* 30. §. 3. A. P. depromta ſunt, mutato per errorem τῷ *nos*, quod omnes, quas conſulere potui, editiones habent, in *non*; ibi: *Quod mari, aut flumine occupatum ſit, poſſidere nos deſinimus.* Videtur igitur ſummus Auctor cum lapſu memoriæ Paulum citaret, Gothofredi limitationem in animo habuiſſe.] D.

(*o*) L. 24, pr. ff. quib. mod. us. am.

Digitized by Google

Aliud autem eſt, ſi *novus alveus* conſtituitur: idque Javolenus [p] in terminis tradit; ita enim pergit: *Nam ſi* ALVEO MUTATO *inde manare cœperit, amitti uſumfructum exiſtimo, NB. cum is locus alvei publicus eſſe cœperit* [q]; *neque in priſtinum ſtatum reſtitui poſſe.* [r]

Neque *obſtat*, quod Pomponius afferat, *per ſimplicem inundationem* fluminis, vel maris, uſumfructum, immo ipſam proprietatem amitti, ac ne piſcando quidem retineri [rr]. Reſp. Pomponium talem intelligere inundationem, quæ *novum alveum* facit: nam hoc ſolo caſu aſſeritur, proprietatem, uſumfructum, & poſſeſſionem interire, ac tolli [s]. Quod vel ex eo confirmatur, quia JCtus huic *inundationi* opponit caſum, *ubi eodem impetu diſceſſit aqua, quo venit;* atque hoc caſu *& proprietatem, & uſumfructum reſtitui*, ait [ss]. At verum id tantum eſt, quando *novus alveus* factus non eſt, adeoque aqua *citra conſtitutionem novi alvei* venit, & recedit: ſi enim *alveus novus* factus eſt, recedente poſtea aqua, nec proprietas, nec uſusfructus in priſtinum ſtatum reſtituitur. [t]

Atque id ex analogia juris neceſſario ſequitur. Nam per inundationem non mutatur forma territorii, aut ſpecies fundi [u]; quia, uti ratio hæc a JCto [v] allegatur, *ſolum perpetuo ejuſdem juris manſit.* At alveo mutato ſpecies fundi mutatur, adeoque jus domini perit, & locus avei publicus eſſe cœpit [x]. Hinc notanter *loci uſusfructus legatus, ſi fuerit inundatus, NB. ut ſtagnum jam ſit, aut palus*, exſtingui dicitur [y], quia ſolum mutatur [z]: & e contrario, *ſtagni uſufructu legato, ſi exſiccuerit, & ager factus ſit, NB. re mutata uſusfructus exſtinguitur.* [a]

§. CCLXXVI. Jure rei noſtræ porro acquirimus *inſulas in flumine publico natas*, juxta latitudinem prædiorum noſtrorum; ſi agri ſunt arcifinii, non ſi ſunt limitati: idque ex doctrina Pauli [b], Gaji [c], Ulpiani [d], & Imperatoris, certum eſt. [e]

n. 1. Ad illuſtrationem hujus ſententiæ repetendum eſt, quod ſupra diximus, alveum, & ripas fluminum publicorum, eſſe partem agrorum vicinorum; ea autem ideo publici juris fieri, i. e. uſum earum ideo communem eſſe, quia a flumine publico occupantur. Unde duo ſequuntur: 1. uſus privatos, etiam in ripa, & alveo fluminis publici, poſſeſſori agri ſalvos eſſe [f]: 2. ceſſante uſu populi flumen deſinere eſſe publicum.

n. 2. His poſitis neceſſario ſequitur, inſulam cedere dominis vicinorum prædiorum, ſi agri ſunt *arcifinii*; quia uti alveus, ita & inſulæ ſunt pars illorum prædiorum. Atque hæc ratio eſt, cur poſſeſſor ædificare in inſula poſſit [g]; ea enim non habetur pro loco publico. [h]

n. 3. Acriter contrariam ſententiam defendit Labeo [i], aliique, qui ripas, &

(p) d. l. 24. l. 1. §. 5. De flum. (q) Ad. l. 1. §. 7. De flum. (r) Conf. §. 23. & 24. Inſt. R. D. (rr) L. 22. ff. quib. mod. uſ. am. (s) per text. expr. in l. 24. Rer. div. (ss) Dict. l. 23. & l. 30. §. 2. A. R. D. (t) per text. expr. in d. l. 24. in fin. pr. (u) §. 25. Inſt. De rer. div. (v) d. l. 24. (x) d. l. 24. l. 1. §. 5. De flum. (y) in l. 10. §. 2. Quib. mod. uſ. am.

(z) Conf. l. 24. §. De aq. pluv. (a) L. 10. §. 3. eod. (b) L. 65. §. 1. & 2. A. R. D. l. 29. eod. (c) L. 7. §. 3. A. R. D. l. 6. R. D. (d) L. 1. §. 6. flum. l. 24. Damn. inf. (e) §. 22. Inſt. Rer. div. (f) §. 4. Inſt. Rer. div. Conf. §. 275. (g) L. 14. ff. de A. R. D. (h) L. 1. §. 6. De flum. l. 15. A. R. D. (i) L. 65. ff. A. R. D.

& alveum inter res publicas referunt [k], adeoque & inſulam in flumine publico natam publicam eſſe, ſupponunt [l]; nam ita argumentatur Labeo: *Si id, quod in publico natum, aut inædificatum eſt, publicum eſt, inſula quoque, quæ in flumine publico nata eſt, publica eſſe debet* [m]. Quo collimare videtur, quod Ulpianus ait [n]: *impoſſibile eſſe, ut alveus fluminis publici* (adeoque & inſula alveo cohærens) *non ſit publicus.* Reſp. Loquuntur hi JCti *de agris limitatis*, in quibus inſula non cedit vicinis, ſed publica eſt, eoque cedit occupanti [o]. Nam in *agris arcifiniis*, ubi ſolum flumen limitem conſtituit, naturali ratione certum eſt, alveum ex vicinis agris conſtare, & partem agri illius eſſe; quæ pars ideo ſaltem exemta eſt uſui vicinorum, quia flumine, quo populus utitur, tegitur: ceſſante ergo impedimento, pars illa cum toto redintegratur. Adeoque in his agris potior eſt ratio Pauli; quam etiam Imperator approbavit. [p]

n. 4. Ceſſat ergo hæc acquiſitio inſulæ 1. in *agris limitatis* [q]; cum enim ripæ; & alvei fluminis, extra limites conſtituti, & publico relicti ſint [r], certum eſt, inſulas in flumine publico natas publicas, i. e. inter ſingulos cives diſtributas non eſſe, indeque cedere occupanti [s]: 2. in *mari*; cum enim alveus marinus, & littora maris, ſint publica jure Gentium, adeoque non ſingulorum propria, certum eſt, vicinos, quibus nullum jus in littora competit, ſibi nihil in hac inſula jure agri ſui arrogare poſſe, ſed eam cedere occupanti, tamquam rem nullius. [t]

Neque *obſtat* doctrina Celſi [u], qui littora, & mare, populi Romani eſſe tradit; adeoque & inſulæ in mari natæ ejus eſſe videntur. Reſp. ſunt populi quoad imperium [v], non quoad proprietatem [x]: nam quoad hanc & alveus maris, & littora maris, ſunt nullius; adeoque eodem jure & inſulæ, quæ ſunt pars alvei.

3. In *lacubus*, *& ſtagnis* [y], quia proprietas horum locorum privata eſt; adeoque ſi inſula ibi naſcitur, ea prioris domini manet.

4. In *fluviis privatis*, ex eadem ratione; uti enim fluvius in privatorum proprietate eſt, ita & inſulæ in fluvio illo natæ [z]. Unde etiam finium regundorum actio in flumine privato obtinet. [a]

5. In *inſula ex virgultis nata*, quæ natat, & alveo non cohæret; hæc enim acceſſio fluminis publici, eoque publica eſt [b], indeque cedit occupanti.

§. CCLXXVII. Denique *jure rei noſtræ* dominium quoque acquirimus per *Acceſſionem* [c]: quando, nimirum, rei noſtræ principali pars quædam accedit minus principalis; acceſſorium enim ſequitur principale. [d]

n. 1. Ratio naturalis hujus acquiſitionis in eo conſiſtit, quod per hujuſmodi

(*k*) Vid. ſupr §. 220, & 223, (*l*) d. l. 65, §. 1, A. R. D. l. 2, §. 13, Ne quid in loc. publ. (*m*) L. 65, § 4, A. R D. (*n*) L. 1, §. 7, De flum. (*o*) L. 1, §. 6, ff. De flum. (*p*) §. 22, Inſt. R. D. (*q*) d. l. 1, §. 6, ff. De flum. (*r*) L. 16, ff. A. R. D. (*s*) L. 1, §. 6, ff. De flum. (*t*) L. 27, § 3, A. R. D. l. 1, §. 1, A. P. (*u*) In l. 3, Ne quid in loc. publ. (*v*) d. l. 3, pr. (*x*) L. 14, pr. A. R. D. (*y*) L. 24, §. 3, aq. & aq. pluv. arc. l. 12, A. R. D. (*z*) Arg. l. 1, §. 4, de flum. (*a*) L. 6, ff. Fin. reg. (*b*) L. p. §. 2, A. R. D. (*c*) L. 23, §. 2, & §. 5, Rei vind. L. 19, §. 3, De aur. leg §. 26, Rer. div. L. 1, pr. junct. l. 7, §. 1, ſeq. & §. 10. ſeq. A. R. D. §. 29, R. D. (*d*) l. 20, l. 29, ff. Aur. leg. l. 19, §. 12, & §. 20, eod. §. 26, Inſt. Rer. div. l. 23, §. 5, Rei vind.

di acceſſionem *prior ſpecies* (quamdiu pars alieni corporis eſt) extincta videatur [e], & nunc tanquam pars ſequatur jus totius. Res ergo principalis per prævalentiam trahit rem alienam [f], i. e. pars minus principalis acceſſionis loco cedit principaliori [g]. Is igitur, cujus rei alia accedit, efficitur dominus totius [h], id eſt tota ejus eſt, cujus antea fuit. [i]

n. 2. Ut autem hæc acquiſitio locum habeat, duo requiruntur: 1. ut acceſſio pars fiat rei alienæ, & quidem 2. rei prævalentioris.

Aliud igitur obtinet 1. ſi res, quæ accedit, non ſit vera pars rei alienæ: uti ſi corpus ex diſtantibus corporibus conſtat, non ex cohærentibus, & connexis; tunc enim ſingulæ partes ſuam retinent ſpeciem. Hinc ſi gregi alienæ aries meus mixtus eſt, is non cedit gregi jure acceſſionis [k]; neque ſtercus alienum meo ſolo illatum cedit ſolo. [l]

Aliud quoque obtinet 2. ſi res accedit alienæ rei, quæ non eſt prævalentior: uti ſi duæ res diverſorum dominorum, quarum neutra alteri acceſſioni eſt, ferrumine junguntur [m]; vel ſi argentum argento miſcetur. [n]

n. 3. Bene autem in hac dominii acquirendi ſpecie notandum eſt, per *acceſſionem* aliquando *priorem ſpeciem* perpetuo extingui, aliquando ſalvam eſſe. *Priori* caſu dominus prævanlentioris rei dominium ſpeciei ita acquirit, ut illa, etſi ſeparata, a priori domino vindicari non poſſit [o], quia ſemel ejus eſſe deſiit [p]. Unde purpura veſtimento intexta cedit veſtimento jure acceſſionis [q], color lanæ [r], brachium per ferruminationem junctum ſtatuæ [s], arbor, & planta ſolo, ex quo radices egit.

n. 4. Atqui hoc caſu nova ſpecies non videtur acquiri per acceſſionem, ſed jure ſpecificationis; ex aliena enim materia nova ſpecies fit, quæ ad priſtinam materiam reverti non poteſt. Reſp. Regula hæc, *quod ſi ex re aliena nova ſpecies conficitur, ea cedat facienti jure ſpecificationis*, exceptionem patitur, ſi nova ſpecies accedit rei prævalentiori [t]: uti ſi quis veſtimento ſuo aurum alienum intexuit; tunc enim facienti non acquiritur jure ſpecificationis, ſed acceſſionis [u]. Hinc res prævalentior, cui nova ſpecies accedit, non ad facientem pertinet, nec nova ſpecies ei acquiritur, ſed domino rei prævalentioris: ſi proinde meum brachium alienæ ſtatuæ jungo per ferruminationem, non mihi acquiritur ſtatua, ſed brachium jure acceſſionis cedit ſtatuæ alienæ, adeo ut nec ſeparato brachio dominium vindicare poſſim, quia tota ſpecies ſemel deſiit. [v]

Pari ratione ſi quis plantam, vel arborem in alienum ſolum tranſtulit, ex quo radices egerunt, nova ſpecies fit, deſinit eſſe prior arbor, & planta [x]; adeoque cedunt ſolo, cujus pars ſunt: adeo ut nec ſeparata planta, vel arbor vindicari poſſit.

Ratio

(*e*) L. 6, §. 1, Aur. & arg. l. 6, ad exhib. l. 23, §. 5, R. V. l. 23, §. 2, eod. l. 26, §. 1, l. 27, §. 1, A. R. D. l. 13, §. 1, V. S. l. 7, §. 5, & 6, A. R. D. (*f*) l. 23, §. 4, R. V. (*g*) l. 23, §. 5, Eod. (*h*) d. l. 23, §. 1. (*i*) L. 26, §. 1, A. R. D. (*k*) L. 23, §. 5, R. V. (*l*) L. 5, §. 3, Ad exhib. (*m*) L. 27, §. 2, A. R. D. (*n*) L. 3, §. 2, R. V. l. 27, pr. A. R. D. (*o*) L. 23, §. 5, R. V. l. 24, A. R. D. (*p*) d. l. 23. (*q*) §. 26, R. D. (*r*) L. 26, A. R. D. (*s*) L. 23. §. 5, R. V. (*t*) §. 26, R. D. (*u*) d. §. 26. (*v*) L. 23, §. 5, R. V. (*x*) L. 26, §. 1, A. R. D.

Digitized by Google

Ratio differentiæ hæc eſt, quod per acceſſionem novæ ſpeciei priſtina ſpecies *totius* non mutetur; ſic enim veſtimentum manet, etſi purpuræ intextæ ſpecies pereat. Statua manet, nec mutatur, etſi brachium per confuſionem particularum accedat, eoque ſpecies brachii pereat. Cum ergo totum maneat, nec hactenus per acceſſionem novæ ſpeciei mutetur, jus domino *totius* ſalvum in re manet, adeoque nec facto meo id ei auferre poſſum. Quod ſecus eſt in ſpecificatione, ubi ſpecies *totius* rei perit, adeoque nihil ſupereſt, quod priſtinus dominus ſuum dicere poſſit.

In genere autem notandum eſt, quod in omnibus caſibus, ubi acceſſio novam ſpeciem conſtituit, pretium materiæ priſtinæ reſtitui domino debeat. [y]

n. 5. *In poſteriori* acceſſionum genere, ubi priſtina rei ſpecies ſalva manet, dominus rei prævalentioris, cui res aliena accedit, non acquirit dominium acceſſionis niſi quamdiu eſt pars totius. Cum enim totum, ſeu univerſitas, mea ſit, ſingulæ quoque partes, quatenus totum conſtituunt, meæ ſunt. Neque enim mutatione partium univerſitas mutatur. At ex quo pars illa deſinit eſſe pars totius, dominium partis reviviſcit, & priſtinus dominus eam vindicare poteſt.

n. 6. Cum vero hæc principia hactenus a Doctoribus non ſatis fuerint elucidata, altius paululum repetenda ſunt. Notandum autem eſt, *aliud* eſſe univerſitatem, corpus, ſeu totum; *aliud* res ſingulas, ſeu partes, & ſpecies, quæ univerſitatem, quæ corpus conſtituunt. [z]

Corpus eſt vel *unitum*, quod uno continetur ſpiritu, ut ſtatua [a]; vel *connexum*, quod ex contingentibus, i. e. pluribus inter ſe cohærentibus conſtat, ut ædificium, &c. [b]. Partes illius Corporis ſunt v. g. tignum, materia, tabulæ, &c. ex quibus ædificium, navis, &c. conſtat. [c]

n. 7. Alia autem ſunt *jura* corporis, i. e. totius, ſeu univerſitatis; alia *partium* [d]. Nam 1. qui univerſas ædes poſſidet, ſingulas res, ex quibus ædes conſtant, non poſſidet [dd]; & qui navem poſſidet, non videtur poſſidere tabulas, ex quibus navis conſtat [e]. Econtrario 2. qui ſingulas res, ex quibus ædes conſtant, poſſidet, non videtur poſſidere ædes [g]. Hinc 3. ædibus uſucaptis, ſingulæ res, ex quibus ædes conſtant, uſucaptæ non videntur [h]. 4. Uſucaptis ſingulis rebus, ædes uſucaptæ non ſunt [i]. Unde 5. evenit, ut dominus ſoli poſſit vindicare ædificium, non materiam: & e contrario 6. dominus materiæ poſſit vindicare tignum, non ædes. [k]

n. 8. Ex prædictis jam apparet, dominum *corporis*, ſeu totius, neceſſario acquirere *partes* accedentes, jure totius. Quando igitur res aliena accedit rei prævalentiori, ita ut ejus vera pars fiat, corpus, ſeu totum ejus eſt, cujus antea fuit [l]; & unitas majoris partis conſumit acceſſionem [m]; res, quæ accedit, in ſua ſpecie non manet: adeoque & hactenus res quodammodo extincta videtur

(*y*) §. 32. R.D.l.23. §.5. R.V. (*z*) L. 2. §.6. Pro emt. (*a*) L.30, Uſurp. l.23, §. 5. R. V. (*b*) d. l. 30. (*c*) L. 23. de Uſurp. (*d*) Grot. l. 2. c.5. §.17. l.2. c.9. §.3, c.20. §. 1. n. 8. c. 21. §. 2. & 7. l. 3. c. 2. §. 1. Leg. 7. §. 1. ff. Quod univ. nom. l.6. §.1. ff. Rer. div. (*dd*) L. 30, pr. A.P. l.23. uſurp. (*e*) d.l.30. (*g*) d.l.23. pr. l.8. Quod vi, aut clam. (*h*) L. 7. §. 11. A. R.D. l.23. in fin. R.V. (*i*) L.23. pr. & §.2 Uſurp. (*k*) L. 23. §.7. R.V. (*l*) L. 26. §. 1, A R. D. l. 23, §. 2, R. V. (*m*) L.23, §. 5, R. V.

videtur [n]. Univerſitas enim non mutatur, etſi ſingulæ partes mutentur. [o]

n. 9. At hoc tantum obtinet, quamdiu acceſſio illa pars totius eſt, adeoque quamdiu pars corpori unita, vel connexa eſt [p]. Quando vero pars illa ſeparatur, adeoque non amplius unita, vel connexa eſt corpori, dominus partis, cujus dominium ſalvum manſit, vindicare rem poteſt [q]: impedimentum enim, quod obſtabat, ceſſat; is, cujus corpori antea pars acceſſit, jus amplius, deficiente quippe unitate, non habet. Hinc [a] ædificium cedit ſolo, quamdiu ſubſiſtit; at diruto ædificio, materia ad priorem dominum revertitur. [b] Tignum cedit ædificio quamdiu ædificio cohæret; at ſi tignum inde ſeparatum eſt, prior dominus illud vindicare poteſt. [c] Tabula cedit navi; at ubi deſiit eſſe juncta, reviviſcit dominium ejus, cujus tabula antea fuit. [d] Gemma cedit annulo, vel vaſi, quamdiu annulo, vel vaſi juncta eſt; at ſeparata prioris eſt domini, & is eam vindicandi jus habet.

n. 10. Anne vero iniquitas hic ſubeſt, quod dominus materiæ exſpectare debeat usque dum dirutæ ſint ædes? Sane, is, ad quem totum pertinet, interim utitur re aliena; quod rationi, & æquitati naturali repugnare videtur. Reſp. huic quoque iniquitati proſpexit jus Romanum, dum materiæ domino dedit actionem ad exhibendum, qua agere poteſt ut ſeparetur materia, & tunc vindicetur. [r]

n. 11. His principiis poſitis, tota doctrina JCtorum Romanorum, de acquiſitione dominii per acceſſionem, quæ Grotio adeo injuſta videbatur, clara, ac perſpicua erit.

n. 12. Eſt igitur regula naturalis, quod res aliis prævalentioribus junctæ, vel adjectæ, his acceſſionis loco cedant [s]. Rem prævalentiorem autem JCti Romani definiunt, 1. ſine qua altera eſſe non poteſt [t]; quæ ornandæ alterius cauſa accedit. [u]

n. 13. PRIMO igitur per acceſſionem res acquiritur, *ſi tali rei accedit, ſine qua illa eſſe non poteſt:* uti ſi aliquid accedit corpori, quod ex pluribus contingentibus, ſeu cohærentibus, conſtat.

n. 14. Hinc *I.* ædificium etſi marmoreum, cedit ſolo [v]. Solum igitur hic principale eſt, quia ædificium ſubſiſtere absque ſolo non poteſt: ita enim implicatur ſolo, ut fiat res immobilis, & pars ſoli [x]. Si igitur dominus materiæ vindicare ædes vellet, vindicaret ſolum, quod ipſius nunquam fuit.

Hinc prius ad diruendas ædes, & ad ſeparandam materiam agere, & ſeparatam materiam demum tanquam ſuam (dominium enim materiæ extinctum nunquam fuit) vindicare debet; quod, in ſequenti membro pluribus examinabimus.

Ædificium igitur cedit ſolo, ſive is, qui ædificavit in ſuo fundo, ex aliena materia ædificaverit [y], ſive alius ex ſua materia in alieno fundo ædes poſuerit [z]. Neque intereſt, utrum bona, an

(n) L.6, §. 1, Aur. leg. (o) L. 76, De judic. Grot: l. 2, c. 9, §. 6. ſeq. (p) L. 23, §. 5, R. V. l, 59. eod. l. 2. C. eod. (q) L. 23. §. fin. R. V. (r) L. 23, §. 5. R. V. l. 6, ff. Ad exhib (s) L. 23, §. 4. & 5, R. V. (t) L. 23, §. 5. R. V. (u) L. 26. §. 1. A. R. D. (v) L. 15, §. fin. De Inſt. legat. l: 98. §. 8. ſolut: l. 7. § 10. Acq. rer. dom. l. 15. eod. junct. l. 5. l. 6. ff. Rer. div. §. 29. Rer. div. l. 2, l. 37, l. 39. l. 49, pr. ff. Rei vind. l. 2, ff. de ſuperf. l. 23. §. 6. & 7, Rei vind. (x) L. 30, §. 1, Uſurp. l. 23, pr. eod. (y) d. l. 7. §. 10, d. §. 29, (z) l. 7, §. 12. Acq. rer. dom.

Digitized by Google

an mala fide, ædificaverit (hæc enim diſtinctio jure Romano in pœnam malæ fidei inventa eſt [a]).

Atque hæc ratio eſt, cur uſufructuario cedat uſus ædium a domino exſtructarum, ita ut nec dominus invito fructuario deſtruere ædes poſſit [b]. Immo nec fructuarius [c], nec colonus [d], ædes a ſe in fundo uſufructuario, vel conducto poſitas, tollere, aut refigere poſſunt.

n. 15. Hinc *II.* Tignum alienum ædificio junctum cedit ædificio [e]. Si igitur ex alieno cæmento mihi ædes exſtruo, ſi ex aliena materia meum ædificium reparo, ſi alienam feneſtram meis ædibus jungo, &c; cæmentum, materia, & feneſtra fiunt pars ædium, & cum univerſæ ædes meæ ſint, ſub hac univerſitate quoque partes illæ continentur. Dominus igitur materiæ perdit jus ſuum, indeque vindicare materiam non poteſt [f]; quia partem ædium vindicaret, quæ totæ meæ ſunt. Exſtincta igitur hactenus eſt ſpecies, quæ acceſſit [g], dum formam mutavit [h]; unitate majoris partis conſumta eſt acceſſio [i]; deſinit prior qualitas, & pars jam novam qualitatem per acceſſionem conſecuta eſt: deſinit enim eſſe tignum, & fit pars ædium [k], quæ totæ ejus ſunt, cujus antea fuerunt. [l]

Etſi vero tignum jure totius cedat ædificio, tigni tamen dominium non in perpetuum extinctum eſt, ſed tantum quatenus pars ædium, adeoque quamdiu junctum eſt [m]. Optime rem explicat Theophilus: *illud*, ait, *tamen apertum eſt, dominium materiæ non in perpetuum excidiſſe dominio ejus, ſed tantiſper, dum conſiſtit ædificium* [mm]. Ex quo vero tignum ſeparatum eſt ab ædificio, (ad ſeparationem autem dominus agere poteſt actione ad exhibendum) [n], impedimentum ceſſat, jus dominii reviviſcit, indeque vindicare illud priſtinus dominus poteſt [nn]. Totum enim jus dominii in hunc caſum ſalvum eſt: & proinde aliud jus eſt ædificii, ſeu corporis; aliud materiæ, ſeu partium illius corporis. [o]

JCti Romani ex ratione politica hanc actionem ad exhibendum, ratione tigni alieno ædificio juncti, in urbe prohibuerunt, ne urbs ruinis deformetur [p]; ideoque rei vindicationem diruto demum ædificio dedere [q]; ſed ſtante ædificio domino materiæ actionem in duplum veri pretii dedere, ſi *bona fide* dominus junxit [r]; ſi enim *mala fide junxit*, donaſſe cenſetur [s] (quod tamen jure codicis mutatum eſt [t]).

Aliquando mala quoque fide jungenti impenſæ reſtituuntur jure Romano, ſi

(*a*) L. 23, §. 6. Rei vind. junct. l. 1. ff. Tign. junct. (*b*) L. 12, ff. Uſu legat. (*c*) L. 15, pr. Uſufr. (*d*) L. 2, ff. de Superf. (*e*) L. 2, C. Rei vind. l. 59, ff. eod. l. 7, §. 21, l. 18, ff. acq. Rer. dom. l. 16, C. eod § 30, Inſt. Rer. div. (*f*) L. 23 §. 6 Rei vind. l. 23. §. 5, l. 59, eod. l. 2. C. eod. (g) Arg. l. 6, §. 1, Aur. legat. l. 13, §. 1. de Verb. ſign. (*h*) L. 9, §. 3. Ad exhib. (*i*) L. 23, §. 5, Rei vind. (*k*) L. 26. §. 1. Acq. rer. dom. (*l*) d. l. 26, §. 1. L. 23, §. 2, Rei vind. (*m*) Vid. §. 29. Inſt. R, D. (*mm*) Paraphr. Inſt. tit. Rer. Div. §. 29. (*n*) Supr. § 10, (*nn*) L. 23, pr. & §. ult. uſurp. l. 7. §. 2. ff. exc. rei judic. §. 29, Inſt. Rer. div. (*o*) Vid ſupr. n. 7. (*p*) d. §. 29, l. 7, §. 10, A. R D. l. 15, pr. Uſufr l 23. §. 6, R. V. (*q*) d. l. 29, d. l, 15. l. 2, C. Rei Vind. l. 43, ff. R V. (*r*) d. §. 29, d. l. 7, §. 10, A. R. D. l. 23, §. 6, R. V. (*s*) d. §. 30, l. 5. C. ædif. priv. (*t*) l. 2. C. R. V.

ſi [a] reparatio neceſſaria fuerit [u]; [b] utiles quoque jungens repetit, ſi poſſidet [v]: [c] ſi non poſſidet, utiles, & voluptuarias tollere poteſt ſi ſine diſpendio ædificii tolli poſſunt [x], inprimis ſi pauper eſt [y]. Quanquam in arbitrio poſſeſſoris ſit, offerendo pretium retinere impenſa.

n. 16. Hinc *III.* Planta aliena cedit ſolo, ſi vera ejus pars ſit, i. e. ex quo coaluit [a]; tunc enim alia ſpecies facta videtur, alio terræ alimento [b]: adeo ut nec ſeparata a priſtino domino vindicari poſſit; in quo ab ædificio differt. [c]

n. 17. Idem *IV.* obtinet in arbore aliena, fundo meo impoſita: nam is quoque cedit fundo, ſi radices egit. [d]

n. 18. Sed & *V.* ſemen, inſitum ſolo, huic cedit, etſi radices non egerit; quia ſtatim ita pars ſoli ſit, ut per naturam ſeparari non poſſit. [e]

n. 19. Ex eadem ratione *VI.* pictura, etſi pretioſiſſima, cedit tabulæ etiam viliſſimæ [f]: & *VII.* ſcriptura chartæ [g]. Sed & *VIII.* tabulæ navis cedunt navi [h]. Rationem addit JCtus [i], *quia cupreſſus, i. e. arbor non manet*; adeoque nova ſpecies fit, nimirum, corpus cupreſſeum. *IX.* Navis cedit carinæ, ſi ſcilicet navis ex alienis tabulis confecta carinæ jungitur [k]. *X.* Pes, manus, brachium, &c. ſi alienæ ſtatuæ junguntur, cedunt ſtatuæ [l]: fundus, aut anſa alieno ſcypho juncta, cedit ſcypho [m]. Ratio a JCto hæc additur, quia brachium non poteſt tuum dici; tota enim ſtatua uno ſpiritu continetur [n]: adeoque ſtatua, cum ejus acceſſione, tota ejus eſt, cujus antea fuit. [o]

n. 20. *Secundo*, prævalentiorem rem eſſe, eoque jure acceſſionis rem acquiri, diximus, *ſi quid ornandæ rei cauſa accedit.* Uti 1. ſi purpura accedit veſtimento [p], vel color lanæ [q]; tunc enim purpura cedit veſtimento, & color lanæ.

Hinc 2. gemma auro incluſa cedit auro [r]; niſi aurum gemmæ ornandæ cauſa accedat [s]: æſtimari autem hæc debent ex viſu, & uſu jungentis. [t]

Atque hæc 3. ratio eſt, cur gemma annulo incluſa cedat domino annuli [u]. Gemma nova ſpecies fit, priorque ſpecies quodammodo extincta eſt [v], quamdiu ſcilicet annulus ſubſiſtit; nam gemma ſeparata, (agi autem actione ad exhibendum poteſt, ut ſeparetur [x]) dominus gemmæ eam vindicare poteſt. [y]

Atqui gemma pretioſior, indeque principalior eſt, adeoque annulus cedere gemmæ videtur. Reſp. Ideo annulus pro re prævalentiori habetur, quia ejus ornandæ cauſa gemma accedit [z]; adeoque qui dominus annuli eſt, neceſſario quoque eſt dominus ornamenti, quamdiu partem annuli conſtituit.

Ex eadem ratione 4. unio, & gemma aliena, vaſis ornandi cauſa juncta, cedit

(*u*) l. 38, R. V. l. 5, C. eod. (*v*) d. l. 38, l. 14, Exc. dol. (*x*) l. 37, ff. R. V. l. 5, C. eod. (*y*) l. 35, ff. R. V. (*z*) d. l. 38, (*a*) l. 5. §. 3, Rei Vind. §. 31, Inſt. Rer. div. l. 5. §. 13, l. 9, Aur. legat. (*b*) d. l. 31, l. 26, §. 2, Rei vind. l. 9, §. 2, Damn. inf. (*c*) d. §. 31. d. l. 9. d. l. 26. §, 2. (*d*) d. §. 31. Inſt. Rer. div. (*e*) §. 31. & §. 32, Inſt. Rer. div. (*f*) l. 9. §. 1. Acq. Rer. dom. l. 23. §. 3, & 4, Rei vind. (*g*) dd. ll. l. 3, §. 14, ff. Ad exhib. l. 9, §. 2, Acq. rer. dom. (*h*) L. 6, ff. Rei vind. l. 26, §. 1, Acq. rer. dom.

(*i*) d. l. 61, (*k*) d. l. 61, §. 1, Rei vind. (*l*) d. l. 23, §. 2, & 5. Rei vind. l. 26. §. 1, Acq. rer. dom. l. 14, ff. Aur. legat. (*m*) d. l. 26, §. 1, d. l. 23, §. 2, (*n*) d. l. 23. §. 6, (*o*) L. 26, §. 1. R. V. (*p*) §. 26, Inſt. Rer div. (*q*) l. 26. in fin. Acq. rer. dom. (*r*) L. 6. ff. Ad.-exhibend. (*s*) l. 19, §. 18, 19, & 20, Aur. legat. (*t*) l. 29. §. 1, Aur. leg. l. 32, §. 5, eod. (*u*) l. 19, § 16. Aur. legat. (*v*) l. 6, §. 1, Aur. legat. (*x*) l. 6, ad exhib. (*y*) l. 23, §. 5. Rei vind. d. l. 6, (*z*) l. 19, §. 13. & 20, Aur. legat.

Digitized by Google

cedit vaſi [a]; quia uniones, & gemmæ alienæ, quæ vaſi accedunt, in ſua ſpecie non permanſerunt, adeoque per acceſſionem quodammodo exſtinctæ videntur [b]. Hinc dominus gemmæ eam vindicare non poteſt, quamdiu juncta eſt [c]: idque in omnibus reliquis rebus per acceſſionem junctis ita obtinet. [d]

SECTIO III.

De acquiſitione dominii Jure Familiæ; ubi de origine Succeſſionis ab inteſtato agitur.

§. CCLXXVIII. ROMANI JCti alteram JURIS IN RE ſpeciem conſtituunt HÆREDITATEM. Ubi præmittendum eſt, *hæreditatem* eſſe jus aliquod univerſale, complexum aliquem omnium jurium defuncti [e], qui continet non tantum jura, quæ defunctus *in re* habuit, ſed & omnia *jura perſonalia* defuncti. Nam hæres in utriſque ſuccedit, & in utriſque repræſentat perſonam defuncti. Unde actiones hæreditariæ naturali quoque ratione mixtæ [f] ſunt, i. e. partim reales, partim perſonales.

§. CCLXXIX. Quando igitur *hæreditas* inter *jura in re* refertur, hoc jure naturæ tantum verum eſt quoad *dominium*, quod defunctus habuit, & quod continuatur ab hærede. Actiones vero perſonales non pertinent ad *jus in re*, ſed ad *obligationes perſonæ*, adeoque ad tertium objectum juris. [g]

Hactenus igitur *hæreditas* non differt a *dominio*: ſed ideo ſeparato titulo tractatur, *tum* quia dominium hic ſub complexu omnium jurium continetur (hæreditas enim eſt modus acquirendi univerſalis, & continet jura in re, & jura perſonæ [h]); *tum* quia modus acquirendi particularis eſt: neque enim facto noſtro, neque jure rei noſtræ, hæc dominii ſpecies acquiritur, ſed ſucceſſione, i. e. per continuationem familiæ.

§. CCLXXX. Antequam vero in rationem acquirendæ hæreditatis naturalem inveſtigemus, explicare neceſſe eſt, quidnam ſit *corpus artificiale*. Nam ſæpius contingit, res natura per ſe diſtantes, uni nomini ſubjici, & uno quaſi ſpiritu regi [i], quæ corpus artificiale conſtituunt.

n. 1. Conſtituitur autem tale corpus *conſenſu*: quo poſito regula naturæ eſt, ut prout partes diſponunt, ita jus ſit. Exempla ejusmodi corporum artificialium varia ſunt pro varia hominum diſpoſitione.

n. 2. *Primum* enim, & illuſtre exemplum eſt in civitate, quæ eſt diſpoſitio plurium familiarum, qua jus imperii, i. e. jus defendendi jura ſingulorum, in totam civitatem conferunt.

Civitas igitur eſt corpus aliquod artificiale, ſeu myſticum, ſocietas quædam conſenſu conſtituta in eum finem, ut univerſum, ſeu corpus, regat, ſinguli pareant. Atque ex hoc conſenſu, non tantum univerſitati jus aliquod in ſingulorum res, & bona competit, ſed & ſingulis jus aliquod in univerſitatem quæritur.

Effe-

(*a*) l. 6, §. 1, Aur. legat. (*b*) d. l. 6, §. 1, (*c*) l. 6, ff. Ad exhib. (*d*) l. 23, §. 5, R. V. (*e*) l. 178, §. 1, Verb. ſign. l. 8, ff. de acq. vel omit. hær. (*f*) §. 20. Inſt. act. §. 3. & 4. Inſt. de obl. quæ quaſi ex contr. (*g*) Vid. lib. ſeq. cap. 7. (*h*) Vid. §. 278. (*i*) Grot. L. 2, c. 9. §. 3.

Effectus hujus rei inter alios hic eſt, ut corpus illud non intereat, etſi ſinguli mutentur, adeoque etſi membra quædam illius corporis moriantur [k]. Nam ſpiritus ille, qui totum unit, nomen illud civitatis, & vinculum illud, quod univerſitatem colligat, manet, & perpetuatur in ſucceſſoribus. Atque hoc ſenſu Principes nunquam mori, civitates eſſe immortales, & populum præſentem eundem eſſe, qui mille abhinc annis vixit, etiam naturali ratione aſſeri poteſt. [l]

n. 3. *Collegium* quoque corpus aliquod artificiale eſt, conſenſu ab initio conſtitutum. In tali univerſitate itidem nihil refert, utrum omnes iidem maneant, an pars maneat, vel an omnes immutati ſint. Hinc ſi univerſitas ad unum redit, jus omnium in unum recidit, & ſtat nomen univerſitatis [m]. Unde unus ille & convenire, & conveniri poteſt. [n]

n. 4. Pari ratione *judicium* ſemel conſtitutum idem manet, quod antea fuit, etſi omnes judices mutati eſſent [o]. Idem in legione, in nave, etſi refecta, obtinet. [p]

§ CCLXXXI. Simile exemplum, & magis naturale, eſt in *familia*. Hæc enim corpus aliquod eſt, quod vel proprio jure ipſorum continetur, vel jure communi univerſæ cognationis. [q]

Familia, quæ *proprio jure* continetur, conſiſtit ex pluribus perſonis, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectæ, e. g. patre familias, matre familias, & filio, ac filia familias, & qui deinceps vicem eorum ſequuntur, nempe nepotibus &c.

Communi jure familiam dicimus corpus, quod agnati invicem conſtituunt. Etſi enim patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habeant, tamen omnes, qui ſub unius poteſtate fuerunt, recte ejusdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem domo, ac gente proditi ſunt. [r]

n. 1. Effectus inſignis hujus *corporis* eſt, ut ſubſiſtat, etſi membra ſingula mutentur. Adeoque ſublato capite non diſſolvitur corpus, ſed omnia jura familiæ devolvuntur ad membra illius familiæ, & æquis partibus inter eos diſtribuuntur: i. e. liberi ſuccedunt in omne jus defuncti patris.

n. 2. Liberi igitur dicuntur hæredes; & familia, quæ in liberos tranſit, hæreditas vocatur. Familia enim etiam in res deducitur [s]; & ſic hæreditas, & familia, ſunt ſynonyma. Quod vel exinde probatur, quia actio, quæ liberis datur ad dividendam hæreditatem, *familiæ erciscundæ* judicium dicitur [t]; & qui hæres inſtituitur, *familiæ emtor* vocatur. [u]

n. 3. His principiis poſitis, omnis ſucceſſionis naturalis ratio in aprico eſt. Pater enim ea intentione ſociam procreationis ſibi aſſumit, ut corpus aliquod familiæ conſtituat, atque liberos progeneret, qui familiam propagent, i. e. in jura familiæ ipſo mortuo ſuccedant.

n. 4. Quando igitur deficit pater, (caput illius corporis, quod familia dicitur) omne jus illius corporis manet in membris illius familiæ, i. e. in liberis, qui jam pro rata in omne jus familiæ ſucce-

(*k*) l. 7. §. f. Quod cujusque univerſ. &c. (*l*) Vid. Grot. l. 2, c. 9. §. 3, (*m*) l. 7. quod cujusque univ. (*n*) d.l. 7. (*o*) l. 76, de jud. (*p*) ibid. (*q*) l. 195. §. 2, V. S. (*r*) d. l. 195, §. 2. (*s*) l. 195. §. 1, l. 196, V. S. l. 40, §. 2, eod. l. 1, §. 18, de vi arm. ibique Goth. l. fin. in fin C. de V. S. (*t*) tot. tit. ff. Fam. erciſc. (*u*) §. 10, Inſt. de teſtam.

Digitized by Google

ſuccedunt. Hinc filius non exſtinctus videtur, quamdiu nepos ſupereſt, in quem ſubſtantia, & caro patris quaſi ſint infuſa. [v]

n. 5. Naturali igitur jure ſoli LIBERI ſuccedunt patri; quia id patris votum eſt, ut liberos habeat, qui in ipſius bona ſuccedant: ideo enim uxorem ducit, & ideo corpus familiæ conſtituit, ut jura in illa familia maneant, & per corpus illud continuentur.

n. 6. Ea enim ratio corporum conſenſu conſtitutorum eſt, ut etiam in uno (exſtinctis reliquis) nomen univerſitatis conſiſtere poſſit [x]. Et ea, quæ unum quaſi ſpiritum habent, adeoque corpus artificiale conſtituunt, ſe inſtar corporis naturalis habent; quod itidem eſſe non definit, particulis paulatim commutatis, una manente ſpecie [y]: unde populus idem hoc tempore putatur, qui centum abhinc annis fuit, licet ex illis nemo nunc vivat. [z]

§. CCLXXXII. Atque hæc totidem fere verbis a JCtis traduntur. Illi enim 1. ſucceſſionem liberorum a natura eſſe, & hæreditatem paternam naturali ratione liberis deberi, ajunt. [a]

2. Rationem ponunt in voto parentum; Papinianus enim liberos naturæ ſimul, & parentum commune votum, ad ſucceſſionem vocare, ait [b]. Unde Apoſtolus ex eo, quod quis filius ſit, argumentatur: Ergo hæres. [c]

Hinc jam 3. eſt, quod liberi dicantur eſſe quodammodo domini bonorum paternorum, etiam vivis parentibus [d]; & quod non novum acquirere dominium, ſed continuare jam quæſitum, & pleniorem ſaltem adminiſtrationem conſequi videantur [e]; atque ideo bona ad eos redire dicantur. [f]

Hinc 4. conſtat, cur liberi appellentur ſui hæredes, & neceſſarii, adeo ut nec abſtinere poſſint jure civili; quia non eſt nova acquiſitio, ſed continuatio prioris acquiſitionis, jure familiæ factæ. [g]

Hinc 5. apparet, cur hæres repræſentet perſonam defuncti, & cur cum eo pro una perſona haberi dicatur [h]. Cum enim totum familiæ jus in hærede ſubſiſtat, totumque patrimonium in hæredem devolvatur, eoque ſuccedat in omne jus defuncti, illudque continuet, eodem jure habetur hæres, quo ipſe defunctus. Cujus rei effectus inſignis hic eſt, [a] ut filius teneatur patris factum præſtare, adeo ut ſi pater alienavit bona filii propria, vel ex pacto, & providentia primorum acquirentium ei quæſita, filius ea revocare non poſſit [i]: [b] ut actiones inter patrem, & filium, confundantur. [k]

Sed

(v) L. 30, C. fidei com. l. 85, Hær. inſt. (x) L. 7, §. 2, ff. Quod cujusque univ. Vid. not. ad Grot. l. 2, c. 9, §. 4, Loſæus de jur. univerſ. p. 1, c. 1, n. 30, & 33, (y) Grot. l. 2, c. 9, §. 13, (z) Grot. d. §. 3, n. 2, (a) L. 7, ff. Bon damn. l. 7, in fin. Si tab. teſt. null. exſt. Vid. Cap. 17, q. 4. leg. 7, §. 2, C. de Cur. fur. l. 14, pr. C. Legitim. hær. (b) l. 7. §. 1, Unde lib. l. 15. pr. Inoff. teſt. l. 50, §. 2, ff. Bon. libert. ibi, omnia, quæ noſtra ſunt, liberis ex voto paramus. l. 13, §. 2, C. Legit. hær. l. 26, §. 1, Si quis omniss. Goth. ad d. l. 26, (c) Ad Galat. 3, in fin. & c. 4. v. 7, (d) l. 11, ff. de lib. & poſth. (e) l. 11, ff. de lib & poſth. §. 2, & 3, Inſt de hær. qual. & diff. l. 14, de ſuis, & legit. l. 30, Ex quibus cauſ. maj. (f) Terent. in Andr. IV. 5, v. 4, ibique Donat. (g) l. 11, ff. de lib. & poſth. l. 1. §. 7, Si quis omiſſ. l. 14, ff. de ſuis & leg. §. 2, Inſt. de hær. qual. & diff. l. 36, de acquir. vel omitt. hær. l. 6, §. 5, eod. l. 17, Qui teſt. fac. (h) §. 4, Inſt. Inut. ſtip. l. fin. C. Imp. ſubſt. vid. jus meum controv. part. 1, pag. 95, (i) L. 14, C. Rei vind. (k) Jus meum controv. d. l.

Sed & 6. hinc jam conſtat ratio, cur hæreditas in jure civili *familia* dicatur [l], quia jure familiæ liberi ſuccedunt; unde liberi ſi hæreditatem inter ſe dividunt, *familiam* dividere dicuntur.[m]

Hinc 7. conſtat, cur liberi ante patrem mortui transmittant hæreditatem ad ſuos hæredes ipſo jure [n]. Cum enim quodammodo dominium, & jus eventuale ſuccedendi, quæſitum ſit liberis vivo parente, adeoque jus familiæ verum jus in re, utut eventuale, ipſis tribuat, hoc jus transferunt in eos, qui pars corporis ſui, & hoc ipſo pars familiæ ſunt, & qui ex ea ratione in omne jus patris ſui defuncti, adeoque & in ejus jus familiæ, indeque competentia jura, ſuccedunt. [o]

Hinc conſtat, 8. qua ratione legitima dicatur deberi jure naturali [p]. Cum enim parentes naturali ratione poſt mortem diſponere non poſſint, adeoque teſtamenta, (quatenus ſunt diſpoſitio unius, quæ poſt mortem ſaltem effectum habeat) naturali ratione non valeant, nec jus ſuccedendi liberorum ſua natura tollant; leges quidem civiles parentibus ob utilitatem publicam hanc libertatem conceſſere, ut per tale negotium, nimirum, per teſtamentarias diſpoſitiones, liberis hæreditas jure naturæ quæſita auferri poſſit: at hanc ſervarunt æquitatis rationem, ne totam hæreditatem auferre liceret; ſed ut certa bonorum pars liberis neceſſario relinqueretur. Hactenus igitur jus naturæ, quod liberos ad ſucceſſionem paternæ hæreditatis vocat, ſalvum eſt; & quoad hanc portionem recte aſſeri poteſt, eam jure naturæ deberi, nec a patre auferri, aut minui poſſe: niſi lex ob utilitatem publicam hanc quoque partem liberis auferat; uti abſtulit in pœnam ex certis exhæredationis cauſis, item in favorem militiæ. [q]

Atque hæc 9. confirmantur conſenſu omnium gentium; in omnibus familiis enim receptum eſt, ut familia, ejusque jura a liberis, exſtinctis licet parentibus, continuentur, adeoque liberi in omne jus defuncti ſuccedant.

Filius apud QUINTILIANUM ait, *partem jure gentium peto* [r] JULIANUS [rr] aſſerit: *æquum, liberis hæreditatem relinqui.* PROCOPIUS [s] refert, *leges in hac re tam apud barbaros, quam apud Romanos conſentire, ut liberos dominos pronuntient rerum a patre relictarum.* Apud PLUTARCHUM (*de prolis amore*) *liberi hæreditatem ut ſibi debitam exſpectant.* Et PHILO [t] tradit, legem naturæ eſſe, ut liberi parentibus ſuccedant. [u]

§. CCXXXIII. LIBERORUM nomine veniunt liberi utriusque ſexus; nam etiam *fœminæ* ſub corpore familiæ continentur, ejusque membra ſunt: idque antiquiſſimis temporibus ita obti-

(l) L. 9, §. 2, lib. & poſt. Heinecc. Ant. Rom. l. 3, tit, 1, §. 1, (m) Toto Tit. ff. Fam. erciſc. (n) l. 8, C. Suis & legit. §. 2, Inſt. de exhær. lib. l. 14, ff. Suis & legit. B. Par. in Diſp. de ſucceſſ. nepot. Sect. 3, per tot. (o) l. 7, §. 1, Unde liberi l. 15, pr. Inoff. teſt. (p) l. 36, §. 2, C. Inoff teſt. Nov. 1. præf. §. 2, (q) tot. tit. ff. de inoff. teſt,

(r) Declam. Conf. declam. 388, (rr) In Cæſaribus. (s) Perſic. 1. (t) in vita Moſ. III. (u) Conf. Æl. Spart. in vita Hadriani. c. 18. Nepos in Phoc. 1. De Romanis id jam probatum dedi Conf. Prov. 1, pr. &c. 2, de Hebræis vide Genes. C. 15, v. 4, C. 21, v. 10, C. 25, v. 5, Grot. l. 2, c. 7, §. 5, n. 2, §. 8, n. 3,

Digitized by Google

obtinuiſſe, ex hiſtoria Jobi apparet, qui filiabus hæreditatem inter fratres dedit [v]. Sed & legibus XII. tabularum filiæ patri ſuccedebant. [x]

Hoc jus naturæ per legem Voconiam ſublatum, & filiæ ab hæreditate parentum excluſæ fuere, quia Romani familiæ, ejuſque conſervationi, conſulere voluerunt [y]. Atque hinc nepotes ex filiis nati excludebant nepotes ex filiabus natos [z]. At filiæ a Juſtiniano priſtino juri reſtitutæ ſunt, & novo jure filiæ, ac nepotes cum filiis æquali jure ſuccedunt.

n. 1. Liberorum nomine etiam veniunt *infantes*, & *furioſi* [a]: immo & *poſthumi*, ſi naſcuntur. [b]

n. 2. Num ex *concubina nati ſuccedunt?* Equidem ſupra diximus, tale conjugium naturali jure valere, & differentiam inter uxorem, & concubinam, eſſe mere civilem. At quia per *concubinam* talis perſona intelligitur, quæ ea lege viro ſe jungit, ne jura familiæ ipſi, ejuſque liberis communia ſint, certum eſt, liberos non ſuccedere, non quia natura, ſed quia pactum obſtat. [c]

Num *ſpurii* ſuccedunt? Negatur: tum quia pater ibi certus non eſt, adeoque de familia, quam continuare deberet, non conſtat: tum quia votum patris ceſſat, qui non animo familiam conſtituendi, ſed libidinis explendæ, cum meretrice concumbit. At matri ſuccedunt æque, ac liberi legitimi; mater enim ſemper certa eſt. [d]

n. 4. Denique certum eſt, *nepotes* quoque liberorum nomine contineri, adeoque ſuccedere. Hi enim ſubeunt in locum parentum, eorumque perſonam repræſentant. Sane, pater omne jus ſuum, quod in familia eſt, adeoque & ſpem ſuccedendi, tranſmittit ad ſuos hæredes, qui proinde non proprio, ſed patris jure ſuccedunt, i. e. in ſtirpes [e]. Atque hoc jus repræſentandi, etiam ultra fratrum filios naturali jure procedit; ſed legibus id ſaltem ad fratrum liberos reſtrictum eſt.

n. 5. Quæritur, an *nepotes* patri ſuccedant, ſi avus ſupereſt? Jure naturæ negatur, quia recaſuri ſunt in poteſtatem avi, in qua ipſe pater fuit, ejuſque familia.

n. 6. Denique quæritur, *an liberi, ſuccedentes patri, conferre teneantur ea, quæ a patre defuncto acceperunt?* Equidem accepta, & impenſa, quæ ad educationem pertinent, conferre liberi non tenentur, (niſi pater aliud diſpoſuerit) quia ſub officio patris continentur; reliqua autem conferre tenentur: uti ſumtus Doctorales, pecuniam pro obtinendo beneficio eccleſiaſtico, vel officio ſeculari erogatam [f], dotem, &c. [g]; niſi probetur, patrem animo donandi erogaſſe.

§. CCLXXXIV. Præter hanc ſucceſſionem nulla alia ſucceſſio naturalis datur. Liberi ergo non ſuccedunt MATRI, *tum* quia uxor quicquid habet, acquirit marito, indeque nihil eſt, in quod liberi ſuccedere poſſint: *tum* quia liberi non ſunt in domo, & familia matris,

(*v*) Job. cap. fin. v. 15. (*x*) Heinecc. Ant. Rom. l. 3, tit. 1. (*y*) Heinecc. d. t. 1, §. 4. (*z*) §. 15, Inſt. de hær. quæ ab int. (*a*) Heinecc. Ant. Rom. l. 3, t. 1, §. 9. (*b*) L. 30, §. 1, Acquir. hær. (*c*) Grot. l. 2, c. 7, §. 8, n. 3. (*d*) L. 3, ff. ad SC. Orphit. l. 1, §. 2, l. 2, § 1, ff. eod. l. 2, v. 5, itaque ff. Unde cognati. Paul. l. 4, ſent. 10, §. 1. (*e*) Nov. 118, c. 1, §. 6, Inſt. De hær. quæ ab int. Grot. l. 2, c. 7, §. 6, ibique not. (*f*) Tot. tit. ff. de collat. (*g*) Tot. tit. ff. de dot. coll.

matris, adeoque liberi familiam matris non continuant. Atque hinc apparet ratio, cur jure Romano liberi non opus habeant conſenſu matris, ſi nuptias contrahunt, quia ei invitæ non obtrudunt ſuos hæredes; ſecus, ac in patre. (*Vid.* §. 159. *n.* 8.)

Jure antiquo Romano liberos excluſos fuiſſe a ſucceſſione *matris* [h], certum eſt; adeo ut nec Prætor liberis dederit bonorum poſſeſſionem *unde liberi*, utpote quæ tantum ſuis hæredibus dabatur [i]: & liberis demum cautum fuit per SCtum Orphitianum, per quod liberi promiſcue vocabantur ad ſucceſſionem *matris*; immo præferebantur agnatis, & conſanguineis matris. [k]

Quomodo hoc ipſum SCtum varie mutatum, & tandem a Juſtiniano conſtitutum ſit, ut liberi patri, *matrique* eodem jure ſuccedant, docet celeberrimus Heineccius. [l]

§. CCLXXV. In ASCENDENTIBUS tota ratio ſucceſſionis ceſſat, *tum* quia liberi nihil habent, in quod ſuccedi poſſit, utpote cum vivi omnia acquirant patri [m], adeo ut dos quoque, quam nurus filio conſtituit, patri acquiratur [n] (nam pater ſuſtinebat onera matrimonii a filio contracti; quod onus demum poſt mortem patris ad filios revertebatur [o]): *tum* quia aſcendentes non ſunt in familia liberorum, nec eam continuant poſt eorum mortem: *tum* quia deficit hic commune illud votum, quo parentes liberos ad ſucceſſionem vocant. Diximus enim, ea intentione matrimonium contrahere parentes, ut liberos procreent, quibus ſua relinquant. Quæ ratio ceſſat in liberis defunctis.

Hinc Papinianus ait, *liberos natura ſimul, & ex voto communi parentum, ſuccedere; parentes vero ſaltem ex ratione miſerationis* [p]. Et alibi [q]: *parentibus non deberi hæreditatem, uti debetur liberis propter votum parentum, & naturalem erga liberos charitatem; turbato tamen mortalitatis ordine non minus parentibus, quam liberis pie relinqui.*

n. 1. Jure Romano antiquo PATER nec liberis emancipatis, nec in peculiis poſtea introductis, ſuccedebat; ſed priori caſu jure patronatus, poſteriori caſu a Prætore per bonorum poſſeſſionem demum vocatus eſt ad ſucceſſionem [r]: certiſſimo indicio, patrem nec jure naturali, nec veteri jure Romano, liberis, etiam in bonis, quæ proprio jure ipſis competebant, ſucceſſiſſe, & demum ex ratione commiſerationis admiſſos fuiſſe.

§. CCLXXXVI. De MATRE res minus dubii habet jure naturæ: non enim *vivo marito* liberis ſuccedit, quia pater jure patriæ poteſtatis omnia bona filii ſibi vindicabat; nec *mortuo marito*, quia mater non eſt in familia liberorum, nec eam continuat, & ratio voti æque, ac in patre, hic ceſſat.

n. 1. Jure veteri Romano itidem certum eſt, *matrem* liberis non ſucceſſiſſe, cum

(*h*) Heinecc. antiq. Rom. L. 3, tit. 3, §. 1, & t. 4, §. 1, & 2, Ulp. frag. XXVI. §. 7. (*i*) l. 1, §. 6, ff. Unde lib. Heinecc. d. t. 4, §. 1. (*k*) pr. inſt. ad Sc. Orphit. Heinecc. d. l. §. 4, & 5. (*l*) d. tit. 4, §. 6. (*m*) Heinecc. El. Inſt. l. 3, t. 2, §. 695. (*n*) l. 56, §. 1, l. 72, §. 1, Jur. dot. (*o*) d. l. 56. (*p*) l. 7, §. 1, unde liberi ibique Goth. (*q*) l. 15, pr. Inoff. teſtam. (*r*) L. 10, ff. Suis, & legit. Heinecc. Ant. Rom. lib. 3, t. 2, §. 5, Conf. l. 2, §. 4, Unde legit. l. 15, pr. inoff. teſt. §. 3, inſt. & l. 2, §. 15, ad Sc. Orphit.

Digitized by Google

cum nec *pater* ad liberorum ſucceſſionem vocaretur [s]. Sane, nec legibus XII. tabb. nec jure civili mater ſuccedebat [t], ſed Prætor demum matres ad liberorum ſucceſſionem vocavit edicto, *unde cognati* [u] i. e. poſt omnes agnatos, & legitimos.

n. 2. Ceterum, per SCtum Tertyllianum cautum fuit, ut *mater* (non avia) ingenua trium, libertina quatuor liberorum jus habens, ad bona liberorum admitteretur, licet ea in poteſtate parentis eſſet [v]. At ei præferebantur defunctorum. liberorum deſcendentes, aſcendentes paterni, ac fratres, etiam adoptivi, non uterini. [x]

Tandem Juſtinianus *matrem* ante omnes fratres vocavit [y]. At id non ex ratione naturali, ſed ex ſola miſeratione jure Romano ſtatutum eſſe, vidimus.

n. 3. Avia nec per SCtum Tertyllianum ad ſucceſſionem nepotum vocabatur [z]. Juſtinianus autem eam poſt matrem ad ſucceſſionem admiſit. [a]

§. CCLXXXVII. Collaterales jure naturæ invicem non ſuccedunt, quia tota ratio ſucceſſionis in eis ceſſat [b]. Collaterales enim non continuant familiam collateralium, ſed primi conſtituentis. Unde & votum, quod cauſam dat ſucceſſioni liberorum, in collateralibus deficit.

Neque allegari poteſt, collaterales contineri ſub corpore familiæ, quod *communi jure univerſæ cognationis continetur*, quia omnes uni poteſtati ſubjecti fuere, & ex eadem domo prodierunt [c]. Nam jura, quæ ex *corpore familiæ, quod communi jure cognationis continetur*, oriuntur, diverſa ſunt ab illis, quæ ſequuntur *ex corpore familiæ, quæ proprio jure continetur*.

In ſolo *poſteriori corpore* jus ſuccedendi neceſſario ſequitur; tum quia liberi ſunt portio immediata corporis paterni, tum quia ſunt in domo, familia, adeoque in poteſtate patris; tum quia ejus voto familiam continuant, i. e. ei ſuccedunt.

Omnes hæ rationes ceſſant in *priori corpore familiæ.* Collaterales nec ſunt immediatæ portiones corporis defuncti; nec in defuncti cognati domo, aut familia fuere, adeoque eam non continuant; nec denique votum defuncti eſt, ut fratres, Thii &c. ſuccedant, utpote quod votum tantum in patre obtinet, qui ideo uxorem ducit, ut ex ea ſuos hæredes procreet.

Jure Romano ſuccedendi jus etiam ad illud corpus familiæ, quod communi agnationis jure continetur, extenſum eſt. Nam agnati legibus XII. tabularum, cognati autem per bonorum poſſeſſionem a Prætore, & poſtea, juxta ordinem gradus, a Juſtiniano admiſſi fuere.

Extincto hoc corpore, adeoque deficientibus familiæ membris, ratione naturali hæreditas fit nullius, céditque occupanti. At uti Imperatores omnia adeſpota ſibi, ita & hodie Status Imperii tales hæreditates fiſco ſuo adxixere. [d]

n. 6. Qui cum aſcendentibus, deſcendentibus, & collateralibus, ex conſtitu-

(*s*) vid. §. 284, n. 1, & Ulpian. d. l. §. 8. (*t*) pr. Inſt. ad Sc. Tertyll. Heinecc. A. R. l. 3, t. 3, §. 1. (*u*) pr. inſt. ad SC. Tertyll. (*v*) §. 2. Inſt. eod. Heinecc. d. l. §. 5, ſeq. (*x*) Ulpian. fragm XXVI. n. 8, Heinecc. d. l. §. 4. (*y*) Nov. 118, c. 2, (*z*) §. 2, & 3, Inſt. ad Sc. Tertyll. (*a*) Nov. 118, c. 2, pr. Heinecc. Ant. Rom. l. 3, tit. 3, §. 8. (*b*) §. 1. Inſt de Sc. Orphit. Leg. 4, Cod. Theod. de legit. hær. (*c*) l. 195, §. 2, V. S. (*d*) L. 4, C. de hæret.

ſtitutione Juſtiniani in ſucceſſione concurrant, ex compendiis juris apparet.

n. 7. Quid igitur de ſucceſſione CONJUGUM dicendum eſt? Reſp. Nec ea jure naturali obtinet. *Maritus* enim non ſuccedit uxori, quia acquirit omnia bona uxoris tanquam caput familiæ, in quam uxor ſuo conſenſu tranſit: adeoque mortua uxore nihil ſupereſt, in quod ſuccedi poſſit.

Nec *uxor* ſuccedit marito, quia eſt ſocia omnium bonorum: adeoque poſt mortem mariti occupat dimidiam bonorum, non tanquam hæres[e], ſed tanquam ſocia; finita enim ſocietate alter ſocius ad diviſionem agere poteſt. Hinc Paulus poſtquam allegaſſet quorundam ſententiam exiſtimantium, uxorem furtum facere non poſſe, rationem allegat, *quia ſocietas vitæ quodammodo dominam eam faciat* [e]. Atque hæc ratio eſt, cur apud plures gentes hodieque communio bonorum inter conjuges obtineat. [f]

Legibus XII. tabularum uxor filiæ loco erat quoad ſucceſſionem, & tanquam ſua ſuccedebat, adeoque cum liberis concurrebat. [g]

Poſtea Prætor edicto *unde vir*, & *uxor*, conſtituit, ut deficientibus agnatis, & cognatis, vir uxori inteſtatæ, & uxor viro inteſtato, ſuccederet [h]. Exemplum ex Valerio Maximo adducit Heineccius. [i]

§. CCLXXXVIII. Admitti ergo non poteſt 1. ſententia eorum, qui jure naturæ nullam fuiſſe ſucceſſionem, nec liberorum, ſtatuunt, & hos demum jure ſurrogationis in locum juris occupandi ad ſucceſſionem vocari, exiſtimant. [k]

Nec 2. opinio eorum, qui ſucceſſiones inter *aſcendentes*, & *deſcendentes*, ex neceſſitate alendi, inter *collaterales* autem ex conjectura voluntatis deducunt. [l]

§. CCLXXXIX. Hæreditas igitur eſt ſucceſſio in univerſum jus defuncti. [m]

Cauſa ſucceſſionis hæreditariæ eſt jus naturæ, quod, uti vidimus, liberis in familia conſtitutis hæreditatem defert.

Hæreditas igitur defertur ſolis liberis, quia illi ſoli continuant familiam, eamque inter ſe dividunt.

§. CCXC. *Objectum* hæreditatis ſunt omnia jura, quæ patris fuere, adeoque non tantum jura in re, ſed & obligationes, tam activæ, quam paſſivæ, quæ oſſibus patris inhæſerunt. Unde hæreditas complexus dicitur omnium jurium; & actio, quæ inde datur, eſt univerſalis, & mixta. [n]

§. CCXCI. *Effectus* hæreditatis eſt, ut 1. hæres ſuccedat in omne jus defuncti [m]. Liberi enim continuant familiam patris; adeoque omnia jura familiæ in liberos transferuntur. Atque hæc ratio eſt, cur hæres cum defuncto habeatur pro una perſona [o]; cur obligetur creditoribus defuncti ex omnibus cauſis, quibus defunctus obligabatur [p]; cur

(e) L. 1, ff. de act. rer. amot. (f) De quibus vid. Harmenop. perie. ſtatut. part. 2, tit. 34. Goris adverſ. jur. tract. 1, c 1, Sim. van Leeuwen Cynoſ. forenſ. l. 4, c. 23, Mev. ad Jus Lubec. tit. 5, l. 1, art. 5, n. 2, ſeq. Weſel de connub. bon ſoc cap. 1. B. Par. diſp. de ſucceſſ. ab int. c 3. (g) Heinecc. Ant. Rom. 1, tit. 10, §. 6, & 7, L. 3, tit. 10, §. 7. (h) tot. tit. & l. 1, Unde vir, & uxor. Heinecc. d. t. 10. §. 7, in fin. (i) L. 3, tit. 1, §. 5. (k) Vid. diſſert. procem. X. §. 13. 14, 24, & 25. (l) Vid. diſſert. procem VI. §. 39. (m) L. 24, V. S. (n) Laut. comp. pag. 112, pr. & pag. 113. (m) L. 196, R. J. (o) Nov. 48, præf. l. 54, A. H. l. 193, R. J. (p) L. 8, A. H. l. 10, C. de jur. delib.

Digitized by Google

cur jure Romano legatariis teneatur [q]; denique cur confundantur obligationes inter defunctum, & hæredem. [r]

2. Ut defendere jus hæreditarium poſſit contra omnes, qui jus illud turbant. Hinc ei datur *petitio hæreditatis* [s], quæ eſt *actio univerſalis* (nam omnia jura defuncti tam realia, quam perſonalia, ea petuntur) *mixta*, (quia non tantum dominium vindicat hæres, ſed & perſonales præſtationes perſequitur; nimirum, cauſam, acceſſiones, id, quod intereſt, dolum, culpam, &c.) *ad hæreditatem, i. e. univerſitatem jurium, vel ejus partem* [t], *vindicandam ab eo, qui pro hærede, vel pro poſſeſſore poſſidet.*

Præterea hæredi plures actiones ſingulares dantur: nimirum, [*a*] *actio familiæ erciſcundæ* [u], contra cohæredes ad commune jus hæreditarium dividendum, & ad fructus, & impenſas reſtituendas [v]; unde hæc actio mixta dicitur [x]: [*b*] *rei vindicatio*, contra eos, qui rem hæreditariam poſſident: [*c*] *actiones perſonales*, contra debitores defuncti.

§. CCXCII. Cum igitur hæres ipſo jure in omne jus defuncti ſuccedat, neceſſario ſequitur, confundi bona defuncti, & hæredis, & jam unum fieri patrimonium hæredis: adeo ut creditores defuncti incipiant eſſe creditores hæredis, qui proinde ex patrimonio ſuo jam confuſo, & ſuis, & defuncti creditoribus æqualiter tenetur. (§. 291.)

Cum vero per hanc confuſionem præjudicium fieri poſſet creditoribus defuncti, Prætor (jure civili enim ſeparatio hæc incognita erat) æquitatem naturalem ſecutus, CREDITORIBUS DEFUNCTI *beneficium ſeparationis* dedit [y]; ne in arbitrio hæredis ſit, adeundo hæreditatem oneroſam, ſuos defraudare creditores [z]. Atque vi hujus beneficii petere poſſunt, ut bona defuncti a bonis hæredis ſeparentur, ne hæredis creditores aliquid ex defuncti bonis accipere poſſint, niſi illis prius ſatisfactum ſit. [a]

n. 3. Vera ratio naturalis hæc eſt, quod creditoribus defuncti debeatur ex hujus patrimonio; hoc æs alienum cum patrimonio defuncti tranſit in hæredem (neque enim hæreditas intelligitur, niſi deducto ære alieno): adeoque propitio jure petere poſſunt creditores, ut antequam confundantur patrimonia, ex patrimonio defuncti æs alienum ſolvatur.

n. 4. Hinc jam patet ratio, cur HÆREDIS CREDITORES ſeparationem petere non poſſint. Etſi enim his quoque ex patrimonio hæredis debeatur, tamen id non excludit facultatem hæredis de rebus patrimonii, quoad vivit, diſponendi, adeoque vel augendi, vel minuendi patrimonium. Sane, etiam jure Prætorio hæres inopem hæreditatem adeundo ſuis creditoribus præjudicium facere poteſt [b]; ſibi enim imputare debent, quod cum tali contraxerint. [c]

(*q*) §. 5, Inſt. Obl. quæ quaſi ex contr. (*r*) L. 95, §. 2, & 3, Solut. (*s*) tot. tit. ff. de hæred. petit. (*t*) tot. tit. ff. Si pars hæred. (*u*) *Familia* nihil aliud hic ſignificat, quam *hæreditatem*; cujus rei rationem expoſui ſupra §. 281, *Erciſcere* autem eſt *dividere*, a veteri formula *erctum*, *citum*. Heinecc. Antiq. Rom. l. 3, t. 28, §. 6, & 7, Fabri Theſaur. voce Erciſc. (*v*) tot. tit. ff. Fam. erciſc. (*x*) §. 20, Inſt. de act. l. 22, §. 4, Fam. erc. conf. Fabri theſ. d. l. (*y*) de quo beneficio vide jus meum controverſ. lib. 42, tit. 6. (*z*) L. 1, §. 1, Separat. (*a*) L. 1, §. 17, l. 5, ff. Separat. (*b*) L. 1, §. 2, Separ. (*c*) L. 1, §. 5, Separat.

Digitized by Google

n. 5. Differt autem jus naturæ a jure Prætorio quoad materiam ſeparationis, 1. quod jure naturæ hoc beneficium locum habeat in ſola ſucceſſione liberorum, quia eo jure aliæ ſucceſſiones nec ab inteſtato, nec ex teſtamento cognitæ ſunt; at jure Prætorio in omni ſucceſſione id obtinet: 2. quod jure naturæ in infinitum ſeparatio illa peti poſſit; jure Prætorio autem tantum intra quinquennium. [d]

n. 6. Definit hoc beneficium ſeparationis, etiam jure naturæ, 1. ſi creditores defuncti fidem hæredis ſecuti ſunt [e]: 2. ſi bona ita mixta ſunt, ut ſeparari nulla ratione poſſint; ſi pro parte mixta ſunt, pro parte ſaltem ſeparatio peti poteſt. [f]

Petita ſemel ſeparatione, redire ad hæredis bona creditores defuncti non poſſunt. [g]

Sectio IV.

Ubi demonſtratur, Teſtamento non acquiri dominium Jure naturali.

§. CCXCIII. JCti Romani duplicem ſtatuunt ſucceſſionem in hæreditate, ſeu familia defuncti; *aliam* ab inteſtato, *aliam* ex teſtamento. *Priorem* eſſe modum acquirendi dominii naturalem, vidimus; de *poſteriori* jam quæſtio eſt.

Præjudicialis autem quæſtio eſt, *an teſtamenta ſint ex jure naturali?* Equidem Grotius definit teſtamentum, quod ſit *alienatio in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure poſſidendi, ac fruendi* [h]. Atque ideo *ſubſtantiam ejus cognatam dominio eſſe*, ait, *& eo dato juris naturalis.* [i]

Quam definitionem plenius refutavit B. Parens [k]; & nos quoque in Commentario ad Grotium refutabimus.

Interim recentiores Doctores hanc Grotii doctrinam ſecuti uno fere ore ſtatuunt, *teſtamenta* quoad *originem* eſſe juris gentium, quoad *formam* vero juris civilis. [l]

§. CCXCIV. Nos ex principiis B. Parentis [m] paucis demonſtrabimus, teſtamenta, etiam quoad originem, eſſe juris civilis, non juris Gentium: quia 1. deportatus, qui retinet ea, quæ juris Gentium ſunt, non poteſt teſtari [n]: 2. quia teſtamentum eſt diſpoſitio, quæ poſt mortem incipit; quod contra jus Gentium eſt, quo jus diſponendi morte non incipit, ſed finitur. 3. Eo jure nemo poteſt diſponere de bonis, quæ non amplius ipſius ſunt; uti deſinunt eſſe poſt mortem. Adeoque 4. duo natura contraria occurrunt in hac diſpoſitione: [α] quod ad juris translationem unius diſpoſitio valeat: [β] quod jus hoc incipiat poſt mortem. 5. Jure naturæ in omni diſpoſitione de transferendo jure duorum conſenſus requiritur: in teſtamentis autem nullum tempus eſt, in quo conſenſus utriuſque concurrit. Non vivo teſtatore, quia ibi deficiebat acceptatio hæredis; nec tempore aditionis, quia ibi deficit conſenſus defuncti. Denique & 6. tota teſtamenti ratio conſiſtit in nudo figmento, vi cujus tempus confecti teſtamenti, tempus

(*d*) L. 1, §. 13, Separat. (*e*) L. 1, §. 10, §. 11, §. 15, §. 16, Separat. (*f*) L. 1, §. 12, Separat. (*g*) L. 1, §. 17, Separ. l. 3, §. 2, eod. (*h*) L. 2, C. 6, §. fin. (*i*) d. §. fin. (*k*) In diſp. de teſtam. Princ. p. 1, §. 4, ſeq.

(*l*) Vid. Laut. pr. Qui teſt. fac. poſſunt. (*m*) Quæ expoſuit in dict. diſput. p. 1, §. 18. & late ſeq. (*n*) L. 1, C. de hæred. inſt. l. 2, C. de bon. poſſ.

Digitized by Google

pus mortis teſtatoris, & tempus aditionis conjunguntur; & ſic tam confectio teſtamenti, quam aditio hæreditatis in momento mortis contigiſſe finguntur; fictiones vero ſunt juris civilis.

n. 1. Obj. 1. quod etiam naturali ratione valeat diſpoſitio, qua quis alienat omnia ſua bona in tempus mortis, cum lege revocandi. Reſp. Valet quidem hæc diſpoſitio, ſed tunc non eſt teſtamentum, quod unius conſenſu fit, & ab altero demum poſt mortem acceptatur. Eſt potius verus actus inter vivos, utriuſque conſenſu perfectus; unde ſtatim jus quæſitum eſt parti, at ſub conditione, *niſi revocaverit dominus.*

n. 2. Obj. 2. quod ſubſtantia teſtamenti cognata ſit dominio, quæ eſt ratio Grotii, & Struvii [o]; dominia autem ſunt ex jure Gentium. Reſp. 1. Immo dantur etiam dominia civilia; teſtamenta autem inter modos acquirendi dominii civilis referuntur. 2. Subſtantia teſtamenti conſiſtit in diſpoſitione de transferendo dominio poſt mortem. Hæc ſubſtantia adeo non eſt cognata dominio, ut naturali ratione dominium ejusmodi diſpoſitione transferri natura non poſſit; non vivente teſtatore quia noluit vivus transferre; non eo mortuo, quia non poteſt transferre, cum omnis diſpoſitio de dominio morte tollatur.

n. 3. Obj. 3. Quod hic mos teſtandi inter omnes gentes ſit receptus, uti Gro[illegible] exempla late cumulat [p]. Reſp. 1. Gentes hunc modum diſponendi ob ſummam ejus utilitatem imitati ſunt, adeoque valet, etiam inter gentes, ut jus civile. 2. In regnis nunquam effectum habuere teſtamenta, niſi quod ſucceſſores ultro aliquando ultimæ voluntati defuncti paruerint. 3. Dicuntur teſtamenta, ſed revera ſunt diſpoſitiones inter vivos præſentibus liberis perfectæ. Et huc pertinent exempla Abrahami, Jacobi, Hiskiæ, &c. Apud Germanos veteres teſtamentorum uſum non fuiſſe, Tacitus teſtatur.

n. 4. Plenius hanc materiam ex B. Parentis principiis illuſtravit frater pie defunctus, olim S. R. M. Boruſſ. Conſiliarius intimus, ac Regii Dicaſterii Magdeburgenſis Præſes [q]; quem poſtea ſecutus eſt B. Thomaſius [r]: quanquam diſſentiant Doctores communiter.[s]

§. CCXCV. Cum igitur teſtamenta jure naturæ ſint incognita, facile conſtat, per diſpoſitionem teſtatoris, quæ meris fictionibus, & conjecturis nititur, dominium rei in hæredem jure naturæ non transferri; adeoque diſpoſitionem, quæ fit per teſtamentum, vel codicillos, non eſſe modum transferendi dominii naturalem. Quod vel exinde confirmatur, quia apud Romanos extranei teſtamentum facere, i. e. patrimonium ſuum hæredi relinquere, & in eum rerum ſuarum dominium transferre non potuerunt [t]. Unde omnia illa jura ultimarum voluntatum, quæ in Digeſtis a libro 28. uſque ad librum 37. incluſive traduntur, nimirum, de legatis, fidei commiſſis, codicillis, de Falcidia, de Trebellianis...

(*o*) in Syntagm. jur. civ. Exerc. 32, th. 9, & Grot. L. 2, C. 6, §. 14, n. 1. (*p*) Grot l. 2, c. 6, §. 14, n. 1. item l. 1, c. 4, §. 12, & l. 2, c. 3, §. 12, n. 3, & §. 13, & ibi Teſmarus lit. f. & g. (*q*) In Diſſert. de teſtam. Princip. (*r*) In diſp. de origine teſtamentorum. Conf. Argentræus in not. ad conſuet. Burg. art. 266. n. 15. ſeq. & Dd. apud Wiſſenb. h. §. 9, in fin. (*s*) Vid. Grot. l. 2, c. 16, §. 14, ſeq. & Struv. d. Ex. 32, th. 9. Wiſſenb. ff. h. th. 9. (*t*) Vid. Grot. d. §. fin. n. 2.

Digitized by Google

bellianica, &c. ad diſciplinam juris naturalis non pertinent.

§. CCXCVI. His principiis poſitis facile jam decidi poſſunt omnes quæſtiones circa teſtamenta, quæ vel a Principe conficiuntur, vel in quibus Principi aliquid relinquitur.

n. 1. Quæritur autem *I.* an Princeps alii Principi *regnum ſuum, vel partem regni*, teſtamento relinquere poſſit? & an tali hæredi, vel legatario, jus ex illa diſpoſitione acquiratur? Recte id negat B. Parens [u]: [α] quia ſummi Principes ſolo jure naturæ reguntur, ubi nullum eſt teſtamentorum veſtigium; ex diſpoſitione autem, quæ jure non ſubſiſtit, nullum jus, nec ulla obligatio oriri poteſt [v]: [β] quia de alienatione imperii agitur, quæ fieri abſque conſenſu populi nequit [x]. Idque verum etiam eſt [γ] etſi regnum ſit bello quæſitum; nam tale regnum abſque conſenſu populi victoris alienari non poteſt. [y]

Atque hæc, quæ dicta ſunt, [δ] multo magis vera ſunt ſi a rege teſtatore imperium extraneo relinquitur, excluſis filiis, vel aliis, qui ex diſpoſitione populi jus ſuccedendi habent [z]: hoc enim jus princeps ſua diſpoſitione eis invitis auferre nequit.

n. 2. Quæritur *II.* An Princeps alii Principi, *ex patrimonio ſuo privato*, aliquid teſtamento relinquere poſſit? Et an tali hæredi, vel legatario jus ex illa diſpoſitione acquiratur? Affirmatur, ſi legibus loci teſtamentum, quo extranei inſtituuntur, pro valido habetur; nam in juribus privatis Princeps utitur jure privato [a]. Idque extra omne dubium eſt ſi diſpoſitio per actum inter vivos fit, ut per mortis cauſa donationem, &c. Talis diſpoſitio jure gentium ſubſiſtit; adeoque Princeps, qui ab inteſtato ſucceſſurus eſt, exequi voluntatem defuncti tenetur; modo ſolennia donationis mortis cauſa, lege civitatis ſtatuta, adhibita ſint.

n. 3. Quæritur *III.* An Princeps extraneo *privato* teſtamento aliquid *ex patrimonio privato* relinquere poſſit, et an hæres Principis obligetur ex illa diſpoſitione? Reſp. affirmando; quia de jure privato agitur, ubi jura privata loci obtinent. [c]

n. 4. Quæritur *IV.* an Princeps ſubditum ſuum teſtamento hæredem in *bonis privatis* inſtituere, vel ei legatum relinquere poſſit? & an ſucceſſor principis implere voluntatem defuncti teneatur? Affirmatur, ex eadem ratione. [d]

n. 5. Quæritur *V.* an in caſibus præmiſſis teſtamentum Principis valeat, ſi ſolennia non adhibuerit? Negatur [e]; quod plenius quæſtione VII. probabimus.

n. 6. Quæritur *VI.* an *Princeps* ex teſtamento *extranei ſubditi* capere aliquid poſſit? Affirmatur: quia Princeps inſtitutus utitur jure privatorum in alieno territorio [f]; modo teſtamentum rite, & juxta leges loci factum ſit. [g]

n. 7. Quæritur *VII.* an Princeps ex *teſtamento ſubditi ſui* aliquid capere poſſit? Affirmatur; quia beneficiis juris civilis, quæ ſubditis permittit, ipſe quoque uti poteſt. [h]

At

(*u*) d. diſp. de teſt. princ. part. 2, §. 1, 2, 3, 16, 17. (*v*) d. part. 2, §. 2. (*x*) d. part. 2, §. 17. (*y*) dict. part. 2, §. 16. (*z*) dict. part. 2, §. 2, ſeq. §. 12. (*a*) Vid. Grot. l. 2, c. 14, §. 1, 2, 5. Aliter B. Parens d. part. 2, §. 1, §. 4, & §. 7. (*b*) d. part. 2, §. 7. (*c*) Vid. B. Parens d. part. 2, §. 6. (*d*) B. Parens d. part. 2, §. 5. (*e*) Aliter B. Parens d. part. 2, §. 5, & 9. (*f*) d. part. 2, §. 6. (*g*) d. §. 6. (*h*) d. part, 2, §. 5, junct. §. 4.

Digitized by Google

At alia quæſtio eſt, an capere poſſit ex imperfecto teſtamento? Sunt qui ſtatuunt [i], valere teſtamentum tale, etiamſi neceſſariis ſolennitatibus deſtitutum ſit: has enim ſolennitates eſſe meri juris civilis, ajunt, quo Princeps inſtitutus non obligatur; idque confirmant ex dicterio illo, quod Princeps in aliorum quoque teſtamentis omnes ſolennitates ſua præſentia ſuppleat [k]. At verior mihi videtur contraria ſententia. Nam illa diſpoſitio neque valet jure naturæ, neque jure civili. *Non jure naturæ*, per ea, quæ tradita ſunt ſupra [l]. Nec *jure civili*, quia teſtamenti ſubſtantia in certis ſolennitatibus conſiſtit, quibus deficientibus non eſt teſtamentum, nec ulla inde jure civili oritur obligatio. Quod vero Princeps inſtitutus ſolennia teſtamenti ſuppleat, nullibi aſſeritur. Equidem in lege 19. C. de Teſtamentis, teſtamentum Principi oblatum valere dicitur tanquam judiciale (quod omnino verum eſt, quia Princeps fons eſt judiciorum, adeoque vere eſt teſtamentum judici oblatum): quod vero ſolennia, quæ ad ſubſtantiam negoti requiruntur, & ſine quibus negotium nullum eſt, ſupplere poſſit, in allegata lege non ſtatuitur. Idque egregie confirmat Grotius [m], qui de promiſſis Regum agens ait, *ſi tales ſint actus, qui a rege, ſed ut privato, fiunt, etiam civiles leges in eo valebunt.* Atque hinc alibi negat, venditionem ſine pretio, locationem conductionem ſine mercede, ſtipulationem ſine verbis, fieri poſſe. [n]

Hinc jam fruſtra quæri ſolet, an Auguſta [o], an liberi Principum, an Principes apanagiati [p], ſine ſolennitatibus teſtari poſſint? ſi enim ipſe Princeps legibus civilibus tenetur, multo magis ejus conjux, liberi, &c.

Quo ipſo ſimul deciditur quæſtio, an Princeps pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere poſſit? Cum enim ſubſtantiæ teſtamenti id repugnet, hactenus quoque leges civiles valebunt. [q]

n. 8. Quæritur *VIII.* an Princeps in ſuo teſtamento decidere poſſit lites, quas poſt mortem inter ſucceſſores metuit? Merito id negant B. Parens [r], & Grotius [s] qui multis rationibus id confirmant. [t]

n. 9. Quæritur *IX.* an Princeps liberos ſuos *ſine cauſa* exhæredare quoad bona privata poſſit? Negatur. Neque enim jure naturali, neque jure civili talis exhæredatio valet: nam cum teſtamenta jure naturæ incognita ſint, exhæredatio autem non niſi teſtamento fieri poſſit, certum eſt, jure naturæ liberis ſucceſſionem natura debitam, facto patris auferri non poſſe. Neque jure civili valet talis exhæredatio, quia ea forma lege præſcripta eſt, ut non niſi cauſa nominatim expreſſa valeat.

SECTIO V.

Ubi demonſtratur, Præſcriptionem immemorialem non eſſe modum acquirendi Dominii.

§. CCXCVII. PRÆSCRIPTIO iti-

(*i*) d. part. 2, §. 5. (*k*) l. 19, de Teſtam. (*l*) Conf. jus meum controv. L, 28, tit. 1, qu. 15. (*m*) L. 2, c. 14, §. 6, n. 3, (*n*) d. C. 14, §. 5. (*o*) d. part. 2. §. 11.

(*p*) 2, part. 1, §. 10. (*q*) d. part. 2, §. 15. (*r*) dict. part. 2, §. 18. (*s*) L. 2, c. 7, §. 27. (*t*) Vid. infr. lib. 6, cap. 2, Sect. 1.

itidem non eſt modus acquirendi dominii naturalis. Equidem de præſcriptionibus longi, & longiſſimi temporis, quæ in pœnam negligentiæ introductæ ſunt, id extra dubium eſt: at de præſcriptione immemoriali quæri ſolet.

§. CCXCVIII. Præmittendum autem eſt, *præſcriptionem* JCtis denotare *exceptionem temporis*; adeoque is, qui ſe fundat in præſcriptione, aſſerit, jus ſibi lapſu temporis, *eoque ſolo*, quæſitum eſſe in res, vel jus *alterius*. Sane, in immemoriali quoque præſcriptione poſſeſſor allegat, ſe tanto tempore rem, vel jus *alienum* poſſediſſe, ut initii memoria non exſtet [u]: adeoque hic quoque ex *ſolo lapſu temporis* jus in re *aliena* aſſeritur.

§. CCXCIX. Ex his ſatis apparet, ſolam poſſeſſionem rei *alienæ*, etſi ejus origo memoriam excedat, non eſſe acquirendi dominii modum; & ipſe Grotius fatetur [v], tempus ſuapte natura nullam vim effectricem habere.

Etenim *vel* conſtat, rem, quam ego poſſideo, alterius olim fuiſſe, *vel* de eo non conſtat. *Priori* caſu jus antiquioris poſſeſſoris ſemper integrum manet, donec a præſente poſſeſſore probetur, juſta ex cauſa rem ad ipſum perveniſſe: nam de jure antiquo domini conſtat; an vero jure poſſidere deſierit, de eo non conſtat: adeoque is, qui id allegat, id probare debet. Hinc Ammonitæ poſt lapſum trecentorum annorum vindicabant ſedes, quas olim ad ſe pertinuiſſe mentiebantur. *Poſteriori* caſu præſens poſſeſſor tutus eſt, citra præſcriptionem, ipſo jure naturæ: quia cum alter nec poſſeſſionem, nec jus docere poſſit, poſſeſſor ſemper potior eſt, qua poſſeſſor; nec ille titulum allegare tenetur.

Idem quoque dicendum ſi quis non *rem* alienam, ſed *jus* aliquod in re *aliena* poſſideat, per tempus, cujus memoria non exſtat: uti ſi quis ſervitutem ſibi in re *aliena* conſtitutam dicat: nam hoc quoque caſu de jure domini adeoque de jure excludendi alios ab uſu ejus rei, conſtat [x]. Qui proinde uſum illius rei alienæ prætendit, id probare debet: quamdiu enim non conſtat, uſum alienæ rei juſto titulo ad præſentem poſſeſſorem perveniſſe, jus dominii, quod omnem rei uſum continet, ſalvum eſt.

§. CCC. Equidem Grotius exiſtimat, ex tanti temporis ſilentio præſumi *animum derelinquendi* [y]; adeoque jus hic acquiri, ait, non ex ſolo lapſu temporis, ſed ex accedente conjectura, ex *tacita*, nimirum, alterius *derelictione*.

At 1. negamus, ſilentium inferre conſenſum. Etſi enim quis præſens, & ſciens aliquid in ſuum præjudicium agi, taceat, etſi quis rem ſuam ab alio teneri ſciat, nec quicquam contradicat, non tamen dici poteſt, eum jus ſuum amittere: *tum* quia jus noſtrum non amittimus, niſi facto noſtro, de quo conſtare certo debet; non autem conſtat ex ſolo ſilentio: *tum*, quia teſte ipſo Grotio [z] dominus metu, vel defectu virium, vel alio caſu impediri poteſt, quo minus præſens loquatur, vel quia juris ſui gnarus non eſt. Atque hinc 2. Grotius [a] quoque ejusmodi validiſſimas rationes in contrarium admittit. Sane, 3. ſi dominus neget, ſe animum derelinquendi habuiſſe, ſi provocet ad juris ſui ignorationem, ſi media recuperandi defuiſſe, alleget, ei creden-

(u) L. 3, §. 4, Aq. & aq. quot. C. 1, de præſcript. in VI. C. 26, X. Verb. ſign. (v) L. 2, c. 4, §. 1.

(x) Grot. l. 2, c. 3, §. 3, (y) Grot. l. 2, c. 4, §. 5, 6, 7. (z) Grot. d. §. 5, n. 1. & n. 3. (a) d. §. 6.

Digitized by Google

credendum potius eſt, quia de ejus animo quæritur. Unde 4. Grotius [b] fatetur, conjecturas has, nimirum, de tacita derelictione, admodum incertas eſſe, etſi ex jure naturæ aliquatenus originem ducant: adeoque per ſe non ſufficere ad probandum derelinquendi animum; ſed jus Gentium demum firmitatem his conjecturis dediſſe, & induxiſſe hanc legem, ut poſſeſſio memoriam excedens omne dominium transferat (quæ ſola ratio, cum jus Gentium voluntarium nullum exiſtat, totum figmentum tacitæ derelictionis evertit). Sed & 5. alibi probavimus, gentes inter ſe hunc titulum non admittere.

§. CCCI. Cum vero utilitati publicæ repugnet, dominia, & rerum poſſeſſiones tam longo tempore in incerto relinquere, leges Romanæ merito, in pœnam negligentiæ, certum præſcripſerunt dominis tempus, intra quod, ſi rerum ſuarum repetitionem negligunt, jure ſuo privantur. Id autem meri juris civilis eſt.

Quomodo apud Romanos ſucceſſu temporis variæ præſcriptionum ſpecies ſint introductæ, demonſtravimus in Jure noſtro controverſo. [c]

Sectio VI.

Ubi probatur, Servitutes natura non eſſe Jus in re.

§. CCCII. JCti Romani præter *dominium*, & quæ dominii ſpecies eſt, *hæreditatem*, adhuc duas alias ſpecies juris in re conſtituerunt, nimirum, *ſervitutem*, & *pignus*. Nos demonſtrabimus, hæc *jura in re* ex mera ratione juris civilis originem traxiſſe. Primo autem de *ſervitute* agemus.

§. CCCIII. Servitus ſua natura nihil aliud eſt, quam pactum de uſu rei ſuæ in alium transferendo: ex omni autem pacto ſaltem oritur actio perſonalis. Neque enim uſus alii permittitur alia intentione, quam ut utatur vi pacti; unde non magis jus in re oritur, quam ex pacto commodati, & locati, quo utilitas rei meæ vel gratis, vel pro mercede in alium transfertur.

§. CCCIV. Ratio autem, cur JC i Romani ei, qui *ſervitutem* talem quæſivit, jus in ipſa re competere voluerint, in aprico eſt. Nam

I. In ſervitutibus prædialibus JCti Romani ſupponunt [a] duo prædia [d], [b] eaque vicina [e]: [c] ut ſervitus utilitatem habeat [f]; & quidem [d] perpetuam. [g]

Hac forma poſita JCti Romani crediderunt, actionem perſonalem non ſufficere ad utilitatis illius perpetuæ effectum conſequendum. Nam 1. dominus prædii ſervientis, alienando prædium, intervertere ſervitutem, quæ prædio meo perpetuam utilitatem procurare debet, poſſet. Sed & 2. ſi tertius me in ſervitute turbaret, vel uſum rei prohiberet, actio non contra turbantem, ſed contra dominum prædii intentanda eſſet; & hic demum actionem contra turbantem intentare, vel eam cedere deberet. [h]

Ne

(*b*) Grot. l.2,c.4, §.9. & cap. 18,§.fin. (*c*) Tit. de uſurp. quæſt. 2. (*d*) §. p. Inſt. Serv. l.23, §. f. Serv. urb. (*e*) l. 5, §. 1, Serv. ruſt. (*f*) l. 15, pr. Serv. l.5, Serv. ruſt. l.8. Serv. (*g*) L. 28, Serv. urb. (*h*) Vid. l. 12, §. 5. Uuſufr. l. 61, §. 8, Furt. l. 61. §. 8, Furt. l. 60, §. 5, Locat. &c.

Ne igitur per indirectum quis privetur utilitate prædio ſuo utili, eique perpetuo deſtinata, actionem realem dedere Legislatores Romani prædio dominanti, ejusque poſſeſſori, ut ſervitutem a quocunque poſſeſſore vindicare poſſit. Atque hinc quaſi traditionem quoque requirunt (quia jus in re non niſi traditione conſtituitur): pro traditione autem ipſis eſt uſus actualis, vel patientia domini. [i]

Hanc autem conſtitutionem eſſe mere civilem, patet 1. ex forma lege præſcripta; qua ceſſante actio perſonalis manet. Nam 2. ſervitus, quæ in prædiis non vicinis conſtituitur, actionem producit mere perſonalem [k]: æque, ac 3. ſervitutes, quæ prædio meo utiles non ſunt; uti ſi paciſcor cum vicino domino, ne per fundum ſuum eat, aut ibi conſiſtat [l]; ne ſuo fundo fruatur; ne in ſuo fundo aquam quærat; ne viridaria tollat; ut locum ſuum amœniorem reddat mei proſpectus cauſa, &c. [m]. Huc quoque pertinet pactum, ut ſpatiari, cœnare, pomum decerpere in vicino liceat [n]. Sed & 4. mera actio perſonalis, mihi datur, ſi ſervitus non habet cauſam perpetuam [o]. Si vero 5. ſervitus, ſeu jus percipiendi utilitatem in prædio alieno, ſua natura jus aliquod in re ipſa nobis concederet, id quoque verum eſſet in prædiis non vicinis, & licet prædium inde perpetuam utilitatem non haberet

§. CCCV. *II.* In *ſervitutibus perſonalibus* ratio juris civilis itidem clara eſt. Nam 1. JCti Romani quatuor ſaltem caſibus uſum rei alienæ inter jura in re retulerunt: [a] in *uſufructu*, ſi uſusfructus, i. e. jus utendi fruendi re aliena, ſalva ſubſtantia, alicui pacto conceditur: vel quoties res, quæ uſu conſumuntur, ea lege utendæ conceduntur, ut vel res in genere, vel earum æſtimatio reſtituatur; quod negotium *quaſi uſusfructus* vocatur, ubi cautio loco proprietatis eſt, quæ ex natura rei ſalva eſſe nequit: [b] in *uſu*, ſi jus utendi fruendi re aliena ſalva ſubſtantia, *ad quotidianas neceſſitates* alicui permittitur: [c] in *habitatione*, ſi non totus ædium uſusfructus, ſed ſaltem pars ea, quæ in *habitando* conſiſtit, conceditur: [d] *in opera ſervorum*, ſi itidem non totius ſervi uſusfructus, ſed ea pars, quæ in *operis* conſiſtit, alicui conceditur.

In omnibus reliquis caſibus actio manet perſonalis: uti ſi per *commodatum* res alii utenda gratis conceditur; item ſi per *locationem* uſus rei pro mercede in alium transfertur; porro ſi per pactum jus decerpendi pomum in vicino horto permittitur [p], &c.

Cum igitur 2. ſaltem in quatuor illis caſibus ſpecialibus conſtitutum ſit, ut actio realis detur, non in aliis, (ubi tamen eadem juris naturalis ratio eſt) hæ ipſæ exceptiones probant, conſtitutionem illam eſſe mere civilem. Ratio autem, cur 3. JCti hos quatuor caſus inter jura in re retulerint, eadem videtur fuiſſe, quæ in ſervitutibus realibus: nam hoc quoque pacto utilitas quædam perpetua in utentem transfertur, (ſua enim natura non niſi morte finitur) quam dominus rei fructuario per indirectum auferre poſſet, rem alienando (nam emtor non tenetur ſtare pacto anteceſſoris); quo caſu fructuario nil niſi actio perſonalis ſuper-

(i) L. f. ff. Servit. (*k*) l. 1, §. 18, ff. Alim. leg. (*l*) l. 15, Serv. (*m*) l. 19, §. 1, eod. (*n*) l. 8. pr. Serv. (*o*) l. 28, ſerv. urb. ibique Goth. (*p*) l. 8, pr. Serv.

ſupereſſet ad id, quod intereſt. Sed & ſi tertius aliquis hunc fructuarium impediret, hic contra ſolum dominum rei, dominus autem demum contra turbantem agere deberet [q]. Has ambages tollunt legislatores Romani, dando actionem realem poſſeſſori ſervitutis.

Sane, 4. ob has utilitatis rationes JCti Romani etiam in aliis cauſis, quæ ſua natura obligationem perſonalem producunt, jus aliquod in re conſtituerunt. Hæc enim ratio eſt, cur conductori, vel emtori ſuperficiei, ſi ædificat, plantat, vel alio modo aliquid imponit, actio realis detur: ſi quis enim in ſuperficiei uſu turbatur, actione perſonali ex conducto, *vel emto cum domino agere*, & *dominus cedere ſuas actiones ſuperficiario tenebatur* [r]: *ſed longe utile viſum eſt (quia melius eſt poſſidere, quam in perſonam experiri) quaſi in rem actionem polliceri*; atque ideo Prætor actionem realem inde dedit. Jure naturali igitur conductor, vel emtor jus reale in *ſuperficiem* non habet (ſuperficies enim naturali jure cedit ſolo [s]); ſed Prætor ex ſingulari illa ratione dat actionem realem.

Sed & porro Emphyteuſin, quæ nihil aliud eſt, quam locatio perpetua, inter jura in re retulerunt [u], ac dominii ſpeciem declararunt; ne in arbitrio domini ſit, uſum illum perpetuum alienando intervertere, & ne fructuarius per ambages uſum illum ſibi aſſerere opus habeat.

Pari ergo ratione pro ſervitutibus vindicandis actiones reales, nimirum, actiones confeſſoriæ, & negatoriæ, datæ ſunt.

Sectio VII.

Ubi demonſtratur, per Pignus naturali ratione non conſtitui jus aliquod in re.

§. CCCVI. Pignus itidem jure naturæ non pertinet ad *jura in re*. Neque jure civili olim alia actio inde data fuit, niſi perſonalis ex contractu: nam pignus nihil aliud eſt, quam contractus realis, per quem res in ſecuritatem debiti alii traditur; adeoque ubi cuſtodia, & ſecuritas pacto in alium transfertur: unde obligatio ſaltem perſonæ oritur. [v]

§. CCCVII. At Servius Prætor demum, contra rationem juris civilis, præter hanc actionem perſonalem, realem quoque dedit in caſu ſpecialiſſimo, *ſi locator perſequitur res coloni pro mercede fundi obligatas* [x], ad eum effectum, ut a quocunque poſſeſſore vindicare pignus potuerit.

§. CCCVIII. Ratio Prætoris, quæ in æquitate quadam naturali fundatur, hæc eſt, quod dominus fundi nullam fere ſecuritatem habeat, pro uſu, quem colono concedit, niſi in pignore. At omnis fere ſecuritas effectum perderet, ſi actio perſonalis ſaltem inde daretur. Nam [a] Dominus rem alienando eo ipſo auferre ſecuritatem poſſet, quam creditor in re habuit. Immo [b] ſi tertius pignus auferret, locator non poſſet ad ejus repetitionem agere; ſed ipſe dominum, & hic demum furem convenire deberet. [y]

Hæc

(q) Vid. l. 12, §. 5, ff. Uſufr. l. 60, §. 5, Locat. (r) l. 1, §. 1, de ſuperf. (s) d. l. 1. (t) l. f. ff. Superf. (u) l. 1, §. 1, Si ag. vect. l. 16, §. f. Pign. act. (v) Laut. comp. pr. de pignorat. act. (x) §. 7, inſt. act. (y) Vid. l. 12, §. 5, uſufr. l. 60, §. 5, locat.

Hæc actio *Serviana*, a ſuo auctore, dicebatur: at quia in reliquis pignoribus eadem ratio obtinet, ad imitationem Servianæ actio quoque realis in omni pignore data eſt, quæ *quaſi Serviana*, utraque autem *hypothecaria* dicitur. [yy]

§. CCCIX. Plenam igitur ſecuritatem Prætor tribuit creditori, dum ei facultatem concedit rem a quocunque poſſeſſore vindicandi. Atque hoc modo pignus, quod actionem perſonalem ſua natura producit, *Jus in re* factum eſt.

SECTIO VIII.

Ubi demonſtratur, Dominia utilia civilia, aliaque jura realia, quæ Jure Romano talia ſunt, non eſſe a natura, ſed ex Jure civili.

§. CCCX. HACTENUS probavimus, præter dominium, & hæreditatem (quæ eſt ſpecies dominii) aliud *jus in re* natura non dari. Unde ſequitur, omnia illa dominia utilia, &c. eſſe mera inventa juris civilis.

§. CCCXI. Atque huc pertinet 1. *dominium utile*, quod vaſſallo in *feudis* competit; jure enim naturæ ſaltem obligatio perſonalis ex pacto inde oritur, quo uſus rei pleniſſimus ſub lege fidelitatis, ſervitiorum, & recadentiæ conceditur: at ob rationes ſupra [z] allegatas, mores Germaniæ *jus* aliquod *in re* vaſſallo conſtituerunt, quod *dominium utile* vocarunt, illudque *dominio directo* oppoſuerunt.

§. CCCXII. Huc quoque 2. pertinet *Emphyteuſis*, per quam utile rei immobilis dominium in alium transfertur, ſub lege meliorationis, & certæ penſionis annuæ, in recognitionem dominii directi ſolvendæ. Jure naturæ itidem actio perſonalis ex tali pacto oritur [a]; ſed legum latores Romani ex iiſdem æquitatis rationibus poſſeſſori, re tradita, dominium utile tribuerunt. [b]

Ad dominia jure civili introducta quoque refertur 3. *ſuperficies*: quando ſcilicet quis in perpetuum conduxit fundum alienum, vel emit ſolam ſuperficiem, ibique ædes poſuit, vel arbores plantavit; hoc caſu ædes illæ, cum in alieno ſolo poſitæ ſint, cedunt ſolo. [c]

Ex hoc igitur negotio, itidem jure naturali tantum actio perſonalis, v. g. conducti, emti &c. oritur, qua ſuperficiarius agit contra dominum, ut pacto ſtet, vel, ſi tertius turbat, ut actiones præſtet [d]; idque etiam jure civili ita obtinuit.

At jure Prætorio, ſi locatio eſt perpetua, (non ſi temporia) ex rationibus alibi allegatis [e] ſuperficiario itidem jus in re, & dominium aliquod utile conceſſum eſt [f], unde utilis ei actio in rem datur, contra quemcunque turbantem, etiam dominum ipſum [g]. Hic igitur omnes effectus dominii, ſed utilis, obtinent. [h]

§. CCCXIV. Alia ſpecies dominii civilis 4. eſt *dominium*, quod *marito* competit *in prædium dotale*, *quod* ei traditum eſt [i]. Nam hic quoque jure naturæ

(yy) B. Par Hyp. Inſt. de act. §. 6. (z) Vid. Sect. præced. (a) Laut. Comp. p. 121, (b) L. 71, §.p. & f. de legat. 1, l. 3, l. 4, ff. Reb. cor. Laut. Comp. p. 122, (c) L. 2, ſuperf. (d) L. 1, §. 1, ſuperf. (e) Conf. l. 1, §. 1, ſuperf. (f) l. 3, §. 7, uti poſſid. (g) d. l. 1, §. 1, §. 3, §. 6, l. 73, l. 74, l. 75. rei vind. l. 15, qui pot. l. 19, damn. inf. (h) L. 15, qui pot. l. 1, §. 6, §. 8. ſuperf. (i) l. 13, §. 2, fund. dot. l. 7, §. 3, l. 25, ff. l. 23, l. 30, C. de jure dot. conf. jus meum controv. tit. de jur. dot. qu. 6.

turæ actio marito competit perſonalis ad petendam utilitatem dotis pro ferendis matrimonii oneribus traditæ, contra *uxorem*, quæ impedit uſum. Si *tertius* impedit, is, cui conſtituitur dos, ipſe agere non poteſt, ſed uxor ei actiones præſtare debet [k]. At jure Romano, etſi naturaliter res maneat uxoris, jus aliquod in re, ſeu dominium, tribuitur marito [l] (unde diſtinctio illa inter dominium *naturale*, & *civile*, orta eſt): vi hujus dominii *civilis* omnes effectus dominii ad maritum pertinent. [m]

§. CCCXV. Porro & 5. Prætores *jus in re* tribuerunt ei, qui *bona fide*, & *juſto titulo rem a non domino accepit*, & *ante impletam uſucapionem eam amiſit* [n]. Is enim rem a quolibet poſſeſſore, qui infirmiori titulo poſſidet, vindicare actione publiciana poteſt [o]. Neceſſaria fuit hæc conſtitutio ideo, quia iniquum viſum eſt, eum, qui bona fide rem acquiſivit, ideo ſpe uſucapiendi excludi, quod injuria, vel caſu poſſeſſione exciderit (amiſſa enim poſſeſſione interrumpitur uſucapio). *Publiciana actio* igitur a PUBLICIO Prætore data eſt tali poſſeſſori, quaſi domino. Atque qua talis rem a quocunque poſſeſſore, qui infirmiori titulo poſſidet, (non ergo a domino) vindicare poteſt, ad eum effectum, ut uſucapionem perficere poſſit (hinc ceſſat hæc actio in rebus, quæ uſucapi non poſſunt [q]).

Hoc dominium igitur, quod in Publiciana fingitur, ex mera æquitate civili ortum eſt. Nam 1. ideo fingitur, ne interrumpatur uſucapio: at hæc eſt meri juris civilis. 2. Naturali ratione actor hic dominus non eſt, quia ſupponitur, eum a non domino rem accepiſſe. Si igitur 3. rem a poſſeſſore, qui titulum utut infirmiorem habet, vindicat, jure repellitur exceptione, tu non es dominus.

Adeoque jure naturæ ille, qui infirmiore titulo poſſidet, ſemper potior eſt petitore, qui titulum dominii probare nequit, & tutus eſt ſola poſſeſſione. Neque aliud remedium petitori ſupereſt, quam ut contra eum, a quo cauſam habet, actionem inſtituat, ut præſtet *habere licere*.

Prætor has ambages ſuſtulit, dominium illud fictum introducendo: ex quo actio Publiciana, quæ realis eſt, datur contra quemcunque poſſeſſorem.

§. CCCXVI. Equidem aliæ ſunt actiones, quæ tum a Triboniano, tum a recentioribus Doctoribus ad *jura in re* referri ſolent: at nulla ratione eo referri poſſunt. Sane, *actiones præjudiciales*, & *interdicta*, non ſunt actiones reales; nec *actiones Pauliana*, & *reſciſſoria*, quas Tribonianus, & Theophilus in cenſum *actionum realium* retulerunt. [r]

n. 1. *Actio Pauliana* eſt, quando alienatio in fraudem creditorum facta reſcinditur quaſi non facta, ſi is, in quem alienatio fit, fraudis ſit conſcius. [s]

Jure naturæ debitor, qui aliquid facere, vel præſtare tenetur, eſt dominus rerum ſuarum, adeoque pro lubitu de eis diſponere, eaſque in alium transferre poteſt [t]. Si vero in fraudem creditorum rem alienat, & emtor conſcius ſit fraudis, dolo contrahentium jus creditorum minuitur; quod damnum reparare, i. e. jus ſuum cuique tribuere tenentur.

Cum igitur actio hæc ex ſolo dolo detur,

(k) arg. l. 1, §. 1, ſuperfic. (l) l. 30, C. jur. dot. (m) Laut. comp. p. 448. (n) l. 2, l. 6, l. 13, §. 1. l. fin. de publician. (o) tot. tit. ff. de public. in rem act. (p) l. 7, §. 6, & 8, eod. (q) l. 9, §. 6, de publician. (r) § 5. & 6. Inſt. de act. (s) §. 6. Inſt. de Act. (t) L. 1, §. 1, ſepar.

detur, (ſi enim non animo fraudandi res alienatur, vel tertius fraudis conſcius non ſit, actio hæc ceſſat) certum eſt, eam eſſe ex delicto, adeoque perſonalem, non realem. Neque hæc actio contra quemcunque poſſeſſorem, ſed contra decipientes inſtitui debet. Sane, creditores agentes non aſſerunt, nec aſſerere poſſunt, res alienatas ipſorum eſſe, (quod in actionibus realibus requiritur) ſed petunt, alienationem reſcindi, & id, quod a debitore alienatum eſt, creditoribus reſtitui. Neque in Digeſtorum titulis hæc actio inter actiones reales refertur. [t]

n. 2. Supereſt ut examinemus, an *actio reſciſſoria* ad actiones reales referri poſſit? Tribonianus, & Theophilus eam inter actiones reales recenſent [u]; quod indiſtincte admitti non debet.

Quod ut rite demonſtretur, præmittendum eſt, *actionem reſciſſoriam* ſupponere præviam actionem reſcindentem, per quam reſcinditur negotium, quo jus meum amiſi: eaque eſt ipſa *reſtitutio in integrum* ex capite doli, metus, &c. quæ actiones ſemper ſunt perſonales.

Reſciſſo negotio, res in priſtinum ſtatum reſtituitur, adeoque jus amiſſum redintegratur. Si igitur *dominium rei* amiſi, illud dominium mihi reſtituitur, adeoque & jus, rem a quocunque poſſeſſore vindicandi. Hæc *actio reſciſſoria* eſt *realis*: atque de hac ſola loquitur Tribonianus [v], quando ait, *eum, cujus res uſucapta eſt, eam reſciſſa uſucapione petere, i. e. ita petere poſſe, ut dicat, poſſeſſorem uſu non cepiſſe, & ob id ſuam rem eſſe.*

Aliud igitur obtinet ſi non *rem* amiſi, ſed *jus* aliquod *perſonale*; uti ſi quis me vi, metuque coëgit, ut accepto feram id, quod metum inferens mihi debet: hæc actio reſciſſoria, ſeu reſtituta, eſt *perſonalis*. Sane, per reſtitutionem in integrum omnia reſtituuntur in priſtinum ſtatum [x]: nec plus per edictum reſtituitur, quam amiſſum eſt; adeoque hoc ſolum reſtituitur [y]. Hinc ſi coactus ſum ab emtione locatione recedere, ſola actio emti reſtituitur [z]; quæ actio reſtituta reſciſſoria eſt, & perſonalis. Si quis porro vi me adegit, ut accepto ei feram id, quod mihi debet, in priſtinum ſtatum reſtituitur *debitum* [a], nimirum, jus petendi id, quod mihi debetur; quod jus eſt perſonale. Denique ſi quis me coëgit adire hæreditatem, reſtituendus ſum a Prætore: per hanc reſtitutionem autem ſola facultas abſtinendi reſtituitur [b]; quæ non eſt jus in re.

Not. Hinc jam apparet, omnino duplex hic eſſe judicium, aliud reſcindens, aliud reſciſſorium [c]: aliamque eſſe actionem, qua reſcindi petitur negotium, quo jus meum amiſi; aliam actionem, qua jus meum priſtinum, reſciſſo negotio, perſequor. Diſerte id tradit Imperator in §. 5. *inſt. de act.* ubi is, qui per reſciſſoriam rem petit, i. e. rem ſuam eſſe ait, eam inſtituit, *reſciſſa demum uſucapione*: adeoque reſciſſio præcedit. Et alibi [d] Imperator conſtituit, *ut poſtliminio reverſi, & NB. in integrum reſtituti, rem vindicare poſſint*: antequam igitur rem vindicare poſſint, reſtitutio in integrum præce-

(t) Vid. Donell. Hunn. Ludvel, &c. ad dict. §. 6. (u) in §. 5, Inſt. De act. (v) d. §. 5. (x) l. 24, §. 4, Minor. (y) Vid. l. 26, §. 7, & 8, Ex quib. cauſ. maj. l. fin. C. in integr. reſt.

(z) l. 21, §. 4, ff. Quod met. cauſ. (a) l. 9. §. 7. ff. Quod met. cauſ. (b) l. 21, §. p. Quod met. cauſ. (c) Vid. jus meum controv. l. 4, tit. 2, q. 3. (d) l. fin. C. ex quib. cauſ. maj.

præcedere debet. Atque hinc *lex* 18. C. *de poſtliminio* explicanda eſt ex lege *fin. C. Ex quib. cauſ. maj.*

n. 3. Denique nec actiones *præjudiciales*, nec *interdicta*, inter *actiones reales* referri poſſunt, etſi *priores* a Triboniano, & Theophilo, *poſteriora* a Doctoribus eo referri ſoleant. Sane, *præjudiciales* nec reales ſunt, nec perſonales (§. 113.). *Interdicta* autem oriuntur ex obligatione perſonæ, ex variis, nimirum, cauſarum figuris. (*Vid. infra Lib. V. cap. fin. Sect. fin.*)

Sectio IX.

An Jus aliquod in res alterius nobis competat ex Neceſſitate, vel Innoxia utilitate?

§. CCCXVII. Grotius in primo naturæ ſtatu res omnes *communes* fuiſſe, eaſque demum per diviſionem, & poſta per occupationem, ſingulorum factas eſſe, ſtatuit. [e]

§. CCCXVIII. At jus illud *commune hominum in res terræ* reviviſcere, ait, 1. in graviſſima neceſſitate, & 2. ſi utilitas aliis eſt innoxia [f]. Quod ſyſtema latius expoſuimus Diſſertatione proœmiali VI.

§. CCCXIX. Verum, ibidem probavimus, res terræ natura non fuiſſe communes, ſed nullius [g]: unde ſponte corruit *jus* illud *neceſſitatis*, & *innoxiæ utilitatis*.

§. CCCXX. Sane, *neceſſitas* nullum mihi jus tribuit in rem alienam, quæ tota domini eſt, & ab ejus arbitrio dependet.

§. CCCXXI. Nedum jus, ſemel naturali ratione quæſitum, auferri mihi poteſt *ex innoxia utilitate*, *i. e. ſub prætextu*, rem mihi non nocere, & alii prodeſſe. Res enim mea eſt, non quia utilis eſt, ſed quia eam occupavi animo mihi habendi: hoc jus ex voluntate Creatoris mihi quæſitum alius auferre non poteſt.

Quæ omnia plenius explicabimus in Commentario ad Grotium. [h]

Sectio X.

De modis amittendi Dominii.

§. CCCXXII. Vidimus, unde dominia orta ſint: explicavimus modos acquirendi dominii naturales; ſequuntur jam modi, quibus dominium amittitur.

§. CCCXXIII. Amittitur autem *I.* morte domini; mors enim omnia jura ſolvit.

II. Voluntate, & diſpoſitione domini [i]: uti [*a*] ſi *alienat.* [k]

Alienatio autem eſt actus, quo is, qui jus in re habet, (non ergo valet alienatio rei alienæ [l]) rei dominium in alium transfert.

Requiritur autem a parte domini traditio [m], & acceptio ab altera parte. [n]

[*b*] *Si rem derelinquit* [o]: tunc enim res fit nullius ex voluntate domini, & cedit occupanti (tacitam derelictionem, qualem in præſcriptione Grotius ſupponit, non agnoſcimus [p]).

Non derelinquit, qui rem tractat negligentius [q], eam non ſatis cuſtodiendo [r]: nec qui navis levandæ cauſa res

(*e*) L. 2, c. 1, §. 6. (*f*) Vid. Diſſert. proœm. VI. §. 19, ſeq. (*g*) dict. Diſſert. VI. §. 60. (*h*) l. 2, c. 2 §. 6. (*i*) Grot. l. 2, c. 3, §. 19, n. 1. l. 2, c. 9, §. 1. (*k*) Grot. l. 2. c. 6, §. 1. (*l*) Grot. l. 2, c. 7, §. 2, n. 2. (*m*) Grot. l. 2, c. 6, §. 2. (*n*) Grot. l. 2, c. 6, §. 2. (*o*) Grot. l. 3, c. 21, §. 8, n. 2, l. 2, c. 9, §. 1, l. 2, c. 3, §. 19. (*p*) Diſſent. Grot. l. 2, c. 4, §. 5, n. 1. §. 7, §. 11, & 12. (*q*) Grot. l. 1, c. 4, §. 9, (*r*) L. 3, c. 21, §. 8. n. 2.

Digitized by Google

res in mare projicit, nedum qui naufragio rem perdidit. [t]

§. CCCXXIV. *III.* Si res *interit* [u]: nam tunc facultas naturalis ceſſat diſponendi de re, quæ non exiſtit.

§. CCCXXV. *IV.* Si res noſtra ab hoſte capitur (non ſi a piratis) [v]; nam res illa jam eſt ſub poteſtate hoſtis, ex cujus judicio jure capta eſt; nec civitas æſtimationem domino reſtituere tenetur, quia caſu res perit, qui domino nocet. [x]

At amiſſio hæc eſt conditionata, niſi poſtliminio reverſa fuerit; tunc enim reſtituitur priſtino domino. Hoc jus eventuale a domino rei legari, & in diviſionem hæreditatis venire poteſt. [y]

V. Si res hoſtilis a nobis capta poſtliminio revertitur: per ea, quæ tradita ſunt *n. præced.*

VI. In pœnam: ſi lege ſuperioris ob delictum dominium reo aufertur [yy]. Huc pertinet edictum: ea, quorum vectigal non ſolvitur, in commiſſum cadunt [z]. Si enim auriga vectigal non ſolvit, ejus v. g. equi, (non res vectæ, quæ alterius ſunt,) fiſco cedunt. [zz]

§. CCCXXVI. *VII. Interitu ſpeciei* [a]; ſi prior res novam ſpeciem induit, quam ante non habuit: tunc enim jus prioris domini vel in *totum* deſinit, quando ſcilicet ad priſtinam ſpeciem reverti nequit; vel in *tantum*, quamdiu ſcilicet res illa eſt acceſſio rei prævalentioris, ſeu pars totius. Quod ex rationibus naturæ nunc paulo plenius excutiemus.

n. 1. Præmittendum autem eſt, omnes res ex una, & prima materia conſtare; adeoque omnium rerum ſubſtantiam eſſe eandem, nec inter ſe differre, niſi diverſo partium ſitu, motu, aliiſque accidentibus.

n. 2. Hic ſitus, motus, &c. efficiunt, ut diverſæ ſpecies naſcantur, quarum quælibet ſpeciale nomen induit, & hac ratione aliud eſt arbor, aliud homo, aliud aurum, aliud, æs, aliud argentum.

n. 3. Hæc igitur diverſitas ſpecierum veram, & ſolam rerum differentiam conſtituit; & hoc principio nixi plerique philoſophi dixere, formam dare eſſe rei: & abeſſe videri rem, cujus corpus manet, forma mutata eſt [b]. Speciem igitur, ad ſubſtantiam rei adeo pertinere crediderunt, ut ſi in ſpecie erratum ſit, negotium vitietur. [c]

n. 4. Idque verum eſſe, ſupra §. 264. *n.* 2. & 3. probavimus, etſi res ad priſtinam formam redire poſſit; res enim quodammodo interit [d], aliaque res facta videtur [e]: & cum nova ſpecies hoc facto demum in rerum natura eſſe incipiat [f], anteaque nullius fuerit [g], nihil hic eſt, quod priſtinus dominus vere ſuum dicere poſſit. [h]

n. 5. Neque *obſtat* ratio Pauli, qui ſtatuit, dominum materiæ eſſe dominum ſpeciei, quæ ex materia facta eſt, *quum ſine materia nulla ſpecies effici poſſit* [i]. Nam hæc ipſa materia novam qualitatem induit novum nomen nanciſcitur; adeoque hactenus nova res fit, quæ nunquam alterius fuit.

Si igitur dominus vindicaret priſtinam

(s) §. fin. Rer. div. (t) l. 43, §. pen. Furt. (u) Grot. l. 2, c. 9, §. 4. (v) Infr. l. 7, c. 2, Sect. 3. (x) Grot. l. 2, c. 20, §. 8. (y) Vid. infr. l. 7, c. 3. (yy) Grot. L. 2, c. 1, §. 9, n. 2, l. 2, c. 8, §. 20. (z) tot. tit. ff. Publ. & vectig. (zz) Laut. pag. 555. ibique Jus meum controverſ. (a) Grot. l. 2, c. 9, §. 6, & c. 21. §. 7. (b) L. 13, §. 1, Verb. ſign. (c) L. 11, §. 1, ff. Contr. emt. (d) L. 9, §. 3, Ad exhib. §. 26, Rer. div. l. 13, §. 1, Verb. ſign. l. 5, §. 1, Rei vind. arg. l. 76, de jud. l. 6, §. 1, Aur. leg. l. 23, §. 5, Rei Vind. (e) L. 26, §. 1, Acq. rer. dom. l. 61, pr. Rei vind. (f) L. 7, §. 21, Acq. poſſ. (g) L. 24, ff. Acq. rer. dom. (h) L. 27, §. 1, Acq. rer. dom. (i) L. 7, §. 7, Acq. rer. dom.

ſtinam materiam, ſimul vindicaret novam ſpeciem, quæ nunquam ejus fuit. Cum igitur jus materiæ, & ſpeciei, concurrant, in hoc concurſu merito præfertur novior titulus [k], inprimis cum materiæ domino, ſi ad priſtinam ſpeciem reverti non poteſt, pretium reſtitui debeat, adeoque ei injuria non fiat. Perit igitur dominium materiæ priori domino.

n. 6. Idem obtinet ſi res reverti ad priſtinam ſpeciem poteſt; tunc enim prius dominium non in totum interit [l]: nam mutatur quidem ſpecies, ſed non exſtinguitur [m]; res eadem manet. [n]

Cæterum, quia res illa aliam qualitatem ad tempus ſaltem induit, & corpori alicui accedit, ejuſque pars fit, interit dominium quamdiu nova illa ſpecies durat: ceſſante autem illa ſpecie, & priſtina materia reſtituta, jus prioris domini reviviſcit, & ille rem vindicare poteſt. *Vid.* §. 264. *&* 277.

n. 7. His principiis poſitis facile apparet ratio, 1. cur per *ſpecificationem*, *commixtionem*, *& confuſionem*, jus prioris domini pereat, & nova ſpecies acquiratur facienti: nova enim hæc ſpecies nunquam domini materiæ fuit (§. 264.): 2. cur *cruſta*, *planta*, *arbor*, in alienum territorium tranſlata, cedant domnino territorii, ex quo coaluere, & radices egere; quia nova planta, nova arbor, &c. fit, adeoque jus prioris domini interit [o]: 3. cur is, qui rem reſtituere promiſit, liberetur ſublata ſpecie [p]: 4. cur fructus decerpti deſinant eſſe prioris domini; quia dominus arboris nunquam fuit dominus fructuum, niſi quatenus ſunt pars arboris, i. e. quatenus pendent: 5. cur diſſoluta civitatis ſpecie populus eſſe deſinat; extinctus enim videtur. [q]

n. 8. Porro 6. hæc ratio eſt, cur uſusfructus (qui jus in re eſt, ex hypotheſi JCtorum Romanorum) mutata ſpecie intereat. Sane, [a] *uſusfructus navis* perit ea diſſoluta, quia ſpecies periit, nec reviviſcit, etſi iiſdem tabulis reſtituta ſit navis; prior enim ademta, & hæc alia dicenda eſt. Idem de uſufructu ædium aſſeritur: ſi enim ædes ad aream uſque deſtructæ ſunt, finitur uſufructus, licet ex eadem materia reſtituta ſit; nam alia eſt domus [r]. [b] Si ſervus manumittitur, deſinit uſusfructus ſervi, quia ſpecies ſervi interire dicitur [s]. [c] Si ex maſſa vaſa facta ſunt, ſi ornamenta diſſolvuntur, ſi balneum in habitationem mutatur, ſi hiſtrio ad aliud miniſterium transfertur, uſusfructus harum rerum interit, quia ſpecies perit [t]. [d] Uſusfructus fundi interit, ſi per inundationem ſpecies fundi mutatur, i. e. novus alveus fit [u]. [e] Uſusfructus quadrigæ [v] finitur uno equorum mortuo, ut & legatum quadrigæ, &c. [x]; nam ſpecies perit.

Etiam 7. ex his apparet, cur is, cujus ager per novum alveum occupatur,

(*k*) L. 27, §. 1, Aeq. rer. dom. (*l*) L. 9, §. 3, ad exhib. l. 7, §. 7, Acq. rer. dom. l. 5, §. 1, Rer. div. (*m*) L. 24, ff. Acq. rer. dom. (*n*) L. 76, ff. judic. (*o*) L. 26, §. 2, Acq. rer. dom. l. 7, §. 13, eod. l. 5, §. 3, Rei vind. l. 9, §. 2, Damn. infect. §. 31, Inſt. de rer. div. (*p*) L. 92, pr. ſolut. Grot. l. 2, c. 12. §. 18. (*q*) Grot. l. 2, c. 9, §. 13, ſeq (*r*) L. 83, §. 5, Verb. obl. l. 10, §. 7, Quib. mod. uſusfr. (*s*) L. 92, ff. Solut. (*t*) L. 12, Quib. mod. uſusfr. (*u*) L. 23, l. 24, Quib. mod uſusfr. l. 10, §. 2, eod. (*v*) L. 65, §. 1. Leg. 2. (*x*) d. l. 65.

patur, amittat dominium [y]; & cur is, cujus ager fuerat, nihil quicquam in eo alveo habere poſſit: *Quia is ager, qui ante fuit, deſiit eſſe, amiſſa propria forma.* [z]

Non ergo amittitur dominium ſi priſtina forma non mutatur, adeoque ſpecies non interit: uti ſi citra conſtitutionem novi alvei [a], vicinus ager vel a flumine publico, vel a mari inundatur. [b]

Denique 8. jam conſtat ratio, cur in *ſpecificatione, & acceſſione,* dominium amittatur, etſi res integræ ſeparari poſſint [c]: quamdiu enim in eadem ſpecie conſiſtunt, nova ſpecies ſunt, priſtina forma mutatur, adeoque dominium interit. Dominium igitur *materiæ*, & tigni amittitur, ſi alieno ædificio jungitur [d]. *Gemmæ* dominium interit, ſi alterius annulo accedit [e]. *Pes*, *& brachium* deſinunt eſſe domini, ſi alienæ ſtatuæ junguntur, &c. [f]

§. CCCXXVII. Non vero 9. amittitur dominium feræ, ſi ſemel capta evaſerit, ſed adhuc in conſpectu eſt, nec difficilis ejus perſecutio. [k]

Nec 10. dominium feræ manſuefactæ, quæ extra conſpectum eſt, ſed redeundi conſuetudinem habet, donec eam retinet [l]. Nedum dominium animalis manſueti, etſi forte extra conſpectum ſit [m]. Retinetur enim ejus dominium, donec ſpes eſt recuperandi.

Nec 11. ſi quid levandæ navis cauſa jactatur: nec quod ex rheda currente cecidit, aut alias amiſſum eſt. Adeo ut ſi non reſtituatur domino, verum ejus furtum fiat. [n]

Nec 12. ſi res naufragio in flumine mergitur. [g]

Nec 13. amiſſa ſola poſſeſſione. [h]

Omnium minime 14. ſolo lapſu temporis etſi longiſſimi, & memoriam originis excedentis. (*V.* §. 297.)

An 15. per ſententiam judicis injuſtam? Equidem negari nequit, dominium rei amitti, ſi per ſententiam judicis, utut injuſtam, ea alterius eſſe declaratur: Partes enim compromittunt in arbitrium judicis, adeoque ex ſuo conſenſu ſtare tenentur ejus decreto. Idque jure civili quoque obtinere, demonſtravi in Jure meo controverſo, & dubia reſolvi. [i]

LIBER

(*y*) Vid. ſupr. §. 275. (*z*) l. 7, §. 5, in fin. Acq. rer. dom. (*a*) Vid. ſupr. §. 275, n. 11. (*b*) l. 1, §. 5, De Flum. (*c*) Vid. §. 264, n. 2, & 3, & ſupr. n. 4. (*d*) Vid. ſupr. §. 277, n. 14. (*e*) Vid. ſupr. §. 277, n. 20. (*f*) Vid. ſupr. §. 277, n. 19. (*g*) L. 13, pr. A. R. D. (*h*) Grot. l. 2, c. 8, §. 3. (*i*) Lib. XII. tit. 1, q. 11. (*k*) §. 12, Inſt. Rer. div. (*l*) §. 14, §. 15, Eod. (*m*) l. 3, §. 13, Acq. poſſ. (*n*) §. 46, Inſt. Rer. div.

Digitized by Google

LIBER V.

DE JURE, QUOD CUIQUE COMPETIT EX OBLIGATIONE PERSONÆ.

PROOEMIUM.

§. CCCXXVIII. EXPOSUIMUS in præcedenti libro *ſecundum* juris objectum, nimirum, RES; & explicavimus *jus*, quod cuique competit in *res*, vel ex *jure imperii*, vel ex *jure dominii*. Sequitur nunc *tertium* juris naturalis objectum, nimirum, OBLIGATIO PERSONARUM, ſeu ACTIONES, quæ obligatione perſonæ oriuntur.

§. CCCXXIX. Recentiores Jurium Doctores *obligationes perſonarum* referunt ad JUS RERUM, adeoque ad *ſecundum objectum juris*. Jus enim rerum duplex conſtituunt: vel *in re*, vel *ad rem*; & ACTIONES demum pro tertio juris objecto venditant.

n. 1. At parum hæc rationi juris conveniunt. Nam 1. male Doctores obligationes perſonæ *jus ad rem* vocant; vox ipſa barbara eſt, nec a JCtis Romanis unquam uſurpata fuit. 2. Obligationes illæ nulla ratione ad *jus rerum* referri poſſunt. Per jus *rerum* enim, quatenus res ad *ſecundum juris objectum* pertinent, JCti Romani intelligunt jus, quod in ipſam *rei* ſubſtantiam nobis competit; at in obligatione perſonæ tantum contra perſonam ago, ut ea aliquid præſtet, vel faciat. Et licet 3. aliquando ex tali obligatione ipſa *res* debeatur, adeoque ad *rem* dandam agatur, non tamen actio illa *in rem* eſt; neque enim aſſero, rem meam eſſe, (res enim promiſſa manet debitori propria) ſed actio eſt mere perſonalis, & datur contra perſonam debitoris, qui ſe obligavit ad rem tradendam. Immo 4. in pleriſque obligationibus plane *res* non intervenit, uti in omnibus obligationibus faciendi, item in delictis, ubi fama, &c. læditur. Certum ergo 5. eſt, obligationes perſonæ non ad *jus rerum* pertinere, ſed *tertium* juris objectum conſtituere.

n. 2. Cur vero JCti Romani ACTIONES ad tertium juris objectum referunt [a]? Reſp. quia JCti per *actiones* non intelligunt actiones in genere, *ſed*

(a) L. 1, ff. Stat. hon.

Digitized by Google

ſed eas ſaltem, quæ ex obligatione perſonæ deſcendunt. Idque evidenter probatur 1. ex titulo Digeſtorum *de obligationibus, & actionibus*; ubi indubie de tertio objecto juris agitur, & *actiones* cum obligationibus conjunguntur: certiſſimo indicio, illas tantum actiones intelligi, quæ ex obligatione perſonæ dantur. Hinc 2. notanter actio in dicto titulo definitur jus perſequendi in judicio, quod nobis NB. *debetur*; ſcilicet, *ex obligatione perſonæ.* Quæ definitio excludit actiones *reales*, & *præjudiciales*: utpote quibus non perſequimur id, quod *nobis debetur*; ſed vel rem noſtram petimus, vel ſtatum vindicamus, qui ab alio nobis negatur. Sane, 3. per rerum naturam *actiones* proprium objectum juris conſtituere non poſſunt, quia *actiones* nihil aliud ſunt, quam effectus cujuſque objecti juris; indeque ſub unoquoque objecto actiones jam comprehenduntur. Quando alicui jus quæſitum eſt *ex ſtatu hominum*, effectus ejus eſt, ut defendere illum ſtatum poſſit *actione præjudiciali* contra eum, qui ſtatum illum negat. Si quis *jus in re* ſibi competere, eoque rem ſuam eſſe, aſſerit, effectus eſt, ut actio, nimirum *rei vindicatio*, ei detur contra illum, qui rem poſſidet. Pari igitur ratione, ſi *ex obligatione perſonæ* aliquid alicui debetur, effectus eſt, ut *actionem* perſonalem inſtituere poſſit contra eum, qui obligatus eſt aliquid facere, vel præſtare. Sed & 4. contradictio eſt, ſub eodem genere, i. e. ſub *jure rerum*, duas ſpecies toto cœlo diverſas contineri. Sane, *jus in re* ſupponit, rem meam eſſe, quam à quocunque poſſeſſore vindicare poſſum. Econtrario in *obligatione perſonæ* non rem meam, ſed quæ debitoris eſt, peto; indeque contra ſolam perſonam ago, quia hæc ſola debet: uti hæc ſumma genera ita ipſo jure Romano diſcernuntur.

Fieri igitur nequit, ut quæ cuique ſpeciei propria ſunt, adeoque inter ſe toto genere, forma, ſubſtantiaque differunt, in ſenſu legali confundantur, & promiſcue ſumantur; quod ſolide B. Parens in ſuis Diſſertationibus demonſtravit. (c)

Denique 5. hac ratione non tria juris objecta, ſed quatuor ſtatui deberent: nimirum, 1. Perſonæ, ſeu Status hominum; 2. Res; 3. Obligationes perſonæ; & 4. Actiones. Entia autem citra neceſſitatem non ſunt multiplicanda, inprimis ubi verba legis, & ratio juris obſtant.

§. CCCXXX. Ut vero de cauſa, & natura hujus OBLIGATIONIS PERSONÆ plenius nobis conſtet, 1. agemus *de obligatione perſonarum in genere, earumque* principio, & modis finiendi (*vid. C.* 1.): eaque occaſione explicabimus materiam 1. de *fructibus*, (Sect. 1.) 2. de *uſuris*, (Sect. 2.) 3. de *cauſa*, (Sect. 3.) 4. de *impenſis*, (Sect. 4.) 5. de *acceſſionibus*, ſeu de eo, quod intereſt, (Sect. 5.) 6. de dolo, culpa, & caſu, ejuſque periculo, (Sect. 6.) 7. de Mora (Sect. 7.).

§. CCCXXXI.

(c) Vol. 1, pag. 1514.

Digitized by Google

§. CCCXXXI. *Secundo* exponemus *obligationem perſonæ*, quatenus deſcendit ex PACTO, & CONTRACTU: ubi de fœderibus agemus, (*vid. C.* 2.) ſimulque 1. veram differentiam inter pacta, & contractus, (*Sect.* 1.) & 2. originem contractuum nominatorum, & innominatorum explicabimus. (*Sect.* 2. *&* 3.)

§. CCCXXXII. *Tertio* cautiones examinabimus, quæ pactis accedere ſolent: quo pertinet *jusjurandum*, *pignus*, *correi*, *fidejuſſores*, *&* *obſides.* Etiam de accidentibus conventionum agemus, nimirum, de *conditione*, *modo*, *&* *die.* (Vid. Cap. 3.)

§. CCCXXXIII. *Quarto* agemus *de interpretatione* promiſſionum dubiarum. (Vid. Cap. 4.)

§. CCCXXXIV. *Quinto* examinabimus obligationem perſonæ, quatenus deſcendit EX MALEFICIO (vid. Cap. 5.): nimirum, *vel* ex delictis publicis, (*Sect.* 1.), vel ex delictis privatis, (*Sect.* 2.) vel ex delictis extraordinariis. (*Sect.* 3.)

§. CCCCXXXV. *Sexto* explicabimus originem, & juſtitiam *pœnarum* tum civilium, tum capitalium. (*Vid. Cap.* 6.)

§. CCCXXXVI. *Septimo* demonſtrabimus, quænam ſint obligationes, QUÆ PROPRIO QUODAM JURE ORIUNTUR EX VARIIS CAUSARUM FIGURIS (*vid. cap.* 7.). Ubi 1. agemus de quaſi contractibus (*Sect.* 1.); 2. de quaſi delictis (*Sect.* 2.); & 3. de obligatione, quæ ex aliis cauſarum figuris deſcendit: ſpeciatim autem 4. de obligatione, quæ ex *nudo facto poſſeſſionis* oritur. (*Sect.* 3. *& ſeq.*)

CAPUT I.

De Obligatione Perſonæ in genere, ejuſque cauſa.

§. CCCXXXVII. OBLIGATIO eſt vinculum juris, quo quis neceſſitate adſtringitur ad aliquid faciendum, vel præſtandum. [d]

§. CCCXXXVIII. Omnis *obligatio* perſonæ, ex doctrina JCtorum Romanorum, deſcendit vel ex *contractu*, vel ex *delicto*, vel proprio quodam jure ex *variis cauſarum figuris.* [e]

§. CCCXXXIX. Cauſa *obligationis* ex naturali ratione fluit. Ex præcedentibus enim conſtat, 1. quod homo de ſua actione, & de ſua re pro lubitu diſponere, & rem ſuam, utilitatemque ſuæ actionis, in alium transferre poſſit [f]: 2. quod nemo jus in res, & actiones meas, ſibi arrogare, adeoque nullam utilitatem ex illis me invito percipere; nec 3. dolo, aut culpa jus meum lædere poſſit.

Ex his ſimpliciſſimis principiis omnis obligationis perſonalis ratio ſponte, & neceſſario ſequitur.

§. CCCXL. Repetendum autem eſt, Deum 1. homines *liberos creaſſe*, i. e. facultates eis naturales conceſſiſſe agendi quicquid lubet, quatenus jure id non pro-

(d) pr. Inſt. de oblig. (e) L. 1, pr. ff. Oblig. & act. (f) Nov. 22, c. 2, pr.

Digitized by Google

prohibetur; eiſque vi hujus libertatis *jus competere in ſuas actiones.* Porro etiam, ac 2. ex præcedentibus conſtat, Deum hominibus facultatem dediſſe *res terræ*, quatenus nullius ſunt, *occupandi*; eoſque, vi hujus occupationis, *jus in res ipſas* ſibi acquirere.

Ex his principiis tria neceſſario ſequuntur: 1. quod is, qui alteri promittit ſe aliquid daturum, vel facturum, obligetur ad dandum, vel præſtandum id, quod promiſit: 2. quod nemo ex re, vel actione mea utilitatem me invito percipere poſſit; adeoque is, qui ex re mea locupletior factus eſt, id mihi reſtituere teneatur: 3. quod nemo jus meum dolo, vel culpa lædere poſſit.

§. CCCXLI. Diximus PRIMO, eum, qui alii aliquid dare, vel facere promittit, obligari ad dandum, vel præſtandum id, quod promiſit: quia de ſuo jure, de ſua actione, & de ſua re diſponit, atque ſua voluntate jus in alium transfert.

Hoc jus in bonis *creditoris* eſt [g]; ei aliquid debetur: atque hoc debitum *æs creditoris* vocatur [h]. Per hoc *debitum* bona creditoris augentur [i], ejuſque hæreditas fit auctior [k]. Cujus effectus inſignis hic eſt, ut ſi debitor hæres exiſtit creditori, majorem Falcidiam detrahere poſſit [l], quia locupletiorem hæreditatem percipere videtur. [m]

Debitor jus alienum in bonis ſuis habet, quod *æs alienum* vocatur [n], & univerſam afficit facultatem debitoris [o]. Per hoc debitum totum patrimonium debitoris imminuitur [p]; adeo ut illud non intelligatur, niſi deducto ære alieno [q]. Unde hæreditas debitoris per *æs* hoc *alienum* fit minutior [r] ad eum effectum, ut creditor ſi hæres eſt, eo minorem Falcidiam detrahat. [s]

Debitor igitur, qui ſua diſpoſitione jus in alium tranſtulit, adeoque æs alienum in bonis ſuis habet, i. e. jus alienum tenet, ratione naturali id tribuere tenetur *creditori*, cui æs illud abeſt, adeoque qui minus ſuo habet. Atque hæc obligatio debitoris dicitur deſcendere EX PACTO, ET CONTRACTU.

§. CCCXLII. SECUNDO, ſi quis corpus meum, vel res meas, vel aliud jus a Deo mihi conceſſum lædit, & ex propoſito, adeoque *dolo* mihi aufert, vel illud turbat; voluntati creatoris (qui cuique hominum tantum jus in ſuas res, & actiones dedit, non in facultates alterius) reſiſtit, indeque injuria agit. Lædens igitur ex regula generali juſtitiæ hanc injuriam alii illatam reparare, damnum datum reſarcire, vel talionem pati, eoque jus ſuum cuique tribuere tenetur. Atque hæc *obligatio* deſcendit ex MALEFICIO, ſeu DELICTO.

§. CCCXLIII. TERTIO, cum plures obligationum cauſæ naturales ſint, quæ neque ex contractu, neque ex delicto deſcendunt, JCti Romani eas in genere EX VARIIS CAUSARUM FIGURIS oriri, dixere; quæ cum infinitæ ſint, certo numero determinari non poſſunt.

Equidem Tribonianus illas ad duo capita retulit, nimirum, ad *quaſi contractus*, & ad *quaſi delicta*. Sed infra demonſtrabimus, plures alias eſſe cauſarum figuras, quæ neque ad quaſi contractus, nec ad quaſi delicta referri poſſunt.

Adeo-

(g) Si quid eſt in actionibus, petitionibus; perſecutionibus, hæc omnia in bonis eſſe dicuntur. *l.* 21, *l.* 49, *V. S. l.* 9, *Rem pup. ſalv. conſ. l.* 52, *A. R D. l.* 15. *Reg. jur.* Idque verum eſt, etiam ſi pœna debetur. *l.* 32, *pr. ff. ad leg. Falc.* (h) Æs ſuum eſt, quod alii nobis debent. *l.* 213, §. 1, *V. S.* (i) d. l. 32. pr. & §. 1. (k) l. 41, §. 2, ff. Evict. (l) d. l. 41, junct. l. 1, §. 18, ad leg. Falc. (m) d. l. 1, §. 18. (n) L. 213, §. 1, V. S. (o) L. 50, §. 1, ff. de jud. (p) L. 50, §. 1, ff. De jud. (q) l. 9, pr. ad leg. Falc. l. 32, pr. & §. 1, eod. l. 39, §. 2 R. D ibique Goth. (r) l. 41, §. 2, ff. Evict. (s) d. l. 41, l. 6, pr. l. 87, §. 2. ad leg. falc.

Digitized by Google

Adeoque merito cum JCtis Romanis duabus his cauſis addimus obligationes, *quæ ex aliis variis cauſarum figuris oriuntur*.

Ad has igitur *varias cauſarum figuras* referuntur 1. QUASI CONTRACTUS, i. e. illa negotia, ubi quis ex facto aliquo licito locupletior fit cum alterius jactura.

Quoties enim alius ex re, vel actione mea, in quam nullum ei jus competit, utilitatem aliquam, citra meam voluntatem, percipit, adeoque locupletior fit mea jactura, is aliquid alieni tenet, adeoque plus ſuo habet, i. e. patrimonium ejus ex re aliena auctius factum eſt. E contrario mihi jus aliquod deeſt; æs, quod meum eſt, alius tenet: adeoque patrimonium meum diminutum eſt. Hinc agere jure poſſum contra alterum, ut jus, quod meum eſt, mihi tribuat, i. e. ut præſtet, quod mihi, & meo patrimonio deeſt, & quod plus ſuo habet.

II. Ad obligationes, quæ *ex variis cauſarum figuris* oriuntur, quoque pertinent QUASI DELICTA: quoties quis culpa ſua, adeoque facto ſuo illicito, cauſam dat damno, quod mihi infertur. Si quis enim jus, a Creatore mihi conceſſum, abſque propoſito, & dolo, *culpa* tamen ſua, lædit, eoque damnum mihi infert, vel alio modo jus meum violat, ac minuit, vera hæc injuria eſt, quia lædens poterat, & debebat providere, jus meum facto tali lædi poſſe. Atque ex hac injuria obligatur, ut reparet injuriam, eoque jus ſuum cuique tribuat.

III. Præterea infinitæ aliæ ſunt *cauſarum figuræ*, extra duo hæc capita. Eoque referri debent 1. omnes illæ obligationes, ubi æquitas naturalis ſubeſt, at unde jure civili actio data non eſt; quo pertinent *qualitates actionum*, v. g. exercitoria, inſtitoria, tributoria, &c. Immo & *interdicta* huc referri debent. 2. Omnes illæ obligationes, quæ ex nova lege oriuntur, &c. De ſingulis his obligationum, *quæ ex variis cauſarum figuris oriuntur*, ſpeciebus, uberius agemus capite VII.

§. CCCXLIV. *Objectum* omnis obligationis perſonæ eſt *debitum*: quando nimirum quis *vel* ex promiſſo, *vel* ex delicto, *vel* ex variis cauſarum figuris, alii aliquid *debet*.

§. CCCXLV. *Effectus* obligationis perſonæ, *intuitu Creditoris*, eſt *actio* perſonalis, ſeu jus perſequendi in judicio id, quod nobis ex dictis cauſis debetur. *Intuitu debitoris* eſt *obligatio*, ſeu vinculum juris, quo perſona debitoris neceſſitate adſtringitur, ad præſtandum, vel faciendum id, quod ex ante allegatis cauſis alii debet.

§. CCCXLVI. Bene autem notandum, & ex præcedentibus repetendum eſt, *actiones*, quæ *ex obligatione perſonæ* deſcendunt, contra *ſolam perſonam debitoris* dirigi At quia debitor ex ſuo *patrimonio* debet, adeoque debitum ipſi *patrimonio* inhæret, inſignes inde ſequuntur effectus, etiam jure Gentium.

Hæc enim ratio 1. eſt, cur hoſtis, qui jure victoriæ territorium occupat, teneatur ſolvere id, quod populus debebat; quia debitum inhærebat patrimonio populi, adeoque territorio, quod jam eſt in poteſtate victoris, in quem proinde territorium cum ſuo onere tranſit.

Sed & 2. ex eadem ratione fiſcus, qui bona vacantia, i. e. hero carentia, occupat, debita bonis his inhærentia ſolvere tenetur.

Hinc 3. ratio apparet, cur hæres teneatur ſolvere debita defuncti, quia ſuccedit in ejus patrimonium, ex quo defunctus debuit.

Atque hac ratione nititur 4. jus ſe-

Digitized by Google

parationis; quo *defuncti* (non hæredis) creditores petunt, ut ſeparetur patrimonium defuncti (ex quo illis debetur) a patrimonio hæredis. [t]

Hæc quoque 6. vera ratio eſt *compenſationis*. Etſi enim debitor ex ſuo patrimonio creditori teneatur, certum tamen eſt, creditorem viciſſim ex ſuo patrimonio teneri debitori. Si igitur debitor renunciat huic debito, allegando compenſationem, nec debitor in ſuo patrimonio plus habet, nec in creditoris patrimonio minus eſt. [u]

Denique hæc ratio 7. eſt, cur ego liberer a debito, ſi creditoris mei creditori ſolvo; nam hoc facto patrimonium creditoris mei (ex quo ſuo creditori debebat) auctius factum eſt, & facto meo jam ejus patrimonio nihil amplius deeſt. [v]

§. CCCXLVII. Hinc jam facile conſtat, quomodo *actiones*, *quæ ex obligatione perſonæ deſcendunt*, differant ab actionibus *realibus*, & *præjudicialibus*. Per actiones enim *reales* rem, quæ noſtra eſt, petimus: per actiones *præjudiciales* agimus contra perſonam, quæ negat, me vel liberum, vel membrum familiæ, vel civem eſſe. *Per actiones perſonales* autem, quæ ex obligatione perſonæ oriuntur, agimus ad id, quod nobis vel ex promiſſo, vel ex delicto, vel ex variis cauſarum figuris, debetur. (*Vid. ſupr.* §. 113.)

§. CCCXLVIII. Tollitur *obligatio perſonæ* in genere, quoties jus alterius reparatum, ejusque patrimonio ſatisfactum eſt; tunc enim jus ſuum cuique tribuitur. Speciatim autem

§. CCCXLIX. *I.* Tollitur obligatio SOLUTIONE ejus, quod debetur, i. e. quando debitum ita ad creditorem pervenit, ut ab eo repeti non poſſit [x]. Vera ſolutio quoque eſt 1. quando hoſti ſolvitur, qui jure victoriæ creditoris mei jura quæſivit [y]: 2. quando creditoris mei creditori ſolvitur [z]: etſi 3. id fiat creditore prohibente [a]: non vero 4. invito creditore alii, cui non debetur, ſolvi poteſt [b]: nec 5. aliud pro alio [c]: nec 6. pars debiti. [d]

n. 1. *Solutio* hæc exigi poteſt non tantum in loco ſolutioni deſtinato; ſed in quocunque alio loco, cujus jurisdictioni debitor eſt ſubjectus: modo 1. dies ſolutionis venerit; 2. creditor æſtimationem pro re nata præſtet. Si enim ex juſta aliqua cauſa ad locum ſolutioni deſtinatum accedere nequeam, debitor locupletior fieret mea jactura. Variæ autem cauſæ, cur ſolutio exigi non poſſit, occurrere poſſunt; forte quod debitor locum illum evitet, quod aditus ſit periculis obnoxius, &c. [e]

Atque id quoque jure Romano ita obtinuit in *negotiis bonæ fidei*. Ibi enim actio ex contractu, etiam in alio, quam ſolutionis promiſſæ loco, inſtitui poteſt. Equidem negari nequit, jure civili Romano in *negotiis ſtricti juris* promiſſum in alio loco peti non potuiſſe, quia ex tali negotio nihil peti poteſt, niſi quod verbis, vel litteris eſt expreſſum: at Prætor æquitatem naturalem revocavit, & *actionem de eo, quod certo loco*, creditori in negotiis *ſtricti juris* dedit, vi cujus creditor e-

etiam

(*t*) Vid. ſupr. §. 295. (*u*) Vid. infr. §. 10, n. 6. (*v*) Vid. jus meum controv. tit. de obligat. q. 7. (*x*) L. 61. ff. ſolut. (*y*) Vid. infr. l. 7, c. 3. (*z*) Vid. jus meum controv. tit. de obligat. q. 7. (*a*) L. f. C. Neg. geſt. (*b*) L. 34, §. 4, ff. Solut. (*c*) L. 2, §. 1. ff. Reb. cred. (*d*) L. 41, §. 1. de uſur. (*e*) l. 1. ff. de eo, quod certo loco.

Digitized by Google

tiam extra locum ſolutioni deſtinatum, præſtita æſtimatione [f], debitum exigere poteſt.

§. CCCL. *II.* Solvitur obligatio REMISSIONE DEBITI. Quando, nimirum, creditor remittit id, quod debitor ei debet, ſive ex contractu, & quaſi contractu, ſive ex delicto, & quaſi delicto, ſive ex variis cauſarum figuris.

Jure Romano talis remiſſio non fieri potuit *nudo pacto*, ſed accedente demum ſtipulatione. Quæ remiſſio in ſolis obligationibus, quæ verbis conſtabant, obtinuit: reliquæ enim obligationes prius in ſtipulationes deducebantur, & tunc remittebantur; quæ *ſtipulationes* vocabantur *Aquilianæ*.

n. 1. Hæc igitur remiſſio; quæ fiebat accedente ſtipulatione, JCtis dicitur ACCEPTILATIO, quæ eſt *imaginaria ſolutio, qua creditor, rogante debitore, id, quod ſibi verbis debetur, acceptum ſe ab eo habere, inter præſentes, verbis ſpondet.* [g]

Cum igitur ex hac definitione conſtet, *acceptilationem* ſupponere verba, adeoque ſtipulationem, mirum videri poteſt, cur acceptilatio dicatur eſſe *juris gentium* [h]. Reſp. id in acceptilatione ob favorem liberationis in ſpecie receptum eſt [i]. Quoties igitur aliquis abſque verbis ſolennibus accepto fert, non inutilis eſt ſtipulatio, ſed vim pacti habet [k], i. e. exceptionem producit [l]: quod ſecus eſt in omnibus aliis ſtipulationibus. [m]

Effectus hujus rei inſignis hic eſt, *ut ſervus quoque id, quod promiſit, accepto rogare, & inde liberari poſſit.* [n]

Cum enim acceptilatio hæc inutilis valeat in vim pacti [o], adeoque exceptionem producat, (i. e. naturalem obligationem [p]) neceſſario ſequitur, ſervum liberari, & agentem exceptione acceptilationis repelli poſſe: omnes enim effectu snaturalis obligationis etiam in ſervo locum habent. [q]

n. 4. Neque *obſtat*, quod per acceptilationem debitum non *naturaliter*, ſed ſaltem *civiliter* reſolvi dicatur [r]. Reſp. JCtis Romanis *naturaliter* reſolvi dicitur obligatio, ſi facto aliquo naturali, v. g. per ſolutionem, &c. obligatio tollitur: *civiliter* autem, ſi ſola voluntate, nullo facto naturali interveniente, ſolvitur, v. g. per acceptilationem, &c. Utraque diſſolutio autem fluit ex *Jure Gentium*. Prout enim partes de ſuo jure diſponunt, ita jus eſt.

n. 5. *Remiſſio* quoque debiti fit, ſi læſus pœnam debitam remittit, & reo gratiam facit. Ea remiſſio autem fieri non poteſt in delictis capitalibus, ubi naturali jure talio obtinet: nec in præjudicium tertii.

§. CCCLI. Solvitur obligatio *III.* QUANDO PRIUS DEBITUM IN ALIAM OBLIGATIONEM TRANSFUNDITUR [s]; quod fit vel per *novationem*, vel per *delegationem*.

Novatio eſt vel *voluntaria*, vel *neceſſaria*. *Illa* fit conſenſu, quando ſcilicet idem debitor id, quod debet, eidem promittit [t]. *Hæc* fit per litis conteſtationem, & rem judicatam. [u]

De-

(*f*) tot. tit. ff. de eo, quod certo loco. (*g*) §. 1, inſt. Quib. mod. obl. (*h*) L. 8, §. 4. ff. Acceptil. Grot. l. 2, c. 4. §. 4. n. 2. (*i*) d. l. 8, pr. & §. 4. (*k*) L. 8, pr. & §. 1. ff. Acceptil. (*l*) Vid. l. 7, pr. & §. 4, pact. junct. d. l. 8. pr. & §. 4. (*m*) Tot. tit. inſt. de inut. ſtip. (*n*) d. l. 8. §. 4. (*o*) l. 1, pr. §. 1, & §. 4, Acceptil. (*p*) L. 7. pr. & §. 4, pact. vid. jus meum contr. tit. de pact. q. 39. (*q*) L. 13, l. 64, ff. cond. indeb. l. 14, ff. O. A. l. 8. §. 4, ff. Acceptil. vid. ſupr. §. 133. (*r*) l. p. ff. V. O. (*s*) L. 1. §. 1, Novat. (*t*) §. 3. Inſt. Novat. (*u*) L. 11. §. 1, Novat.

Delegatio eſt, qua mutata perſona debitoris, vel creditoris, vel utriuſque, idem promittitur. [v]

Tollitur hoc modo obligatio ex ipſa ratione naturali. Prout enim unusquisque de jure ſuo diſponit, ita jus eſt. Jure Romano, ubi ex pacto nudo actio non datur, requiritur, ut verbis delegatio fiat, adeoque ut ſtipulatio accedat. [x]

§. CCCLII. *IV.* DISSENSU UTRIUSQUE, ſi ſolo conſenſu contractus conſtat. Nihil enim tam naturale eſt, quam ut iisdem modis aliquid diſſolvatur, quibus colligatum eſt [y]. Sane, neutri aliquid abeſt.

§. CCCLIII. Non igitur ſolvitur obligatio *V. unius revocatione*, ſi negotium ſemel perfectum, & jus aliquod in alterum translatum eſt.

n. 1. Atque hæc vera ratio eſt, cur in *contractibus nominatis* regulariter unius diſſenſu non diſſolvatur obligatio. Idque diſerte de emtione ita jure Romano traditur [z]. caſus ibi proponebatur, ubi quis vendit prædium ea lege, *ut emtor reſtitueret quod reipublicæ debebatur.* Cum vero emtor non ſolveret debitum, & ideo ex Imperatoribus quæreret venditor, *an ex eo, quod emtor non ſatis conventioni faceret, contractus irritus reddatur?* illi reſponderunt, venditorem non poſſe contractum irritum conſtituere, *ſed experiri quanti intereſt.* Idque confirmatur per *l.* 8. *C. de Contrah. emt.* ibi: *ſi non donationis cauſa, ſed vere, vineas diſtraxiſti, nec pretium numeratum eſt, actio tibi pretii, non eorum, quæ dediſti, repetitio competit.*

Agitur igitur his legibus de emtione & venditione conſummata, ubi dominium rei venditæ translatum eſt: hoc negotium ſemel perfectum, & traditione conſummatum, unius revocatione non diſſolvitur. [a]

Neque obſtat, quod ſi emtor non præſtat id, quod promiſit, venditor recedere poſſit, & negotium diſſolvatur [b]. Reſp. Res ibi venditur exiguo pretio *ſub certa contemplatione*: adeoque ſub conditione, qua non ſecuta, totum reſolvitur negotium, deficiente quippe conditione.

Idque adeo verum eſt, ut licet utrumque pœniteat [c], non tamen negotium tollatur, nec priſtina obligatio ſolvatur, ſed novus erit contractus, novaque contrahitur obligatio.

n. 2. Excipiuntur tamen quidam contractus nominati, ubi revocatio, & renunciatio jure fieri poteſt: ut in *depoſito*, *mandato*, & *ſocietate.*

n. 3. *Deponens* igitur quovis tempore depoſitum recipere, neque *depoſitarius* id impedire poteſt [c]. Hic enim nullum lucrum ex depoſito habet, ſed ſolum onus cuſtodiæ; adeoque ejus non intereſt: nihil ei ex patrimonio deeſt. Dolo igitur agere hoc ipſo dicitur, dum non reddit depoſitum [d]. *Depoſitarius* pariter quovis tempore renunciare depoſito, etiam invito *deponente*, poteſt. Contractui enim ſatisfecit, res actu depoſita, tempus autem adjectum non fuit. Accedit, quod deponens omne jus ſuum recipiat, adeoque ejus non interſit. [e]

Secus ergo ſi deponentis interſit: ſi proinde iter facturus rem deponit, ut in

(v) d. §. 3. (x) d. l. 1, §. 1, d. §. 3. (y) L. 35, ff. Reg. jur. §. f. Inſt. Quib. mod. t. ll. ob. l. 58, in f. Pact. (z) in l. 3, §. 3, C. Reſcind. vend. nec non in l. 14, C. Reſc. vend. (a) L. 50, ff. Solut. (b) L. 6, C. Pact. int. emt. &c. (c) L. 1. §. 45, & 46. Depoſ (d) L. 1, §. 22, Depoſ. (e) B. Par. diſp. de jure pœnitendi, Sect. 4, §. 11, & 14.

Digitized by Google

in ſecuro interim ſit, depoſitarius renunciare depoſito nequit, niſi abſens reverſus fuerit [f]. Idem dicendum, ſi quis rem depoſitam non in loco, ſed alibi habeat. [g]

n. 4. *Mandans* itidem quovis tempore mandatum revocare poteſt [h]: nec *mandatario* id impediendi jus eſt. Nam hic quoque nullum commodum ex mandato habet, ſed ſolum onus gerendi negotia alterius ſuſcepit; adeoque nullum jus in mandatarium tranſlatum, & nihil ei ex patrimonio abeſt. Cum igitur mandatarii non interſit, fruſtra quæritur de jure ei tribuendo, quod non habet.

Mandatarius quoque invito *mandante* renunciare mandato poteſt; quia itidem mandantis non intereſt, utpote cum ei integrum ſit, vel per ſe, vel per alium, rem eandem commode explicare [i]. Nullum igitur jus abeſt mandanti; non habet minus ſuo: adeoque nihil eſt, quod ei tribui poſſit, aut debeat.

Aliud igitur dicendum, ſi res integra non ſit [k]: uti ſi mandatarius neglexit occaſionem emendi, & jam, cum recte emere non poſſet, dolo renunciat [l]; vel ſi eo tempore renunciat, quo mandans vel per ſe, vel per alium, rem explicare nequit [m]: tunc enim facto mandatarii mandans læditur, damnumque patitur; adeoque jus in mandantem eſt tranſlatum, quia minus ſuo habet facto mandatarii.

n. 5. *In ſocietatis* contractu itidem unusquisque ſociorum recedere poteſt, re integra. Atque huc pertinet regula, quod nemo invitus in ſocietate manere teneatur.

Cum enim uterque ſuam partem recipiat, neutri aliquid deeſt; uterque ſatisfecit contractui: tempus autem adjectum non eſt (ſecus ergo ſi certum tempus contractui additum ſit [o]). Neutrius ergo intereſt, & ſic nulla obligationis cauſa ſubeſt. Secus autem ſi res non eſt integra. [p]

n. 6. Sed & in aliis negotiis, extra contractus nominatos, per revocationem ſolvitur obligatio, ſi jus in alterum tranſlatum non eſt. Hinc *precarium* quandocunque revocari poteſt [q]. Precarium autem eſt, *ſi quis ea lege uſum rei ſuæ concedit, ut quocunque tempore poſſit revocare*; quod pactum ex jure gentium deſcendit. [s]

Si igitur dominus revocat liberalitatem, definit precarium; nullum jus in utentem extra voluntatem domini tranſlatum eſt: voluntas autem domini fuit, ut poſſit revocare, cum mutaverit voluntatem [t]; nihil ergo utenti abeſt, adeoque nulla ei ſit injuria.

Jure Romano actio civilis ad revocandum ex hoc negotio data non eſt, quia magis ad donationes, & liberalitatis cauſam pertinet, quam ad negotii contracti [u]. Cum vero is, qui precario utitur, rem alienam teneat, (re enim mea utitur contra meam voluntatem) adeoque plus ſuo habeat, ideo Prætor duplicem actionem ex æquitate naturali dedit [v]: 1. intuitu poſſeſſionis, *edictum reſtitutorium*, ut quod quis precario ab alio habet, id alteri reſtituat [x]: 2.

(*f*) L. 1, §. 22, ff. l. 5, C. Depoſ. Conf. l. 5, §. 2, ff. Eod. (*g*) L. 1, §. 22, Depoſ. (*h*) §. 9. Inſt. Mand. (*i*) L. 22, §. f. ff. §. 11. Inſt. Mand. (*k*) l. 22, §. f. Mand. (*l*) d. l. 22. §. f. (*m*) d. l. 22, §. f. (*n*) L. 4, Pro ſoc. l. 63, § f. l. 65, §. 3, l. 5, C. Eod. d. diſp. Sect. 3, §. 8, & 14.

(*o*) d. l. 65. § 6. (*p*) d. l. 65, §. 1, & 5. (*q*) B. Par. dict. diſp. S. 4, §. 12. (*s*) L. 1, §. 1, Precar. (*t*) L. 2. §. 2, Precar. (*u*) L. 14, Precar. (*v*) L. 2, §. 2, Precar. (*x*) L. 2, pr. Precar.

2. intuitu proprietatis, *condictionem incerti*, ſeu actionem præſcriptis verbis, quæ ex bona fide oritur [y]. Immo & 3. revocanti datur condictio ſine cauſa, quia revera res mea ſine cauſa eſt penes alium: ex quo capite etiam pignus, ſoluto debito, poſſum condicere.

§. CCCLIV. Tollitur obligatio *VI.* pœnitentia unius. Quando, nimirum, negotium ab ejus parte eſt imperfectum. Contingit hoc in *contractibus innominatis*, qui in *dando* conſiſtunt [a]; quando, nimirum, quis dedit, ut alter viciſſim det: hoc enim caſu dans pœnitere poteſt quamdiu alter non dedit, etſi per eum ſteterit [b]. Ratio naturalis hæc eſt, quod negotium do ut des, vel facias, a parte dantis ſit imperfectum, quia non dedit animo donandi, ſed ut alter viciſſim præſtaret: ex imperfecto negotio autem nullum jus oritur. [c]

Ex eadem ratione etiam a *transacto* reſilire, & pecuniam datam condicere poſſum, ſi, cum ego implevi, alter implere nolit [d]. Nam transactio quoque eſt ſpecies contractus innominati, & fit aliquo dato, aliquo retento.

Neque obſtat *l.* 39. *C. transact.* ibi: *quamvis enim, qui pactus eſt, ſtatim pœniteat, transactio tamen reſcindi, & lis inſtaurari non poteſt; & qui tibi ſuaſit, intra certum tempus licere a transactione recedere, falſum adſeveravit.* Reſp. Caſus ibi eſt, ubi is, qui a ſua parte implevit, ad implendum agit, alter autem recedere vult. Hoc fieri nequit, quia ab hujus parte perfectum eſt negotium.

Ex his facile decidi poteſt quæſtio: an ab uno pacis articulo rupto, alter, ſi is quoque recedere velit, pœnitere poſſit? [e]

n. 1. Aliud igitur dicendum 1. in *accipiente*; intuitu hujus enim negotium perfectum eſt: ille plus ſuo habet, & accipiendo ſe danti, non dantem ſibi obligavit; eum igitur pœnitere nequit. 2. Ceſſat quoque pœnitentia, ſi contractus innominatus a *faciendo* incipit. Quia factum infectum fieri nequit. [f]

n. 2. Hinc jam conſtat, in *contractibus nominatis* pœnitentiæ locum non eſſe: quia ibi ſemper negotium utrinque perfectum eſt, ex quo conſenſus duorum adeſt. Idque §. *præc. n.* 1. probavimus.

§. CCCLV. *VII.* Solvitur obligatio perſonæ per *confuſionem*: quando, nimirum, creditor, ac debitor, reus, ac fidejuſſor, alter alteri hæres fit. Cujus rei rationem, ſimulque exceptiones hujus regulæ, ex jure naturæ alibi [g] explicavimus.

Cum vero per *confuſionem* ideo tollatur obligatio, quia idem non poteſt eſſe creditor, & debitor, facile apparet, non fieri confuſionem quoties hic reſpectus unius perſonæ ceſſat, & actio cum effectu intentari poteſt; quod exemplis allegato loco illuſtravimus.

§. CCCLVI. *VIII. Compenſatione* quoque tollitur obligatio: quæ eſt debiti, & crediti, utrinque æqualis, & liquidi, inter ſe contributio [h]. Eaque ipſo jure tollitur obligatio inter eos, qui invicem debent. [i]

n. 1. Equidem Grotius compenſationem ex eo jure naturæ deducit, quod ſequi-

(*y*) L. 2, §. 2, l. 19, §. f Precar. (*z*) tot. tit. Cond. ſin. cauſ. (*a*) d. diſp. Sect. 4, per tot. (*b*) l. 1. l. 3, §. 2, l. 5. pr. §. 1. & 2, Cond. cauſ. dat. l. 5, ff. Præſcr. verb. (*c*) Cocceji diſp. de jur. circ. act. imperf. Sect. 2, §. 8. (*d*) l. 14, C. Transact. d. diſp. Sect. 4, §. 1, (*e*) Vid. Grot. l. 3, c. 20, §. 35. ſeq. (*f*) Cocceji de jur. pœnit. Sect. 4, §. 1. (*g*) Vid. Jus meum controv. tit. de acceptil. qu. fin. (*h*) L. 1, pr. l. 21, Compenſ. §. 30, Inſt. de act. l. ff. Comp. (*i*) l. f. c. Compenſ. Laut. Comp. pag. 275.

ſequitur introductum dominium, adeoque quod pro certo rerum ſtatu juris naturalis eſt. Nam ex dominii vi, & natura, i. e. ex juſtitia expletrice, ſequi, ait, ut ſi rem ipſam, quæ mea fuit, conſequi non poſſum, aliud tantundem valens accipiam ab eo, qui rem mihi debet, quia morali æſtimatione idem eſt [k]: atque hinc oriri compenſationem, ſtatuit. [l]

n. 2. At 1. alibi negavimus, dari aliquod jus naturæ pro certo rerum ſtatu. 2. Verum non eſt, tunc demum compenſationi locum eſſe, ſi aliter rem meam conſequi non poſſum: nam locum habet compenſatio, etſi inſtituta actione rem meam conſequi poſſim, & alter ſolvendo ſit. Vera igitur 3. ratio compenſationis hæc eſt, quod is, qui compenſationem opponit, revera nihil alieni habeat, nec plus ſuo teneat; & quod ei, cui compenſatio opponitur, nihil abſit. Etſi enim æs alienum in bonis meis habeam, quod æs creditoris dicitur, tamen viciſſim ille creditor æs, quod meum eſt, in ſuis bonis habet. Si proinde remitto creditori meo æs, quod mihi debet, ei nihil amplius abeſt; adeoque nihil eſt, quod ei tribui debeat.

n. 3. Ut vero compenſatio locum habeat, requiritur 1. ut debitum, quod in compenſationem offertur, *liquidum* ſit [m]; quia alias non haberet tantundem: hinc manente bello id compenſari non poteſt, unde bellum ortum eſt [n]. 2. Ut *purum* ſit; ſi enim uni ſub conditione debetur, non par utriusque eſt conditio, adeoque alteri aliquid abeſſet. 3. Ut *inter creditorem, & debitorem* compenſatio fiat [p]; non ergo inter alias perſonas (quia tertius, cujus debitum in compenſationem offertur, plane non eſt obligatus, adeoque deficit mutua obligatio) 4. Ut, debitum ſit *æquale*; nam ſi alter minus debet, compenſatio non opponi poteſt, niſi quoad ſummam concurrentem. [q]

§. CCCLVII. *IX. Interitu rei promiſſæ*: de quo modo tollendi obligationem agetur infra *Sect. VI.*

§. CCCLVIII. *X. Interitu ſpeciei promiſſæ*: nam præſtari non poteſt res, quæ interit; interit autem ſi ſpecies perit (§. 326.). Hinc quadriga promiſſa, ſi unus equorum periit, tollitur obligatio ratione quadrigæ [o]. Nam ſublata ſpecie ipſum dominium perit; de qua re alibi [r] egimus.

§. CCCLIX. Atque huc quoque pertinet *XI.* ſi populus debet, & is cum territorio interit: nemo enim eſt, a quo, & nihil, unde peti poſſit. Si vero *populus* ſubſiſtit, uti ſi migrando alibi ſedes figit, &c. manet obligatio, etſi forte territorium interierit.

§. CCCLX. *XII. ſi deficit conditio* [s]: obligatio enim tantum erat eventualis; adeoque deficiente conditione, in quam obligatio ſuſpenſa erat, retro nulla obligatio fuiſſe videtur.

§. CCCLXI. *XIII. Si quis talionem paſſus eſt*: nam patiendo tantundem, naturali ratione reparatio injuriæ facta eſt. [t]

§. CCCLXII. *XIV. Si lege civili in pænam,*

(*k*) Grot. l.2, c.7, §.2. n.1. (*l*) L.3, c.19, §.15. & 16. (*m*) Grot. l.2, c.13, §.20, n.3, l.3, c. 19, §.19, n.1. (*n*) ibid. (*o*) Grot. l.3, c.19, §. 19, n.3, Laut. Comp. p.271. (*p*) L.7, pr. L.22, Comp. §. 30, Inſt, de Act. (*q*) L. 23, V. O. Laut. p.664. (*r*) Vid. ſupr. §.264, 277, 326. (*s*) L. 8, pr. Peric. & comm l.38, de contr. emt. (*t*) Grot. l. 2, c. 20, §. 1.

Digitized by Google

na u, aut ob utilitatem publicam, obligatio, quæ a natura eſt, tollitur: [t] 1. in aleatore [v], 2. in uxore, quæ pro marito intercedit [x], 3. in eo, qui per ſententiam judicis injuſtam abſolutus eſt, 4. in eo, qui longo tempore debitum ab altero, qui in bona fide eſt, non exegit.

Aliquando ſola actio tollitur: uti 1. ſi quis filiofam, pecuniam credidit [y], 2. ſi quis pacto nudo alii aliquid promittit, 3. ſi per confuſionem tollitur obligatio (*Vid.* §. 355.) 4. Alia exempla proponuntur *in tot. tit. ff. quarum verum actio non datur.*

§. CCCLXIII. Præterea *XV.* alii quoque ſunt modi finiendæ obligationis, qui ſpecialibus contractibus ſunt proprii. Sic commodatum finitur finito uſu; pignus, & fidejuſſio, ſublato debito principali; ſocietas, finito negotio, vel amiſſis bonis, &c. de quibus ſuo loco agetur.

§. CCCLXIV. Non vero jure naturali tollitur obligatio, 1. præſcriptione, utut immemoriali: 2. nec prætextu doli, vis, metus, ac erroris: 3. nec ob ſummam neceſſitatem: 4. nec ſi quis promittit ob rem turpem, vel injuſtam: 5. nec ob ignorantiam juris; quia naturæ jus ratione conſtat; adeoque ignorari ab hominibus ratione præditis nequit (aliud obtinet in ignorantia juris civilis [z]): nec 6. per ceſſionem bonorum; id enim beneficium tantum jure Romano datum eſt.

§. CCCLXV. Antequam ad ſingulas obligationum ſpecies tranſeamus, generatim adhuc notandum eſt, in uno negotio plures obligationum cauſas concurrere poſſe. Is enim, qui obligatur, non tantum ad rem, vel factum præſtandum tenetur, ſed etiam ad *fructus*; ad *uſuras*; ad omnem *cauſam*; ad *impenſas*; ad *acceſſiones*, ſeu id, quod intereſt; ad *dolum*, & *culpam*: ad culpam autem etiam pertinet *mora*. De quibus ſingulis ſequentibus ſectionibus agemus.

Equidem jure naturali ex ſingulis cauſis præmiſſis propria actio competit; nam is, qui actione, v. g. *ex emto*, agit, tantum petit, ut id, quod emtum eſt, præſtetur. Si vero venditor interim *fructus* ex re percepit, ſi emtor *uſuras* ex pretio, quod ſolvere debuiſſet, lucratus eſt, ſi *impenſæ* factæ ſunt, &c. hæ res non actione *ex emto* petuntur, quia nec emtæ, nec venditæ ſunt; ſed actione *ex quaſi contractu*, quia alter locupletior factus eſt ex re aliena. Pari ratione ſi vel *culpa*, vel *dolo*, vel ex *mora* alterius damnum datum eſt in re emta, id non actione *ex emto* vindicatur; nam pacto nihil de eo dictum eſt: ſed *ex delicto, vel quaſi delicto*, quia facto alterius illicito damnum id contigit; adeoque quia cauſa eſt damni dati: ejus enim culpa jus meum læſum eſt.

n. 2. At legiſlatores Romani in hoc negotio emtionis, omnibusque aliis *negotiis bonæ fidei*, conſtituerunt, ut ſingulæ hæ præſtationes ſub actione, v. g. emti venditi, comprehenderentur, ita ut judex, etſi de iis in libello nihil dictum ſit, tamen ex natura actionis de illis judicare poſſit: in negotiis *ſtricti juris* autem omnia hæc ſeparata actione peti debent; adeoque proceſſus naturalis ibi obtinet. In *actionibus arbitrariis*, ſive reales ſint, ſive perſonales, arbitrio judicis reliquerunt, ut contumaces, qui ad juſſum judicis reſtitue-

(*u*) L. 6, C. de pact. (*v*) Tot. tit. ff. Aleatoribus. (*x*) Tot. tit. Sc. Velleian. (*y*) Tot. tit. ff. ad Sc. Maced. (*z*) Tot. tit. ff. de ignorant. jur. & fact.

Digitized by Google

ſtituere nolunt, non tantum ad reſtitutionem rei, ſed & fructuum, omniſque cauſæ, condemnare poſſit [a]. Hoc igitur arbitrium non ex natura actionis, neque ex negotio bonæ fidei oritur, ſed ex contumacia non parentis, adeoque in pœnam.

S E C T I O I.

De Fructibus.

§. CCCLXVI. DIXIMUS, debitorem non tantum rem promiſſam præſtare debere, ſed etiam *fructus*, quos inde percepit: qua occaſione materiam de *fructibus* ſatis intricatam hic explicabimus.

Fructus eſt utilitas, quæ ex re, fruendi cauſa, ſalva ejus ſubſtantia, provenit [b]. Hinc venatio fructus fundi non eſt [c]: etſi enim fructuarius venari poſſit [d], & reditus ex venatione percipiat [e], id tamen non eſt jure fructus, ſed ex eo jure gentium, quo res nullius, adeoque & fera,, etſi in alieno capta, cedit occupanti [f]; quod a Tryphonino ita explicatur. [g]

§. CCCLXVII. Dividuntur fructus 1. in *naturales*, & *civiles* [h]: *illi* ex re naturaliter oriuntur, ut fructus e prædio, operæ e ſervo; *hi* civiliter, ſeu jure, ut merces e locatione, uſuræ e ſorte, &c: 2. in *naturales*, vel *induſtriales*: *illi* ſunt, quos natura produxit, etſi accedente facto hominis, ut fructus arborum, vineæ, &c. *hi*, quos hominum induſtria produxit, etſi accedente opera naturæ, ut ſegetes: 3. in *perceptos*, vel *percipiendos*: 4. In *pendentes*, vel *ſeparatos*; hi autem 5. in *extantes*, vel *conſumtos*. [i]

§. CCCLXVIII. Ut vero conſtet, quando fructus reſtitui debeant, diſtinguendum eſt, an quis eos percipiat *ex re aliena*, an vero *ex re ſua, ſed alii debita*.

Priori caſu certum eſt, fructus *ex re aliena* perceptos fieri poſſeſſoris, i. e. jure dominii acquiri percipienti, quia is, ad quem res pertinet, nunquam fuit dominus fructuum decerptorum: at quia lucrum hoc percipit ex re aliena, æſtimationem domino rei reſtituere tenetur, quia locupletior fieret alterius jactura. Id vero jure Romano varie limitatum eſſe, ſupra vidimus. [m]

Aliud autem obtinet ſi conſenſu domini fructuum perceptio alii conceſſa ſit, ut in ſervitutibus perſonalibus [n]: item ſi per commodatum, locationem, &c. facultas percipiendi fructus in alium transfertur [o]; tunc enim fructus non tantum ſuos facit, ſed & lucratur.

Poſteriori caſu is, qui rem ſuam alii præſtare tenetur, fructus ſuos facit; dominus enim rei manet ante traditionem: niſi in mora ſit præſtandi rem promiſſam; tunc enim facto ſuo illicito cauſa eſt damni creditori dati, quod ex regula naturæ reparare tenetur. Conſtituitur autem in mora poſt litem conteſtatam. [p]

Idem dicendum ſi res ab eo, qui dominus factus eſt, ideo, quia ſine cauſa penes eum eſt, condicitur; nam tunc quoque fructus percipiendo ſuos facit: at non lucratur, ſed reſtituere eos tenetur

(*a*) L. 68, ff. Rei vind. (*b*) B. Par. Hyp. Inſt. tit. de Rer. div. §. 47, Laut. comp. p. 420, vid. l. 121, Verb. ſign. l. 7, §. 13, Sol. matr. (*c*) L. 26. ff. Uſur. (*d*) L. 62, ff. Uſufr. (*e*) L. 9, ff. eod. (*f*) L. 3, §. 1, Acq. rer. dom. (g) d. l. 62, ff Uſufr. Vid. ſupr. §. 263. (*h*) L. 124. verb. ſign. (*i*) L. 62, pr. Rei vind. (*k*) Leg. 45, Uſur. (*l*) de quibus vid. Laut. comp. p. 420. (*m*) Vid ſupr. §. 267. (*n*) §. 36, Inſt. Rer. div. (*o*) d. §. 36, in fin. (*p*) L. 38, §. 7, Uſur. Conf. Laut. pag. 359, ſeq.

netur ei, qui rem condicit, ſi exſtant; æſtimationem autem, ſi conſumti ſunt.[q]

Differt *fructus* a *cauſa*, quæ præter fructum etiam ea comprehendit quæ extra computationem patrimonii noſtra ſunt.[r]

SECTIO II.

De Uſuris.

§. CCCLXIX. DEBITOR porro, præter rem ipſam, aliquando reſtituere tenetur *uſuras.* USURA autem eſt pecunia, qua uſus ſortis, ſive quantitatis debitæ, æſtimatur.[s]

§. CCCLXX. Cauſa uſurarum remota eſt ipſum Jus naturæ: ejusque rei rationes expoſuit B. PARENS[t]. Sane, jus naturali ratione mihi competit in pecuniam meam, ejusque uſum; adeoque pro lubitu de ea pecunia diſponere, ejusque uſum alii ſub certa lege concedere poſſum: hactenus igitur a parte fœneratoris nihil iniqui ſubeſt. Immo & certiſſimum eſt, debitori nullum jus in meam pecuniam, ejuſque uſum competere. Si quis igitur uſum meæ pecuniæ ſub lege uſurarum obtinet, valet hæc diſpoſitio, quia debitor de ſuo jure diſponit.

Idque adeo verum eſt, ut ſi quis pecunia mea citra meam voluntatem utitur, perinde teneatur ad uſuras, ut is, qui re aliena utitur, ad fructus: uſura enim nihil aliud eſt, quam æſtimatio uſus.

Et licet forte debitor non uſus ſit pecunia aliena, tamen non minus tenetur, ac is, qui prædio alieno uſus eſt, & ſua negligentia fructus, quos potuit, non collegit; quia id domino, qui uſum illum percipere potuiſſet, non obeſt.[x]

Neque *obſtat*, pecuniam ſua natura eſſe rem ſterilem: nam & domos, & alias res infœcundas eſſe, conſtat, quas tamen hominum induſtria fructuoſas fecit. Etſi igitur ex pecunia fructus natura non oriatur[y], opera tamen, commercioque hominum produci fructus inde poſſunt.[z]

Jure divino uſuras ab extraneis ſumere licebat; quod Deus permittere non potuiſſet, ſi naturali jure prohibitæ eſſent. Etiam jure Romano uſuras pro uſu pecuniæ accipere licet[a]: adeo ut in infinitum id liceat, ſi creditor periculum ſuſcipit, vel *pecunia*, quæ trans mare, vel alia loca periculoſa vehitur[b], quod dicitur *fœnus nauticum*; vel *mercium* per mare, vel etiam per terram, transvehendarum, quod negotium *aſſecuratio* vocatur; vel *navis ipſius*, in quam quis pecuniam credit, atque hoc negotium dicitur *bodemeria*[c]. Alias exceptiones vide apud Scriptores juris civilis.[d]

§. CCCLXXI. Uſuræ debentur 1. ex pacto, ſi nimirum pro uſu alienæ pecuniæ promiſſæ ſunt; ſi enim non ſunt promiſſæ, non debentur[e]: neque dici poteſt, mutuo ita accipientem locupletiorem fieri ex re aliena, quia percipit id lucrum conſenſu domini.

2. Si

(q) L. 38, §. 1, ſeq. Uſur. (r) L. 17, ff. Rei vind. l. 5, pr. Verb. ſign. (s) Laut. comp. pag. 416. (t) In Diſput. de Anatociſmo, §. 8, uſque ad §. 16, & in comment. ad Grot. l. 2. c. 12, §. 20, ſeq. Conf. jus meum controv. tit. de uſur. quæſt. 1. (x) B. Parens d. §. & ſeq. (y) L. 62, ff. R. V. (z) L. 3. ff. Uſ. ear. ter. l. 15, ff. de alim. leg. (a) Tot. tit. ff. de uſur. (b) L. 1 ff. Naut. fœn. (c) Vid. jus meum controv. tit de Naut. fœnore B. Par. diſp. de Bodemeria §. 29. (d) Laut. comp. pag. 418. & 419. (e) L. 24. ff. Præſcr. verb. l. 3. C. Uſur.

Digitized by Google

2. Si quis uſuras extra aliena ſine cauſa percipit, etſi promiſſæ non ſint: uti ſi quis ex depoſito [f], ex mandato [g], ex negotiorum geſtione, &c. [h], pecuniam penes ſe habet, eaque utitur; his caſibus uſuras quoque ſolvere tenetur: item ſi emtor, vel venditor re & pretio ſimul utitur [i]; hæc obligatio hactenus oritur *ex quaſi contractu*, cujus norma generalis eſt, quod nemo locupletari debeat cum alterius jactura. 3. Ex mora [k]: adeoque etſi uſuræ nec pactæ ſint, nec debitor uſus ſit pecunia aliena, quia tum non ſolvit pecuniam cum ſolvere debet, facto hoc illicito cauſa eſt, quo minus creditor ſua pecunia uti, ac uſuras inde percipere poſſit; adeoque jus alterius minuit, illudque proinde reparare tenetur. Atque hæc obligatio oritur ex damno dolo, vel culpa dato, adeoque ex vero, vel *quaſi delicto*.

§. CCCLXXII. Cæterum, uſuræ debentur in infinitum [l], immo & uſura uſurarum [m], quia uſuræ cujusque anni naturam ſortis habent; ſi enim debitor ſolviſſet, lucrum exinde creditor percipere potuiſſet: cum ergo creditor damnum hoc patiatur ex mora debitoris, hic injuria agit, jus alterius ſua culpa minuit; indeque ex regula juſtitiæ generali jus ſuum cuique tribuere, i. e. uſuras uſurarum præſtare tenetur.

Atque hoc jus naturæ etiam jure Romano in quibusdam caſibus obſervatur, de quibus evolvendi ſunt ſcriptores juris civilis [n]. Sane, in fœnore nautico [p], in aſſecuratione [q], in bodemeria, &c. [r], in infinitum ſtipulari uſuras licet, quia periculum ibi æſtimatur, quod certa quantitate, uti uſus rei, definiri nequit.

SECTIO III.

De Cauſa.

§. CCCLXXIII. DEBITOR quoque aliquando præſtare debet CAUSAM [s], i. e. reſtituere omnem utilitatem, quam creditor habiturus fuiſſet, ſi ſtatim judicii accepti tempore res ei reſtituta fuiſſet. Ad cauſam pertinet etiam partus, item fructus rei, &c. [t]: ſpeciatim autem quæ extra computationem patrimonii noſtri ſunt [u], & quæ poſſeſſor non ex re acquirit [v], ut hæreditas, legata, quæ per ſervum venditum obvenerunt, cauſa uſucapionis, actio legis Aquiliæ per ſervum quæſita, &c. [x]

Ratio hujus præſtationis ſequitur ex ratione naturali. Etſi enim nihil horum ex promiſſo debeatur, ſi tamen damnum aliquod paſſus ſum ideo, quod res promiſſa mihi tradita non fuerit, debitor vel ideo tenetur, quia locupletior factus eſt mea jactura, vel quia facto debitoris illicito mihi aliquid abeſt: omnes enim illas utilitates ergo percipere potuiſſem. Naturale ergo eſt, ut debitor hoc jus, quod mihi abeſt, reſti-

(*f*) Vid. jus meum controv. Tit. Depoſiti, quæſt. 10. (*g*) L. 10, §. 3, Mand. (*h*) L. 12. §. 9, Mand. (*i*) Vid. jus meum controv. tit. de act. emt. quæſt. 16. & tit. de uſur. quæſt. 4. (*k*) Laut. comp. pag. 418. (*l*) dict. diſp. de Anatocismo. Sect 1, §. 9. (*m*) dict. diſp. Sect. 1, §. 18. (*n*) Vid. Laut. comp. pag. 418, & 419. (*p*) Tot. tit. & l. 1, ff. Naut. fœn. (*q*) B. par. in diſp. de Aſſecuratione. §. 10. (*r*) B. par. in diſp. de Bodemeria §. 14. (*s*) l. 3, ff. Uſufr. l. 17, ff. Rei vind. (*t*) d. l. 2, l. 38, §. 7, Eod. l. 25, V. S. l. 20, ff. Rei vind. (*u*) l. 5, pr. Rei vind. (*v*) l. 20, ff. Eod. (*x*) d. l. 17.

reſtituat. Priorem rationem innuit Ulpianus, dum ait: *lucrum enim ex ea re, quæ in lite eſſe cœperit, facere non debet* [xx]. Atque hinc apparet, cur JCti Romani dicant, appellatione rei *cauſam* quoque contineri. [y]

Sectio IV

De Impenſis.

§. CCCLXXIV. Impensæ quoque aliquando reſtituendæ veniunt, etſi in pacto de illis nihil dictum ſit. [z]

Ratio naturalis in aprico eſt; ſi enim debitor in re, quam mihi promiſit, quædam impendit, ea impenſa ego locupletior fierem, adeoque plus meo acciperem, quod proinde alteri, cui id abeſt, reſtituere teneor. Unde apparet, hanc obligationem oriri quaſi ex contractu. [a]

Atque hæc ratio eſt, cur dominus, qui rem ſuam vindicat, (etiam a prædone, & a fure) impenſas reſtituere teneatur.

Si tamen tolli poſſunt illæ impenſæ, is, cui promiſſa res eſt, non neceſſario pretium reſtituit, ſed permittere alteri poteſt ut tollat, ſive ſint *neceſſariæ*, ſive *utiles*, ſive *voluptuariæ*. Unde diſtinctio inter has impenſas eſt meri juris civilis.

Sectio V.

De Acceſſionibus, ſeu de eo, quod intereſt.

§. CCCLXXV. Præter id, quod promiſſum eſt, debitor aliquando etiam præſtare tenetur id, quod intereſt. Quo nomine intelligitur omnis utilitas, quæ propter rem principalem creditori abeſt [b]; verbo, *lucrum ceſſans, & damnum emergens* [c]; immo & pretium affectionis. [d]

§. CCCLXXVI. Cum vero id, quod intereſt, in infinitum extendi ſoleat, & præterea probatu ſit difficillimum, duo JCti Romani conſtituerunt: 1. id, quod intereſt, in *caſibus certis* duplum excedere non debere: in *aliis* autem, qui *incerti* eſſe videntur, præſtari debere id, quod *vere* intereſt [e]: 2. ut ſi dolus adverſarii interveniat, in infinitum in litem jurari poſſit. [f]

§. CCCLXXVII. Actio igitur ad petendum id, quod intereſt, pariter ex jure naturæ oritur; quia ſcilicet facto alterius aliquid mihi abeſt: ceſſat lucrum, quod habiturus fuiſſem; careo voluptate, quam capere ex re potuiſſem; emergit damnum, quod paſſurus non fuiſſem, ſi jus mihi alter tribuiſſet. Hæc omnia igitur reſtitui, natura æquum eſt, tum ex *quaſi contractu*, ſi facto alterius licito id mihi abeſt, tum ex *quaſi delicto*, ſi facto ejus illicito lucrum ceſſat, &c.

§. CCCLXXVIII. Hæc actio obtinet in omnibus juris objectis: adeoque ſi quis me v. g. filium, vel liberum eſſe negavit, vel ſi rem meam, quam penes ſe habet, non reſtituit, agere ad omne id, quod intereſt, poſſum.

§. CCCLXXIX. Differt hæc actio ab ea, qua petitur *cauſa*, & qua petuntur

(xx) L. 17, ff. Rei vind. (y) l. 23, Verb. ſign. l. 20, ff. Rei vind. (z) l. 26, §. fin. R. V. (a) L. 38, eod. ibique Goth. (b) L. 13, ff. Rem rat. hab. l. 21, in fin. ff. Nov. op. nunc. l. un. C. De ſent. quæ pro eo quod intereſt &c. Laut. comp. pag. 431, Goth. ad rubr C. de Sent. quæ pro &c. (c) d. l. un. d. 13, l. 2, in fin. De eo quod certo loc. (d) Laut. comp. pag. 191, B. Parens in diſp. de pretio affectionis. §. 4, 5, 6, 8, ſeq. (e) d. l. un. (f) l. 68, ff. Rei vind. l. 1, l. 2, §. 1, l. 8, ff. de jurej. in lit.

Digitized by Google

-tuntur *fructus.* Nam in *priorem* actionem veniunt ea, quæ extra computationem patrimonii noſtri ſunt, (§. 373.) adeoque quæ non ex re, ſed aliunde acquiruntur. In *poſteriorem* tantum venit id, quod ex re oritur. In actionem *ad id, quod intereſt*, neutrum venit, ſed lucrum ſaltem, quod non exſtat, ſed exſtare poteſt, & damnum, quo res deterior reddita eſt.

Sectio VI.

De Præſtatione Doli, & Culpæ: item de Caſu, ejuſque Periculo.

§. CCCLXXX. Denique debitor quoque præſtare tenetur Dolum, & Culpam, non Casum. De quibus ſingulis nunc agemus.

§. CCCLXXXI. *Dolus* eſt machinatio fraudulenta ad decipiendum alterum adhibita. [g]

Quia igitur per dolum jus alterius læditur, ipſa ratio naturalis dictat, eum, qui dolum committit, injuria agere, adeoque ad reparationem teneri.

Ex hac ipſa definitione apparet, poſſe ſine dolo aliud agi, aliud ſimulari, v. g. ſi quis per hujuſmodi diſſimulationem ſua, vel aliena tuetur [h]. Hinc conſtat, ſimulationem Gabaonitarum verum dolum non fuiſſe, quia vitæ conſervandæ cauſa ſimulabant: atque hinc ex hoc quoque capite negotium cum eis geſtum ab ipſo numine validum declaratum fuit. [i]

§. CCCLXXXII. *Dolum* committunt qui delinquere poſſunt: committitur autem in eos, quibus injuria fieri poteſt; de quibus infra.

§. CCCLXXXIII. Objectum *doli* eſt omnis machinatio fraudulenta, qua jus alterius læditur. (§. 381.)

§. CCCLXXXIV. Effectus doli *intuitu læſi* eſt, quod actio inde detur dolo deceptis, & hæredibus, ad damni dolo dati reſtitutionem.

Controverti ſolet inter Doctores: *An dolus vitiet negotium, illudque reddat ipſo jure nullum? an vero ipſo jure ſubſiſtat, & actione de dolo demum agatur ad reſcindendum negotium.* Omnes conveniunt, negotium ſubſiſtere *ſi dolus ſit incidens*, (ſive negotium ſit *bonæ fidei*, ſive *ſtricti juris*). In dolo *incidente* ergo omnes ſtatuunt, dolum ſeparata demum actione, de dolo ſcilicet, vel ſi contractus eſt bonæ fidei, actione ex ipſo contractu, vindicari poſſe. [k]

At *ſi dolus cauſam dat* contractui, diſtinguunt inter *contractus bonæ fidei*, & *contractus ſtricti juris*; ita ut *illi* ipſo jure nulli reddantur, nec reſciſſione opus habeant; *hi* autem reſcindantur per actionem de dolo.

Equidem negari nequit, poſita ex jure Romano differentia inter contractus *bonæ fidei*, & *ſtricti juris*, verum eſſe, quod negotia *bonæ fidei* dolo contracta ſint ipſo jure nulla, *ſi dolus cauſam dat contractui.* Cum enim ſubſtantia contractuum bonæ fidei in eo conſiſtat, ut omnia optima fide fieri debeant, facile conſtat, dolum contrariari ſubſtantiæ horum contractuum, indeque negotium eſſe ipſo jure nullum; quæ ratio a JCtis quoque

(g) L. 71, §. 8, Acq. hær. l. 1, §. 1, de dol. mal. l. 2, Si quis omis. cauſ. teſt. l. 12, de incend. l.2, §. 2, Vi bon.rapt. l. 7, §.9, Pact. l. 43, §. 1, Contr. emt. (h) per text. expr. in l. 1, §. 2, ff. Dolo. (i) Vid. Joſu. c. 9, v. 18, 19, 26. 11, Reg.21, v.1.ſeq. (k) L.13, pr. ſeq. ff. Act. emt.

que allegatur. *Dolus ſocietatem ipſo jure nullam reddit, quia bonæ fidei contrariatur.* Idque de dote etiam, (quæ bonæ fidei eſt) traditur [l]: item de venditione, &c. [m]. Quod verum quoque eſt, etſi dolus tertii cauſam dederit contractui, qui eſt caſus *l. 7. pr. de dol. mal.* ubi minor dolo ſervi circumſcriptus, ſervum cum peculio vendit; & additur, *venditionem nullam eſſe, ſi in hoc, ut venderet*, (dolo ſervi) *circumſcriptus ſit.*

Atque hæc ratio quoque eſt, cur vis, ac metus vitiet *negotia bonæ fidei*: *quia ei conſenſui, qui bonæ fidei judicia ſuſtinet, nihil magis contrarium eſt, quam vis, & metus* [n]. Si proinde quis vi, vel metu adactus rem emit, bona fides non patitur, ut emtor ex tali conſenſu vi exacto obligetur; adeoque negotium erit ipſo jure nullum.

n. 2. Sed & porro ex iiſdem principiis juris Romani, & ex natura negotiorum *ſtricti juris* neceſſario ſequitur, negotia dolo contracta ſubſiſtere [o] (quod itidem in negotiis ſtricti juris vi, metuque contractis, verum eſt [p]); quia lege Romana hæc negotia ideo ſtricti juris dicuntur, ut tantum quis obligetur ex verbis ſolennibus, ſive ore, ſive litteris expreſſis.

Contrahentes enim omnem fidem in verbis, & litteris conſtituunt. Quoties igitur uterque conſenſum ſuum verbis, vel litteris declaravit, id ſolum actione peti poteſt, quod expreſſum eſt [q]; non vero quod præterea æquum, & bonum eſt: adeoque nec uſuræ, nec cauſa, nec id, quod intereſt, nec damnum dolo, vel culpa datum, &c; ſed hæc omnia ſeparatis actionibus peti debent.

n. 3. Jure naturæ omnes contractus naturam habent negotiorum *ſtricti juris*, adeoque nihil in actionem venit, niſi quod inter partes conventum eſt, ſive dolus ſit incidens, ſive cauſam dans. Nam in tali negotio duo ſunt: 1. conſenſus utriuſque: 2. dolus, qui cauſam dat conſenſui. *Prior* actus licitus eſt, adeſt duorum in idem placitum, & conſenſus; adeoque contrahentes inde obligantur. *Poſterior* actus illicitus eſt, adeoque ſeparata actio de dolo datur contra eum, qui alterum ad contrahendum induxit.

Unde ſimul conſtat, nihil iniqui in his principiis ſubeſſe: nam in negotiis *ſtricti juris* æque id, quod æquum, & bonum eſt, præſtari debet; at non actione ex ipſo contractu, ſed actione ſeparata.

n. 4. Egregie hæc confirmantur exemplo C. Canii Equitis Romani, qui a Pythio Syracuſæ (cum ſciret, Canium hortum emendum quærere) invitatus, magnum vidit piſcatorum numerum, quos callide conduxerat Pythius, & quotidie id fieri afferebat. Canius incenſus cupiditate loci hujus amœniſſimi, contendit a Pythio ut venderet; gravate Pythius negotium conficit: poſtridie compertum habente Canio, nullos ibi piſcari ſolere, quærebatur, an actio quædam ad reſcindendum contractum competat Canio? & recte id negat Cicero [r]. Non enim negotium nullum hic dici potuit, quia in rem conſenſit Canius; adeoque negotium ſubſiſtebat, & ſaltem actionem ex contractu

(*l*) L. 21, §. 3, Quod met. cauſ. (*m*) l. 5, l. 8, l. 10, c. Reſc. vind. (*n*) l. 116, pr. R. J. l. 8, pr. Reſc. vind. l. 10, eod. (*o*) per text. expr. in l. 36, V. O. & l. p. C. de Inut. ſtip.

(*p*) per text. expr. in l. 21, §. 4, & 5, Quod met. cauſ. l. 116, Reg. jur. (*q*) l. 99, V. O. (*r*) L. 3, de offic. c. 14.

Digitized by Google

tractu bonæ fidei ad id, quod intereſt, ei competiiſſe, Cicero ait. Actionem autem de dolo ad reſcindendum negotium dari non potuiſſe, quia eo tempore actio de dolo nondum a Prætore Aquilio erat introducta.

Atque hæc vera omnino ſunt, quamdiu non accedit error, qui conſenſum impedit: uti ſi in ſubſtantia rei alterius dolo erratum ſit, &c. (*Vid. infr.*)

n. 5. Cum igitur negotium dolo contractum ipſo jure ſubſiſtat, certum eſt, dominium rei ex tali cauſa traditæ transferri in accipientem [s], & actionem doli ſaltem dari contra decipientem, ut præſtet omne id, quod intereſt, dolo deceptum non eſſe: etſi jure Romano agi quoque poſſit ad reſcindendum negotium. [t]

§. CCCLXXXV. Actio hæc non datur contra hæredes, quia ex delicto eſt; niſi inde aliquid ad hæredes pervenit [u]: tunc tenentur quaſi ex contractu, quia locupletiores fierent cum alterius jactura. Cæterum, mere juris civilis eſt, quod [a] actio doli ſit ſubſidiaria; [b] quod non detur liberis contra parentes; [c] quod præſcribatur biennio. [v]

§. CCCLXXXVI. Culpa quoque præſtari debet in contractibus, ſi nimirum unus contrahentium culpa alterius damnum ſentit. At hæc præſtatio itidem non ſequitur ex conſenſu, ſeu ex natura pacti, ſed ex delicto, vel quaſi delicto; quia naturali ratione omne damnum, etiam culpa leviſſima datum, verum delictum infert [x]. Cur vero JCti quædam damna, culpa data, *quaſi delicta* vocaverint, ejus rei rationem infra explicabimus. [y]

§. CCCLXXXVII. Circa præſtationem Casus, jus Romanum itidem cum jure naturæ egregie conſpirat.

Quæſtio nimirum eſt, cuinam *caſus* noceat? ſeu cujus *periculo* res ſit, quæ caſu periit, vel deterior facta eſt? adeoque ad quem damnum, detrimentumve caſu in re datum, pertineant?

Caſus eſt eventus, qui nulla humana providentia præcaveri potuit. [z]

§. CCCLXXXVIII. Caſus in genere nocet 1. rei domino; & præterea 2. ei, qui jus in illa re habuit; ac 3. ei, qui actionem perſonalem ad rem certam petendam habet.

§. CCCLXXXIX. *Primo* igitur res perit domino, adeoque ſolius domini periculo res eſt [a]. Sane, contradictio eſt, dominium retinere in re, quæ periit; & facultatem ſibi arrogare pro lubitu diſponendi de re, quæ eſſe deſiit.

Idque verum eſt, etſi apud alium perierit. Sane, domino hactenus actio contra poſſeſſorem, apud quem periit, nulla competit: ſed poſſeſſor liberatur rei interitu [b]. Non ergo caſum præſtat depoſitarius [c], precario poſſidens [d], mandatarius [e], commodatarius [f], poſſeſſor

(*s*) L. 3, C. ſi adv. lib. l. 3, §. 8, Cond. cauſ. dat. arg. tot. tit. cond. indeb. (*t*) Laut. comp. p. 79. (*u*) l. 13, pr. l. 17, §. 1, l. 26, ſeq. Dol. mal. (*v*) Vid. Lauterb. comp. tit. de dolo malo. (*x*) vid. late infra, c. 6, ſect. 11. (*y*) d. c. 6, Sect. 11. (*z*) l. 1, §. 7, de adm. rer. civ. l. 23, ff. R. J. l. 4, C. Peric. tut. Laut. p. 228. (*a*) l. 9, C. pign. l. 8, R. J. l. 12, C. locat. l. 2, 5, 7, Adm. rer. civ. (*b*) l. 27, §. 1, & 2, R. V. arg. l. 36, §. 1, Eod. l. 25, §. 4, ff. l. 12, C. Locat. l. 66, ſolut. l. 13, Lib. cauſ. (*c*) l. 1, C. Depoſ. L. 4, ff. Reb. cred. l. 14, §. 1, Dep. l. 23, R. I. (*d*) l. 23, Reg. jur. l. 8, §. 3, & 4, Precar. (*e*) l. 23, R. I. l. 26, §. 6, Mand. Laut. p. 285, (*f*) 33, R. D. l. 5, §. 2, 3, & 4, Commod. l. 1, pr. Eod. Diſſent. Grot. l. 2, c. 12, §. 12,

ſeſſor pignoris [g], conductor [h], maritus ratione dotis [i], tutor [k], negotiorum geſtor [l], ſocius [m], accipiens in contractu aſtimatorio [n], hæres, ſi res legata periit [o]. Excipe, 1. ſi culpa poſſeſſoris intervenit [p]: 2. ſi in mora ſit poſſeſſor rem reſtituendi domino [q]: 3. ſi poſſeſſor pacto recepit periculum [r]; quod etiam factum videtur ſi accipiens in æſtimatorio contractu rogavit, ut æſtimato res detur. [s]

Quæritur, ad quem periculum fructuum pertineat? Reſp. ad eum, qui jus fructus illos percipiendi habet; adeoque regulariter [*a*] ad dominium, & [*b*] uſufructuarium. Idque verum eſt, etſi fructus per caſum inſolitum pereant [t]; quod tamen legibus Romanis mutatum eſt.

§. CCCXC. *Secundo*, non tantum res perit domino quoad dominium; ſed & interitu rei tolluntur omnia jura, quæ rei cohærent: adeoque hactenus res quoque perit his, qui jus in re habent. Equidem alibi dictum eſt, jure naturæ extra dominium aliud jus in re non dari: at poſtquam jure Romano alia quædam jura in re conſtituta ſunt neceſſario inde ſequitur, 1. ſervitutes quoque interitu rei extingui [u], adeoque quoad hæc jura in re periculum eſſe ejus, cui ſervitus in re competit; ſed & 2. Emphyteuſin interire [v], jus feudi, &c.

§. CCCXCI. Denique, & *tertio*, res quoque perit ei, qui actionem perſonalem habet ad certam rem petendam [x]: non ſi de quantitate agitur. Ratio naturalis hæc eſt, quod creditor fruſtra petat rem, quæ caſu periit, adeoque non amplius exiſtit.

Neque obſtat, perſonam obligatam eſſe, non rem, adeoque obligationem manere. Reſp. perſona obligata eſt ad rem præciſe præſtandam; ſi ergo caſu periit, impoſſibilis eſt præſtatio, & ſic jus agendi creditoris extinguitur. Hinc jam generalis regula eſt, in omnibus negotiis, ubi quis certam rem dare promiſit, debitorem liberari rei interitu; adeoque omne detrimentum, & periculum eſſe creditoris, ejuſque jus agendi extingui. Exceptiones videbimus §. ſeq.

§. CCCXCII. Ex his principiis facile deciduntur omnes difficultates, quæ in jure Romano circa præſtationem caſus occurrunt. Nam hinc I. jam apparet, cur in emtione venditione, ſi perfectum eſt negotium (perfectum autem eſt, ex quo conſtat, quid, quale, & quantum venditum ſit) [z], omne periculum rei ſit *emtoris*, etiam ante traditionem. [a]

n. I.

(*g*) L. 23, R. I. l. 13, §. 1, Pign. act. §. 4, Inſt. Quib. mod. re &c. l. 5, l. 6, l. 9, C. Pign. act l. 19, C. Pign. Laut. p. 234. leg. 6, Naut. fœn. (*h*) l. 23, R. I. Laut. p. 391. (*i*) l. 23, R. I. l. 10, §. 1, jur. dot. arg. l. 75, Eod. (*k*) l. 23, R. I. l. 53, §. 3, Furt. (*l*) l. 23, R. I. l. 6, §. 3, l. 11, Neg. geſt. Laut. p. 72, (*m*) l. 23, R. O. l. 25, ff. Pro ſoc. l. 52, §. 3, & 4, Pro ſoc. l. 58, pr. & §. 1, l. 52, §. 4, l. 60, §. 1, junct. l 61, Eod. Laut. p. 294. (*n*) l. 17, §. 1, Præſcr. Verb. (*o*) l. 23, V.O. (*p*) l. 5, §. 4, Commod. l. 5, Reb. cred l. 23, V. O. l. 8, Eod l. 5, C. Pign. Laut. p. 234, p. 282, 391, 116. (*q*) l. 8, § 4, Precar. l. 5, Reb cred. l. 23, V. O. Laut. p. 234, 282. (*r*) l. 6, C. Pign. act. Laut. p. 282, 231, 391. (*s*) l. 17, §. 1, Præſcr. verb. (*t*) Vid. Laut. p. 282, & 391. (*u*) l. 8, § 1, Serv. ruſt. Laut. p. 141, Arg. l. 13, Serv. præd. ruſt. l. 20, §. 2, l. 31, de ſerv. præd. urb. (*v*) l. 1, in fin. C Jur. emphyt. (*x*) vid. Muller ad Struv, tit. de peric. & com. §. 9, leg. 91, V. O. (*y*) l. 5, Contr. emt. l. 91, V. O. vid. Muller. ad Struv. tit. de Per. & com. §. 9. (*z*) l. 8, ff. Per. & com. (*a*) §. 3, Inſt. De Emt. l. 81, l. 11, ff. Contr. emt. l. 1, l. 4, l. 5, l. 6, C. Eod. l. 34, §. 6, l. 35, §. 4, ff. Eod. l. 13, V. O. l. 5, §. fin. de reſcind. vend.

Digitized by Google

n. 1. Ratio naturalis in aprico eſt; cum enim perfecta emtione jus emtori competat rem illam petendi, facile conſtat, actionem inanem eſſe re perdita, nec exigi poſſe rem, quæ non exiſtit: debitor ergo rei certæ liberatur rei interitu. Idque adeo verum eſt, ut emtor pretium rei deperditæ venditori ſolvere teneatur, ac ſi rem tradidiſſet [b]. Neque *obſtat*, venditorem ante traditionem manere rei dominum, rem autem perire domino. Reſp. verum hoc eſt quoad dominium: ſed præterea quoque res perit ei, qui jus habet eam petendi, adeoque & emtori.

n. 2. Aliud autem obtinet, & periculum *venditoris* eſt, 1. ſi non conſtat, quid, quale, & quantum venditum ſit [c]: uti ſi venditio facta eſt ad menſuram, vel probationem, vel ſi non res certa, ſed quantitas vendita eſt [e]. Idem quoque dicendum, 2. ſi genus venditum, ſpecies autem demonſtrata non eſt: 3. ſi venditoris dolo, vel culpa caſus exiſtit [g]; quo etiam pertinet, ſi eſt in mora tradendi [h]: vel ſi res periit ex præcedenti vitio [i]: item ſi venditor cedere actiones emtori non poteſt, quibus hic rem, quæ caſu periit, conſequi poſſet.

4. Si venditor ſpeciali pacto caſum recepit [l], non ſi nudam cuſtodiam promiſit. [m]

NB. Caſum, i. e. rem vere periiſſe, probat is, qui eum allegat: culpam vero is, qui alteri eam imputat, adeoque in ea ſe fundat. [n]

§. CCCXCIII. Hinc 2. apparet, quatenus jus Romanum circa præſtationem caſus in locatione conductione conveniat cum jure naturæ. Variæ autem quæſtiones hic occurrunt: *vel* enim agitur de periculo rei locatæ, *vel* de periculo fructuum rei locatæ, *vel* de periculo operæ locatæ, *vel* de periculo operis locati.

n. 1. Si *res locata* perit, *locatoris* eſt periculum, quia rei dominus eſt [o]; adeo ut re ſublata conductor mercedem præſtare non teneatur, quippe quam pro uſu rei promiſit, niſi pro rata temporis, quo uſus eſt conductor. [p]

Si perit antequam res locata tradita ſit, *conductoris* quoque periculum eſt, hactenus ut actio ad rem illam petendam tollatur; adeo ut nec ad id, quod intereſt, agere poſſit.

Regula autem illa patitur exceptionem, 1. ſi res vel locatoris, vel conductoris culpa perierit [q], vel alteruter cauſa ſit damni dati [r]; tunc enim priori caſu periculum eſt conductoris, poſteriori caſu locatoris, niſi aliter convenerit. [s]

n. 2. Si *fructus rei locatæ* pereunt, v. g. per grandinem, per ſterilitatem, per uredinem, per locuſtas, &c. periculum eſt conductoris, quia dominus eſt ſeminis [t]. Idque verum eſt, etſi

(*b*) d. §. 3, l. 6, C. Per. & com. l. 5, §. 5, Reſc. vend. l. 20, §. 1, Præſcr. verb. (*c*) d. l. 8. ff. per. & comm. (*d*) L. 4. §. 1, Per. & com. l. 34, §. 5, C. E. Laut. p. 354. (*e*) l. 34, §. 5, ff. C. E. Laut. p. 353, l. 5, pr. Per. & com. (*f*) l. 4, §. 1, Per. & com. Laut. pag. 354. (*g*) §. 3, Inſt. de emt. l. 23, V. O. l. 21, §. 3, Act. emt. l. 91. V. O. l. fin. Per. & com. l. 12. ff. Eod. Laut. p. 552. (*b*) d. l. 23, d. l. 91, l. 5, ff. Act. emt. (*i*) l. 33, Locat. Laut. pag. 352. l. 7, pr. Per. & com. (*k*) l. 35, §. 4, C. E. l. 80. Furt. (*l*) l. 1, pr. Per. & com. l. 5, §. fin. Reſcind. vend. (*m*) Laut. p. 352. (*n*) Laut. 282, & 391. (*o*) l. 9, C. Pignor. (*p*) l. 15, §. 2, ff. Locat. (*q*) l. 5, §. 2, Commod. l. 11, §. 2, l. 19, §. 1. l. 60, §. 7, Locat. (*r*) l. 25, §. 4, l. 41, ff. Locat. (*s*) L. 13, §. 5, l. 9, §. 2, Locat. (*t*) L. 15.

etſi damnum ſit immodicum. Eadem enim ratio ſubſiſtit: nec iniquitas ſubeſt, quia viciſſim commodum reliquorum annorum, etſi immodicum, lucratur.

Secus, ac jure Romano, ubi ſi omnes fructus caſu pereunt, pro rata merces remittitur, ratione tamen habita præcedentium, & ſequentium annorum, ita ut ubertas reliquorum annorum compenſetur cum ſterilitate anni præſentis [u]. At idem jus Romanum aliud ſtatuit, 1. ſi caſus ille non eſt extra conſuetudinem [v]: 2. ſi culpa conductoris concurrit; uti ſi exercitu tranſeunte domum deſeruit [x]: 3. ſi partiarius eſt ſocius [y]: 4. ſi pacto caſum in ſe recepit [z]: 5. ſi ex vitio rei locatæ oritur; uti ſi raucis, aut herbis ſegetes corruptæ fuerint [a]: 6. ſi non omnes fructus perierint, ſed ſuper paucitate conductor queritur. [b]

Bene autem notandum eſt, æſtimationem damni fieri juxta pretium in contractu (ſcil. *in dem Anſchlag*) ſtatutum; non vero juxta pretium præſens (*nach dem Markgängigen Preiſſ.*)

Quæri autem ſolet, cujus ſit periculum pecudum? Diſtinguendum jure naturali eſt, an pecudes ſint locatoris, ita ut earum uſus ſaltem conductori locetur, an vero ſint conductoris propriæ. *Priori* caſu dominium pecudum perit locatori, indeque conductor pro rata temporis, quo uſus non eſt, penſionem detrahit; nam pro uſu quoque pecudum penſionem ſolvit: ubi tamen merito attendendæ ſunt exceptiones 1. 2. 3. & 4. ante allegatæ. *Poſteriori caſu* omne periculum eſt conductoris, utpote domini; neque enim æquitati convenit, ut locator, qui nec jus in illas pecudes habet, nec utilitatem inde percipit (nam conductor, cui pecudes propriæ ſunt, ideo minorem penſionem ſolvit), damnum caſu datum reſarcire teneatur domino [c]. Propriæ autem videntur factæ conductoris ſi æſtimato ei datur; qui contractus ſocidæ vocatur. [d]

n. 3. Si *opera locata* eſt, eaque præſtari non poteſt, diſtinguendum eſt, an per conductorem, an per locatorem ſtet. *Priori* caſu integra merces præſtari locatori operæ debet, quia is paratus eſt præſtare, & interim operas alii locare non poteſt [e]. (Secus igitur ſi ex opera ſua aliunde utilitatem perceperit). *Poſterior* [f] caſu, ſi locator operæ, v. g. ob morbum, ob captivitatem, &c. impeditur, quo minus alteri operas præſtare poſſit, ejus eſt periculum; ipſe cauſa eſt, quod ſtare promiſſis non poſſit, indeque mercedem promiſſam exigere nequit: quin acceptam reſtituere tenetur [g]; ſed contra eum agi ad id, quod intereſt, nequit. [h]

n. 4. Si *opus conficiendum* locatum eſt, diſtinguendum, *an* materia a locatore operis data pereat, *an* opus confectum. Si *materia* perit, quæ reddi debebat in eadem ſpecie, ea perit domino materiæ: niſi 1. culpa concurrat [i]: vel 2. aurum ei datum ſit, ut
in

§. 2, & §. 7, Locat. Grot. l. 2, c. 12; §. 28, (*u*) l. 15, §. 2, & 4, l. 8, C. Locat. l. 25, §. 1, §. 5, & §. 6, Eod. (*v*) l. 15, §. 2. ff. Locat. Struv. Ex. 24, §. 16, (*x*) l. 13; in f. l. 16, Locat. (*y*) d. l. 25, §. 5. (*z*) l. 9, C. Pignor. (*a*) d. l. 15, §. 2. (*b*) d. l. 15, §. 2, junct. §. 5, Locat. (*c*) Struv. Ex. 24, §. 6. (*d*) Struv. d. l. (*e*) l. 61, §. 1, ff. Locat. l. 19, §. 9, l. 38, Eod. l. 24, Cond. & dem. l. 161, Reg. jur. (*f*) d. l. 19. §. 9 (*g*) l. 15, §. 6, Locat. (*h*) l. f. ad l. Rhod. (*i*) Vid. l. 31,

in eodem genere reſtituatur; quia æſtimato data eſt materia, & conductor operis dominus fit materiæ, cui proinde materia illa perit [k]. Si vero *opus* ipſum interit, periculum eſt ejus, qui opus faciendum conduxit, i. e. opificis [l], donec vel approbatum, vel admenſuratum ſit (ſi ſcilicet ad pedes, vel ad menſuram opus præſtari debet) [m]: niſi [*a*] per locatorem ſtet, quo minus approbetur [n]; modo tale opus ſit ut probari debeat [o]: vel [*b*] vi majori pereat [p]: vel [*c*] caſus vitio ſoli, vel rei accidat, non vitio operis. [q]

§. CCCXCIV. Denique ex præmiſſis apparet ratio, cur in contractibus innominatis, ſi ego tibi ſcyphum dedi, ut Stichum redderes, hic Stichus meo ſit periculo [r]; adeo ut eo mortuo ante traditionem, mihi pereat. Jus enim petendi Stichum cum ejus perſona exſtinguitur. At ego condicere ſcyphum poſſum, cauſa quippe data, at non ſecuta. [s]

Sectio VII.

De Mora.

§. CCCXCV. Obligatio, quæ ex *mora* alterius oritur, itidem eſt ex delicto, vel quaſi delicto. Mora enim eſt injuſta rei præſtandæ, vel faciendæ dilatio [t]: ſi nimirum debitor dolo, vel culpa non ſolvit, vel non facit quod præſtare, vel facere tenetur. [u]

Cauſa hujus obligationis naturalis hæc eſt, quod debitor facto hoc illicito cauſa ſit damni, quod ex ejus mora mihi contingit; jus meum facto alterius culpoſo diminutum eſt, quod ex præcepto generali naturæ reparare, i. e. jus ſuum cuique tribuere tenetur.

§. CCCXCVI. An vero interpellatio requiritur? Reſp. *vel* certum tempus præſtationi, aut facto præſcriptum eſt; & tunc non opus eſt interpellatione. Atque hoc eſt, quod JCti Romani ajunt, diem interpellare pro homine [v]. Quod etiam contingit adjecta conditione; nam ea exiſtente, conſenſu partium definitum eſt tempus. *Vel* certum tempus præſcriptum non eſt [x]; tunc debitor non eſt in mora debendi, niſi interpellatus ſit [y]: etſi una ſaltem vice [z], & privatim.

§. CCCXCVII. Effectus hujus obligationis eſt, 1. ut perpetuetur obligatio, ita ut debitor rei interitu non liberetur [a]; nam omne periculum rei transfertur in debitorem, ſi creditor a ſua parte fidem implevit [b]: 2. quod ad fructus perceptos teneatur; & 3. ad percipiendos; nec non 4. ad omne id, quod intereſt, i. e. ad lucrum ceſſans, & ad damnum emergens, adeoque & ad uſuras.

Non autem hic intelliguntur uſuræ ex pacto debitæ, nec illæ, quas quis actu percepit; illas enim ex conſenſu, has ex quaſi contractu reſtituere tenetur, quia locupletior fit mea jactura: ſed uſuræ, quas non percepit, at quas dominus pecuniæ percipere potuiſſet; adeoque quæ debentur tanquam lucrum ceſſans.

§. CCCXCVIII.

(*k*) l. 31, ff. Locat. l. 36, Eod. (*l*) d l. 36. (*m*) ibid. (*n*) d. l. 36. (*n*) d. l. 36. (*o*) l. 37, l. 59. Eod. (*p*) d. l. 36, d l 59. (*q*) l. fin. l. 15, §. 2, Locat. (*r*) l. 5, §. 1, ff. Præſcr. verb. (*s*) l. fin. ff. Cauſ. dat. (*t*) l. 21, ff. Uſur. (*u*) l. 32, Eod. l. 23, l. 177. V. O.

(*v*) l. 12, C. Conſtr. ſtip. (*x*) vid. jus meum contr. tit. de Uſur. q. 21, (*y*) l. 1, C. Uſur. rei jud. Jus contr. ibid. q. 17. (*z*) l. 32, pr. uſur. Jus contr. d. l. q. 18. (*a*) l. 91 §. 3. V. O. (*b*) l. 23, l. 82, §. 1, V. O.

Digitized by Google

§. CCCXCVIII. Finitur mora oblatione reali, qua res debita in poteſtate creditotis conſtituitur, qui rem acceptare recuſat; modo debitor poſt oblationem pecunia illa uſus non ſit: ſi enim uſus eſt, tenetur ex quaſi contractu, quia locupletior factus eſt ex re aliena. Hinc JCti Romani, ad evitandas omnes lites, judicialem requirunt depoſitionem. [c]

C A P U T II.

De vera origine juris, quod ex Perſonæ Promiſſione, ſeu pacto, ac Contractu oritur.

§. CCCXCIX. EXPOSUIMUS capite præcedenti cauſam obligationis perſonæ in genere; ſequuntur jam ſingulæ ſpecies: & initium faciemus a jure, quod ex PROMISSIONE otitur.

Cum ex ratione naturali conſtet, Deum jus aliquod nobis conceſſiſſe in res, & actiones noſtras; eadem ratio naturalis dictat, unicuique quoque facultatem conceſſam eſſe de rebus, & actionibus ſuis pro lubitu diſponendi, adeoque & jus illud ſua voluntate in alium transferendi.

§. CCCC. Si proinde quis ita diſponit, ut jus, quod in res, & actiones ſuas habet, i. e. utilitatem rei ſuæ, vel actionis, in alium transferat, eo ipſo incipit eſſe jus alterius [d], deſinitque eſſe in patrimonio promittentis, & tranſit in patrimonium ejus, cui promittitur: *prior* plus ſuo, & *æs alienum* in bonis ſuis habet, *poſterior* minus ſuo habet; & id, quod alter debet, *æs creditoris* vocatur.

§. CCCCI. Hoc poſito, neceſſario a parte ejus, qui promiſit, i. e. jus ſuum in alium tranſtulit, ſequitur *obligatio*, ſeu neceſſitas faciendi, vel præſtandi id, quod promiſit, quia ex regula naturæ generali jus ſuum cuique tribuere tenetur.

Atque hæc obligatio naturalis conſenſu omnium gentium, etiam maxime barbararum, firmatur, utpote quibus nihil ſanctius eſt fide [e]; unde apud Græcos, & Romanos, *fides* pro Dea culta fuit. CICERO fidem dixit vinculum generis humani [f]: SENECA ſanctiſſimum humani pectoris bonum [g]: QUINTILIANUS ſupremum rerum humanarum vinculum [h]: CICERO fundamentum juſtitiæ [i]: HORATIUS juſtitiæ ſororem [k]. Fide ſublata commercium tolli, ait ARISTOTELES, quod eſt intet homines [l]; & CICERO tradit, nefarium eſſe fidem frangere, quæ continet vitam [m]: quod plenius alibi illuſtratum eſt [n]. Hinc regula in jure Romano traditur, *quod conſentientes in aliquam rem, conſenſu obligari neceſſario ex voluntate noſtra videamur* [o]. Atque hanc obligationem

(*c*) vid. jus meum controv. tit. de Act. emt. q. 17. (*d*) Grot. l. 3, c. 19, §. 1, n, 1, & 3, l. 3, c. 1. §. 18, n. 1, (*e*) Vid. Grot. l. 2, c. 11, §. 1, n. 4, l. 2, c. 13, §. 22, l. 3, e. 19, §. 6, & c. 23, §. 2, vid. indicem voce fides. (*f*) Grot. l. 3, c. 25. §. 1, & 2. (*g*) Grot. d. §. 1, n. 1, (*h*) Grot. l. 3, c. 19, § 1, n. 2. (*i*) Grot. l. 2, c. 11, §. 1, n. 4. (*k*) d. c. 11, §. 1, n. 4. (*l*) Grot. d. c. 25, §. 1. (*m*) d. c. 25, §. 1, n 2, (*n*) Vid. comment. ad Grot. d. c. 11. §. 1. (*o*) l. 52, §. 4, O. A.

Digitized by Google

nem circa promiſſa JCti Romani ex æquitate naturali deducunt: *quia nihil tam fidei humanæ congruum eſt, quam pacta conventa ſervari* [p]; *& quia grave eſt fidem fallere.* [q]

Atque hæc obligandi ratio æque in *pactis*, quæ JCti Romani *nuda* vocant, ac in *contractibus* obtinet. Cur vero legislatores Romanorum ſaltem ex *contractibus* actionem dederint, non ex *pactis nudis*, ejus rationem *infra* indagabimus.

§. CCCCII. Pactum eſt duorum, vel plurium, in idem placitum conſenſus. [r]

§. CCCCIII. Pacta jure naturæ dividuntur 1. in expreſſa, vel tacita: 2. in perſonalia, vel realia: 3. in unilateralia, vel bilateralia: 4. in liberatoria, vel obligatoria [s]: 5. in publica, vel privata.

Reliquæ diviſiones, quod nimirum 1. quædam ſint nuda, quædam veſtita [t], 2. quod pacta ſint vel nuda, vel contractus [u], 3. quod quædam incontinenti adjiciantur contractibus bonæ fidei, quædam ex intervallo [v], ex jure Romano originem habent.

§. CCCCIV. *Prima* igitur diviſio pactorum eſt, quod quædam ſint *expreſſa*, quædam *tacita*. *Pacta expreſſa* ſunt, ubi conſenſus verbis, vel litteris declaratur; adeoque ubi utriuſque conſenſus ex verbis, vel litteris apparet.

Pactum *tacitum* eſt, ubi voluntas vel ſignis declaratur, vel actu aliquo, unde de voluntate conſtet. [x]

n. 1. *Signis* animus transferendi juris declaratur, ſi talia ſint, quibus uſu, & obſervantia voluntas deſignari ſolet. Sic qui annuit, affirmare, qui abnuit, negare videtur. [y]

n. 2. *Actibus* quoque voluntas declarari ſolet, ſi tales ſunt, unde certo de voluntate conſtet. Conſtat autem de voluntate agentis

I. Ex *facto*, *& actione perſonæ.* Ita caupones, nautæ, ſtabularii, aurigæ, &c. qui res, vel perſonas recipiunt, tacite ſecuritatem promittunt; atque ex hoc tacito pacto actio de receptis datur. Qui judicem adeunt, tacite promittunt, ſe ſtaturos ejus ſententiæ; atque ex hoc pacto naſcitur actio judicati. Qui peritiam publice profitentur, eam præſtare debent illis, qui opera eorum utuntur; hinc menſor, qui falſum modum dixit, procurator, qui negligentia ſua damnum intulit, judex, qui male judicavit [z], ex *tacito pacto* tenentur.

n. 3. *II.* Ex *actionis fine* [a]: ſi quis enim ad certum finem agit, cum intentione agit; adeoque vult quod agit, ſed non ultra illum finem. Hinc creditor, qui pignus debitori reddit, neceſſario remittit ſecuritatem; neque enim alia ratio dari, nec alius finis hujus actus eſſe poteſt, cum tota, & unica ſecuritas creditoris in detentione pignoris conſiſtat: non vero remiſſum eſt debitum, quia alia ratio redditionis dari poteſt.

At ſi creditor reddit chirographum, neceſſario vult remittere debitum, quia alia ratio illius actus dari nequit: non enim reddit chartam, ſed obligationem, quæ in ea continetur. [b]

n. 4. *III.* Ex *medii neceſſitate*, ſi nimirum

(*p*) l. pr. Pact. l. 11, §. 1, act. emt. (*q*) l. 1, pr. Conſtit. pec. (*r*) l. 1, ff. Pact. (*s*) Laut. comp. pag. 46. (*t*) Laut. Comp. pag. 44, & 46. (*u*) Laut. comp. pag. 44. (*v*) Laut. comp. p. 46. (*x*) l. 2. l. 3, l. 4, pr. Pact.

(*y*) Grot. l. 2, c. 24, §. 1. 2, & ſeq. (*z*) Tot. tit. ff. Si menſ. falſ. mod. & Tot. tit. de extrao. cogn. (*a*) Grot. l. 2, c. 16, §. 2?. (*b*) Grot. l. 2, c. 4, §. 4, Conf. l. 2, §. 1, ff. Pact.

nirum fides alicui data, negatis his mediis, ad effectum deduci non poteſt: hoc enim caſu is, qui aliquid promiſit, omnia quoque promiſiſſe videtur, quæ ad executionem promiſſi neceſſaria ſunt. Cujus rei exempla vide apud Grotium. Hinc qui in civitatem ſe recipi patitur, tacite promittit, ſe legibus illius civitatis ſtaturum: qui collegio ſe jungit, oneribus, & ſtatutis illius collegii eo ipſo ſe ſubjicit.

Unde patet ratio, cur is, qui admittit legatos certo charactere munitos, eis etiam prærogativas charactєri illi uſu communi, vel ſpeciali illius Curiæ, annexas, tribuere teneatur; idque ex tacito pacto: dum enim recipit legatum, conſentit in omnia, quæ ex uſu communi, vel ex uſu Curiæ, charactєri ejus debentur.

n. 5. Non ergo conſentire videtur qui tacet: adeoque non videtur juri ſuo renunciare qui longo tempore, vel eo non utitur, vel id negligit. [c]

§. CCCCV. *Secunda diviſio* pactorum eſt, quod alia ſint perſonalia, alia realia [d], alia mixta. [e]

n. 1. PERSONALIA ſunt, quæ ad perſonam paciſcentis reſtringuntur [f], & in ſolam perſonam (non in rem) concepta ſunt [g]: v. g. ſi paciſcor, me a perſona petere nolle. [h]

Hæc pacta ad *alios* non pertinent [i]; adeoque nec proſunt, nec nocent hæredibus [k]. Nedum proſunt, vel nocent ſociis, correis, & condominis. [l]

Excipe, ſi ipſius paciſcentis intereſt, ut pacta aliis proſint, vel noceant. Atque hæc ratio eſt, cur pacta proſint, vel noceant *ſucceſſori ſingulari* [m], quamdiu ſcilicet paciſcens vivit [n]; quia alias nec paciſcenti ipſi prodeſſent [o]. Ex eadem ratione quoque proſunt *fidejuſſori.* [p]

n. 2. REALIA ſunt, quæ non ad perſonam paciſcentium reſtringuntur [q], ſed in rem conſtituuntur [r]: uti ſi pactum generale eſt, ne petam [s]; vel ſi in genere profiteor, alterum non teneri. [t]

Hinc 1. proſunt, & nocent hæc pacta hæredibus [u], quia res ad eos transfertur: 2. ſucceſſoribus ſingularibus, etiam mortuo paciſcente [v]: & 3. fidejuſſoribus [x], quia ad eandem cauſam accedunt: 4. ſociis, & condominis [y]: 5. Correis. [yy]

n. 3. MIXTA ſunt, quando idem pactum ex altera parte eſt in rem conſtitutum, ex altera parte in perſonam conceptum: uti ſi pactum eſt, *ne ego petam*, vel *ne a te* petatur. [z]

An vero pacta in dubio ſint realia, vel perſonalia, infra explicabimus, ubi de interpretatione pactorum agemus.

§. CCCCVI. *Tertia* pactorum diviſio eſt, quod alia ſint *obligatoria*, alia *liberatoria*. Per *illa* obligatio nova contrahitur; per *hæc* obligatio, quæ fuit, diſſolvitur.

Pacta hæc liberatoria non diſſolvunt negotium *traditione* conſummatum; ſed ſubſiſtit prius negotium, & novum contrahitur. At negotia ſolo conſenſu contracta mutuo diſſenſu diſſolvuntur [b]. Idque

(*c*) Grot. l. 2, c. 24, §. 1, & 7, l. 2, c. 15, §. 17. (*d*) l. 7, §. 8. Pact. Grot. l. 2, c. 16, §. 16. (*e*) l. 57, ff. Pact. (*f*) l. 21, pr. l. 25, §. 1, Pact. (*g*) l. 17, §. 5, eod. (*h*) l. 7, §. 8. ff. Pact. (*i*) l. 21, pr. Pact. (*k*) d. l. 21, d. l. 25. (*l*) l. 23, ff. Pact (*m*) l. 16, l. 17, §. 5, Pact. (*n*) l. 21, pr. Eod. (*o*) Vid. jus meum controv. tit. de pact. q. 6. (*p*) l. fin. Pact. (*q*) arg. d. l. 21, pr. d l. 25, §. 1. (*r*) l. 17, §. 5. Eod. (*s*) l. 7, Pact. (*t*) l. 40. pr. Pact. (*u*) l. 40. pr. pact. (*v*) l. 17, §. 5, pact. (*x*) l. 31. pact. l. f. Eod. (*y*) l. 34, pr. Rec. arb. (*yy*) Jus meum controv. q. 7. (*z*) l. 57, ff. Pact. (*a*) Laut. comp. pag. 46. (*b*) l. 7, §. 6, pact. l. 58. Eod.

Idque verum eſt, etſi nudo pacto voluntas diſſolvendi declaretur. (Quod jure Romano mutatum, & ex tali pacto ſaltem exceptio data eſt.)

§. CCCCVII. *Quarta* diviſio pactorum eſt, quod alia ſint *unilateralia*, alia *bilateralia*. *Illa* ſunt, ubi obligatio ſaltem eſt ab una parte, ut in mutuo, ſtipulatione, donatione, &c; *hæc*, ubi ultro, citroque oritur obligatio. [c]

§. CCCCVIII. *Quinta* diviſio eſt, quod pacta alia ſint *publica*, de quibus §. *ſeq.* alia *privata*, de quibus §. 412. agemus.

§. CCCCIX. *Pacta publica* ſunt, quoties contrahentes de re, vel cauſa publica diſponunt: quod fit 1. per fœdus, 2. per ſponſionem, 3. per pacta, quæ a privatis de re publica fiunt, & ſub mandato continentur [e]. PRIMO de FOEDERIBUS agemus.

n. 1. MENIPPUS apud LIVIUM triplicia fœdera eſſe, ait: vel quæ arbitrio victoris præſcribuntur; vel quæ inter pares bello æquo fœdere contrahuntur; vel cum amici ſociali fœdere ſe jungunt. [f]

Grotius alia fœdera idem conſtituere, ait, quod juris eſt naturalis; alia aliquid ei adjicere [g]. Conventiones, quæ juri naturali aliquid adjiciunt, aut æquales eſſe, ait, aut inæquales. [h]

n. 2. At in genere dicendum eſt, fœdera fieri poſſe de quavis cauſa publica; unde tot nomina horum fœderum eſſe poſſunt, quot cauſæ. Dantur igitur fœdera ſocialia [i], fœdera pacis [k], fœdera commerciorum [l], fœdera deditionis, &c. [m]. Fœdera autem amicitiæ eo ſenſu, quo GROTIUS ea admittit, non dantur. [n]

n. 3. Fœdera ſunt 1. vel offenſiva, vel defenſiva [o]: 2. vel æqualia, vel inæqualia [p]. 3. Fœdus eſt vel *perſonale*, quod intuitu ſolius perſonæ initum, adeoque in ſolam perſonam conceptum eſt: vel *reale* quod non ad perſonam reſtringitur, ſed in rem conceptum eſt. [q]

n. 3. Grotius fœdus reale eſſe, ſtatuit, quando cum *populo* contractum eſt [r] (etſi poſtea ſtatus in regium mutetur, niſi cauſa pacti propria fuerit ei ſtatui).

Si cum *rege* contractum eſt, non ſtatim perſonale eſſe, ait; ſed *reale* cenſeri ſi perpetuum eſt, aut factum in bonum regni, aut cum rege, & ſucceſſoribus. [s]

In dubio fœdera credi, putat, *realia*, ſi favorabilia ſunt, *perſonalia* vero, ſi ſunt odioſa. [t]

n. 4. Nos ſtatuimus, fœdera regulariter eſſe *realia*, quia Princeps ſemper qua talis, adeoque jure populi contrahit; modo intra fines adminiſtrationis paciſcatur, i. e. in utilitatem reipublicæ.

n. 5. Hinc jam facilis eſt deciſio quæſtionis, *an ſucceſſor ex fœdere anteceſſoris obligetur?* GROTIUS [u] diſtinguit, an regnum ſit *patrimoniale*, adeoque ſucceſſor ſit ſimul *bonorum hæres*; an regnum ſit *uſufructuarium*, adeoque in ſolo regno ſuccedatur; an vero *mixto jure* ſucceſſor vocetur, ita ut

(c) l. 19, ff. Verb. Sign. (e) Grot. l. 2, c. 15, §. 2, & 17, n. 4, & l. 3, c. 22. (f) Grot. l. 2, c. 15, §. 4. (g) d. c. 15, §. 5, & 6. (h) d. c. 15, §. 6, & 7. (i) vid. inf. l. 7, c. 4. (k) vid. infr. l. 7, c. 8. (l) Grot. l. 2, c. 15, §. 6, l. 2, c. 13, §. 4. (m) Grot. In indice, voce, deditio. (n) Grot. l. 3, c. 24, §. 7, c. 20, §. 40, l. 2, c. 15, §. 4, & 5. (o) cujus diviſionis effectum vide apud Grotium l. 3, c. 1, §. 6, n. 2. (p) Grot. l. 2, c. 15. §. 6. n. 1, §. 7, l. 1, c. 3, §. 21, l. 2, c. 16, §. 19, & c. 19, §. 2. (q) vid. ſupr. §. 405. (r) Grot. l. 2, c. 16, §. 16, n. 1. (s) Grot. l. 2, c. 16, § 16, n. 1. (t) Grot. d. §. 16, n. 3. (u) l. 2, c. 14, § 10.

ut partim in bona, in regnum autem in ſolidum ſuccedatur.

Succeſſorem regni patrimonialis ſemper teneri, ait, ex promiſſis defuncti. Eos autem, qui in ſolum regnum, vel mixto jure ſuccedunt, *directe* non obligari, quia jus non accipiunt a proximo poſſeſſore [v]; ſed *indirecte*, jure, nimirum, civitatis, quæ ſe obligare per Principem videatur: modo res probabilem habuerit paciſcendi cauſam [x]. Atque ex his principiis etiam alienationes regum dijudicandas eſſe putat. [y]

Alii diſtinguunt, an modica læſio in civitatem redundet, an immodica: illo caſu ſucceſſorem obligari, non hoc. Quos merito rejicit Grotius. [z]

n. 6. Nos dicimus, ſucceſſorem regulariter ex fœdere anteceſſoris obligari, quia defunctus ut rex contraxit; modo pactum non tendat in reipublicæ detrimentum [a]. Aliud tamen dicendum, & pro perſonali pacto habendum eſt, ſi ad ſolam perſonam paciſcentis reſtrictum, vel tale aliquid promiſſum eſt, quod perſonam regis paciſcentis non excedit.

Ex pacto igitur, ſeu fœdere reali ſucceſſor obligatur, 1. etſi is non ſit bonorum privatorum hæres [b]; 2. etſi anteceſſor, a quo cauſam habet, regno pulſus fuerit [b]: non vero 3. ſi contrahens eſt uſurpator; niſi in utilitatem civitatis aliquid inde pervenerit [d]: nec 4. ſi regnum eſt bello quæſitum, & fœdus non tendit in utilitatem regni [e]; quia regnum hoc non eſt regis, ſed populi.

Cæterum, diſtinctio illa, an cauſa pacti ſit *odioſa*, an *favorabilis*, eſt mere civilis, nec ullum effectum jure naturali habet.

n. 7. Quidam ſucceſſorem ex nullo fœdere anteceſſoris obligari, exiſtimant: 1. quia omnis ſocietas adeoque & ea, quæ inter regem, & ſubditos intercedit, morte tollitur: 2. quia fœdera juramento velut fundamento innituntur; juramenti vis autem perſonam non excedit, &c. At utrique rationi ſatisfecit Grotius. [f]

n. 8. Contrahere fœdera poſſunt ſolæ ſummæ poteſtates [g], (non duces belli [h]) etſi diverſæ ſint religionis [i]. Cæterum, fœdera æque, ut pacta, de rebus, & de factis fieri poſſunt.

n. 9. *Effectus* fœderum eſt obligatio præſtandi id, quod fœdere promiſſum eſt; etſi juramentum non acceſſerit. [k]

Quid ſpeciatim in fœdere ſociali præſtandum, & quid circa auxilia promiſſa juris ſit, de eo agemus Libro 7. Cap. 4. [l]

n. 10. Finitur fœdus 1. mutuo diſſenſu, 2. finito tempore adjecto [m], 3. ſi altera pars violaverit [n], 4. ſublata republica, cum qua fœdus initum eſt, 5. ſublata perſona [o], ſi fœdus ſaltem eſt perſonale [p]. Quando fœdus ſit reale, quando perſonale, explicavimus *n.* 3. 6. Non vero finitur ſi Prin-

(*v*) d. c. 14, §. 11. (*x*) d. c. 14, §. 12, n. 2, & l. 2, c. 16, §. 16, n. 2, l. 3, c. 20, §. 6. (*y*) d. §. 16, n. 5, & 6. (*z*) Grot. L. 2, c. 14, §. 12, n. 2, (*a*) Grot. l. 2, c. 14, § 12, n. 2, l. 2, c. 16, §. 16, n. 2, & 4, l. 3, c. 20, § 6. (*b*) Grot. l. 2, c. 14, §. 11, n. 1, & c. 7, §. 9, (*c*) Grot. l. 2, c. 16, §. 17. (*d*) Vid. infr. l. 6, cap. 3. (*e*) Diſſent. Grot. l. 2, c. 14, §. 10. & 11.

(*f*) Id l. 2, c. 16, §. 16, n. 4, & 5. (*g*) Grot. l. 1, c. 3, § 6, n. 1, l 2, c. 5, §. 3. (*h*) Grot. l. 3, c. 22, §. 7. (i) Grot. l. 2, c. 15, §. 8, uſque ad §. 13, Prol. §. 27, (*k*) Grot. l. 2, c. 16, §. 16, n. 5. (*l*) Vid. Grot. l. 2, c. 5, §. 17, n. 1, & §. 26, in fin. (*m*) Id l. 2, c. 15, §. 4. (*n*) d. c. 15, §. 15. (*o*) Grot. l. 2, c. 14, §. 11. (*p*) Grot. l. 2, c. 16, §. 16.

Digitized by Google

Principis perſona, aut 7. ſtatus mutatur [q]; nec 8. ſi Rex regno pellitur.

§. CCCCX. *II.* SPONSIO eſt pactum a Duce belli initum de finiendo bello. De quo *infra* plenius agemus.

Hoc pactum non obligat civitatem, niſi ratihabeat; ratihabitio autem non elicitur ex ſilentio. [r]

§. CCCCXI. Sed & *III.* præter ſponſiones quædam ab inferioribus magiſtratibus promitti ſolent [s], unde ſumma poteſtas obligatur. Nimirum, [a] ſi id ſub eorum mandato continetur [u], etſi contra arcanam inſtructionem egerint [v]: [b] ſi civitas promiſſa ratihabuerit [x]; alias promittens ſaltem tenetur ad id, quod intereſt. [y]

Atque hæc ratio eſt, cur Duces belli inducias contrahere poſſint [z], & cur deditionis conditiones [a], &c. a Ducibus pactæ ſervari debeant; niſi arbitrium populo reſervatum ſit [b]. De quo alibi agetur.

§. CCCCXII. *Pacta privata* ſunt, quæ ex cauſa privata fiunt, etſi vel Principes inter ſe, vel Princeps cum ſuis, aut alienis ſubditis, de re, vel facto privato paciſcatur.

CCCCXIII. Cauſa hujus juris ex pacto, & promiſſione quæſiti, ex jure naturali oritur. Naturali enim ratione cuique hominum a creatore conceſſum eſt jus in ſuum corpus, res, & actiones; ſimulque facultas de corpore, rebus, & actionibus ſuis diſponendi.

Si proinde quis ita diſponit, ut uſus corporis ſui, utilitas ſuæ actionis, res ſua, ad alium pertinere debeat, hac diſpoſitione jus ejus eſſe deſinit, & jam fit alterius.

Promittens ergo, qui *debitor* dicitur, plus ſuo habet, & æs alienum in ejus bonis eſſe dicitur; unde obligatur ad jus illud tribuendum ei, in quem id ſua voluntate transtulit.

Is, *cui promittitur*, & qui *creditor* vocatur, minus ſuo habet; patrimonio ejus aliquid deeſt: unde *actio* ei datur, i. e. jus perſequendi æs ſuum ab eo, qui aliquid facere, vel præſtare promiſit. (*Vid. ſupr.* §. 337. *ſeq.*)

§. CCCCXIV. Requiritur autem 1. conſenſus paciſcentium in id, quod placitum eſt [c]: i. e. in id, quod inter utrumque convenit. Unde [a] omnis reſervatio mentalis excluditur [cc] (*vid. jus meum controverſ. tit. de jurej. q.* 4.): [b] pollicitatio nullam obligationem producit.

2. Ut voluntas partium declaretur [d]. Declaratur autem voluntas verbis, vel factis [dd]. *Verbis*, ſi [a] promittens vel ipſe verbis promittit, vel per alium [e]: [b] ſi is, cui promittitur, vel ipſe verbis conſentit, vel per alium [f]. Quando vero is conſenſus perfectus ſit, alibi explicavimus; ubi ſimul demonſtravimus, quando conſenſus revocari poſſit [g]. *Factis*, ſi ſigno aliquo, inter homines ad declarandam voluntatem recepto, conſenſus declaratur [h]: atque hæc pacta tacita ſupra vocavimus. (§. 404.

§. CCCCXV.

(*q*) d. c. 16, §. 16. (*r*) d. c. 16, §. 17, & 18. (*s*) d. c. 15, §. 17. (*t*) d. c. 15, §. 1, & 17, n. 4. l. 3, c. 22, §. 6, (*u*) d. c. 22, §. 2. (*v*) d. c. 22. §. 4. (*x*) d. c. 22. §. 3. (*y*) d. c. 12, §. 4, n. 3. (*z*) d. c. 22, §. 8 (*a*) d. c. 22, §. 9. (*b*) d. c. 22, § 12. (*c*) Grot. l. 2, c. 11, § 11.

(*cc*) Id. l. 2, c. 14, §. 2, & 3, l. 3, c. 17, §. 2. (*d*) Grot. l. 2, c. 11. §. 5, n. 1. & 2, (*dd*) vid. indicem, voce, Voluntas. (*e*) Grot. l. 2, c. 11, §. 12. (*f*) d. c. 11, §. 14. (*g*) d. c. 11. §. 14, usque ad §. 19. (*h*) l. 1. §. 3. Pact. l. 54, l. 57, ff. Obl. & act. l. 38. pr. V. O.

§. CCCCXV. Diximus, pactum eſſe duorum in idem placitum conſenſum. Hinc tres regulæ naturales ſequuntur: 1. ex pacto illo, ex conſenſu illo duorum, tertium non obligari: 2. paciſcentes inter ſe promittere non poſſe, tertium daturum: 3. tertio ex conſenſu illo duorum nullam acquiri obligationem. De ſingulis nunc agemus.

Primo igitur naturale eſt, *neminem ex pacto alterius obligari*; quia pactum tantum valet inter conſentientes: tertius autem non conſenſit. [i]

Exceptio igitur eſt, 1. ſi tertius ille me mandante paciſcitur [k]. Quod etiam factum 2. cenſetur ſi is, quem negotiationi meæ præfeci, pactus eſt; tunc enim ego actione inſtitoria [l], vel exercitoria [m], ex pacto illo conveniri poſſum in ſolidum [n]: item 3. ſi ſervi, vel filii, ſciente, & patiente domino, vel patre, de mercibus peculiaribus paciſcuntur; tunc enim datur creditoribus actio tributoria intuitu illarum mercium [o]. Eadem ratio 4. eſt ſi ſervi, vel, filii de peculio ſervili, aut profectitio paciſcuntur; tunc enim creditores actione de peculio agunt contra dominum, & patrem, ut pro quantitate peculii eis ſatisfaciat [p]. Nec non 5. ſi ſervi, & filii juſſu patris, &c. promittunt; tunc enim pater &c. tenetur ad omne, quod ex contractu illo debetur [q]. Atque hæc 7. ratio eſt, cur ſubditi ex fœdere, & aliis pactis Principis obligentur: quia omnis adminiſtratio eorum voluntate in Principem collata eſt. [r]

7. Si ſervi, vel filii familias, ignorante domino, vel patre, paciſcuntur, & ex pacto illo aliquid in rem horum verſum eſt, creditores contra dominum, vel patrem, agunt actione de in rem verſo [s]: non ex tacito domini, vel patris conſenſu, ſed ex æquitate illa naturali, ne quis locupletior fiat cum jactura alterius.

8. Si tutor paciſcitur nomine pupilli, ex hoc pacto pupillus & obligatur, & agere poteſt: quia naturali ratione tutori defenſio pupilli commiſſa eſt. [t]

9. Sed & in genere dicendum, quoties quis ex alterius pacto locupletior fit, eum, qui locupletior factus eſt, obligari.

§. CCCCXVI. Secundo, naturale eſſe, diximus, *paciſcentes inter ſe promittere non poſſe, tertium daturum, vel facturum* [u]. Si proinde Sejus mihi ſpondet, Cajum quinque daturum, nulla inde oritur obligatio [v], nec intuitu Seji, qui mihi nihil dare pomiſit, nec intuitu Caji, qui plane non promiſit. [x]

Exc. 1. ſi mea intereſt; uti ſi Sejus mihi ſpondet pœnam, in caſum ſi Cajus quinque non ſolverit. [y]

Exc. 2. ſi factum ſuum, vel 3. hæredis promittit. Sic v. g. qui ſpondet, *dolum abfuturum eſſe*, tantum ſpondet, ſe curaturum, ut dolus malus abſit: ſi quis ſpondet, *habere licere*, operam ſuam, & diligentiam promittit ut habiturus ſit: ſi quis ſpondet, *per hæredem non fieri quo minus fiat*, itidem ſaltem ſpondet, ſe curaturum, quo minus,

(k) Tot. tit. Mandati. (l) Tot. tit. de Inſt. act. (m) Tot. tit. de Exercit act. (n) Diſſent. Grot. l. 2, c. 11, §. 13. (o) Tot. tit. de tribut. act. (p) Tot. tit. de Peculio. (q) Tot. tit. quod juſſu (r) Grot. l. 2, c. 14, §. 6. n. 2, l. 3. c. 21, §. 5. (s) Tot. tit. ff de in rem. &c. (t) Tot tit. de auth. tut. vid. ſupr. §. 194. (u) §. 4. inſt. de inut. ſtip. l. 83, pr. V. O. (v) d. §. 14. (x) l. 83. pr. V. O. (y) §. 20, inſt. de inut. ſtip. ibique Vinn.

Digitized by Google

minus hæres impedimento ſit, &c. [z]. Atque his caſibus promiſſor liberatur præſtando omnem diligentiam. [a]

§. CCCCXVII. TERTIO, naturalis ratio dictat, *neminem alii paciſci poſſe* [b]. Si proinde Sejus mihi promittit, ſe Cajo quinque daturum, non valet pactum, nec illud obligationem producit [c]. Ego enim agere non poſſum, quia Sejus non promiſit, ſe mihi quinque daturum: nec Cajo actio competit, quia cum eo plane nihil actum eſt. [d]

Exc. 1. ſi non ipſa obligatio in tertii perſonam collata eſt, ſed actus ſaltem corporalis, ut traditio, ſolutio, &c. [e]. Hinc [a] ſi Sejus mihi ſpondet, ſe mihi, aut Cajo quinque daturum, mihi ſoli obligatur; at ſolutio recte fieri poteſt Cajo, qui meum eſt inſtrumentum, adeoque meo nomine, meaque voluntate, pecuniam illam accipit [f]. [b] Si Sejus mea voluntate, meoque nomine, pecuniam ſuam Cajo (qui a me pecuniam mutuam popoſcit) ea lege numerat, ut mihi ſolveret, mihi acquiritur obligatio pecuniæ creditæ [g]; Sejus enim ſaltem eſt inſtrumentum, & ex mea voluntate, ac meo nomine pecuniam ſolvit: ibi igitur actio non eſt agentis, ſed cauſæ.

Exc. 2. ſi mea intereſt: uti [a] ſi Sejus pœnam ſpondet, in caſum, quo Cajus quinque daturus non eſt [h]: [b] ſi Sejus ſpondet, ſe dotem, quam accepit, familiæ reſtituturum, &c. [i]

Exc. 3. Si quis ut nudus miniſter, vel nuncius contrahat; tunc enim non ſibi ſtipulatur, ſed domino, cujus eſt inſtrumentum. [k]

Idem dicendum 4. ſi procurator ex re domini ſtipuletur [l]; vel 5. domino præſente [m]: non enim ſuo nomine, ſed nomine domini volentis paciſcitur.

Exc. 6. ſi ſtipuletur hæredi [n]; vel 7. eis, qui in poteſtate noſtra ſunt [o]: ut ſervis, & filiis familias, in iis rebus, quæ paciſcenti acquiri poſſunt [p]; hi enim cum paciſcente una ſunt perſona. Sed & filius patri ſtipulari poteſt. [q]

Exc. 8. ſi quis vi officii alii ſtipulatur, uti tutor pupillo [r]. Dictum enim in præcedentibus eſt, naturali jure tutoribus incumbere defenſionem pupillorum (§. 194). Jure Romano pupillis læſis electio datur, an recedere a contractu, an contra tutorem agere velint. [rr]

Exc. 9. Jure Romano per publicam perſonam, v. g. per Notarium, aliis quoque paciſci licet [s]. Sed & militi per alium actio acquiri poteſt.

Regula initio hujus §. propoſita vera eſt, *etſi Sejus ſpondeat, ſe mihi quinque daturum Caji nomine*; eadem enim ratio manet. Sane, Sejus *nec* mihi obligatur, quia non mihi, ſed Cajo dare promiſit, adeoque mea non intereſt; nec Cajo obligatur, quia cum hoc nihil actum eſt, adeoque deficit conſenſus. [t]

Non

(z) d. l. 83, pr. l.61. pr. Eod. (*a*) Grot. introd. ad prax. Holl. l.3, c.3, §. nemo. (*b*) §.5, Inſt. de inut. ſtip. B Par. diſp. de jur. tertii §. 16, & 21. (*c*) d. §. 5. (*d*) diſp. §.22. (*e*) §.3, Inſt. de inut. ſtip. Quod exemplis illuſtrat B. Parens in diſp. de jure tertii §. 10, ſeq. (*f*) d. §.5. (*g*) l.9, §. p. R.C. l. 126. §.2, V.O. (*h*) §. 18. Inſt. de inut. ſtip. (*i*) l. 4, l. 7. C. Pact. conv. l.45, ff. Sol. matr. (*k*) l.14, §. f. l.15, ff. Conſt. pec. B. Par. d. diſp. § 16. (*l*) l. 68, ff. Procur. (*m*) l. 79, V. O. (*n*) d. l. 38, §. 12. ſeq. V.O. (*o*) §.4, pr. inſt. inut. ſtip. (*p*) d. §. 4, in f. l. 39, l. 130, pr. V. O. (*q*) d. §. 4. (*r*) l. 5, §. pen. de Pec. conſt. (*rr*) l. 1, pr. tut. & rat. Tot. tit. de minor. (*s*) l. 20. Reb. Cr. l 1, §. 15, Mag. Conv. (*t*) Diſſentiunt H. Piſt. obſ. 3, Carpz. p. 2, c. 33, def. 26, Zaſ. ad l. 38, §. 13, V. O.

Digitized by Google

Non autem conſentire videtur qui errat, & quidem I. IN CORPORE, adeoque in re ipſa, de qua agitur: uti ſi quis vendit fundum Cornelianum putans Sempronianum [v]; ſi promittit Stichum, putans Sejum [y]; ſi quis vult lancem relinquere, & relinquit veſtem [a]; ſi in merce erratum eſt [b], vel in ſpecie, uti ſi emit ſervum, putans ancillam. [c]

Idem 2. obtinet ſi errat in SUBSTANTIA NEGOTII puta in pretio [d]; vel ſi putat vendi, cum alter ſaltem locaverit [e]; ſi in virginitate ſponſæ [f], vel in competentia judicis [g] errat; item ſi cum furioſo contrahit, qui conſentire nequit [h]; aut ſi res ipſa non eſt in commercio. [i]

Sed & 3. conſentire non videtur qui IN MATERIA errat, etſi de corpore conſtet [k]: uti ſi cœcus emit, ac ſe in materia erraſſe, aſſerit [l]; ſi æs pro auro, vel plumbum pro argento mihi vendidiſti [m]; ſi vas aureum venditur, quod orichalcum eſt. [n]

Hinc is, qui aurum promiſit, & æs ſolvit, non liberatur. [o]

Non autem in *materia* errare videtur, qui menſam inauratam, vel ex materia auro mixtam conſtantem, pro aurea emit [p]; nam utraque aurea dici poteſt. Nec ſi vinum emit, idque acidum invenitur [q]. Nedum in materia errat, qui in qualitate materiæ errat: uti ſi vaſe aureo vendito inveniatur aurum vilius eſſe [r]; ſi emtor putet virginem, quæ mulier eſt [s]; ſi menſam quaſi citream emit, quæ non eſt [t]: non enim aſſeruit, eſſe citream.

Exc. Si quis aſſeruit etiam qualitatem, tunc eam tenetur præſtare, quia conſenſum non eſt, niſi in illam qualitatem. Hinc ſi quis emit menſam quaſi argenteam, quam ſolidam eſſe venditor aſſerit, nulla eſt emtio, & condici pecunia poteſt. [u]

Præterea notandum eſt, omnibus his caſibus ſubſiſtere quidem negotium, ſed emtorem agere poſſe ad id, quod intereſt. [v]

Denique, & 4. conſentire non videtur qui IN PERSONA errat: uti ſi teſtator alium hæredem ſcribit, alium ſcribere voluit [x]; ſi filium ſe inſtituiſſe credidit, qui poſtea ſuppoſititius probatur. [y]

Hinc nuptiæ cum Lea contractæ ipſo jure nullæ fuere, & noniſi ex ratihabitione Jacobi convaluerunt.

Neque obſtat exemplum Gabaonitarum, quibus per errorem fidem dederunt proceres Iſraelitarum: hæc promiſſio autem adeo firma, & valida credita fuit, ut murmurante quoque populo confirmata, violatioque fidei a Saule facta nonniſi interneccione ejus fami-

(u) l. 57, O. A. l. 116, §. 2, R. J. l. 2, pr. de judic. l. 16, ff. de juriſd. Grot. l. 2. c. 11, §, 6. (v) l. 9. pr. l. 31, §. 2, l. 62, §. 2, ff. contrah. emt. l. 4. de legat. 1, l. 22, l. 32, V. O. l. §. f. plgn. Grot. l. 2, c. 11, §. 6. (y) l. 137. §. 1. V.O. l. 9, pr. Hær. Inſt. l. 4, C. Eod. (a) l. 9, §. 1, inſt. Hær. (b) l. 9, ff. Cont. emt. (c) l. 11, §. 1. C. E. (d) d. l. 9, C. E. (e) d. l. 9, arg. l. 18, Reb. cred. (f) Nov. Leon. 93, ibique Goth. (g) l. 2, ff. de judic. l. 15, ff. de juriſd. (h) l. 2, §. 16, pro emtore. (i) l. 6, ff. contr. emt. l. 62, §. 1, l. 70, Eod. (k) l. 11, pr. ff. de contr. emt. (l) d. l. 11. (m) d. l. 11, d. l. 9, §. 2, contr. emt. (n) l. 45, ff. contr. emt. (o) l. 50, ſolut. (p) l. 14. ff. contr. emt. (q) l. 9, §. 2, contr. emt. (r) l. 10, ff. contr. emt. (s) l. 11, §. 1, contr. emt. (t) l. 21, §. 1, contr. emt. (u) l. 41, ff. contr. emt. (v) l. 21, §. 2, contr. emt (x) l. 9, ff. hær. inſt. (y) l. 4, c. hær. inſt.

familiæ expiari potuerit [z]. Reſp. per hunc errorem jus Iſraëlitarum læſum non fuit; res ipſa enim, de qua jurabatur, non erat injuſta, quia ipſe Deus parcere juſſit eis, qui ultro ſe ſubmitterent: neque dolus, quo Gabaonitæ utebantur, jure improbatur, quia pro tuenda vita ſimulaverunt (§. 380). Sed & ipſi Iſraëlitæ cauſa fuere erroris: proceres enim dubitabant, num ſint ex damnatis populis, & nihilominus ipſis fidem dederunt; facile autem interrogando numen certiorari potuiſſent. Neque Gabaonitæ proceribus ex iis percunctantibus, qui, & unde eſſent, negabant, ſe eſſe ex damnatis populis, ſed, *ſe eſſe ſervos eorum*, reſpondebant. Fides igitur perſonis Gabaonitarum in genere ſub nulla conditione data jure Iſraëlitas obligavit. Quod infra plenius examinabimus.

n. 3. Equidem quæ hactenus dicta ſunt, quod error vitiet negotium, vera ſaltem ſunt intuitu errantis, non vero intuitu decipientis. Si proinde is, qui æs pro auro ignorans accepit, ſolutum retinere velit, alter id condictione indebiti, quaſi errore ſolutum, repetere nequit [a]. Atque hinc ſi debitor æs, aurum aſſerens, pignori dedit, pignus hoc in ære ſubſiſtit, quia in corpore conſenſum eſt; neque debitor defectum conſenſus allegare poteſt [b]. Similiter ſi quis ſtipulatus eſt æs, quod aurum aſſerit, valet ſtipulatio, quia conſenſum eſt in corpus; nec debitor errrorem allegare poteſt, quia ſcivit. Utroque autem caſu deceptus reſtituere æs, & agere vel ad præſtandum promiſſum aurum, vel ex dolo poteſt. [d]

§. CCCCXVIII. Quæritur, an vis, & metus, conſenſum impediant? Negatur; quia ſi quis vi, vel metu coactus aliquid egit, adeſt duorum in idem placitum, & conſenſus: quod latius alibi explicatum eſt.

Hinc jam facile deciditur quæſtio, *an fides prædoni data ſervari debeat?* Nos merito id affirmamus. Si proinde latro mucrone intentato me adigit, ut literas cambiales ei ſcribam, ſolvere debitum præciſe teneor. Nam 1. conſenſus utriuſque partis hic adeſt: ego de meo jure, de mea pecunia diſpono, ac jus in latronem mea voluntate transfero; hoc jus igitur mea voluntate quæſitum latroni, tribui ei debet ex prima juris naturalis regula. Neque 2. allegari poteſt, injuria prædonem egiſſe, adeoque eum potius mihi ad reparandum teneri: nam alia quæſtio eſt, an obliger ex promiſſo; alia, an alter injuriam committat vim mihi inferendo: utrumque verum eſt, at ſeparata hæc ſunt negotia.

Nec 3. opponi poteſt, quod vis, ac metus impediant conſenſum, adeoque diſpoſitio nulla ſit. Nam voluntas, quæ vi aliena movetur, non magis deſinit eſſe voluntas, quam ea, quæ ex libidine, alioque naturæ motu movetur. Hinc 4. merito JCti dixere, coactam voluntatem etiam eſſe voluntatem. [e]

At is, qui vi, ac metu coactus promiſit, ad reparationem hujus injuriæ omnino agere poteſt [f], quia duo ſunt negotia: 1. promiſſio, quæ valet etiam vi extorta: 2. injuria, quæ per vim illata eſt, & quæ reparari neceſſario debet, quia promittenti damnum inde

(z) Joſ. XI. ſeq. 2, Samuel. XXI v. 1, ſeq. v. 14. (a) l. 50, ff. Solut. (b) l. 1, §. ff. pign. act. (c) l. 22, V. O. (d) dict. legib. (e) l. 21, §. 4, Quod met. cauſ. (f) vid. Grot. l. 2, c. 11, §. 5, & 7.

de datum eſt. Effectus hujus rei eſt, ut differre implementum promittens poſſit, donec de injuria vel cautum, vel ſatisfactum ſit. Definit autem injuria ſi pacto expreſſo remiſſa eſt ab eo, qui remittere poteſt: uti [a] ſi ſubditis rebellibus impunitas injuriæ commiſſæ promiſſa ſit; quod fit per clauſulam amneſtiæ: [b] ſi prædoni capitis pretium imponitur, & is ipſe ſe ſiſtat [g]: [c] ſi fides hoſti, vel prædoni, ut hoſti, & ut prædoni, datur. [h]

§. CCCCXIX. Sed & porro aſſerimus, *dolum* quoque non impedire conſenſum; adeoque negotium dolo contractum non fieri irritum, etſi dolus cauſam dederit negotio [i]: niſi talis error interveniat, qui conſenſum impedit. (*Vid.* §. 417.)

§. CCCCXX. Paciſci, ſeu promittere poſſunt omnes uſum rationis habentes; adeoque etiam prodigi [k], filiifamilias [l], ſervi [m], minores [n], fœminæ [o], hæretici, &c.

§. CCCCXXI. Sed & ſummæ poteſtates *de re ſua privata* diſponentes, ex pacto obligantur [p]; *ſive* cum alia ſumma poteſtate, *ſive* cum extraneo privato, *ſive* cum proprio ſubdito contrahant. *Primo* enim caſu bello adigi poſſunt. *Altero* caſu creditor, ſi jus ipſi denegatur, ſuum adit magiſtratum, qui pro ſubdito jus poſtulat; quo denegato, injuria fit civitati poſtulanti, quæ bello vindicari, & reparatio juris hoc modo obtineri debet [q]. *Tertio* caſu jus quidem agendi ſubdito competit: at executio in Principem non ſolventem ceſſat, quia ſuperior non eſt, qui eum cogere poſſit. Atque hoc ſenſu admitti poteſt Brocardicum, Principem *naturaliter* obligari, non *civiliter*, quia actio cum effectu contra eum intentari nequit. [r]

n. 1. Quæri ſolet, *an*, & *quatenus leges civiles circa pacta*, & *actus principum*, *obtineant?* Nam hactenus promiſſa regum peculiares habent quæſtiones. [s]

Præmittendum autem eſt, *alios* actus eſſe, quos *rex ut rex* peragit; quoties ſcilicet de jure reipublicæ diſponit: alios, quos *rex* ut *privatus* agit; ſi nimirum de juribus ſuis privatis diſponit [t]. Nam duplicia jura Principi competere, indeque hactenus diverſum eſſe reſpectum perſonarum, alibi [u] vidimus. In *prioribus actibus* leges civiles nullum locum inveniunt: Princeps enim jure, & nomine reipublicæ promittit, quæ nullo modo ut perſona privata conſiderari poteſt; adeoque Princeps ex ejusmodi actibus etiam ſubditis ſuis tenetur. In *poſterioribus* Princeps jure privatorum utitur; adeoque omnia jura civilia, quæ inter privatos in loco contractus obtinent, ad hos quoque actus pertinent. [v]

n. 2. His præmiſſis *primo* quæritur, *an Princeps obligetur ex negotiis, quæ ex ſolo jure civili vim obligandi habent: ut ex pollicitatione, teſtamento Principis defuncti*, &c. Negatur, ſi *Princeps ut rex* diſponit, i. e. ſi per pollicitationem de jure publico diſponit, vel defunctus de re

(g) Grot. l. 3, c. 19, §. 2. (h) vid. Grot. l. 3. c. 17, §. 3. & §. 6. (i) vid. ſup. c. 1. ſect. 6. Grot. 2, c. 11, §. 5, & 7. (k) Secus, ac jure Romano l. 4, §. 1, pact. (l) l. 39, ff. [illegible] A. (m) l. 14, ff. O. A. (n) l. 101. ff. V. O. l. 43, O. A. (o) l. 6, C. Revoc. don. (p) Grot. l. 2, c. 14, §. 6, n. 3. (q) vid. differt. procem. IX. §. 166. (r) Grot. l. 2. c 14, §. 6, Vasq. l. 2, controv. 51, n. 29. (s) Grot. d. c. 14, §. 1, n. 1. (t) Grot. l. 2. c. 14, §. 1, & 2, §. 5, §. 6, n. 3, §. 11, §. 5, n. 3. (u) vid. jus contr. Tit. de jure fiſci q. 4. (v) Grot. d. c. 14, §. 1, & 2, & §. 6, n. 3.

republica teſtamentum condidit. Non enim obligatur ex jure naturæ; hæc enim negotia nullum jus alii concedunt [x]: non etiam ex jure civili, quia Princeps, qui jure, & nomine reipublicæ agit, legibus a ſe ipſo latis nulla ratione tenetur. Aliud dicendum, *ſi ut privatus* Deo, vel reipublicæ aliquid pollicetur; vel Princeps defunctus de bonis privatis teſtatus eſt: quia actus privati regum ſequuntur communem regulam. Hinc Princeps, ut quilibet alius privatus, obligatur ad præſtandum id, quod pollicitus eſt, tenetur legata teſtamento defuncti relicta ſolvere, &c. [x]

n. 3. *Secundo* quæritur, *an beneficia juris civilis, quibus obligatio jure naturæ valida infirmatur, vel reſcinditur, vel exceptione perpetua eliditur, etiam in promiſſis Principium locum habeant* [y]? Reſp. in actibus, quos *rex ut rex* peragit, nullum horum beneficiorum civilium locum habet, quia ipſa reſpublica contrahit, quæ beneficiis juris civilis non utitur [z]. At in *actibus regis privatis* omnia illa jura obtinent. Sane, Rex a beneficiis juris, quæ ſubditis concedit, ipſe excludi non debet, cum ipſe quoque hactenus ſit privatus [a]. Hinc [a] non poteſt Princeps, ſi ut privatus contrahit, conveniri ex negotio, quod non juxta formam lege præſcriptam geſtum eſt; adeoque infirmare poteſt emtionem ſine pretio, locationem non expreſſa mercede, ſtipulationem non adhibitis ſolennibus contractam [b]. [b] Reſcindere poteſt promiſſum, ſi minor ſine curatore contraxit; ſi cum curatore contrahens læſus eſt [c]; ſi major ultra dimidium læditur; ſi vi, metu, vel dolo inductus eſt ad contrahendum [d]. [c] Actionem contra ſe motam elidere poteſt exceptione SCti Macedoniani, ſi filiusfamilias contraxit [e]; & Vellejani, ſi fœmina pro alio interceſſit, &c.

n. 4. *Tertio* quæritur, *an lex, quæ actum irritum facit, non in favorem agentis, ſed in pœnam, etiam in actibus regum obtineant.* Negant id Doctores juris naturalis [f]: at verius eſt, eandem diſtinctionem hic quoque locum habere; ut nimirum in *actibus regiis* leges pœnales non obtineant, in actibus vero privatis obtineant. Hinc Princeps, qui longo tempore elapſo debitum petit, præſcriptione repelli poteſt [g]: juſtæ exhæredandi cauſæ etiam Principem, quoad bona privata, ab hæreditate defuncti excludunt, &c.

Neque *obſtat* ratio Grotii, quod punitio, & coactio non poſſint procedere niſi a voluntatibus diverſis; & quod cogens, & coactum, requirant diſtinctas perſonas: adeo ut nec diſtincti reſpectus ſufficiant. Nam alia quæſtio eſt, an Princeps in actibus privatis obligetur ex legibus pœnalibus, alia, an cogi, & puniri cum effectu poſſit? Prior quæſtio affirmanda eſt, quia in his actibus jure privatorum utitur, etſi cogi non poſſit. Nam ipſe Grotius fatetur, Principem ex legibus civilibus, non pœnalibus, obligari; cogi autem non poſſe: adeoque quod actu puniri nequeat, id non impedit obligationem; jus non deficit, ſed executio.

n. 5.

(x) Id. l. 2, c. 12, §. 3, & c. 14, §. 6, n. 1. (y) vid. Grot. l. 1, c. 14, §. 1, & 2, & §. 5, c. 11, §. 5. (z) d. c. 14. §. 1, & 2, & §. 5, & 6, n. 3. (a) Grot. dd. ll. (b) Grot. d. c. 14, §. 5. (c) vid. Grot. l. 2, c. 14, §. 1, n. 2. (d) d. c. 14, §. 1, n. 1. (e) id. l. 2, c. 5, §. 6. (f) Grot. l. 2, c. 14, §. 2, n. 2, & c. 11, §. 5, n. 3. (g) Diſſent. Grot. d. l. & Vaſq. l. 1, c. 8, n. 32.

n. 5. *Quarto* quæritur, *an Princeps ex imperfecto teſtamento agere poſſit?* Merito id negamus; nullum enim jus ei ex tali teſtamento competit: non ex *jure naturæ*, quia eo jure teſtamenta ſunt incognita: nec ex *jure civili*, quia jure civili, forma teſtamentorum neglecta, non eſt teſtamentum. [b]

Quinto quæritur, *an nuptiæ Principis ſine conſenſu patris initæ ſint nullæ?* Reſp. quoad jura privata omnino nullæ ſunt; conſenſus enim patris naturali jure requiritur: adeoque pater exhæredare filium poteſt, qui ipſi invito obtrudit ſuum hæredem. At quoad *jura publica* ſubſiſtit matrimonium; hactenus enim *ut rex* agit.

n. 7. *Sexto* quæritur, *an Princeps ſi juramento confirmat promiſſa, quæ vim obligandi ex ſolo jure civili ſortiuntur, vel ſi jurato renunciat beneficiis juris civilis, quæ obligationem validam infirmant, vel reſcindunt, &c. exſolvere ſe ab iſto juramento poſſit* [k]? Affirmatur, quia etiam privatis a juramento recedere, accedente abſolutione Principis, licet; cujus rei rationem dat Grotius *L.* 2. *c.* 11. §. 20. Princeps autem his caſibus jure privatorum utitur. Hactenus igitur jus aliis quæſitum non eſt, utpote lege ſublatum; adeoque Princeps ſolutus eſt obligatione juſta ex cauſa; id enim ſupponitur.

n. 8. Denique id quoque juris naturalis eſt, quod Princeps id, quod ut privatus promiſit, debitori vel ob utilitatem publicam, vel in pœnam auferre, adeoque hoc modo a ſolutione ſe liberare poſſit. [l]

§. CCCCXXII. Paciſci non poſſunt 1. qui uſum rationis perfectum non habent; ut infantes [m], furioſi [n], & ſumme ebrii [o]: 2. qui ab alieno arbitrio dependent, ut ſervi [p]; hi enim non civiliter obligantur, i. e. actio eis, aut contra eos, ex pacto nullo datur, ſed tantum obligantur naturaliter (§. 133.). Idem dicendum de filiis familias. (§. 59.)

§. CCCCXXIII. Promitti poteſt omnibus hominibus, qui judicium habent; adeoque etiam [a] minoribus [q]; [b] filiisfam. & ſervis [r], (qui vero patri, ac domino acquirunt [s]), [c] latroni, piratæ, & prædoni [t], [d] tyranno [u], [e] ſubditis rebellibus [v], [f] perfidis, & perjuris [x], [g] hoſti [y], [h] hæreticis. [z]

Ratio in aprico eſt, quia his perſonis, qua tyrannis, prædonibus, rebellibus, &c. fides data eſt; coacta enim voluntas etiam eſt voluntas. [a]

Non vero promitti poteſt [i] infantibus, & impuberibus; nec [k] furioſis, & mente captis: niſi tutoris, vel curatoris auctoritas accedat.

§. CCCCXXIV. *Objectum* pactorum ſunt *res*, *& facta*.

Primo ergo de omnibus REBUS pacta valent, quæ in jure diſponentium ſunt, vel ſaltem eſſe poſſunt [b]; adeoque

ſpes

(*b*) Grot. l. 3, c. 7, §. 6, n. 2. (*k*) vid. Grot. l. 2, c. 14, §. 1, n. 1, & §. 3. (*l*) Grot. l 2, c. 13, §. 20, n. 3, & c. 14, §. 7, & 8. (*m*) §. 9. Inſt. de inut. ſtip. l. 25, §. 1, Quand. dies leg. l. 111, ff. reg. jur. (*n*) §. 8. Inſt. de inut. ſtip. l. 5, l. 40, Reg. jur. (*o*) Laut. comp. pag. 47. (*p*) vid. ſupr. §. 133. (*q*) Vid. jus meum controv. tit. de pact. q. 30. & 31. (*r*) Grot. l 3, c. 19, §. 6. (*s*) Grot. l 3, c. 19. §. 1, n. 2, c. 21, § 1. (*t*) Grot. l. 2, c. 13, §. 15, §. 20, n. 3. c. 4, §. 18, n. 6, c. 19, §. 2. 3, 4, & 13, l. 3. c. 23, §. 2. (*u*) Grot. l. 3, c. 19, §. 2, c. 23, §. 2. (*v*) Grot. l. 3, c. 19, §. 6, & 7. (*x*) Grot. l. 2, c. 13, §. 16, l. 3. c. 19, §. 13, exceptiones addit §. 14, ſeq. (*y*) l. 2, c. 13, §. 14, & 15, l. 3, c. 19, §. 1, ſeq. (*z*) Vid. Jus meum controv. tit. de pact. q. 33. (*a*) l. 21, §. 4, ff. Quod met. cauſ. (*b*) Grot. l. 2, c. 11, §. 8.

Digitized by Google

ſpes quoque, & *periculum* [c] objectum pactorum eſſe poſſunt.

n. 1. Hinc facile conſtat, ludos fortunæ (cum quibus cognationem habent ſponſiones [d], *Lottereyen*, &c.) naturali jure licitos eſſe. Uterque enim ludentium diſponit de ſuo jure; eam enim legem rei ſuæ dicunt, ut victori certa ſumma, vel res præſtetur. Nihil igitur iniquitatis negotium hoc præ ſe fert: nemini fit injuria; nemini invito jus aufertur.

Jure Romano ex utilitate publica, & ne cives ſua temere jactent, conſtitutum eſt, ne actio tali victori detur [e]: immo aleæ cauſa ſolutum condici poteſt [f]; & graves quoque pœnæ tum in colluſores, tum in receptatores ſtatutæ ſunt. [g]

n. 2. Sed & de *re aliena* pacta valent [h]: nam etſi promiſſa tradi non poſſit, promiſſor tamen ex pacto obligatur ad præſtandum id, quod intereſt. [i]

§. CCCCXXV. Ad objectum pactorum quoque pertinent FACTA, modo poſſibilia, & non turpia ſint [k]. Nam unuſquiſque ſuarum actionum eſt arbiter, adeoque pro lubitu de iis diſponere poteſt.

n. 1. Non ergo valet promiſſio facti, quod *impoſſibile* eſt, i. e. quod non eſt in naturali poteſtate promittentis. [l]

n. 2. Neque pactum de facto, quod *turpe*, & *lege naturali prohibitum eſt*, ſubſiſtit [m]; indeque non valet promiſſio de homine occidendo, de adulterio, furto &c. committendo [n]: factum enim hoc in noſtra poteſtate non eſt, adeoque moraliter eſt impoſſibile. Et hoc eſt, quod JCti ajunt, *ea*, *quæ contra bonos mores ſunt*, *nec facere nos poſſe credendum eſſe*. [o]

Aliud eſt ſi cauſa ſaltem, propter quam aliquid promittitur, turpis ſit: v. g. ſi quis Cajo 100. promittit, ſi Sejum occiderit. In hoc pacto duo ſunt: [*a*] promiſſio 100: [*b*] cauſa illius promiſſionis, factum, nimirum, homicidii; *illa* licita eſt, *hæc* illicita. Si proinde Cajus hominem occidit, ſcelus committit, & ideo punitur: at quia fidem datam implevit, actio ex pacto ei datur [p]. Sane, Juda meretrici mercedem promiſſam miſit, & hoc facto violatæ fidei notam aufugiſſe arbitratus eſt. Atque ex eadem ratione JCti id, quod prædoni vi, & metu promiſſum eſt, validum eſſe judicarunt, quia promittens ita voluit: at propter vim actionem, vel exceptionem, quod metus cauſa, ei dederunt, qua negotium, quod ipſo jure ſubſiſtit, reſcindunt. [q]

Hinc jam conſtat ratio, cur jure Romano ſubſiſtat negotium, *ſi quis aliquid promiſit*, *vel dedit ob turpem*, *vel injuſtam cauſam*.

Quod adeo verum eſt, ut ſi utriuſque, vel ſolius dantis eſt turpitudo, nec condictio regulariter detur [r]. Si ſolius accipientis eſt turpitudo, condictio quidem datur danti [s]; ſed ex eo ipſo ſequitur, negotium jure ſubſiſtere; ſi enim

(*c*) Grot. l. 2, c. 12, §. 3, 5, & 23. (*d*) Laut. comp. pag. 160. (*e*) l. f. C. de Aleator. (*f*) d. l. fin. C. l. 4, §. 2, ff. Eod. (*g*) vid. Laut. d. pag. 160. (*h*) L. 30, §. 1, Act. emt. l. 28, Contr. emt. ibique Goth. (*i*) d. l. 30, §. 1. (*k*) Laut. Comp. pag. 49. (*l*) l. 7, l. 35, V.O. l. 3, ff. Cond. dem. l. 31, Obl. & act. Ibique Goth. Laut. comp. dict. pag. 49. (*m*) l. 26. V. O. ibique Goth. (*n*) l. 26, l. 27, pr. l. 123, V. O. vid. jus meum controv. Tit. de pact. q. 36. (*o*) l. 15, Condit. inſt. (*p*) Conf. jus meum controv. d. q. 36. (*q*) l. 21, §. 4, Quod met. cauſ. (*r*) l. 4, §. 2, ff. l. 2, C. Condict. ob turp. Laut. comp. p. 198. (*s*) l. 4, §. 2, ff. Cond. ob turp.

enim nullum eſſet negotium, dans jure dominii rem vindicaret; nec opus eſſet condictione, utpote quæ nunquam domino datur, ſed ei, qui dominus eſſe deſiit. [t]

n. 3. Cæterum, an factum tertii promitti poſſit, examinavimus. §. 415.

§. CCCCXXVI. Effectus pacti *intuitu ejus, cui promittitur*, eſt ACTIO. Cum enim promittens ſua voluntate jus in eum transtulerit, adeoque ei aliquid debeat; neceſſario ſequitur, *actionem* inde oriri, i. e. jus perſequendi id, quod debetur.

Adeo ut ſi RES promiſſa ſit, creditor præciſe ad eam tradendam agere poſſit. Non tamen hac promiſſione dominium in creditorem transfertur, uti exiſtimat Grotius. (*Vid.* §. 268. *n.* 6.)

Unde conſtat, eum, qui *rem* promiſit, dominum *rei* manere, indeque eam pro lubitu alienare poſſe: adeo ut is, in quem alienatio fit, dominus *rei* conſtituatur; nec ei, cui *res* promiſſa eſt, vindicatio contra poſſeſſorem detur.

n. 1. Valet igitur talis alienatio *rei* alii promiſſæ, [*a*] etſi debitor metu litis futuræ, adeoque evitandi judicii cauſa, eam alienet, eaque intentione, ut duriorem actoris cauſam reddat; nam jure ſuo utitur: rem ſuam alienat. (Jure Romano is, cujus cauſa durior facta eſt, reſtituitur in integrum, ad eum effectum, ut creditor, cui *res* promiſſa eſt, agere contra debitorem poſſit ad omne id, quod intereſt rem alienatam non eſſe [u]). [*b*] Etſi lis jam cœpta; & actio de re illa contra debitorem mota ſit: alienans enim de re ſua diſponit (at hoc caſu jure Romano alienatio nulla declaratur, & non tantum continuatur actio contra alienantem, ac ſi poſſideret; ſed & vindicari res ab emtore poteſt, ac uterque punitur, niſi emtor rem litigioſam eſſe ignoraverit) [v]. [*c*] Etſi in fraudem creditorum alienaverit: naturali enim ratione debitor eſt dominus rei ſuæ, adeoque pro lubitu de ea diſponere poteſt; neque creditoribus fit injuria, quia debitor ſuo jure utitur. Hinc nec jure Romano beneficium aliquod creditoribus datur, ob alienationem in fraudem creditorum factam, niſi is, in quem alienatio fit, conſcius ſit fraudis, & læſio inde vere ſecuta ſit [x]. Hoc caſu creditoribus permittitur, ut contra eum agere poſſint, in quem alienatio facta eſt; quæ *actio* vocatur *Pauliana*.

Equidem naturali quoque jure actio competit contra fraudis conſcios, ad id, quod intereſt, quia facto ſuo illicito locupletiores fiunt mea jactura, vel ſaltem jus meum lædunt. At hæc actio eſt perſonalis, ſcil. ex dolo: quod jure Romano mutatum eſt. [y]

Neque obſtat, quod obligatio, etſi perſonam ſaltem reſpiciat, bona afficiat, quod æs alienum debitoris patrimonio inhæreat, & ex ejus patrimonio debeatur, adeoque creditori jus aliquod in re competere videatur (§. 346.). Nam aliud eſt, an obligatio patrimonium afficiat, & æs alienum bonis debitoris inhæreat; aliud, an res, quæ in patrimonio ſunt, nuda promiſſione ejus eſſe deſinant? Hoc negatur: hinc ſalva obligatione res promiſſæ alienari poſſunt, & patrimonium ſubſiſtit, licet nulla res ſub eo contineatur. Sane, non ſaltem promiſſioni *rei*

(*t*) §. 14, Inſt. de act. arg. §. 40. R. D. (*u*) Tot. tit. ff. de alienat jud. mut. cauſ. facta. (*v*) Tot. tit. ff. & Cod. de Litigioſis. (*x*) Tot. tit. ff. de, his quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, ut reſtituantur. (*y*) Vid. ſupr. §. 316.

Digitized by Google

rei proprium eſt, ut obligatio inhæreat patrimonio, ſed & idem obtinet in promiſſionibus *facti*, neque tamen ex tali promiſſione jus in re oritur.

n. 2. In obligatione FACIENDI naturali ratione non factum ipſum eſt in obligatione, quia id a perſona ſeparari nequit, ſed utilitas ſaltem facti, ejuſque æſtimatio; quod egregie probat B. PARENS.[a]

In his obligationibus obtinet regula, quod feciſſe videatur, per quem non ſtat quo minus fiat[b]. Quando vero per aliquem ſtare videatur, alibi explicavimus.[c]

n. 3. Actio ex pacto etiam datur *heredibus*, quia hi in omnia jura defuncti ſuccedunt, & cum patrimonio defuncti etiam actiones in eos tranſeunt. Uti econtrario *heredes* quoque obligantur, quia ſuccedunt in patrimonium defuncti, ſub quo etiam continetur æs alienum.

§. CCCCXXVII. *Effectus pacti intuitu promittentis*, ſeu debitoris, eſt quod is *obligetur*. OBLIGATIO autem eſt vinculum juris, quo quis neceſſitate adſtringitur ad faciendum, vel præſtandum id, quod debet, i. e. ad transferendum jus, quod ſua diſpoſitione alterius eſſe voluit. (Supr. §. 713.)

§. CCCCXXVIII. Finitur obligatio, quæ ex promiſſo oritur, 1. ſolutione; 2. remiſſione debiti; 3. mutatione debitoris, vel creditoris, 4. diſſenſu utriuſque; 5. revocatione, vel renunciatione unius, quoties, perfecto utrinque contractu, jus in alterum vel plane non translatum, vel translatum finitum eſt; 6. pœnitentia, ſi, nimirum, nondum perfecto utrinque contractu, is, qui a ſua parte implevit, recedit; 7. confuſione; 8. compenſatione; 9. interitu rei, vel ſpeciei promiſſæ; 10. deficiente conditione; 11. morte, ſi pactum eſt perſonale; 12. ſi impoſſibilis ſit præſtatio; 13. diſpoſitione legis, quæ vel in pœnam, vel ob utilitatem publicam, jus ſubditis quæſitum auferre poteſt. De quibus modis finiendi late actum eſt *ſupra c.* 1. §. 10.

Non vero jure naturæ finitur obligatio, quæ ex pacto oritur 14. præſcriptione, utut immemoriali; nec 15. prætextu doli, etiam cauſam dantis; nec 16. propter accedentem vim, ac metum; nec 17. ob ignorantiam juris naturæ, *vid. d.* §. 10; nec 18. per ceſſionem bonorum, quæ merum beneficium eſt juris Romani.

(*a*) Vid. Diſſert. Procem. X. §. 11, lit. e. (*b*) Grot. l. 2, c. 11, § 22. (*c*) Vid. jus meum controv. tit. de pact. q. 38. (*d*) l. 6, ff. pact. ibique

---

SECTIO I.

De Pactis legitimis.

§. CCCCXXIX. JURE civili certum eſt, ex pactis nudis nullam actionem datam eſſe, quia ſine cauſa promiſſum eſt. (§. 435. *ſeq.*)

Romani legislatores pacta quædam exceperunt, atque ex eis actionem dedere; eaque PACTA dicuntur LEGITIMA[d] ſeu veſtita.

§. CCCCXXX. Atque huc pertinet *I.* TRANSACTIO, quæ eſt conventio, qua res dubia dato aliquo, aliquo retento, vel promiſſo, deciditur.[e]

Jure civili ex tali pacto nulla dabatur actio[f], quia cauſa non ſubeſt, utpote quæ ſupponitur eſſe dubia; unde nec inter contractus nominatos, nec inter innominatos recenſeri potuit.

Ne-

Goth. (*e*) l. 1, ff. l. 28, C. tranſact. (*f*) d. l. 28, C. l. 19, C. Eod.

Neceſſe igitur ad producendam actionem fuit, ut ſtipulatio accederet [g]; tunc enim ex tali tranſactione dabatur actio ex ſtipulatu.

Cum tamen dubium maneat, an cauſa ſubſit, an non, adeoque incertum ſit, quale ſit negotium, (an ſcilicet ſit contractus innominatus, an nudum pactum) *ideo utilis actio, quæ præſcriptis verbis rem geſtam demonſtret, datur* [h]. Eam enim toties largiuntur JCti Romani, quoties non conſtat, quale ſit negotium [i]. Simile exemplum eſt in precario; ex promiſſo enim tali itidem actio nulla dabatur jure civili [k]; ſed propter bonam fidem JCti *condictionem incerti*, *ſeu præſcriptis verbis*, *quæ ex bona fide oritur*, dedere. [l]

Unde conſtat, jure civili *tranſactionem* nulla ratione ad contractus innominatos referri poſſe; etſi *diſſentiant doctores omnes*.

§. CCCCXXXI. *II.* Ad pacta legitima quoque pertinet PACTUM DE DONANDO [m]: quando, ſcilicet, donum aliquod alteri ex mera liberalitate promittitur. Hoc pactum jure civili non producebat actionem, niſi ſtipulatio, vel traditio acceſſerit; Juſtinianus demum actionem ex nudo pacto donationis dedit. [n]

Donatio aliquando mortis cauſa fit, cum quis 1. memor mortis nullo licet periculo [o], 2. ita alii donat, ut ſe magis, quam donatarium, hunc, quam hæredem habere malit [p]. At jure Romano quædam ſolennitates ibi requiruntur. [q]

§. CCCCXXXII. *III.* DOTIS PROMISSIO itidem inter *pacta legitima* referri ſolet: at id generatim verum non eſt. Diſtinguunt enim leges Romanæ inter dotem a *patre* promiſſam, & inter eam, quæ a *matre*, vel *extraneo* promittitur. Si *pater* dotem promittit, omnino actio inde datur, nimirum, ex ſtipulatu (quæ rei uxoriæ actioni ineſt) [r]: *pater* enim tenetur dotare filiam; adeoque hactenus cauſa ſubeſt, eoque verus hic eſt contractus.

Si *mater*, vel *extraneus* dotem promittunt nudo pacto, nulla olim exinde dabatur actio; cauſa enim nulla ſuberat, cur promitteretur, cum illi dotare non tenerentur [s]. At Juſtinianus demum actionem ex hoc pacto dedit [t]; adeoque hactenus promiſſio dotis eſt pactum legitimum.

§. CCCCXXXIII. *IV.* USURÆ EX MUTUO, non accedente ſtipulatione, jure Romano non debentur, etſi nudo pacto promiſſæ ſint. At ſi pecunia credita a civitate ſumatur; etiam nudo pacto promiſſæ debentur. [u]

§. CCCCXXXIV. *V.* Si quis pecuniam, quam ipſe, vel alius Titio debet, ſe ſoluturum nudo pacto promittit, jure civili nulla inde actio dabatur. At prætor ex tali conſtituto actionem dedit, DE CONSTITUTA PECUNIA. [v]

SE-

(i) L. 1, §. 1, & 2, ff. de præſcr. verb. (k) l. 14, l. 15, §. 3, De precar. l. 14, §. 1, de furt. (l) l. 19, §. 2, l. 2, §. 2, ff. de precar. (m) l. 35, §. 5, C. Donat. ibique Goth. (n) d. l. 35. (o) §. 1, Inſt. de donat. l. 35, §. 4, de donat. (p) d. §. 1, d. l. 35. (q) B. Par. Hyp. Inſt. tit. de donat. §. (r) l. 6, de prom. dot. junct. l. 6, C. de jur. dot. (s) l. 14, C. jur. dot. (t) l. 6, C. jur. dot. (u) l. 30, ff. Uſur. (v) Tot. tit. ff. de conſt. pec. Laut. comp. pag. 218.

Digitized by Google

SECTIO II.

De origine differentiæ inter Pacta, & Contractus.

§. CCCCXXXV. Jure naturali nulla differentia eſt inter pacta, & contractus, quoad effectum obligationis; utpote quæ in utriſque ex eodem principio ſequitur: nimirum, quod is, qui pacto, ſeu contractu jus aliquod alii concedit, & in eum transfert, ex regula juſtitiæ generali tribuere id debeat ei, in quem jus conſenſu illo translatum eſt. Optime JCtus: *conſentientes in aliquam rem, conſenſu obligari neceſſario ex voluntate noſtra videmur.* [x]

§. CCCCXXXVI. JCti Romani [y] diſtinxerunt inter *pacta*, quæ ſine ulla cauſa, vel præcedente, vel præſenti, vel futura ineuntur; & interea *pacta*, quæ ob cauſam fiunt, quæ ſynallagma continent, i. e. ubi quis ideo ſe obligat, vel quia aliquid datum, vel factum eſt ab altero, vel quia viciſſim aliquid præſtare debet.

n. 1. *Priora* pacta JCtis Romanis bonis moribus contrariari videbantur [z]: neque enim civibus temere ſua jactare permitti debere, credebant, quia non tam animo deliberato, quam præcipitato conſilio promiſiſſe cenſebantur [a]; adeoque nullam inde obligationem civilem naſci debere ſtatuebant [b]. Atque talia pacta *nuda* vocabant. [c]

n. 2. Hinc nec ex ſtipulatione obligatio jure Romano oriebatur, niſi cauſa fuerit, propter quam partes inter ſe convenerint [d]; adeo ut actor, qui ex ſtipulatione ſine cauſa inita agit, repellatur exceptione doli. [e]

n. 3. *Poſteriora* ergo pacta ſaltem JCti approbabant: atque tunc demum obligationem ex conventione naſci, ſtatuebant, ſi cauſa ſubeſſet [f]: i. e. ſi ſynallagma contineret [g]. Atque hæc pacta vocabant *contractus*.

n. 4. Inter hæc pacta, quæ cauſam habent, & quæ *contractus* nomine veniunt, quædam frequentiorem uſum habebant, & quotidie occurrebant; ideo JCti Romani illis proprium nomen dedere, quod totam negotii naturam exprimeret. Unde hos contractus *nominatos* vocabant, & *actionem* inde natam *nominatam*.

n. 5. Et cum horum contractuum quidam *dationem* requirerent, quidam *nudo conſenſu* conſiſterent, quidam *verbis*, quidam *litteris* contraherentur, inde nati ſunt contractus *reales*, *conſenſuales*, *verbales*, & *litterales*.

n. 6. Omnes reliquos contractus, quibus ſpeciale nomen non dederunt JCti, vocarunt *innominatos*; quia cum certum nomen illis impoſitum non ſit, manet ratio naturalis contrahendi illa negotia, per verborum ſcil. ambages circumſcribendo id, quod partes inter ſe actum eſſe volunt: unde actori dabatur actio præſcriptis verbis, ad exigendum id, quod ob cauſam promiſſum eſt.

§. CCCCXXXVII. *Contractus* ergo, ex hypotheſi juris civilis, ſunt pacta, quæ

(x) L. 52, §. 4, O. A. (y) l. 2, §. 3, ff. dol. exc. c. 14, x. de fid. inſtr. l. 7, § 2, l. 51, l. 56, pact. Vid. Barboſ. l. 14, c. 95, n. 5. (z) §. f. Inſt. de his qui ſui &c. (a) l. 3, §. 2, O. A. l. 7, §. 1, & §. 4, pact. l. 2, §. 3, Exc. dol. l. 3, ff. Cond. ſin. cauſ. l. 27, C. Locat Paul. Sent. 11, 24. (b) l. 7, §. 4, pact (c) l. 3, §. 2, O. A. l. 3, ff. Cond. ſin. cauſ. (d) l. 2, §. 3, Exc. dol. (e) l. 7, §. 1, & §. 4, pact. l. 2, §. 3, Exc. dol. (f) l. 19, V. S. (g) d. l. 7, §. 1.

quæ ob cauſam fiunt [b], adeoque ubi ſynallagma, ſeu commutatio juris ſubeſt [i]. Unde differunt a *pactis*, quæ talem cauſam non habent, adeoque ubi ſynallagma non ſubeſt.

Neque *obſtat*, contractus, ſeu ſynallagma tantum eſſe, *ubi ultro, citroque eſt obligatio*, adeoque tantum in contractibus bilateralibus [k]; unde Ulpianus in contractibus unilateralibus non *contrahi*, ſed *agi* aſſerit [l]. Reſp. JCtus non de definitione contractus loquitur, ſed de ſpeciali verborum ſignificatione, quando, nimirum, quid *contrahatur*, quando *agatur*, quando *geratur*.

Nam bene JCtus ait, *contrahi* dici, *quoties* (ſolo conſenſu) *ultro, citroque obligatio oritur; quod Græci ſynallagma vocant*: etſi neque res, neque verba interveniant. *Agi* autem aliquid dici, *quando*, præter conſenſum, *rebus, vel verbis aliquid agitur: Geri*, quando *res*, ſine verbis, intervenit.

Ex his igitur apparet, *contractum* hic ſpeciatim accipi pro contractu, qui *ſolo conſenſu* utriuſque perficitur (verba enim *ultro, citroque* ſæpius ita ſumi, certum eſt [m]): adeoque 1. opponi contractibus *realibus*, & *verbalibus*, uti ſtipulationi, & mutuo [n]; quia præter conſenſum ibi aliquid verbis, vel re *agitur*. Cæterum, ſtipulationem, & mutuum, veros eſſe contractus, quibus ſynallagma ſubeſt, etiam tyronibus juris notum eſt. 2. Opponitur eis negotiis, quæ *geruntur*: nam in his quoque *ultro, citroque* obligatio oritur; at non ex conſenſu, ſed ex *geſtione*. [o]

§. CCCCXXXVIII. Ex dictis apparet ratio, cur primis Romanorum temporibus ex pacto, cui cauſa non ſuberat, nulla actio data fuerit [p] (§. 436. *n.* 1.): at tractu temporis æquitas fidei datæ prævaluit, & obligatio tandem, etiam ex pactis, pleniſſime reſtituta eſt.

n. 1. Nam 1. leges Romanæ plures pactorum ſpecies exceperunt, ex quibus obligationem civilem, i. e. actionem, dederunt, etſi cauſa nulla ſubſit. De quibus ſupra §. 429. egimus. [r]

n. 2. Sed & 2. pacta traditioni adjecta obligant, & actionem producunt. [s]

n. 3. Porro 3. jus Romanum conſtituit, ut ſi pactum illud nudum confirmaretur per verba ſolennia, i. e. per verborum obligationem, etiam ex pacto ita confirmato detur actio. Cum enim jam cauſa aliqua, nimirum, præcedens promiſſio, adſit, & ea cauſa verbis corroboretur, indeque de animo deliberato conſtet, is, qui iterato promiſſionem repetit, temere promittere non videtur. Atque ideo actio jure civili contra ſtipulantem datur. (*Vid.* §. 436. *n.* 2.)

n. 4. Idem quoque 4. obtinet, ſi cum quæri inter præſentes non poſſit per ſolennia verba, litteris obligatio contrahitur, quæ litterarum obligatio dicitur. De qua infra agetur.

n. 5. Prætores 5. id poſtea extenderunt, & actionem dederunt ex pacto, ſi illud per conſtitutum, adeoque citra verba ſolennia confirmatum fuit; uti ſi quis litteris promittit, ſe id, quod ipſe, vel alius debet, ſoluturum: nam hoc caſu cauſa ſubeſt; debitum enim

(*b*) L. 7, §. 2, & 4, ff Pact. (*i*) l. 19, ff. V. S. arg. l. 2, ff. Neg. geſt. (*k*) l. 19. V. S. (*l*) d. l. 19, V. S. (*m*) Vid. Struv. Synt. Jur. Civ. tit. de Pact. §. 29. (*n*) d. l. 19. (*o*) l. 2, ff. neg. geſt. Conf. l. 7, pr. & §. 1, de min. (*p*) l. 7, §. 4, pact. (*r*) Conf. Laut. comp. pag. 46. (*s*) l. 48, ff. pact. ibique Goth. l. 45, ff. eod.

Digitized by Google

enim præcedens promittitur: atque id æquitati naturali convenire, ait Ulpianus in *l.* 1. *pr. Conſt. pec.* quia grave eſt fidem fallere.

n. 6. Si 6. pacta contractibus bonæ fidei in continenti adjiciuntur, obligationem quoque inde oriri voluerunt: quia pars ſunt contractus, eique ineſſe dicuntur, non vero ſi ex intervallo adjiciuntur.

n. 7. Prætor 7. ex omni pacto exceptionem dedit, i. e. omnes effectus debiti naturalis ei tribuit, præter actionem: ubi provocat ad æquitatem naturalem, & nihil tam fidei humanæ congruum eſſe, ait, quam pacta conventa ſervare. [t]

n. 8. Jus Canonicum, & praxis hodierna, jus naturæ reduxerunt, & ex omni pacto actionem dant ei, cui aliquid promittitur; ac promittentem obligant ad præſtandum, vel faciendum id, quod promiſit. [u]

§. CCCCXXXIX. Dixi, JCtos Romanos contractus alios nominatos feciſſe, alios innominatos. De utriſque jam agemus.

Sectio III.

De Contractibus nominatis.

§. CCCCXL. JCti Romani conventiones juris gentium, quæ in proprium nomen contractus tranſeunt [v], faciunt vel reales, vel *conſenſuales*, vel *verbales*, vel *litterales*. [x]

Reales ſunt quatuor: *mutuum*, *commodatum*, *depoſitum*, & *pignus*. [y]

§. CCCCXLI. Mutuum eſt contractus juris gentium [z] realis, quo res fungibilis ita alii datur, ut is tantundem in eodem genere, & bonitate reſtituat. [a]

n. 1. Cauſa hujus obligationis eſt ex jure gentium [b]; prout enim partes de ſuo jure diſponunt, ita jus eſt: dum igitur quis ſuam rem fungibilem ea lege in alium transfert, ut is tantundem reſtituat, alter, qui conſenſit, eaque lege pecuniam accepit, eam vi pacti reſtituere tenetur; tenet enim jus alienum, quod ex regula naturæ tribuere debet ei, cujus eſt.

n. 2. In hoc contractu requiritur, 1. ut *res fungibilis* credatur [c], i. e. quæ pondere, numero, & menſura conſtat [d]: 2. ut traditio interveniat [e]. Unde conſtat, [a] pactum de mutuando non eſſe mutuum [f]: [b] mutuum eſſe alienationem [g], & dominium pecuniæ tranſire in debitorem. [h]

n. 3. Dare mutuum poſſunt omnes, qui alienare [i]. Dari autem illis, qui poſſunt obligari. [k]

n. 4. *Objectum* ſunt res fungibiles (*vid. n.* 2.). In aliis rebus magis commodatum eſt, quam mutuum. [l]

Res autem illæ *noſtræ* eſſe debent. Hinc non valet mutuum in re aliena [m]. Noſtræ autem videntur, ſi alius noſtro nomi-

(*t*) L. 1, pr. pact. (*u*) vid. jus meum contr. tit de pact. §. 10. (*v*) l. 7. pr pact. (*x*) §. ult. Inſt de obl vid. ſupr. §. 436, n. 5. (*y*) de §. ult. (*z*) l. 7, pr. §. 1, de pact §. 2, Inſt. de J. N. G. & civ. (*a*) l. 2, pr. §. 1, §. 2, l. 3, ff. Reb. cred. (*b*) §. 2, Inſt. de Jur. nat. Gent. & Civ. (*c*) pr. Inſt. quib. mod. re &c. (*d*) l. 2, §. 1, Reb cred. (*e*) l. 2, §. 3, ff. Reb. cred. (*f*) d. l. 2, §. 3, & l. 17, pr. ff. Pact. (*g*) l. 17, Reb. cred. l. 41, Eod. (*h*) l. 2, O. A. pr. Inſt. quib. mod. re. (*i*) l. 6, §. 4, ff. Reb. cred. §. 2, Inſt. quib. alien. lic. Heinecc. Elem. tit. Reb. cred. §. 7. (*k*) l. 34, §. 1, ff. Reb. cred. Heinecc. d. l. §. 8. (*l*) l. 2. pr ff. Reb. cred. (*m*) l. 11, §. f. l. 13, ff. Reb. cred.

nomine, & voluntate, ſuam pecuniam numeret mutuum a nobis petenti [n]. Idem quoque verum eſt ſi eum, qui ex mandato meam pecuniam penes ſe habet, ex cauſa crediti habere volo. (Secus, ac jure Romano; quia eo jure contractus *nudo pacto* in alium mutari nequit [o].)

n. 5. *Effectus* mutui eſt, ut *debitor* re credita (tanquam dominus, *vid. n.* 2.) abuti poſſit [p], eique res pereat [q]. Præterea obligatur ad reſtituendum tantundem (quod etiam fit ſi eandem rem reſtituit [r]), i. e. in eadem bonitate extrinſeca, quæ fuit tempore contractus; non in eadem intrinſeca: nec in eadem materia, ſi damnum creditor inde paſſurus eſt. [s]

Creditori, ejuſque hæredi, ex hoc contractu datur *actio mutui* [t] (quæ *condictio certi* vocatur [u]) adverſus debitorem, ejuſque hæredes, ad rem in eodem genere, eademque bonitate, reſtituendam. [v]

Non vero ad reſtituendas uſuras, utpote quæ promiſſæ non ſunt [x]: niſi 1. pacto ſpeciatim (jure Romano requiritur ſtipulatio [y]) promiſſæ ſint: vel 2. debitor ſit in mora [z]; tunc enim hic fieret locupletior cum alterius jactura. (*Vid. ſupr.* §. 343.)

n. 6. Jure Romano filiis familias mutuam pecuniam accipientibus ſuccurritur per SCtum Macedonianum [a]. Minoribus inde læſis datur reſtitutio in integrum. [b]

§. CCCCXLII. COMMODATUM eſt contractus juris gentium realis, quo res gratis utenda ita traditur, ut in eadem ſpecie finito uſu reſtituatur. [d]

Sua natura igitur eſt gratuitum [e]; honorarium tamen promitti poteſt [f]: non merces, vel alia res. [g]

n. 2. Cauſa hujus negotii eſt ex jure gentium; is enim, qui commodato accipit rem, ea lege eam accipit, ut finito uſu reſtituat.

Finito igitur uſu commodatarius nullum amplius jus in uſum illius rei habet, rem alienam tenet, quam, ex regula generali juſtitiæ, ei tribuere debet, cujus eſt.

n. 3. *Commodanti* igitur, ejuſque hæredibus, actio perſonalis datur ex hoc contractu adverſus commodatarium, ejuſque hæredes, ut rem commodatam reſtituat. [h]

Si plures commodant, vel pluribus commodatur, ſinguli agunt, vel adverſus ſingulos agitur pro rata: niſi ſint correi vel credendi, vel debendi. [i]

Equidem præterea commodanti ſeparatæ actiones dantur ad omnem cauſam, immo ad præſtandum dolum, & culpam: at jure Romano eadem actione hæc petuntur, quia contractus eſt bonæ fidei. (*Vid. ſupr.* §. 365. *ſeq.*) [k]

Conſuno-

(*n*) L. 34, pr. Mandat. l. 2, §. 4, l. 9, §. 8, l. 15, ff. Reb. cred. (*o*) d. l. 34, pr. vid. jus meum controv. tit. Reb. cred. q. 9. (*p*) l. 5, §. 1, l. 2. ff. Uſufr. earum. &c. (*q*) l. 1, §. 2, O. A. pr. Inſt. quib. mod. re &c. (*r*) arg. l. 2, pr. Reb. cred. & pr. Inſt. quib. mod. re &c. (*s*) l. 99, ff. Solut. (*t*) l. 5, C. quib. non objic. long. (*u*) Rubr. ff. de Reb. cred. ſi certum petatur &c. l. 9. pr. Eod. (*v*) Laut. comp. pag. 168. (*x*) l. 24, ff. Præſcr. verb. ibique Goth. l. 3, c. Uſur. (*y*) dd. legib. (*z*) arg. l. 38, §. 7, ff. Uſur. (*a*) Tot tit. ff. SCtum Macedon. (*b*) Tot. tit. ff. de Minor. (*c*) l. 7, pr. §. 1, pact. (*d*) §. 2, quib. mod. re &c. Grot. l. 2, c. 12, §. 2. (*e*) d. §. 2, Grot. l. 2, c, 12, §. 20, n. 1. (*f*) d. c. 12, §. 11, n. 1. (*g*) l. 5, P. V. (*h*) §. 2. Inſt. quib. mod, re contr. (*i*) l. 9, ff. duob. reis. l. 5, §. f. Commod. Laut. Comp. p. 221. (*k*) Conf. Laut. Comp. p. 221, ſeq.

Digitized by Google

Commodatario, ejuſque hæredibus, datur actio adverſus commodantem, ejuſque hæredes, ad indemnitatem præſtandam. [l]

n. 4. Finitur commodatum [a] finito uſu, vel ſua natura, vel ex pacto adjecto [m]; non ſi commodans ipſe indigeat [n]: [b] ſi res perit caſu; ſi culpa etiam leviſſima, commodatarius tenetur [o]. (*Vid. ſupr.* §. 386.)

§. CCCCXL. Depositum eſt contractus juris gentium realis, quo res gratis cuſtodienda ita traditur, ut eadem quandocunque reſtituatur. [q]

n. 1. Sua natura igitur gratis fit; adeoque merces accedere nequit (tunc enim eſt locatio operæ [s]); at honorarium poteſt. [t]

Differt a mandato [u], ubi traditio rei non requiritur.

n. 2. Cauſa hujus contractus eſt ex jure naturæ; is enim, qui depoſitum accipit, promittit, ſe eam domino quandocunque reſtituturum: ſi proinde deponens ſibi reſtitui depoſitum petit, depoſitarius, qui rem alienam tenet, eam domino repetenti reſtituere quocunque tempore, eoque jus ſuum cuique tribuere, tenetur.

n. 3. Ex *depoſito* igitur actio datur *deponenti*, ejuſque hæredibus, adverſus depoſitarium, ejuſque hæredes, ad rem depoſitam reſtituendam [v]: præterea ad omnem cauſam, & ad præſtandam culpam. [x]

Sed & *depoſitario* actio datur adverſus deponentem, ejuſque hæredes, ad indemnitatem, ne locupletior fiat cum alterius jacturá. [y]

Not. Depoſitarius rem depoſitam alii non poteſt reſtituere, etſi dominus ſit [z] (quod jure Romano mutatum eſt [a]). Si depoſitarius, ejuſque hæredes, deficiunt, res nullius eſt, & cedit occupanti (moribus fiſco [b]).

n. 4. Finitur depoſitum [a] ſi depoſitarius repetit; [b] ſi res caſu perit: ſi culpa, etiam leviſſima depoſitarii, tenetur ad reſtitutionem [c]. Jure Romano tantum lata culpa præſtatur; rationem æquitatis alibi expoſuimus.

Not. Depoſitum, quod in re immobili fit, ſpeciatim vocari ſolet *ſequeſtrum*.

§. CCCCXLIV. Pignus eſt contractus realis, quo res in ſecuritatem debiti ita traditur, ut hoc ſoluto reſtituatur, non ſoluto rite diſtrahatur. [e]

n. 1. Cauſa hujus contractus eſt ex jure gentium: nam is, qui pignus accepit, ea lege id accepit, ut ſoluto debito illud reſtituat. Caſu igitur exiſtente, rem alienam ſine cauſa penes ſe habet, jus alienum tenet, quod reſtituere ei debet, cujus eſt.

n. 2. Ex hoc pacto creditor rei poſſeſſionem nanciſcitur [f], i. e. facultatem rem tenendi, eique inſiſtendi, donec debitum ſolvatur: atque hoc jus in alium quoque transferre poteſt. [g]

n. 3.

(*l*) l. 17, §. 3, l. 18, §. 3, l. pen. Commod. Laut. d. l. pag. 223. (*m*) B. Parens. Hyp. Inſt. quib. mod. re &c. §. 6. (*n*) Diſſ. Grot. l. 2, c. 17, §. 27, n. 1. (*o*) Grot. l 2, c. 12, §. 13, n. 1, Leg. 5, §. 2, & 4, Commod. (*p*) l. 7, pr. & §. 1, Pact. (*q*) §. 3, Inſt. quib. mod re contr. (*r*) l. 2, c. 12, §. 11. (*s*) l. 5, Pr. verb. (*t*) B. Parens hypomn. Inſt. quib. mod re &c. (*u*) Diſſ. Grot. l. 2, c. 12, n. 2, (*v*) §. 3, Inſt quib. mod. re &c. Laut. p. 279, & 280. (*x*) Laut. pag. 281. (*y*) l. 5, pr. depoſ. Conf. Laut. comp. pag 283. (*z*) Diſſent. Grot. l. 2, c. 10, §. 1, n 4, l. 6, c. 16, §. 26, n 2, l 2, c. 13, §. 15. n. 2, & c. 16, §. 26, n. 2. (*a*) Vid. l. 31, ff. Depoſ. (*b*) Vid. Grot. l. 2, c. 10, §. 1, n. 4, (*c*) Diſſ. Grot. l. 2, c 12, §. 13, n. 1. (*d*) Laut. comp. pag. 283. (*e*) §. fin. quib. mod. rer. cont. Tot. tit. 11, ff. de diſtr. pign. Grot. l. 2, c. 12, §. 6. (*f*) l. 35, §. 1. Pign. act. l. 13, pr. l. 16, de Uſurp. (g) Grot. l. 2, c. 6, §. 9.

Digitized by Google

n. 3. *Objectum* pignoris ſunt res corporales, & incorporales, mobiles, & immobiles; etiam alienæ (ad eum effectum, ut actio pigneratitia detur ad aliam rem dandam); etiam res mihi jam oppignoratæ: non vero liberi, nec imperia absque conſenſu populi.

n. 4. *Effectus* pignoris eſt, ut *I. debito non ſoluto* creditor diſtrahere pignus, & ex pretio ſibi ſatisfacere poſſit. [h]

Si pinguius eſt pignus, poſteriores creditores, ante diſtractionem pignoris, offerre priori creditori poſſunt ſolutionem debiti, cum omni cauſa. Quo caſu hic etiam naturali ratione cedere pignus poſterioribus creditoribus tenetur. Cum enim his creditoribus totum patrimonium debitoris ſit obligatum, etiam pignus hoc, quatenus in illo plus eſt, ſub obligatione illa continetur. Neque priori creditori ſit injuria; ei enim totum offertur debitum. [i]

II. Si debitor *ſolvit debitum*, actio datur *debitori*, ejusque hæredibus, adverſus creditorem, ejusque hæredes, ad rem oppignoratam, pignoris quippe vinculo ſoluto, recuperandam [k]; & præterea ad omnem cauſam, & culpam, præſtandam. [l]

At *creditori* quoque, ejusque hæredibus, actio datur adverſus debitorem, qui repetit pignus, ad indemnitatem pignoris nomine conſequendam. [m]

Not. Præter hanc actionem pigneratitiam, quæ perſonalis eſt, Prætor quoque ex pignore dedit actionem realem, i. e. hypothecariam [n]. Quæ conſtitutio mere civilis eſt.

n. 5. Finitur pignus 1. ſoluto debito, aliaque ſatisfactione; neque pignus ob aliud debitum retineri poteſt [o]: 2. reddito pignore [p]: 3. ſi res perit; niſi culpa, etiam leviſſima debitoris acceſſerit [q] (jure Romano levis ſaltem præſtatur): 4. reſoluto jure, quod danti in re competit: 5. an confuſione? [r]

Non 6. præſcriptione [s]; ſi ſcil. debitor longo tempore non reluit pignus. Quid jure Romano obtineat, alibi [t] explicavimus.

n. 6. Quomodo pignus differat ab obſidibus [u], infra demonſtrabimus. Cæterum, addere adhuc licet, in fœderibus, & promiſſionibus Principum aliquando per pignora caveri ſolere. [v]

§. CCCCXLV. CONTRACTUS CONSENSUALES itidem ſunt quatuor: *Emtio venditio*, *locatio conductio*, *ſocietas*, & *mandatum*.

§. CCCCXLVI. EMTIO VENDITIO eſt contractus conſenſualis de re pro certo pretio tradenda. [x]

n. 1. Contractus emtionis venditionis eſt ex jure gentium [y]. *Emtor* de ſuo pretio, *venditor* de ſua re diſponit. *Ille* promittit, ſe pro re pretium certum ſoluturum; adeoque jus aliquod in venditorem ſua voluntate transfert.

Hic

(h) Tot. tit. ff. de diſtract. pign. (i) Vid. jus meum controv. part. 2. pag. 50. (k) §. fin. Inſt. quib. mod. re &c. l. 1. §. 6, O. A. (l) Laut. Comp. pag. 233. (m) l. 1, §. 2, l. 16, §. 1. pign. act. Laut. Comp. pag. 235. (n) Tot. tit. ff. de pign. & hypoth. vid. ſupr. §. 306. (o) Grot. l. 3. c 20, §. 59. (p) Laut. comp. pag. 410. (q) Diſſent. Grot. l. 2, c. 12, §. 13, n. 1. (r) Vid. jus meum controv. tit. de acceptil. q. 5, pag. 611. (s) Diſſent. Grot. l. 2, c. 4, §. 50, l. 3, c. 20, §. 59. (t) Vid. jus meum controv. Lib. 13, tit. 17, qu. 19. (u) Vid. Grot. l. 3, c. 20, §. 59. (v) B. Par. diſput. de Guarantia (x) l. 1, §. fin. l. 2, §. 1, Contr. Emt. §. 1, Inſt. De emt. (y) l. 1. §. f. l. 2, §. 1, Contrah. Emt. §. 1, Inſt. emt. vend. l. 5, ff. Juſt. & jur.

Digitized by Google

Hic promittit, ſe rem pro certo pretio traditurum; adeoque pariter jus in emtorem transfert. Uterque igitur ex ſua voluntate obligatur [z], & prout contrahentes de jure ſuo diſponunt, ita jus eſt.

n. 2. Ad emtionem venditionem requiritur *I.* ut uterque conſentiat [a]; etſi conſenſus ille dolo, vi, vel metu ſit extortus (*vid.* §. 384. & 418.); vel contrahens erraverit, modo error non ſit ſubſtantialis (§. 417.). Si ſimulatur conſenſus, nihil agitur [b]. Si aliud negotium ſpecie emtionis contrahitur, emtio nulla eſt [c], ſed negotium vere geſtum valet. [d]

Cum igitur emtio venditio *conſenſu* conſtet, conſequens eſt, ut nemo ad vendendum, etſi oblato juſto pretio, cogi poſſit. [e]

Not. Si eadem res duobus venditur, is præfertur, cui prior tradita eſt; alter enim ſaltem actionem perſonalem habet ad rem, vel ſi tradi nequit, ad id, quod intereſt præſtandum. Is vero, cui res tradita eſt, dominium acquirit ab eo, qui jus dominium transferendi habet. [f]

n. 3. *II.* Requiritur, ut *merx* interveniat [g] exiſtens tempore venditionis [h], quæ jure gentium acquiri non prohibetur. [i]

Merx quoque eſt ſpes, eventus, alea, periculum [i]: omnes enim hæ res æſtimationem recipiunt. (*Vid.* §. 424.)

Sed & *hæreditas* merx eſt, non tantum ſi delata eſt, ſed & deferenda, ſeu viventis (ſecus, ac jure Romano): venditor tenetur omnia præſtare, & tradere, quæ ad complexum omnium jurium pertinent, & tempore venditionis in hæreditate fuerunt. [k]

Sed & *actio* vendi poteſt ſi non inhæret perſonæ, vel lege non ſit alienari prohibita: quo caſu venditor cedere debet omne jus, quod ex ea cauſa habet. Jure Romano opponi poteſt exceptio legis Anaſtaſianæ ei, qui actiones minori pretio, ac debitum fuit, emit. [l]

n. 4. Valet autem emtio, etſi merx illa ſit *aliena* [m]: ſi vero dominus rei eam vindicat, venditor tenetur ad evictionem. [n]

Evictio ex naturali jure originem habet; facto enim ejus, qui mihi rem alienam vendit, (& quæ poſtea evincitur) mihi aliquid abeſt: venditor locupletior fieret ex meo pretio; adeoque ex regula generali juſtitiæ, jus, quod mihi abeſt, tribuere tenetur.

Dominus autem rei vindicare eam ab emtore poteſt, nec pretium reſtituit [o]. At ſi hæres factus eſt venditoris, ceſſat vindicatio, quia hæres præſtare debet factum defuncti.

Not. ſi venditor rei alienæ poſtea dominus ſit illius rei, vindicare quidem jure naturali rem poteſt vi dominii; ſed emtor ſeparata actione agere contra

(z) l. 33, §. 4, O. A. (*a*) pr Inſt. de emt. vend. l. 1, §. 2, l. 2, §. 1, l. 9, ff. contr. emt. l. 2, O. A. (*b*) l. 55, Contr. emt. l. 16, R. J. Laut, comp. p. 314. (*c*) l. 36, l. 38, ff. l. 3, Contr. emt. (*d*) l. 3, l. 9, C. contr. emt. tot. tit. C. plus val. quod ag. Laut. d. p. 314, ſeq. (*e*) Grot. l. 2, c. 2, §. 18, 19, 20, 24. (*f*) Grot. l. 2, c. 12, §. 15, c. 19, §. 8, vid. jus meum controv. tit. de rer. div. q. 3. (*g*) pr. Inſt. emt. vend. (*h*) §. fin. Inſt. emt. vend. l. 57, §. p. contr. emt. (*i*) l. 8, ff. contr. emt. l. 5, pr. naut. fœn. Grot. l 2, c. 5, §. 5, l. 3, c. 7. §. 5, n. 2, (*k*) tot. tit. ff. hæred vel act. vend. (*l*) tot. tit. de hæred. vel act. vend. (*m*) l. 28, ff. contr. emt. l. 5, pr. naut. fœn. Grot. l. 2, c. 5, §. 5, l. 3, c. 7, §. 5, n. 2. (*n*) l. 9, l. 36, pr. & §. 1, de pign. act. Laut. pag. 301, tot. tit. ff. de Evict. (*o*) Grot. l. 2, c. 10, §. 9, n. 1.

tra venditorem poteſt ad præſtandam evictionem. Jus Romanum ad vitandas has ambages conſtituit, ut venditor, qui dominus factus eam vindicat, repelli poſſit exceptione rei venditæ, & traditæ. [p]

n. 5. Sed & emtio rei *vitioſæ* ſubſiſtit, quia in rem conſenſere contrahentes: niſi expreſſe ut ſana fuerit vendita; quia tunc deficit conſenſus in rem vitioſam, adeoque contractus nullus eſt. [q]

Quia autem venditor, qui ſcivit, rem eſſe vitioſam, nec certiorem reddidit emtorem, facto hoc doloſo cauſa eſt quod alter deceptus ſit, ideo agere emtor poteſt, vel *æſtimatoria* quanti minoris, ad id, ut tantum de pretio reſtituat, quantum propter vitium res minoris facta eſt [r]; vel *redhibitoria*, ſi re plane uti non poteſt, adeoque emtoris intereſt rem ipſam redhiberi [s]. Quæ proinde actiones ex jure naturali originem habent.

n. 6. III. Requiritur *pretium*, ſeu æſtimatio rei [t]. Hinc 1. *certum* eſſe debet: certum quoque eſt ſi in arbitrium tertii confertur [u]. 2. Jure Romano requiritur, ut pretium conſtituatur in *pecunia numerata* [v]; quod adeo ad eſſentiam venditionis pertinet, ut nec rex aliter emere poſſit [x]: atque eo ſolo differt a permutatione [y]. Non autem 3. requiritur, ut *juſtum pretium* ſit. Cum enim res, quibus utimur, certum, ac definitum pretium a natura non habeant, ſed varient quam maxime rerum pretia pro vario affectu, indigentia, copia, locis, temporibus, &c. facile conſtat, natura omne pretium æquale eſſe, quod utriusque partis conſenſu definitur. Atque hoc eſt, quod JCti Romani ajunt [z], *in pretio emtionis, & venditionis, naturaliter licere contrahentibus ſe circumſcribere*, nimirum, vel minus, vel majus pretium exhibendo; ita enim rem explicant [a], *ut conceſſum ſit, quod pluris eſt, minoris emere, quod minoris eſt, pluris vendere, atque ita ſe invicem circumſcribere.* [b]

n. 7. *Effectus* emtionis venditionis eſt, ut *emtori*, ejusque hæredibus, detur *actio perſonalis emti*, adverſus venditorem, ejusque hæredes, ad rem venditam ab omnibus oneribus liberam tradendi. [c]

Præterea ſeparatis actionibus agere poteſt emtor ad fructus, cauſam, acceſſiones, &c. nec non ut dolum, & culpam præſtet (§. 369. ſeq.). Jure Romano omnia hæc petuntur actione ex ipſo contractu; quem ideo bonæ fidei eſſe voluerunt legiſlatores (§. 365.)

Sed & *venditori*, ejusque hæredibus, datur *actio* contra emtorem, ejusque hæredes, ad pretium conventum ſolvendum. [d]

Equidem jure Romano ejusdem nominis actio datur ad uſuras, omneque damnum, &c. petendum [e]: at jure naturæ hæc omnia ſeparatis actionibus peti debere, ſæpius dictum eſt. (§. 365.)

n. 8. Ad quem vero periculum pertineat ſi res vendita vel deterior facta eſt, vel periit, ſupra §. 387. examinavimus.

n. 9.

(*p*) tot. tit. ff. Exc rei vend. & trad. (*q*) Grot. l. 2, c. 12, §. 9. (*r*) Grot. l. 2, c. 11, §. 6, n. 3. (*s*) tot. tit. ff. Ædil. edict. Laut. comp. p. 412. (*t*) pr. Inſt. emt. vend. (*u*) §. 1, Inſt. emt. vend. l. f. C. Eod. (*v*) §. 2, Inſt. emt. vend. (*x*) Grot. l. 2, c. 14, §. 5. (*y*) Vid. jus meum controv. tit. de contr. emt. q. 19. (*z*) l. 26, §. 4, Contr. emt. (*a*) l. 22, §. f. ff. Loc. cond. (*b*) Jus meum controv. tit. contr. emt. q. 27. (*c*) Tot. tit. de act. emt. Laut. comp. pag. 359. ſeq. (*d*) Tot. tit. act. emt. vend. Laut. comp. pag. 366. (*e*) Laut. comp. pag. 365, ſeq.

n. 9. Quæri ſolet, an mutuo diſſenſu partes a contractu emtionis recedere poſſint? JCti Romani diſtinguunt inter perfectionem negotii, & ejus conſummationem. Emtio venditio *perfecta* eſt, ex quo partes conſenſere de re, & pretio: at conſummata non eſt, niſi pretio ſoluto, & re tradita. Atque hinc in emtione res integra adhuc eſſe dicitur, quamdiu pretium ſolutum [f], & res tradita non eſt. [g]

Si proinde res adhuc integra eſt, partes recedere a contractu, eumque infectum reddere poſſunt; ſi non eſt integra, non poſſunt: idque in terminis ita traditur in jure Romano [h]. Ratio in promtu eſt, quia poſteriori caſu novus contractus eſt. [i]

Not. Facile hinc conſtat, unius diſſenſu ab emtione recedere non licere, nec pœnitentiæ locum eſſe. *Vid. ſupr.* §. 353. 354.)

n. 10. Jure Romano varia circa emtionem venditionem ſingularia ſtatuta ſunt: 1. quod ibi pecunia numerata requiratur; nam ſi alia res datur, non eſt emtio venditio, ſed permutatio: 2. quod quis aliquando emere, vel vendere cogatur: 3. quod ſi quis in pretio enormiter (i. e. ultra dimidium veri pretii) læſus ſit, reſcindatur, &c: 4. quod actione emti venditi agatur non tantum ad rem, & pretium, ſed & ad omne id, quod intereſt; etiam ad præſtandum dolum, & culpam, &c. quæ jure naturæ ſeparata actione peti deberent.

n. 11. Denique notandum eſt, emtionem venditionem contrahi poſſe ſub die, conditione, & modo: de quibus alibi egimus [l]. Sed & adjici illi contractui poſſunt varia pacta, v. g. protimiſeos [m], retrovenditionis [n], addictionis in diem [o], legis commiſſoriæ, &c. [p]; prout enim partes diſponunt, ita jus eſt.

Pactum protimiſeos eſt, quo inter partes convenit: ut ſi res denuo ab emtore veneat, ipſe tantundem offerens reliquis omnibus præferatur. [q]

Addictio in diem eſt pactum, ut meliore conditione intra certum tempus allata, res inemta ſit. [r]

Pactum de retrovendendo eſt, quando inter partes convenit, ut emtor, quandocunque venditor obtulerit idem pretium, vel intra certum tempus, vel poſt tempus aliquod elapſum, huic retro vendere teneatur. [s]

Lex commiſſoria eſt pactum, ut pretio ad diem non ſoluto res inemta ſit. [t]

n. 12. Quæri ſolet, an quædam gentes excludi a commerciis poſſint? & merito id affirmat Grotius [u]: modo non fiat in contumeliam illius gentis; quod latius alibi explicavimus. [v]

§. CCCCXLVII. LOCATIO CONDUCTIO eſt contractus conſenſualis [x], & juris gentium [y], de uſu rei, vel operæ, pro certa mercede concedendo, vel præſtando. [z]

§. CCCCXLVIII. Locator igitur vel eſt *rei*, vel *operæ*. Nam 1. locari poſſunt res omnes, quæ in hominum commercio ſunt, nec uſu conſumuntur, etiam

(f) l. 1, C. quand. lic. ab emt. vend. (g) l. 2, R. V. l. 7, §. 6, pact. (h) l. 1, l. 2, C. quand. lic. ab emt. rec. l. 58, pact. (i) d. l. 7. (l) vid. infr. (m) vid. Laut. p. 312. (n) Laut. p. 311. (o) Laut. p. 315. (p) Laut p. 325. (q) l. 75, ff. contr. emt. (r) Tot. tit. & l. 4, ff. De addict. in diem. (s) l. 2, C. pact. int. emt (t) Tot. tit. De leg. commiſſ. (u) l. 2, c. 2, §. 24. (v) in comment. ad d. §. 24. (x) pr. Inſt de emt. & vend (y) §. 2, Inſt. de J. N. G. & Civ. pr. & §. 1, pact. (z) pr. & §. 1, Inſt. l. 2, ff. Locat. Grot, l. 2, c. 12, §. 3, n. 4.

etiam alienæ: 2. omnis *opera* honeſta, quæ mercedem admittit; adeo ut ſi quis operam publice profitetur, (uti profitentur Advocati, Proxenetæ, &c.) merces pro tali opera debeatur, etſi promiſſa non ſit.

Not. Opifex eſt locator operæ, & conductor operis [a]. Conductor vero, qui opus faciendum locat, locator operis dicitur.

§. CCCCXLIX. Cauſa hujus contractus ex ratione naturali ſequitur (§. 399. ſeq.). Uterque enim conſentit de jure ſuo in alium transferendo: locator quippe diſponit de ſua re, & de ſua opera alii concedenda; conductor autem de mercede alteri præſtanda. Hoc jus igitur utrique ex conſenſu quæſitum alter alteri tribuere tenetur.

§. CCCCL. Effectus locationis conductionis eſt, ut actio detur *locatori*, ejusque hæredibus [b], contra conductorem, ejusque hæredes [c], ad ſolvendam conſtituto tempore mercedem [d], & ad rem finita locatione reſtituendam [e]. Præterea, locator agit ad omnem cauſam, & ad præſtandum damnum dolo, vel culpa datum. [f]

Jure Romano cauſa hæc petitur ipſa actione locati [g]; & culpa ſaltem levis præſtatur [h]: niſi locator vel operam locare ſoleat [i], vel peritiam profiteatur. [k]

Sed & *conductori*, ejusque hæredibus [l], datur actio contra locatorem, ejusque hæredes, ut præſtet uſum rei, vel operæ locatæ, & conductæ, nec non omnem cauſam, & culpam. [n]

Jure Romano hæc actio datur ex ipſo contractu locati; eademque culpa præſtatur, quam locator præſtat.

§. CCCCLI. Finitur locatio finito uſu: Jure Romano, etiam ante, ſi 1. dominus indigeat; vel 2. refectione opus ſit; vel 3. conductor re abutatur, &c. [o]

§. CCCCLII. MANDATUM eſt contractus juris gentium [p], conſenſualis, quo quis negotium alterius honeſtum, ab hoc ſibi commiſſum, gratis (etſi honorarium accedere poſſit [pp]) ſuſcipit. [q]

n. 1. Cauſa hujus obligationis eſt ex jure gentium: uterque de ſuo jure diſponit; *mandans* de ſuo negotio, quod alterius curæ committit; & *mandatarius* de ſua opera, & diligentia. *Mandatarius* igitur, qui promittit operam, & diligentiam, jus aliquod transfert in mandantem, quod huic tribuere, i. e. diligentiam, & operam promiſſam, & quicquid inde accepit, præſtare tenetur. *Supr.* §. 353. *n.* 4.

Econtrario, *mandans*, qui alteri negotium ſuum commiſit, nullum jus in mandatarium transfert; adeoque *mandans* non tenetur *mandatario*. Si vero *mandatarius* impenſas, fecerit, tunc tenetur *mandans* eum indemnem præſtare: non ex pacto; nam dictum eſt nihil mandatario promiſſum eſſe: ſed ex æquitate, ne locupletior fiat cum alterius jactura.

Hinc apparet ratio, cur mandans re integra ſemper pœnitere poſſit: nam is nul-

(*a*) l. 19, §. 7, Locat. l. 1, pr. æſtim. act. Conf. l. 22, §. 2, l. 25, §. p. ff. Locat. cond. (*b*) l. 24, l. 29, C. Locat. (*c*) dict. leg. (*d*) Grot. l. 2, c. 12, §. 18. (*e*) pr. Inſt. de Locat. cond. (*f*) Laut. comp. pag. 389. Heinecc. Elem. part. 3, §. 126. (*g*) Laut. d. l. (*h*) §. 5, Inſt. Loc. Cond. l 5, §. 2, Commod. (*i*) l. 40. Locati l. 1, §. 8, depoſ. d. §. 5, Inſt. (*k*) l. 9, §. p. Locat. B. Par. hyp. Inſt. de loc. cond. §. 4. (*l*) l. 19, §. 9, ff. Locati. l. 49, ff. O. A. (*n*) pr. Inſt. de locat. cond. l. 15, §. 1, in f. l. 21, ff. locati Laut. comp. p. 381, ſeq. (*o*) Conf. B. Par. Hyp. Inſt. tit. locat. §. 3. (*p*) L. 7, pr. §. 6. pact. (*q*) l. 6, pr. l. 7. ff. l. 1, C. Mand.

Digitized by Google

nullum jus in mandatarium tranſtulit, adeoque ei non obligatur. (*Vid. dict.* §. 153.)

n. 1. Requiritur igitur ad *mandatum*, 1. ut uterque conſentiat, etiam tacite: conſentit autem qui operam, & auxilium præſtat, vel ratihabet; non ſi ſaltem commendat, vel nudum conſilium dat, & alter æque facturus fuiſſet [r]. 2. Ut negotium ſit honeſtum; alias neuter alteri obligatur [rr]: uterque tamen illis, quibus nocitum eſt, ex delicto tenetur [s]. 3. Ut gratis fiat; & 4. mandantis interſit. [t]

n. 2. Mandatum eſt vel 1. generale, vel ſpeciale [u]; 2. vel tacitum, vel expreſſum. [v]

n. 3. *Effectus* mandati eſt *I.* ut mandans teneatur ex facto mandatarii, etſi hic fines mandati exceſſerit [x]; adeo ut ſi alii nocitum eſt, ex delicto uterque obligetur. [y]

II. Ut *actio* ex hoc contractu detur *mandanti*, ejusque hæredibus, adverſus mandatarium, ejusque hæredes, ad præſtanda ea, quæ occaſione mandati accepit [z]. Præterea jure Romano eadem actione mandans agit ad omnem cauſam, dolum, & culpam, &c.

III. Ut *actio* quoque detur *mandatario* ad indemnitatem ratione mandati conſequendam [b]: etſi per æquipollens ſaltem mandatum impleverit.

n. 4. Finitur actio mandati 1. conſenſu utriusque: 2. revocatione mandantis, & renunciatione mandatarii: modo res integra ſit. *Vid. ſupr.* §. 153.

An 3. morte mandantis, vel mandatarii? Affirmatur, ſi res integra ſit [d]: cum enim defunctus non fuerit obligatus [e], nec hæredes obligari poterunt; quia obligatio, quæ nulla in defuncto fuit, in hærede inchoari nequit. [f]

Exc. ſi res integra non ſit, uti ſi geri cœpta eſt, vel ſi mors gerenti ignota ſit [g]. Mentem *l.* 57. *ff. mand.* quæ obſtare regulæ noſtræ videtur, alibi [h] explicavimus.

§. CCCCLIII. SOCIETAS in genere communionem utilitatis denotat; unde tot ſocietates dantur, quot negotia, quæ ad communem utilitatem tendunt.

§. CCCCLIV. Societates in genere ſunt vel PUBLICÆ, vel PRIVATÆ [i]. Ad *publicas* ſocietates referuntur 1. ſocietates civiles; quando ſcilicet plures patresfamilias in unam civitatem coëunt juris tuendi cauſa [k]: 2. ſocietas bellica, quæ contrahitur per fœdus ſociale [l]. Quidam 3. ſocietatem aliquam humani generis fingunt; at talem non dari, alibi probavimus. [m]

Privatæ ſocietates ſunt, 1. quando plures privati unum corpus conſtituunt, ut corpora opificum, monaſteria, &c. [n]: 2. Societates domeſticæ [o]: 3. ſocietates negotiatoriæ, de quibus hic agimus.

§. CCCCLV.

(*r*) l. 22, §. 11, l. 15, Mand. Grot. l. 2, c. 12, §. 2, Laut. comp. tit. mandati (*rr*) vid. Laut. comp. pag. 286, & 287. (*s*) Laut. dict. pag. 286. (*t*) Laut dict. loc. pag. 285, & 286. (*u*) Grot. l. 3, c. 18, n. 1. (*v*) Laut. d. l. pag. 184, in fin. (*x*) Grot. l. 2, c. 11, §. 12, l. 3, c. 22, §. 4, n. 1. & 3. (*y*) Laut. d. l. pag. 285. (*z*) l 8, § 6, l. 10, §. 2, l. 20, pr. Mand. Laut. comp. p. 287. (*a*) L. 22, §. 11, Mand. Laut. comp. pag. 288. (*b*) §. 8, Inſt. mand. l. 12, §. 9, l. 20, pr. l. 27, §. 4, l. 56. §. f. Mand. Laut. tit. mandati pag. 289, Grot. l. 2, c. 11, §. 13, n, 1. (*c*) Grot. l. 2, c. 16, §. 21. (*d*) §. 10, inſt. mand. l. 57, mand. Grot. l. 2, c. 11, §. 17, n. 1. (*e*) Vid. ſupr. §. 153. (*f*) Vid. jus meum controv. tit. Mand. q. 18. (*g*) d. §. 10. (*h*) dict. quæſt. 19. (*i*) Grot. l. 2, c. 5, §. 17. (*k*) vid. ſupr. §. 199, ſeq. (*l*) vid. infr. l. 7, cap. 4. (*m*) vid. diſſert. procœm. l. §. 24, ſeq. (*n*) vid. ſupr. §. 280. (*o*) vid. ſupr. §. 138. ſeq.

Digitized by Google

§. CCCCLV. Societas eſt contractus juris gentium [p], conſenſu conſtans, de communicando invicem *rei*, vel *negotii* honeſti, lucro, & damno. [q]

§. CCCCLVI. Hæc *ſocietas* eſt vel UNIVERSALIS; eaque vel *omnium bonorum*, qua omnia bona, & onera [r], ad quæ ſocius tenetur (modo ne ex delicto ſuo [s]), communia ſunt; vel *omnium negotiationum*, qua ſola ea, quæ quæſtus cauſa fiunt [t]: vel PARTICULARIS, quæ certarum rerum, vel negotiationum eſt; eaque in dubio contracta videtur. [u]

§. CCCCLVII. Cauſa hujus contractus ex jure gentium oritur: Socii enim, qui de lucro, & damno invicem communicando paciſcuntur, de ſuo jure diſpouunt, nimirum, de utilitate ſuæ rei, vel operæ in alium transferenda. Ex hac diſpoſitione cuique ſociorum jus quæſitum eſt, quod alter alteri tribuere tenetur.

§. CCCCLVIII. Partes lucri, & damni, dependent ex conſenſu partium: prout enim partes de ſuo jure diſponunt, ita jus eſt; adeoque partes poſſunt eſſe inæquales. [v]

Si ſocii ita paciſcuntur, ut alter nullam lucri, ſed ſolum damni partem habeat [x], vel donationis cauſa ſocietatem ineunt [y], valet quidem pactum jure naturæ, (ſecus, ac jure Romano); ſed tunc non eſt ſocietas. [z]

§. CCCCLIX. *Effectus* ſocietatis eſt, *obligatio* communicandi lucrum, & damnum: unde datur *actio* ſociis, eorumque hæredibus, contra ſocios, eorumque hæredes, ad id, quod ſocii ratione ſocietatis ſibi invicem præſtare tenentur. Præterea ex *ſocietate* omnis cauſa, & culpa præſtari debet. [b]

Jure Romano cauſa petitur actione ex ipſo contractu, & culpa ſaltem levis præſtatur.

§. CCCCLX. Finitur ſocietas, 1. morte unius ſocii, 2. renunciatione unius [d], 3. negotio finito [e], &c. [f]

§. CCCCLXI. CONTRACTUS VERBALIS ſtipulatio dicitur: & eſt eorum, quæ rogata ſunt [g], inter præſentes [h], in continenti [i], ob cauſam [k], verbis [l], facta repromiſſio. [m]

n. 1. *Cauſa* ſtipulationis, quoad conſenſum, eſt ex ipſo jure naturæ; nam ex eo, quod alter rogat, alter reſpondet, obligatio jure naturæ oritur propter conſenſum, etſi nulla cauſa præceſſerit [n]: at quoad *formam* eſt meri juris civilis. Adeoque ex jure Romano eſt, quod verba requirantur, quod reſponſio debeat fieri in continenti, quod cauſa præcedens requiratur, quod inter præſentes fieri debeat, &c. & quod his ſolennibus deficientibus ſtipulatio nec in vim pacti valeat. [o]

n. 2. Ratio inventæ ſtipulationis fuit, quod 1. jure Romano ex nudo pacto nulla data fuerit actio, quia noluere leges,

(*p*) l. 7, pr. & §. 1, pact. §, 2, Inſt. de jur. nat. (*q*) l. 57, ff. pro Socio Laut. tit. pro ſocio 138, ſeq. Grot. l. 2, c. 12, §. 4, & §. 24. (*r*) l 73, ff. pro ſoc. (*s*) l. 52, §. f. & leg. ſeq. Pro ſoc. (*t*) leg. 7, pr. eod. (*u*) pr. Inſt. de ſociet. (*v*) Grot l. 2, c. 12, §. 24, n. 5. (*x*) l. 59, pr. pro ſocio. (*y*) l. 5, §. fin. Pro ſocio. (*z*) dd. leg. (*a*) l. 35, l. 63, §. 8, Pro ſocio l. 73, l. 74, §. p. eod. Laut. comp. pag. 294. (*b*) l. 5, §. 2, commod. (*c*) §. 5, Inſt. de locat. (*d*) §. 4, Inſt. l. 64, ff. l. 14, eod. vid. §. 353, n. 4. (*e*) §. 6, Inſt. de locat. (*f*) Laut. comp pag. 295. (*g*) l. 1, §. 2, V. O. l. 52, §. 2, O. & A. (*h*) l. 1, C. Contr. ſtip. (*i*) l. 1, §. 1, l. 137, p. V. O. (*k*) vid. ſupr. §. 436, n. 2. (*l*) d. l. 52, §. 2. (*m*) Laut. Comp. p. 627. (*n*) l. 52, §. 4, V. O. (*o*) tot. tit. Inſt. De inutil. ſtipul.

Digitized by Google

leges, ut cives temere ſua jactent; uti jactare videbantur, ſi ſine cauſa promitterent [p]: 2. quod nec diſſolvi potuerit civilis obligatio per nudum pactum: nec 3. contractus civilis nudo pacto potuerit transformari in alium contractum, ad eum effectum, ut tolleretur obligatio ipſo jure: quia iiſdem demum modis aliquid diſſolvitur, quibus contrahitur. Obligatio igitur civilis non niſi per obligationem civilem diſſolvi potuit.

Legislatores Romani rigorem juris antiqui varie mitigarunt (*vid.* §. 436. 438.); & inter alia ſtatuerunt ratione *primi membri*, ut ſi verbis ſolennibus id, quod nudo pacto promiſſum erat, confirmaretur, etiam obligatio civilis inde oriretur, nimirum, *actio ex ſtipulatu*: adeoque ad eſſentiam ſtipulationis requiſivere, ut cauſa præceſſerit (*d.* §. 436.). Non enim temere videbatur ſuum jactare, qui deliberato animo fidem datam iterato confirmat: jam enim cauſa ſubeſſe putabatur, nimirum, pactum præcedens.

Et cum quoad *ſecundum*, & *tertium membrum*, iiſdem demum modis quid diſſolvatur, quibus contrahitur, ſponte ſequitur, accedente ſtipulatione, i. e. *contractu verbali*, priorem obligationem civilem jam per aliam obligationem civilem, i. e. per verborum obligationem, ipſo jure diſſolvi, vel in aliam civilem transformari poſſe.

n. 3. Species ſtipulationis ſunt, 1. *correalis obligatio*, 2. *fidejuſſio*, 3. *novatio*, & *delegatio*, 4. *acceptilatio*; de quibus ſingulis ſuis locis agemus.

§. CCCCLXII. LITTERARUM OBLIGATIIO eſt contractus nominatus [q], quo quis litteris pecuniam, vel rem, quam ſe, vel alium [r], accepiſſe confeſſus eſt, adhibitis verbis ſolennibus reſtituere promittit.

n. 1. *Cauſa* hujus obligationis quatenus ex *conſenſu oritur*, æque, ac ſtipulatio, eſt ex jure naturæ: debitor de ſuo jure diſponit promittendo; ipſe enim declarat, ſe debere, ſe alteri obligatum, adeoque jus alii ſua voluntate quæſitum eſſe. Idque jure gentium verum eſt, ſive cauſa, propter quam cautio ſcribitur, præceſſerit, ſive non: ſtatur enim promiſſioni debitoris.

n. 2. At *forma* eſt ex jure civili: hinc 1. requiritur debitum præcedens, quod cautione, ſeu litterarum obligatione firmatur, unde cautio dicitur [s]. 2. Requiritur ut *litteris ſcribatur* cautio; adeoque locum habet, *ubi quæri non poteſt* [t], forte ſi inter abſentes, vel cum muto negotium ſit. 3. Requiritur *certa*, & *ſolennis formula*, tum interrogandi, tum reſpondendi, quam ex Theophilo alio modo Gothofredus exhibet, alio modo Heineccius [u]. Sed & 4. ſpeciale hoc conſtitutum eſt jure Romano, ut confeſſio ſola acceptæ pecuniæ, ſcriptis facta, non probet debitum, ſed debitor opponere poſſit, non numeratam eſſe pecuniam [v]. Secus ſi cauſa expreſſa [y], vel ſemel agnita eſt. [z]

n. 2. Ratio introductæ *litterarum obligationis* eadem eſt, quæ *ſtipulationi* cau-

(*p*) l. 1, §. 2, ff. de rer. permut. vid. ſupr. §. 436, 437. (*q*) §. fin. Inſt. de obl. l. 14, C. Non num. pec. l. 1, §. 1. O. A. Caji Inſt. l. 2, §. 9. §. 1, pr. & §. 13. Heinecc. antiq. Rom. ad Inſt. l. 3, tit. 22. (*r*) l. 6, C. Non num. (*s*) l. p. Cod. Theodoſ. de denunc. l. 5, C. Non num. pec. (*t*) §. 1, Inſt. lit. obl. (*u*) Heinecc. d. l. 3, tit. 22. (*v*) l. 7, C Non num. (*y*) l. 13, C. non num. l. 25, §. fin. probat. (*z*) l. 4, C. Non num.

cauſam dedit: nimirum, 1. ut ex nudo pacto, per *litterarum* obligationem confirmato, detur actio: 2. ut prior obligatio civilis per talem obligationem litterarum ipſo jure tollatur, vel 3. in aliam civilem obligationem transformetur. §. 462. *n.* 2.

Nam inter *litterarum obligationem*, & *verborum obligationem*, nihil intereſt, niſi quod *hæc obligatio* verbis inter præſentes, *illa* literis, adeoque inter abſentes, qui quærere inter ſe non poſſunt [a], conſtituatur. Utrobique autem verba ſolennia [b], & NB. cauſa præcedens [c], requiritur. Actio, quæ ex hac litterarum obligatione datur, vocatur *condictio ex ſcriptura.* [d]

n. 3. Hinc jam apparet, 1. *literarum obligationem* differre ab *obligatione chirographaria*, quæ tantum pactum nudum infert: 2. eam referri non poſſe ad ſolam *novationem.* Etſi enim formula, quam Theophilus affert, indigitet, per litterarum obligationem diſſolvi priorem obligationem, & in aliam transformari, id tamen exempli ſaltem cauſa fit: principalis ejus effectus eſt, ut actio ex tali litterarum obligatione, ſi cauſa præceſſit, detur. [e]

n. 4. Differt quoque *a conſtituto*, quod cauſam quidem præcedentem requirit, ſed verbis ſolennibus ibi opus non eſt [f]. Neque per conſtitutum obligatio civilis diſſolvitur, nec hæc in aliam transformari poteſt: id enim ſaltem per verborum, & litterarum obligationem efficitur.

Sectio IV.

De Contractibus innominatis.

§. CCCCLXIII. Omnes reliqui contractus, qui certum nomen non habent, JCtis Romanis dicuntur *contractus innominati* [h], & referri poſſunt ad quatuor genera [a] *Ad do ut des*, [b] *ad do ut facias*, [c] *ad facio ut des*; [d] *ad facio ut facias.* [i]

Contractus *do ut des* eſt, quo res datur, ut illa ipſa, vel tota, vel pro parte; ſola, vel cum alia re, reddatur. *Do ut facias* eſt, quo res datur, ut accipiens aliquid faciat. *Facio ut des*, quo aliquid facio, ut alter mihi aliquid det. *Facio ut facias*, quo factum præſtatur, ut in ejus compenſationem fiat aliud. [k]

n. 1. Actio, quæ ex his negotiis naturalibus datur, certum nomen non habet, ſed vel juxta præſcripta verba diſponentium inſtituitur, unde actio *præſcriptis verbis* dicitur [l]; vel juxta expoſitionem facti, quod judici proponitur: unde *actio in factum vocari ſolet.* [m]

Hinc ſi dubium ſit, an actio nominata, vel quænam competat, JCti Romani hanc naturalem actionem de *præſcriptis verbis* dare ſolent.

n. 2. Atque hæc ratio eſt, cur *actio æſtimatoria*, & *permutatio*, a JCtis Romanis inter contractus innominatos referantur. [n]

Nam *æſtimatorius* contractus eſt, quo res certo pretio æſtimata datur vendenda. [o]

Du-

(*a*) §. un. Inſtit. ibi, ubi quæri non poteſt. &c. de liter. obl. (*b*) l. p. C. Theod. de Denunciat. Theophil. Paraphr. Inſt. l. 3, tit. 2, Caji Inſt. l. 2, t. 9, §. 1, pr. & §. 13. (*c*) vid. §. præced. n. 1. (*d*) d. § un. Conf. Heinecc. d. l. Gaji d. l. (*e*) d. §. un. (*f*) l. 24, l. 26, ff. Conſtitut. pec. (*g*) l. 2, §. 2, ſeq. l. 28, Conſt. pec. Laut. comp. p. 218, in fin. (*h*) Laut. comp. pag. 392. (*i*) l. 5, pr. ff. de præſcr. verb. (*k*) Laut. tit. de præſcr. verb. pag. 399, ſeq. (*l*) Laut. comp. pag. 501. (*m*) Laut. comp. pag. 401. (*n*) Laut. comp. pag. 392, ſeq. (*o*) L. 1, pr. §. 1, de æſtimatoria.

Dubium hic fuit, an negotium hoc eſſet *venditio*, quia res alii pro certo pretio vendenda traditur; an vero *locatio*, & *conductio operæ*, quia operam de re vendenda vel locaſſe, vel conduxiſſe partes videntur. Ne igitur cavillandi occaſio detur, JCti actionem quidem *præſcriptis verbis* dederunt, ſed cum qualitate *æſtimatoriæ*. Cujus effectus eſt, ut ſit bonæ fidei contractus, æque, ac ille, quibus ſimilis eſt. [p]

n. 4. Quæri ſolet, an per hunc contractum *æſtimatorium* transferatur dominium in eum, qui rem vendendam æſtimato accepit, ad eum effectum, ut periculum rei in accipientem tranſeat? Recte id negat Ulpianus [q]. Sane, is, qui alii rem dat ut pro certo pretio eam vendat, non habet animum transferendi dominii antequam vendita, & tradita ſit. Hinc accipiens liberatur ſi rem ipſam, etiam corruptam, (ſine ejus dolo, & culpa) reſtituit [r]; quod verum non eſſet ſi is dominus factus fuiſſet, adeoque periculum ad eum pertineret.

Certum igitur eſt, per ſolam æſtimationem periculum in accipientem non tranſire. [s]

Neque *obſtat* aſſertum ejuſdem Ulpiani, *æſtimationem periculum ejus facere, qui ſuſcepit.* Reſp. Diſerte loquitur de caſu, ubi quis *ſuſcepit ſe præſtiturum æſtimationem.* Quo caſu omnino verum eſt, *re æſtimato data omne periculum præſtandum ab eo, qui æſtimationem ſe præſtaturum recepit:* quæ ſunt verba ejuſdem Ulpiani. [t]

At bene notandum eſt, accipientem hoc caſu periculum ſuſcipere, adeoque caſum omnem præſtare, non vi *dominii*, (quia accipiens liberatur ſi rem incorruptam reddit [u]; quod verum non eſſe, diximus, ſi dominus factus eſſet) ſed ex *pacto*, quia ultro æſtimationem præſtandam ſuſcepit. [v]

Atque hac ratione antinomia inter duas has ejuſdem Ulpiani leges, quæ adeo juris interpretes vexavit, ſponte ſua evaneſcit.

n. 5. *Permutatio* eſt, quando res cujuſcunque generis datur, ut pro alia accipiens viciſſim det rem aliam, ſive ejuſdem, ſive diverſi generis. [x]

Hic iterum dubium fuit, anne ſit vera emtio venditio [y], adeoque contractus nominatus. Verum, cum 1. eo caſu non conſtaret, quis ſit emtor, quis venditor: 2. quænam merx, quod pretium: 3. emtio nudo conſenſu conſiſtat, permutatio a datione incipiat, &c. ideo receptum tandem eſt, hic non eſſe venditionem, utpote quæ pecuniam numeratam requirit, & nudo conſenſu conſtat, ſed contractum innominatum [z]. Quia tamen *permutatio* ante inventam pecuniam numeratam ab emtione venditione non differebat; ea autem inventa, vera venditio non eſſet: actio naturalis *de præſcriptis verbis* inde data eſt, cum qualitate *de rerum permutatione.* Cujus effectus eſt, ut imitetur naturam ejus contractus, i. e. referatur inter negotia bonæ fidei. [a]

At merito quæritur, quomodo *permutatio* differat ab articulo *do ut des?* Reſp. Quidam antiquorum JCtorum *rerum permutationem* eſſe ipſam *emtio-*

(p) l. 1, ff. æſtim. act. (q) l. 17, §. 1, ff. præſcr. verb. (r) d. l. 17, §. 1. (s) [illegible] l. 17, §. 1, l. 10, §. 4. & 5, jur dot. ([illegible]) l. 5, §. 3, ff. Commod. (u) d. l. 5, §. 3. (v) Conf. l. 10, §. 6, jur. dot. (x) l. 1, pr. §. 2, ff. l 6, C. de rer. permut. (z) l. 1, de rer. permut. (a) §. 28, Inſt. act.

emtionem venditionem, adeoque contractum nominatum, ſtatuerunt [b]. Sane, Sabinus, & Caſſius etiam in alia re, extra pecuniam numeratam, pretium conſiſtere poſſe, exiſtimarunt [c]. At Proculus, aliique, *permutationem rerum* propriam eſſe contractus ſpeciem, a *venditione* diverſam, crediderunt [d]; ac rationes differentiæ plurimas allegaverunt. [e]

Vulgo autem notum eſt, apud Romanos, quoties incertum eſſet quale negotium ſit, civilem incerti actionem dari, i. e. præſcriptis verbis: atque eandem Imperatores hoc quoque caſu dederunt. [g]

Cum vero permutatio vicina eſſet emtioni [h], immo a quibuſdam pro ipſa emtione venditione haberetur [i], proprium nomen huic negotio impoſuerunt [k], & uti in contractu æſtimatorio dederunt *actionem æſtimatoriam præſcriptis verbis* [l], ita in contractu permutatorio *actionem permutatoriam de præſcriptis verbis* dari voluerunt. [m]

Hæc igitur actio ſequitur naturam actionis emti venditi [n], indeque eſt bonæ fidei. [o]

Differt ergo *permutatio* ab articulo *do ut des*, quod illa proprium nomen habeat, & ſpeciale actionis nomen; & quod actio, quæ ex hoc negotio oritur, ſit bonæ fidei.

CAPUT III.

De Acceſſionibus Conventionum: ubi de Jurejurando, de Pignoribus; de Correis, de Fidejuſſoribus, de Obſidibus, item de Conditione, Modo, & Die, agitur.

§. CCCCLXIV. Pactis, & promiſſionibus aliquando addi ſolent *cautiones*, ut eo magis firmi maneant.

Cautio autem illa fit vel adjectione rei religioſæ, i. e. *jurejurando*; vel datione rei, quod fit per *pignus*, & *hypothecam*; vel interventu perſonæ extraneæ, quæ vel ut principalis accedit, ut *correi*, vel ut minus principalis, quo pertinent *fidejuſſores*, *obſides*, & *guarantæ*.

De guarantis in *libro ſeptimo* ſpeciali capite agemus.

§. CCCCLXV. Omnes hæ acceſſiones valent ex diſpoſitione eorum, qui jus paciſcendi habent: is enim, qui juramento fidem datam confirmat, qui ſecuritatis cauſa pignus tradit, qui obligationem alterius in ſe recipit, vel in ſolidum, vel fidejubendo pro alio, vel mandando ut ſolvat, vel obſidem ſe dando, vel guarantiam promittendo; de jure ſuo diſponit, illudque voluntate ſua in alium transfert, adeoque alteri tribuere hoc jus, quod alienum eſt, tenetur. Quod in ſingulis ſpeciebus plenius demonſtrabimus.

S.E.

(*b*) §. 2, Inſt. de emt. vend. (*c*) d. §. 2. (*d*) d. §. 2. (*e*) l. 1, ff. rer. permut. ibique Goth. (*f*) l. 1, §. 1, & 2, Præſcr. verb. l. 1, pr. ff. de æſtimatoria (*g*) l. 5, §. 1, Præſcr. verb. ibi: *quia non placet, permutationem rerum emtionem eſſe, dubium non eſt, naſci civilem a*[illegible]*m*. (*h*) l. 2, ff. Rer. permut. (*i*) §. 2, [illegible] de emt. vend. (*k*) §. 2, Inſt. de emt. ve[illegible]. (*l*) l. 1, ff. de æſtimatoria. (*m*) Rubr. & tot. tit. de rerum permut. junct. l. 5, §. 1, Præſcr. verb. (*n*) l. 2, ff. Ret. perm. (*o*) §. 28, Inſt. de action.

Digitized by Google

SECTIO I.

De Jurejurando.

§. CCCCLXVI. GROTIUS ab omni ævo, & apud omnes gentes, magnam vim jurisjurandi fuiſſe, aſſerit [p]; unde perjurium monſtroſum peccatum dicitur. [q]

§. CCCCLXVII. Jusjurandum quibusdam dicitur quaſi Jovis jurandum; nam jus a Jove dici, ſunt qui aſſerunt. Rectius videtur dici, quaſi *jus, quod jurandum*, i. e. jurando confirmandum eſt.

§. CCCCLXVIII. Jusjurandum eſt aſſertio religioſa ad id, quod vel promittitur, vel aſſeritur, confirmandum adhibita. [r]

Fieri ergo illa aſſertio poteſt, non tantum per Deum, ſed & per quamvis aliam rem, quæ nobis ſancta eſt [s]; etiam per creaturas, &c. [ss], non per deaſtros [t]: etſi recipi ab alio, cui Idola ſacra ſunt, tale juramentum poſſit [u], quia Deus etiam talia punire ſolet. [v]

§. CCCCLXIX. Cautio autem hæc in eo conſiſtit, quod jurans deterreri ſoleat a violatione fidei datæ, per mala, quæ in caſum perjurii ſequi ſolent. Ita enim 1. is, qui per Deum jurat, (idem autem eſt ſi per cœlum, per terram, per templum, quis juret; quia intelligitur is, qui in cœlo habitat, qui terram creavit, & qui in templo adoratur) eum vindicem vult eſſe perfidiæ. Simili ratione 2. is, qui per principem jurat [x], ejus vindictam in caſum perjurii implorat: merito igitur perjurus non tantum qua violator fidei, ſed præterea quod rem ſanctiſſimam, Deum ſcilicet, & Principem, teſtem perfidiæ ſuæ adhibuerit, pœnam metuere debet. Ita 3. qui per ſalutem ſuam, vel liberorum ſuorum, per lapides, per pice torrentes atraque fuligine ripas, jurat, in caſum violatæ fidei optat, ut male ſibi, ſuiſque ſit, Deumque, qui fidei præſidet, executorem horum malorum precatur. Denique, & 4. qui per amicos, per memoriam majorum, &c. jurat, itidem mali aliquid ſibi imprecatur, nimirum, ut boni viri male de eo ſentiant: ſed & fidem violando nos amicos, & majores parum in pretio habere, declaramus; quæ res in foro ſoli, ſpecialim in civitate, inſignem effectum habet. [y]

§. CCCCLXX. Qui aliquid promittit *an Eydes ſtatt*, (*juramenti loco*) in genere omnes res religioſas adhibuiſſe videtur; adeoque formula hæc verum juramentum continet. [z]

§. CCCCLXXI. Juramentum non eſt execratio [a], nec votum, quod corban vocatur. [b]

§. CCCCLXXII. Jurare igitur licitum eſt, etiam Chriſtianis [c]; jusjurandum enim eſt cultus divini ſpecies [d], quia

(p) L. 1, c. 13, §. 1. (q) ibid. §. 10. (r) Vid. jus meum controv. tit. de jurejurando quæſt. 1. (s) d. c. 13, §. 10, 11. (ss) vid. jus controv. tit. de jurej. q. 6, & 7. (t) Grot. l. 2, c. 2, §. 9, n. 4. jus controv. tit. de jurej. q. 5. (u) Grot. d. c. 11, §. 11. Dict. jus controv. q. 8. (v) d. §. 12. (x) Grot. l. 1, c. 2, §. 10, n. 4. l. 2, c. 13, §. 11. (y) Grot. d. §. 1, jus meum controv. d. qu. 1. (z) vid. jus meum controv. tit. de jurej. q. 9. (a) Laut. comp. pag. 174. diſſent. Grot l. 1, c. 19, §. 1, n. 2. (b) Grot. l. 2, c. 13, §. 10. (c) Diſſ. Grot. l. 2, c. 13, §. 11, n. 1, & 2, & §. 21, vid. jus meum controv. tit. de jurej q. 2. (d) vid. Grot. l. 2, c. 20, §. 45, n. 2, l. 2, c. 13, §. 10, §. 16, n. 2, & ſupr. §. 93.

quia Deus teſtis veritatis, & vindex perjurii imploratur [e]. Neque obſtat effatum Servatoris: *Confabulatio veſtra ſit: Immo, Immo: Non, non; quod ultra eſt, eſt a malo* [f]. Nam nova ratione dubio huic ſatisfeci in jure meo controverſo [g]. Sed & præterea loquitur Servator de confabulationibus, & de quotidiano ſermone; ibi enim cum citra neceſſitatem adhibeatur nomen Dei, omnino prohibitum eſt, jurato quid aſſerere: ſecus ergo ſi de confirmatione promiſſi, vel aſſertionis judicialis, agitur. [h]

§. CCCCLXXIII. Omne juramentum eſt vel *promiſſorium*, vel *aſſertorium*. De hoc *infra*, ubi probationis jura explicabimus, agemus.

§. CCCCLXXIV. *Promiſſorium* eſt, quando quid promittitur adjecta mentione rei religioſæ. [k]

§. CCCCLXXV. Jurare, i. e. promiſſa jurato confirmare, poſſunt omnes, qui conſentire poſſunt [l]. Non ergo infantes, nec furioſi, nec ſumme ebrii. [m]

§. CCCCLXXVI. Juramentum præſtari debet juxta mentem ejus, cui promittitur, non juxta reſervationem mentalem jurantis [n]: & ſervari debet etiam prædoni [o], perjuro [p], tyranno [q], hoſti [r]; nec pœnæ nomine ipſis jus hoc auferri poteſt. [s]

§. CCCCLXXVII. *Effectus* jurisjurandi eſt, ut jurans *obligetur* ad implendum id, quod jurato promiſit [t]: etſi 1. promiſſio jurata vi, metuque ſit extorta [u]: 2. jurans dolo inductus ſit ad promittendum; modo dolus non inducat errorem, qui conſenſum impedit [v]; vel 3. promiſſio ex turpi, ſeu injuſta cauſa facta ſit [x]: non ſi 4. ipſa promiſſio ſit turpis, aut injuſta. [y]

n. 1. Hinc jam apparet ratio, cur juramentum Gabaonitis præſtitum validum fuerit, etſi videatur 1. *injuſtum*, 2. ex *errore* præſtitum, & 3. *dolo* elicitum [z]. Nam *injuſtum* non fuit: *tum* quia Gabaonitæ ab hoſte extrema metuentes ſaluti ſuæ conſulebant, & vitam ſibi ſalvam ſtipulabantur; quod negotium intuitu Gabaonitarum licitum fuit: *tum* quia ipſe Deus præceperat Iſraëlitis, ut ſupplicibus, & veniam deprecantibus, ac pacem, & religionem amplectentibus, parcerent. [a]

Cur ergo Iſraelitæ eos ſervos fecerunt ſi pactum licitum fuit? Reſp. *tum* quia Deus dicto loco eos, qui ultro ſe dedebant, non aliter ſalvos eſſe voluit, niſi ſub lege ſervitutis [b]: *tum* quia ipſis nil niſi vitam ſalvam promiſerunt.

Neque *error* hic talis fuit, qui conſenſum impediret: non enim in perſona, ſed ſaltem in qualitate perſonæ erra-

(*e*) d. §. 13. (*f*) Matth. V. 37. (*g*) dict q. 2. (*h*) Grot. c. 13, §. 21. (*i*) Grot. l. 3, c. 1, §. 19, l. 2, c. 13, §. 21, n. 1. (*k*) Laut. comp. pag. 176. (*l*) Grot. l. 2, c. 13, §. 2. (*m*) Laut. comp. pag. 174. (*n*) Grot. l. 2, c. 13, §. 2, 3, 5, c. 15, §. 29. n. 2. conf. jus controv. tit. de jurejur. q. 4. (*o*) Dict. c. 13, §. 19, l. 3, c. 15, §. 2, & 5. (*p*) d. c. 13, §. 16. (*q*) l. 3, c. 19, §. 2. (*r*) d. c. 13, §. 19. Conf. jus meum controv. tit. de pactis. q. 33. (*s*) Dict. c. 13, §. 20, n. 3, & l. 3, c. 19, §. 3, n. 1, ubi aliud obtinere jure gentium, ait. Dict. c. 19, §. 5. (*t*) Laut. comp. pag. 175. Grot. l. 2, c. 13, §. 14, §. 29, c. 14, §. 3. l. 3, c. 1, §. 19. (*u*) Vid. jus meum controv. de jurejur. qu. 11, & ſupr §. 418, Grot. l. 2, c. 17, §. 14, 15, 16, 17, & lib. 3, c. 19, §. 16. (*v*) Grot. d. c. 13, §. 4, 6, & 7. jus controv. dict. tit. q. 12. (*x*) vid. ſupr. §. 425 (*y*) ibid. Diſſent. Grot. d. c. 13, §. 6. (*z*) vid. Joſu. XI. ſeq. 2. Sam. XXI. v. 1, ſeq. conf. Rauchb. p. 21, q. 4, per tot. (*a*) Deut. XX. 9. ſeq. Rauchb. d. q. 4, n. 59. (*b*) d. c. XX. §. 11.

Digitized by Google

erratum fuit. Accedit, quod ipſi jurantes dubitaverint, & nihilominus in genere vitam ſalvam promiſerint. Illi igitur ipſi cauſa erroris fuerunt; facile enim interrogando Deum, certiorari de conditione perſonarum potuiſſent. Sed &, quod maximum eſt, per hunc errorem læſi non ſunt, nec jus aliquod ipſis ablatum eſt; adeoque nulla fuit revocandi cauſa.

Denique nec *dolus* malus hic ſubfuit; dictum enim eſt, factum Gabaonitarum nihil injuſti continere: de ſua ſalute, & de incolumitate vitæ agebatur; ipſi pacem poſcebant, quo caſu ipſe Deus parcendum eſſe victis, ſtatuit. Hinc jure Romano (ubi actione de dolo negotia dolo contracta reſcinduntur) non habetur pro dolo, ſi aliud agitur, aliud ſimulatur: *ſicut faciunt qui per ejuſmodi diſſimulationem deſerviunt, & tuentur vel ſua, vel aliena.* [c]

§. CCCCLXXVIII. Si jurans violat juratam promiſſionem, actio datur creditori contra jurantem, ut fidem juratam impleat; Deo autem, ejuſque vicariis, jus puniendi perjuros competit.

§. CCCCLXXIX. Eadem obligatio etiam ad ſummas poteſtates pertinet: illæque ex ſua promiſſione jurata ſubditis, æque, ac alii privati, tenentur (etſi actio cum effectu inſtitui contra Principem non poſſit) [d], Deoque violatæ fidei pœnas olim daturi ſunt. Quatenus vero beneficia juris civilis, quibus vis juramentorum infringitur, Principi proſint, alibi examinavimus. [e]

§. CCCCLXXX. Pœna perjurii perſonalis eſt, adeoque ad hæredes non tranſit. Etſi Deus pœnas aliquando ad poſteros extendat [f]. Hoc jure poſteri Sauli luerunt perjurium parentis. [g]

§. CCCCLXXXI. Præſtitiſſe autem, eoque jusjurandum impleviſſe videtur, 1. ſi præſtatio impoſſibilis eſt, & per jurantem non ſtat [h]: 2. ſi alter remittit [i]: 3. ſi ſuperior propter utilitatem publicam promittentem diſpenſat: quod relaxatio jurisjurandi dicitur [k]. Idque Principes ratione ſuorum juramentorum antecedenter facere poſſe, ait Grotius [l], non conſequenter.

§. CCCCLXXXII. De interpretatione jurisjurandi Grotius varias ſuppeditat regulas [m], quas in genere non agnoſcimus. Veras interpretationum regulas ſuppeditabimus infra §. 506.

Sectio II.

De Pignoribus.

§. CCCCLXXXIII. De *pignoribus*, eorumque jure, egimus ſupra §. 306. ſeq. Ubi ſimul demonſtravimus, jure naturæ per contractum pigneratitium nullum jus in re, ſed ſolam obligationem perſonæ, conſtitui.

Sectio III.

De Correis.

§. CCCCCXXXIV. Correi ſunt vel *credendi*, vel *debendi*. Correi *credendi* ſunt, cum id ſpecialiter agitur [n], ut

(c) L. 1, §. 2, ff. dol. mal. (d) Grot. l. 2, c. 14, §. 16. (e) vid, ſupr. §. 421. (f) Grot. l. 2, c. 20, §. 14, l. 2, c. 13, §. 1, n. 1. (g) II. Sam. XXI. (h) Grot. d. c. 13, §. 8, & 9. (i) dict. c. 13, §. 18. (k) dict. c. 13, §. 20. (l) Grot. l. 2, c. 14, §. 3. (m) lib. 2, c. 13, §. 3, n. 2, §. 5, l. 3, c. 1, §. 19. (n) Auth. hoc ita &c. C. de duobus reis.

Digitized by Google

ut pluribus [o] eadem res [p], ex eadem cauſa, [q], & quidem ſingulis in ſolidum, debeatur. [r]

Correi *debendi* ſunt plures perſonæ [s], quæ uni eandem rem [t], ex eadem cauſa [u], & quidem ſinguli in ſolidum, debent. [v]

§. CCCCLXXXV. Etſi autem plures hic ſint obligationes, unum tamen ſaltem eſt debitum: unde unus *creditorum* reliquis nocet [x], & unus reliquos liberat. [y]

§. CCCCLXXXVI. Quæri ſolet, *an ſi reus correo ſuccedit, per confuſionem tollatur obligatio;* & recte id negatur: *Quoties enim duæ ſunt obligationes principales*, Scævola ait, *alteram alteri potius adjici ad actionem, quam confuſionem parere.* [z]

§. CCCCLXXXVII. Porro quæri ſolet, *an correus debendi, qui ſolvit ſolidum, a correis partem repetere poſſit?* Reſp. a correis non poteſt repetere [a], quia ſuum debitum ſolvit: niſi 1. ſocii ſint: 2. actiones ei cedantur: vel 3. ab eo repetatur, qui accepit pecuniam, adeoque cujus negotium geſtum eſt: hinc enim locupletior fieret cum alterius jactura. [b]

§. CCCCLXXXVIII. Cauſa hujus correalis obligationis eſt ex conſenſu, adeoque hactenus ex jure naturali; prout enim partes de ſuo jure diſponunt, ita jus eſt. Jure Romano ex nudo tali conſenſu nulla actio dabatur, quia cauſa non ſubeſt intuitu correi, qui vel nihil, vel ſaltem partem accepit: hinc tunc demum cum effectu correus obligatur, ſi verba ſolennia accedunt, & correus contra correos agit actione ex ſtipulatu.

Sectio IV.

De Fidejuſſoribus.

§. CCCCLXXXIX. Fidejuſſio eſt pactum, quo quis obligationem alterius, in majorem creditoris ſecuritatem, in fidem ſuam recipit; adeoque quando quis alterius obligationi, idem, quod ille debet, promittendo, accedit. [c]

§. CCCCXC. Ex hoc pacto naturali ratione oritur obligatio, quia quilibet de jure ſuo diſponere poteſt: ſi proinde ita diſponit, ut alterius debitum in ſe recipere velit, ex hoc promiſſo jus in creditorem transfert, quod ei tribuere tenetur. [d]

§. CCCCXCI. Jure Romano, quia ſine ulla cauſa fidejuſſor pacto ſuo ſe obligat, nulla inde dabatur actio, niſi ſtipulatio pacto acceſſerit: atque hinc non valet niſi tanquam verborum obligatio.

§. CCCCXCII. Fidejuſſor accedere poteſt cuique obligationi, etiam quæ ex crimine oritur (at non ad eum effectum ut morte puniri poſſit, ſed ut creditor agere poſſit ad id, quod intereſt [e]).

Fide-

(o) pr. Inſt. de duob. reis. (p) l. 2, l. 9, ff. de duob. reis. (q) l. 9, l. 12, ff. Eod. (r) §. 1, Inſt. l. 2, l. 3, §. 1, Eod. (s) pr. Inſt. de duob. reis. (t) l. 2, l. 9, ff. Eod. (u) l. 9, l. 12, l. 6, §. 4, Eod. (v) d. pr. Inſt. Laut. comp. pag. 629. (x) l. 2, ff. de duob. reis l. 31, Novat. (y) §. 1, Inſt. de duob. reis. (z) l. 93. §. 2, ff. Solut. vid. jus meum controv. part. 2, pag. 901. (a) l. 62, ad leg. Falc. l. 2, c. de duob. reis l. 36, ff. Fidejuſſ. Laut. comp. pag. 631. (b) vid. jus meum controv. part. 2. pag. 566, q. 6, & pag. 571, qu. 12. (c) pr. Inſt. de fidejuſſ. (d) Grot. l. 2, c. 21, §. 11, n. 2, l. 3, c. 2, §. 2, n. 2. (e) Grot. l. 3, c. 2, §. 2, n. 3.

Digitized by Google

Fidejuſſor ſi ſciente domino fidejuſſit, repetere ſolutum poteſt actione mandati [f], alias, negotiorum geſtorum actione. [g]

§. CCCCXCIII. Similis fidejuſſori eſt 1. *mandator*, quando nudo pacto quis alii mandat [h]; ut 2. *conſtituens*, quando quis conſtituit nudo pacto, ſe ſuum, vel alterius debitum ſoluturum [g]; 3. *affirmator*, qui creditorem, cui ego pecuniam credere nolui, idoneum affirmat. [k]

SECTIO V.

De Obſidibus.

§. CCCCXCIV. SPECIES fidejuſſorum ſunt OBSIDES, qui, nimirum, pro *ſuo*, vel *alieno* debito, carceri ſe tradunt.

§. CCCCXCV. Si quis pro ſecuritate *ſui* debiti carceri ſe tradit, *obſtagium* dicitur. Jure naturæ valet tale pactum, quo quis ad carcerem ſe creditori ſuo obligat, in caſum non factæ ſolutionis; quia debitor de ſua libertate, adeoque de ſuo jure diſponit. Atque hic cavendi modus hodieque in Holſatia obtinet, & Germanice vocatur *das Einlager*; quod integra diſſertatione illuſtravit *Fomannus de obſtagio.*

§. CCCCXCVI. Si quis pro *alieno* debito ſe obſidem dat, i. e. carceri ſe tradit, diſtinguendum eſt, an ſe det privato, an Principi: an extraneæ civitati, an hoſti.

Privatus *ſe privato* obſidem dare pro alieno debito poteſt, quia de ſua libertate, adeoque de ſuo jure, diſponit [l]: at hic modus cavendi, propter abuſum, in imperio Romano prohibitus eſt. [m]

Privatus *principi* ſuo ſe dare poteſt obſidem, v. g. pro reo criminis; qualia exempla obveniunt in hiſtoria Damonis, & Pythiæ, & paſſim.[n]

Hoc illicitum non eſt naturali ratione, quia obſes de ſua libertate, adeoque de ſuo jure diſponit.

Si privatus obſidem ſe dat *extraneæ civitati*, v. g. pro ſecuritate fœderis, inter duas civitates pacti, (uti in fœdere inter Gallos, & Proteſtantes Germanos, obſides dati ſunt Chriſtophorus Dux Megalopolitanus, & Landgravius Philippus junior [o]) valet tale pactum, quia de ſuo jure obſes diſponit.

Denique ſi civitas *hoſti* fidem dat, & cautionis loco cives quoſdam obſides offert, hoc quoque pactum jure naturæ non improbatur.

§. CCCCXCVII. Quis vero effectus eſt hujus negotii? Reſp. obſides tamdiu in carcere retineri poſſunt, donec fides data impleta, & ei, cui data eſt, ſatisfactum ſit.

Si is, qui obſides dedit, nolit fidem datam implere, vel ei contrarium aliquid faciat, quæritur, an is, cui obſides dantur, jus in vitam obſidum acquirat, ita ut interficere eos poſſit? Diximus, obſides dari *vel* privato, *vel* magiſtratui, *vel* alienæ civitati,

(f) §.6. Inſt. de fidej. (g) l. 6, §.2, ff. Mand. Grot. l. 2, c. 10, §. 2, n. 2. (h) l. 32, ff. Mand. & Rubr.ff.de fidejuſſoribus &c. (i) l. 3, C. conſt. pec ibique Goth. (k) vid. Struv. Exerc. 46, §. 35. (l) Foman. d. diſp. §. 32, Hering. de fidejuſſ. c.17, n.66. Colcr. proc. exec. p. 1, c. 8, n. 11, exemplum refert met. Piſt. p. 4, q. 138, n. 11, ſeq. (m) R. J. 1577, tit.17, Rubr. *von wucherlichen* contr. § *wie wohl auch* &c. (n) vid. Grot. l. 2, c.21, §. 11, ibique not. Teſm. (o) apud Sleidan. lib. 24. & Arum. de Jur. Publ. V. 1, diſc. 78, n. 104, ſeq.

tari, *vel* hoſti. In *primo* caſu certum eſt, creditori nullum jus acquiri in vitam obſidis: tum quia obſes non eſt dominus vitæ ſuæ; adeoque de ea diſponere nequit; tum quia debitor hominem ſuo jure vita privare non poteſt.

In *ſecundo* caſu res magis dubia eſt. Ille, qui pro reo criminis cavet, cauſa eſt quod dimittatur, eoque impunitatem conſequatur: adeoque videtur morte puniri poſſe. At verius eſt, Principem non debere obſidem talem accipere: ſi vero accipit, non debet eum morte puniri, quia uti dictum eſt, obſes diſponit de jure, & re, quæ non eſt in ejus poteſtate.

Equidem Dionyſius in exemplo Damonis, & Pythiæ, paravit mortem obſidi, in caſum ſi alter non reverteretur: at tyrannus is fuit, cujus actus de jure naturæ teſtimonium non faciunt.

Tertio, & *quarto* caſu, omnino jus vitæ, & necis acquiritur ei, cui dati ſunt obſides, ſi dantes violant fidem datam. Rationem diverſitatis explicabimus infra, ubi ex profeſſo de obſidibus hoſti datis agemus.

Præterea in his duobus caſibus, (aliud eſt in prioribus) etiam inviti obſides dari poſſunt, ſi ſunt membra civitatis fidem dantis: indeque in hos invitos quoque jus eſt ſæviendi, tanquam in hoſtes, ſi civitas fidem fefellerit. Quod itidem infra plenius excutiemus.

§. CCCCXCVIII. Finitur obſidium eodem modo, quo fidejuſſio. Præterea morte obſidis: cum enim omnis ſecuritas hic conſiſtat in detentione perſonæ, neceſſario ſequitur, eam ceſſare exſtincta perſona.

SECTIO VI.

De Conditione, Modo, & Die.

§. CCCCXCIX. HACTENUS egimus de cautionibus, quæ alterius obligationi accedunt ſecuritatis cauſa. Sed præterea pactis adjici poſſunt conditio, dies, & modus.

§. D. *Conditio* eſt oratio, quæ quid ſuſpendit in futurum eventum incertum an ſit exſtiturus (p). Eaque eſt vel *poteſtativa*, quæ pendet a noſtro arbitrio (q): vel *caſualis*, quæ a caſu, vel arbitrio tertii: vel *mixta*, quæ a caſu, & noſtro, vel noſtro, & tertii arbitrio (r). Deinde eſt vel *ſuſpenſiva*, vel *reſolutiva*. (s)

§. DI. Conditiones igitur non ſunt, 1. quæ non ex oratione, ſed tacite, & ex natura rei inſunt (t): 2. quæ nihil ſuſpendunt in futurum eventum, ut impoſſibiles, neceſſariæ, & turpes. *Vid.* §. *ſeq.*

§. DII. Effectus conditionis eſt obligatio implendi ſi exiſtit (u). Poteſtativa etiam per æquipollens impleri poteſt, ſi in forma ſpecifica impleri nequit. Si dubia ſit conditio, non fit interpretatio contra eum, qui elocutus eſt; ſed nihil actum videtur. (x)

§. DIII. Conditio verum jus tribuit, ſed eventuale. Atque hinc eſt, quod ſpes debitum iri ſit vera merx, & vendi poſſit; & quod liberi jus ſuum eventuale ſuccedendi transferant ad hæredes ſuos. (Quæ transmiſſio, primogenito

(p) l. 37, l. 39, R. C. §. 4, §. 6, V. O. (q) Conf. Grot. l. 2, c. 11, §. 8, n 2. (r) l, un. §. 7. C. cad. toll. Grot. l. 3. c. 20. §. 29. (s) Laut. Comp. p. m. 51. (t) Grot. l. 3, c. 16, §. 23, n. 2, l. 3, c. 20, §. 36, l. 3, c. 19, §. 14.

(u) Grot. l. 3. c. 19, §. 14, & l. 2, c. 11, §. 8, n. 2, l. 2, c. 15, §. 17, Laut. pag. 50, & 51. (v) l. 44, § 3, Cond. dem. vid. jus meum controv. tit. de pactis. q. 45. (x) Diſſent. Grot. l. 2, c. 17, §. 32, l. 3, c. 20, §. 26.

Digitized by Google

genito præmortuo, in regnis ſummam utilitatem habet.)

Conditio impoſſibilis vitiat negotium [y], non vero ſi turpis ſit [z]: in præſens, & præteritum collata nihil ſuſpendit [a], uti nec neceſſaria. [b]

§. DIV. *Dies* eſt tempus certum, quod ſit exſtiturum, ſed incertum *quando* [c] (ſi enim incertum eſt an ſit exſtiturum, vera condi*t*io eſt [d]). Die adjecto is ſtatim cedit; non autem venit antequam dies præterierit [e]: intelliguntur autem regulariter dies naturales, non civiles. [f]

§. DV. *Modus* eſt cauſa finalis, propter quam aliquid fit, vel præſtatur: uti ſi promitto alicui 100. ut monumentum exſtruat [g]; hæc obligatio pura eſt [h]; at non ſecuto modo adjecto, condici ſolutum poteſt. [i]

CAPUT IV.

De Interpretatione Pactorum; ubi vera interpretationum principia exponuntur.

§. DVI. IN conventionibus omnis obligatio oritur ex placito, & conſenſu duorum in eandem rem. Adeoque ante omnia de placito illo, & de illo conſenſu in eandem rem, conſtare debet.

§. DVII. Si igitur diſponentes diſferunt circa mentem conventionis; & verba, vel facta alter hoc ſenſu, alter alio explicet: quæritur, quænam interpretandi norma jure naturali obtineat?

Reſp. Adhibenda ſunt ea media, quæ ratio naturalis ſuppeditat ad intelligendam diſponentium voluntatem, & quæ alibi explicavimus.

n. 1. Quoad *verba*, ſi dubia ſint, regula generalis *I.* eſt, ut is ſenſus valeat, quem contrahens ſcit alterum intelligere: id enim vere inter utrumque actum eſt. Si proinde ego ſciens alterius intentionem alio ſenſu verba contractus accipio, fallaciam committo; non eſt idem utriusque placitum, ſed unius alterius decipiendi animo propoſitum.

n. 2. *II.* Si uterque in bona fide eſt, & alter neſcit, verba alio ſenſu ab altero accipi, pro eo ſit interpretatio, qui verba adhibuit juxta uſum communem [k] (communis autem etiam eſt ſenſus arti proprius [l]). Cum enim verba valeant uſu, is, qui uſum illum communem ſcit, vel ſcire debet, ex uſu illo obligatur.

n. 3. *III.* Si partes aliquid promittunt ad certum finem, tunc ita interpretatio fit, ut omnia ea promiſſa cenſeantur, ſine quibus pactum exitum habere nequit: idque ex medii neceſſitate; qui enim vult finem, vult etiam media.

Ex his jam apparet, 1. eum, cui abire datum eſt, non & redire; abitus enim, ex communi loquendi uſu, reditum non infert [m]: at 2. cui ire datum eſt, ei etiam redire; finis enim pacti eſt, ut tu-

to

(y) l. 16, Cond. Inſt. l. 4, §. 1, ſtat. lib. Laut. p. 50. (z) aliud jure Romano obtinet l. 9, cond. inſt. (a) l. 7, l. 8, V. O. Laut. p. 50. (b) §. 11, Inut. ſtip. Laut. pag. 50. (c) l. 4, §. 1, quand. dies leg. Laut. p. 52. (d) l. 22, pr. quand. dies leg. Laut. p. m. 53. (e) Grot. l. 3, c. 21, §. 4. (f) Grot l. 2, c. 16, §. 5. (g) Laut. Comp. p. 53, & p. 527. Leg. 16, §. f. Cond. & dem. (h) l. 41, pr. Contr. emt. (i) l. 1, C. don. quæ ſub mod. Conf. Laut. d. p. 53. (k) Grot l. 2, c. 16, §. 2. (l) Grot. d. c. 16, §. 3. (m) Grot. l. 3, c. 21, §. 16.

Digitized by Google

to ad locum domicilii reverti poſſit [n]. 3. Si partes paciſcuntur, ne quis locus muris cingatur, alio modo cingi nequit [o]: nam ea intentione prohibitio illa intervenit, ne ex loco munito alteri paciſcentium injuria inferri poſſit. 4. Qui commeatum hoſti concedit, etiam *comitibus* dediſſe videtur, ſi commeare absque comitibus contra dignitatem eſſet: adeoque ſecuritas hic ex medii neceſſitate ſequitur. Non autem ſub eo commeatu intelligi poteſt familia; ex dignitate enim perſonæ eſt, ire cum comitibus, non vero cum uxore, & liberis [p]. Sic qui 5. commeatum dat pro certo militum numero, non excludit ſummos duces: nam generali, & communi uſu voce militum etiam officiales continentur. [q]

§. DVIII. Extra has interpretandi regulas omnis diſpoſitio dubia manet, adeoque nulla inde oritur obligatio; quia deficit duorum in idem placitum conſenſus.

Hinc 1. ex natura, & proprietate vocis nulla interpretatio fieri poteſt; quia uti dictum eſt, verba non valent ex ſua natura, ſed ex uſu.

Sed & 2. non valet interpretatio ex eo, quod alter paciſcentium verba illa alio, & particulari ſenſu ſumere ſoleat; quia in ejus poteſtate non eſt, ſenſum verborum communem mutare, niſi alter id ſciverit.

Neque 3. eludere obligationem paciſcens poteſt, ſub prætextu, quod in pactis non verba, ſed ratio, & finis (quem ſibi pro lubitu fingunt) conſiderari debeant, & quod ceſſante hoc fine ceſſet obligatio. Quo pretextu Galli fœdus illud, quod vulgo *traité de partage* vocari ſolet, violarunt: cauſati, mentem fœderis fuiſſe conſervandi tranquillitatem publicam, quæ ſubſiſtente fœdere ſalva eſſe non potuiſſet, quaſi per violationem fœderis non major turbatio tranquillitatis publicæ ſecutura eſſet; quod & experientia cum internecione fere Gallorum docuit.

§. DIX. Hinc econtrario facile conſtat, perfidiam inſignem fuiſſe, 1. quod Locri, qui promiſerunt, ſe pactis ſtaturos, *quamdiu terræ huic inſiſterent, & capita humeris geſtarent*, poſtea terram calceamentis injectam, & aliorum capita humeris impoſita, abjicientes, putarent, fide ſe nunc liberatos eſſe [r]: 2. Quod Bœoti urbem reddere polliciti, eam everſam reddiderint [s]: 3. Quod Mahumedes, Eubœa capta, eum diſſecuerit, cui caput incolume fore promiſerat: 4. Quod qui homines reddere promiſit, eos mortuos reddiderit [t]: 5. Quod Alexander Magnus poſtquam Barbaris exitum ex urbe promiſit, eos extra urbem conſtitutos interfecerit [u]: 6. Quod Romani, qui partem dimidiam navium in diviſione promiſerant, eas non integras, ſed ſectas tradiderint [v] (quanquam Livius [x] de ſectione navium ſileat); huc quoque pertinet factum Campanorum, qui cum hoſtibus dimidiam armorum partem permiſiſſent, diſſectis armis dimidiam partem eos recipere juſſerunt [y]: 7. Quod Braſidas, qui pollicitus erat, ſe agro Bœoto-

(n) Id. l. 2, c. 17, §. 5. (o) Grot. l. 2, c. 16, §. 20, n. 3, l. 3, c. 21, §. 1, n. 4. (p) vid. infr. l. 7, c. 6, Sect. VI. (q) Grot. l. 3, c. 21, §. 16. (r) Grot. l. 2, c. 16, §. 6. Polyb. l. 12, c. 4. (s) Polyæn. de ſtratag. (t) Thucyd. l. 2, c. 5, 6. p. m. 61. Grot. d. c. 16. §. 5. (u) d. c. 16, §. 5. (v) d. c. 16, §. 5. Val. Max. l. 7, c. 3. (x) L. 38, c. 38. (y) Polyæn. l. 6, c. 15.

Digitized by Google

ro diſceſſurum, eum agrum ſervare voluerit, quem exercitu inſideret; quaſi jus civitatis ob poſſeſſionem bellicam extinctum fuerit [z]: 8. Quod Romani, qui pace Carthaginem liberam eſſe juſſerant, cives in alium locum transferre voluerint, ut ibi libere degerent, quaſi Carthago non in civitate quoque, tanquam domicilio civium, conſiſtat [a]: 9. Quod Pericles, inito cum hoſte pacto ut ferrum deponerent, etiam fibulas ferreas deponere juſſerit [b]: 10. Quod Rhadamiſtus, qui juravit Mithridati, nec veneno, nec ferro ſe vim ei illaturum, mox eum injecta multa veſte necaverit [c]: 11. Quod Ludovicus XII. qui urbem Bononiæ, ejusque Regulum Bentivoglium, in protectionem receperat ſalvis juribus Papæ, recuſaverit illam protectionem contra Pontificem vim urbi minitantem; cauſatus [a] jura Papæ excepta eſſe fœdere; [b] anteriori pacto cum Pontifice inito cautum eſſe, in futuris fœderibus ſemper exceptam intelligendam eſſe eccleſiam; indeque [c] perſonam Reguli, ejusque bona, ſaltem ad pactum protectionis pertinere (ubi Guicciardinus [d] addit, Ludovicum cavillatum eſſe ad modum rabulæ, non regis): 12. Quod Papa, qui cum Ludovico XII. convenerat, ut Epiſcopatus, morte Epiſcoporum in Francia vacaturi, a rege conferri deberent, ſufficere mortuo Epiſcopo alium voluerit, ideo, quod Romæ, non in Gallia, mortuus eſſet [e]: 13. Quod is, qui promiſit, ſe ad hoſtem rediturum, crediderit, fidem ſe liberaſſe clam redeundo [f]: 14. Quod Dido, quæ ab Africæ incolis tantum territorii emit, quantum comprehendi cute bovis poſſit, ſciſſa in partes late, magnum terræ ambitum occupaverit [g]: quaſi cutis in loria ſciſſa non deſinat eſſe cutis.

Huc quoque 15. pertinet inſignis perfidia, cujus Epiſcopus Arraſius auctor fuit: cum enim Electorum Saxoniæ, & Brandenburgici interventu, pacis conditiones Landgravio Haſſiæ proponerentur, inter illas conditiones autem contineretur, ne hic ullo carcere detineri deberet: *daſs er mit einiger gefängnis nicht belegt werden ſolle*, Landgravius ſeſe in poteſtatem Imperatoris dedit; quem Epiſcopus Arraſius ſtatim cuſtodiæ mandari juſſit: cauſatus, male legi *einiger*, ſed legendum eſſe *ewiger*; adeoque Imperatorem promiſiſſe, *ne æternæ cuſtodiæ traderetur*. At fallacia hæc adeo male habuit conciliatores pacis, ut vix impediri potuerint, quin manus violentas intulerint miniſtro illius artificii. [h]

Sed & 16. injuria aſſerebant Romani, ſociorum nomine etiam futuros contineri. Sane, ſi hanc ſolam rationem allegaſſent, bellum cum Carthaginenſibus maxime injuſtum futurum fuiſſet; at pacto ſubſequenti Aſdrubalis, quod Carthaginenſes approbarunt, Saguntini, ſocii poſteriores, nominati, eoque cauſa Romanorum juris titulo munita fuit. [bb]

n. 1. In omnibus his caſibus veteratores illi ſciebant, alio ſenſu vocem ab

(z) d. c. 16, §. 6. (*a*) Liv. Epit. l. 49, Flor. l. 2, c. 15. Appian. de bell. pun. n. 42, & 46. (*b*) Grot. d. c. 16, §. 5. (*c*) Tacit. annal. XII. (*d*) L. 5, p. m. 134. (*e*) Pufend. l. 5, c. 12, §. 18. (*f*) Cic. de offic. l. 8, c. 19, Grot. l. 3, c. 23, §. 13. (*g*) Juſtin. l. 18, c. 5, & 6. (*h*) Theatr. Europ. Tom. 7, fol. 1021. (*bb*) Grot. l. 2, c. 16, §. 13.

ab altero intellectum fuiſſe, & cavillationem, quam adhibebant, uſui communi vocum repugnare; immo directo voluntatem, quæ ex agentium fine, & medii neceſſitate notoria fuit, evertere. Atque hæ ſunt proprie reſervationes illæ mentales, quæ a proborioribus hominibus, quamcunque religionem profiteantur, damnari ſolent.

n. 2. Quoad *facta*, ſi dubia ſunt, interpretatio tantum ex *fine actionis* deſumi poteſt, ſi ſcilicet finis illi actioni neceſſarius eſt. Qui proinde reddit chirographum, remittit debitum; qui reddit pignus, renunciat ſecuritati. (§. 404. *n.* 3.)

§. DX. Quid ſi alter aſſerat, ſe ignorare, alterum alio ſenſu verba intellexiſſe? quid ſi neget, uſu communi verba eo ſenſu, quo alter vult, intelligenda eſſe? Quid ſi alter neget, finem promittentium eum, quem alter intendit, fuiſſe? vel media illa ad obtinendum finem eſſe neceſſaria? Reſp. Hoc caſu inter duas ſummas poteſtates, quæ judicem non habent, ſoli bello locus eſt: adeoque armis de ſenſu verborum, vel de intentione agentium, &c. diſceptari debet, & judicio Dei, qui arbiter eſt bellorum, res relinquenda eſt.

§. DXI. Inſtitutis civitatibus, ne negotia ob dubiam diſponentium mentem facile reſcinderentur, certæ quædam regulæ interpretationum ſtatutæ ſunt, juxta quas voluntas, & intentio paciſcentium interpretationem recipere debeat. Sic v. g. ubi de *interpretatione pactorum* agitur, interpretatio fit contra eum, cujus cauſa eſt favorabilior, vel qui potuit rei ſuæ apertius legem ponere; ſed & in dubio valet id, quod vero ſimilius eſt, &c. Præterea infinitæ ſunt interpretationum regulæ, quæ inprimis circa voluntates teſtatorum introductæ, eoque mere civiles ſunt.

C A P U T V.

De Jure, quod hominibus competit ex delicto alterius.

§. DXII. HACTENUS explicavimus jus, quod cuique competit ex *conventione*, ſeu *pacto*, & *contractu*: ſequitur nunc jus, quod cuique ex alterius *delicto* competit. [i]

§. DXIII. *Delictum* eſt factum, ſponte, dolo, vel culpa admiſſum, quo jus alterius læditur. Requiritur igitur *I.* factum [k]: quale quoque eſt ſi quis mandat, vel ope, & conſilio juvat [l]: animus non ſufficit [m], nec ſolus conatus: [n]

n. I. *II.* Ad delictum requiritur, ut factum illud *ſponte* admittatur [o]: *ſponte* autem etiam fit quod ex ſumma neceſſitate admittitur. Hinc is, qui vi, metuque coactus jus alterius violat, vel crimen committit, vere delinquit; & fugiens, qui ad conſervandam vitam intermedium innocentem occidit, pro innocente haberi non poteſt. [q]

n. 2.

(*i*) Grot. l. 2, c 17, §. 1. (*k*) l. 25, §. 1, l. 52, §. 8. O. & A. (*l*) vid. infr. (*m*) l. 1, §. 1, furt. l. 18. de Pœn. l. 225, V. S. (*n*) Laut. Comp. p. 649. (*o*) Laut. Comp. pag. 649. (*p*) vid. ſupr. §. 418. (*q*) Diſſent. Grot. l. 2, c. 1. §. 4.

Digitized by Google

n. 2. *III.* Requiritur, ut factum illud *dolo malo* [r], vel *culpa* admiſſum ſit, etiam *leviſſima* [s]. Rationem, cur *culpa* delinquatur, infra §. 577. exponemus. Unde pœnam quoque naturali ratione ideo exigi poſſe, demonſtrabimus. §. 550.

Non ergo delictum committitur caſu, ad eum effectum, ut pœna inde debeatur. [t]

n. 3. *IV.* Requiritur, ut facto tali illicito *jus* alterius lædatur. Nam ſi jus alterius violatum non eſt, nihil alteri abeſt; adeoque fruſtra de reparatione quæritur.

§. DXIV. His principiis poſitis multæ quæſtiones, admodum ventilatæ, facili ratione decidi poſſunt.

n. 1. Primo enim quæritur, *an hæreſis, id eſt, falſa de religione opinio, delictum ſit?* Equidem intuitu Dei omnino delictum eſt; at intuitu hominum nulla ratione ad delicta referri poteſt: jus enim alterius non læditur; adeoque nemini aliquid abeſt, quod reparari debeat. Excipe ſi lege prohibitus ſit certi generis cultus, & aliquis, contra legis prohibitionem, publice religionem illam profiteatur: tunc enim jus magiſtratus læditur, atque ideo transgreſſor puniri poteſt. [u]

n. 2. *Secundo* quæritur, *an ex damno, quod metuitur, actio detur?* Quod itidem negamus: nihil enim alteri abeſt, nec jus alterius læditur; adeo ut nec cautio ob metum incertum exigi poſſit. Atque hæc ratio eſt, cur metus vicinæ potentiæ non ſit juſta belli cauſa. Unde actiones *de damno infecto*, *de novi operis nunciatione*, &c. ex mera æquitate civili originem habent.

Damni enim *infecti* actione cautio exigitur de damno, quod ex opere jam facto veremur futurum: quo etiam pertinent Suggrundia, ſeu tabulæ, vel lapides, coram ædificio a ſummo extenſi, ut id contra imbres defendant; nec non protectiones, ſeu projectiones, &c. [v]. Sic actione pluviæ arcendæ agitur ad damnum, quod ex aqua pluvia propter opus factum veremur, avertendum. [x]

Novi operis nunciatio eſt, quando contra eum, qui in ſuo fundo (ſecus ſi in alieno) contra priſtinam formam, novum opus, unde damnum metuo, facit, ago, ut vel deſiſtat ab opere, vel cautionem præſtet, uſque dum de jure prohibendi cognoſcatur. Ratio hujus edicti eſt, ne partes ad manus veniant.

n. 3. *Tertio* quæritur, *an delinquere videatur, qui jus ſuum tuetur, etſi alius damnum inde recipiat?* Quod negamus, quia jure ſuo utitur: neque damnum alter patitur ex alterius facto illicito, ſed ex caſu, & natura, ac ſitu rei.

Hinc 1. hæres adeundo hæreditatem oneroſam, creditorum ſuorum conditionem deteriorem reddere poteſt [y]. 2. Præſcindere in fundo meo venas poſſum etſi alteri adimatur aqua [z]. 3. Aqua pluvia arceri poteſt cum præjudicio vicinorum, ſi fructuum cauſa fit [a]. Quod vero jure Romano excipiatur caſus, ſi dolo id faciat, id meri juris civilis eſt; nam jure ſuo utitur. 4. In meo altius ædificare poſſum, etſi alterius luminibus officiam. [b]

§. DXV.

(*r*) vid. ſup. §. 386. (*s*) vid. ſupr. §. 386. (*t*) l. 1, l. 5, C. ad Leg. Corn. de Sicar. l. 31. ff. ad leg. Aquil. (*u*) vid. infr. (*v*) tot. tit. ff. Damn. infect. Suggrund. & protect. (*x*) tot. tit. & l. 14, §. 2, ff. de aqua, & aquæ pluv. (*y*) l. 1, §. 2, Separat. l. 5, eod. (*z*) l. 1, §. 12. l. 21. Aqua pluv. (*a*) l. 1. §. 7, §. 8, §. 15, l. 2, §. 9, Aq. pluv. (*b*) l. 9. Serv. præd. urb.

Digitized by Google

§. DXV. Cauſa obligationis perſonæ, quæ ex *delictis* oritur, fluit ex ipſa ratione naturæ. Cum enim certum ſit, jura quædam tum Deo, tum hominibus a natura quæſita eſſe, neceſſario ſequitur, hoc jus tolli, aut violari ab aliis abſque injuria non poſſe. Si quis proinde in alterius jura involat, adeoque intentioni divinæ in contrarium it, ejuſque voluntati repugnat, injuria agit: unde læſo jus competit agendi contra perſonam lædentis, ut reparet injuriam; & *lædens* obligatur ex regula generali juſtitiæ, ut jus ſuum cuique tribuat. (§. 342.)

Idque verum eſt, etſi lædens non ſit factus locupletior: uti ſi res furto ablata periit; ſi injuria corpori alterius illata, vel alias damnum in re aliena datum eſt, &c. Sufficit enim, jus læſi violatum eſſe facto lædentis; nam ex hoc facto illicito tenetur ad reparationem injuriæ, i. e. ad jus ſuum cuique tribuendum: præſtando tantundem, ſi damnum datum aliter ſarciri nequit.

§. DXVI. Delinquere poſſunt homines uſum rationis habentes (non ergo bruta [c], nec infantes, furioſi, ſumme ebrii, &c. [d]); etiam corpora; immo integræ civitates, & populi univerſi. [e]

Delictum committitur in perſonas, etiam per univerſitatem ſumtas: v. g. in civitates, gentes integras, &c. [f]

Effectus eſt 1. ut is, in quem delinquitur, agere poſſit ad reparationem juris, dolo, vel culpa alterius ablati, aut violati. Non autem læſus ſaltem, ſed & *magiſtratus* ad pœnam, ſeu talionem, agere poteſt. Nam hujus quoque jus violatum eſt, dum leges ejus transgreditur delinquens, prohibitionem ejus vilipendet, adeoque auctoritatem ſuperioris aſpernatur.

Ubi notandum eſt, jure Romano, ſi delictum occaſione *negotii bonæ fidei* admiſſum eſt, actorem non agere ex delicto, ſed dolum vindicari actione ex ipſo contractu bonæ fidei. In quibuſdam negotiis, *arbitrariis* ſcilicet, delictum vindicatur juxta arbitrium judicis. Atque hæc ratio eſt, cur in actionibus in rem poſſeſſor etiam de dolo teneatur. (§. 365.)

2. Ut is, qui delinquit, obligetur ad reparationem injuriæ, adeoque læſo ad reſtitutionem damni, magiſtratui ad talionem, ſeu pœnam.

§. DXVII. Obligatio, quæ ex delicto oritur, finitur 1. morte delinquentis, niſi [a] læſo aliquid ex patrimonio deſit, vel [b] partes, adeundo judicem, compromiſerint in ejus ſententiam; quod fit per litis conteſtationem: modo de pœna pecuniaria agatur.

2. Remiſſione vel læſi, (quæ non præjudicat juri ſuperioris) vel judicis, quæ aggratiatio dicitur. 3. Si reus talionem ſemel paſſus eſt. Non vero 4. compenſatione, nec 5. præſcriptione. [g]

§. DXVIII. Apparet igitur ex præmiſſis, jure naturæ inter *delicta*, quoad obligationis principium, nihil intereſſe: omnium enim delictorum ratio ex hoc ſolo principio ſequitur, quod facto meo illicito jus alteri quæſitum violetur; unde ſequitur neceſſitas reparandi illam injuriam, reſtituendo damnum alii datum, & patiendo tantundem, i. e. pœnam.

§. DXIX. JCti Romani, quoad effectum

(c) vid. Differt. proœm. IV. §. 42, Laut. p. 650. (d) vid. inf. Laut p.650. (e) vid. inf. (f) l. 3, §. 1, injur. Grot. l. 2, c. 21, §. 7. & 18, c. 20, §. 1, n.8, (g) Vid. ſupr. §.350, §. 361, 364.

fectum agendi, delicta diſtinxerunt in *publica*, *privata*, & *extraordinaria*. Quædam enim, in quibus res publica maxime lædebatur, & ubi certa pœna lege erat ſtatuta, *publica* dixere: quædam *privata* dixere, quia actio ſolis læſis ibi datur, & pœna actori tribuitur: quædam *extraordinaria*, in quibus actio itidem læſis datur; at pœna non actori, verum, judici tribuitur.

Privata delicta iterum diſtinxere in *vera* delicta, & *quaſi* delicta.

De priori diſtinctione agemus ſectionibus ſequentibus: de *quaſi* delictis Cap. VI.

SECTIO I.

De Delictis publicis.

§. DXX. JCti Romani *delicta* quædam *publica* eſſe voluerunt, atque in hunc cenſum retulerunt ea delicta, quæ [a] publicam ſecuritatem maxime turbant, & in quæ [b] certa pœna legibus ſtatuta eſt: & cum publice interſit, ne munimenta publicæ ſecuritatis reſcindantur, plerumque omnibus jus ſecuritatem illam actione inſtituta tuendi, & ad pœnam lege ſtatutam agendi, datum eſt.

§. DXXI. Ad hæc crimina publica referunt *I. crimen læſæ majeſtatis*; quod committitur, quando quis aliquid hoſtile machinatur in Rempublicam, vel Principem, odio publico. [b]

n. 1. Crimen læſæ majeſtatis divinæ eſt, quando contumelia in ipſum Deum committitur, quæ cum blaſphemia conjuncta eſt.

n. 2. Læſio majeſtatis naturali ratione pro crimine habetur: Princeps quippe ad tuenda jura ſingulis a creatore conceſſa conſtitutus eſt (hanc enim defenſionem, quam ſummum numen patribusfamilias conceſſit, hi in unum Principem contulerunt); ſi quis proinde animo hoſtili aliquid in Principem machinatur, injuriam committit, tum in Deum, tum in civitatem, tum in Principem. In *Deum*, quia is voluit, jura ſingulorum ſalva eſſe, adeoque & eum, qui jurium illorum tuendorum cauſa inſtitutus eſt: in *civitatem*, quia munimenta ſecuritatis publicæ reſcindit, qui ei, cui civitas defenſionem ſuorum jurium commiſit, inſidiatur: in *Principem*, quia jus ei quæſitum violat.

n. 3. Crimen læſæ majeſtatis divinæ natura quoque pro crimine habetur *intuitu Dei*: at non intuitu hominum aliorum, utpote quorum jus inde non læditur.

II. Adulterium atrociſſimum crimen eſt, etiam jure naturali. Eſt autem *adulterium* quando thorus alienus violatur [i]. In hoc delicto complexus eſt plurium criminum. Nam 1. uxor violat fidem marito datam, qua promiſit, ſe cum eo ſolo cohabitare velle. 2. Adulter corrumpit mores uxoris, cum præjudicio mariti. 3. Intruditur partus alienus in familiam, qui reliquis liberis partem, quæ natura ipſis competit, aufert. 4. Confunduntur officia, quæ inter liberos, & parentes natura obtinent. 5. Sane, cum de adulterino concubitu plerumque non conſtet, facile inceſtui occaſio dari poſſet. Hinc etiam alibi ſtatuimus, crimen hoc non niſi ultimo ſupplicio penſari poſſe.

(*b*) L. fin. ff. Majeſt. (*i*) l. 6, §. 1, Adult.

III. Ad crimina, natura talia, quoque pertinent reliqua crimina carnis: nimirum, 1. *Sodomia*, quæ vel cum brutis fit, vel cum eodem ſexu; prohibitionis rationem alibi explicavi [l]: 2. *Fornicatio*, idque ex rationibus ſupra §. 173. allegatis [m]; ubi ſimul demonſtravimus, *concubinatum* jure naturæ factum illicitum, adeoque delictum non eſſe: 3. *Bigamia*, quando, ſcilicet, una fœmina cum pluribus viris nuptias contrahit [n]: 4. *Inceſtus*, cujus prohibitionem naturæ rationibus probavimus ſupra §. 176. 5. Maſtupratio, & crimen Onaniticum. [o]

IV. Crimen ſacrilegii; quod committitur, quoties res ſacra, i. e. Deo dicata, ſurripitur [p]. Hoc crimen ex jure civili demum originem habet, quia res ſacræ natura nullæ ſunt, ſed legem Principis ſupponunt. [q]

V. Perjurium: quando, nimirum, fides adhibito Deo data, vel aſſertio Deo teſte facta, violatur. Atrociſſimum hoc eſt crimen, quod non in homines, ſed in Deum committitur. Huic igitur ſoli fit injuria; adeoque is ſolus ejus vindex eſt: homo enim ſaltem agit ad fidem jurato datam implendam. Et hoc eſt quod JCti Romani ajunt, *perjurium ſatis Deum ultorem habere* [r]. Quanquam legibus humanis quoque, iisque ſeveriſſimis, auctoritas entis hujus perfectiſſimi defendatur.

VI. Homicidium natura prohibitum eſt. Jus enim alterius violatur, quia vita, quæ a Creatore ſingulis hominibus conceſſa eſt, abſque injuria eis auferri nequit. Atque hanc injuriam non niſi effuſione ſanguinis homicidæ reparari poſſe, mox videbimus.

Species homicidii eſt *autocheiria*: alibi enim probavimus, hominem nullum jus in ſe habere, niſi ad ſui conſervationem; non ergo ad ſui deſtructionem: vita enim, & anima, Dei ſunt, qui utramque junctam eſſe voluit; indeque fas non eſt homini deſerere vitam, & disjungere a corpore animam. [s]

Homicidium autem non tantum eſt, quod *ex propoſito*, ſed etiam quod *culpa* committitur. Delictum enim quoque eſt ſi quis damnum, quod prævidere potuit, & debuit, alteri infert.

Homicidium, quod veneno committitur, *veneficium*; quod in parentes, & liberos committitur, *parricidium* vocatur. [t]

VII. Falſum, quod eſt factum [u], quo id, quod eſſe debet, vel fieri debuit, dolo mutatur in præjudicium alterius. [x]

VIII. Vis publica, quæ fit 1. vel armis, vel 2. in perſonas publicas, 3. ſtupro violento, 4. raptu, quo mulier, vel puer, inviti rapiuntur.

IX. Vis privata, quæ eſt vis minus atrox, & ſimplex. [y]

X. Peculatus, quod eſt furtum pecuniæ publicæ, ſeu fiſco ablatæ. [z]

XI. Plagium, quo liber homo a ſcientibus, ejus ſupprimendi cauſa, abducitur [a], vel invitus celatur. [b]

XII.

(*l*) vid. ſupr. §. 176. Conf. Levit. 18, v. 20. Exod. 22, v. 19. Ord. crim. art. 116, l. 31, C. adulter. (*m*) vid. Lauterb. comp. pag. 692. (*n*) vid. ſupr. §. 145, n. 1, & §. 17, n. 2. (*o*) vid. Diſſert. procem. XII. §. 45. (*p*) Laut. comp. pag. 201. (*q*) vid. ſupr. Lib. 4. (*r*) l. 2, C. Reb. cred. (*s*) Conf. diſſert. procem. X. Poſ. V. lit. q. ſeq. & diſſert. XI. §. 14. (*t*) Laut. tit. ad. L. Jul. de Siccariis. (*u*) l. 23, Falſ. (*v*) l. 1, §. 13, Falſ. §. 7, jud. publ. (*x*) B. Par. hypomn. Inſtit. l. 4, l. 18, §. 7. (*y*) d. §. 7. (*z*) l. 1, l. 9, §. 3, pecul. (*a*) l. 1, l. 4, ff. l. p. C. plag. (*b*) l. 6, §. fin. ff. l. 9, C. plag.

Digitized by Google

XII. Ad crimina publica quoque JCti Romanni referunt [a] ambitum, [b] legem repetundarum, [c] annonæ fraudationem, [d] crimen de reſiduis [c], [e] lenocinium, &c. [d]

XIII. Quæri ſolet, *an mendacium ſit verum delictum?* Equidem Grotius id aſſerit, quia mendacium repugnantiam habet cum *jure* exiſtente, ac manente ejus, ad quem ſermo, aut nota dirigitur [e]. *Jus* autem illud ponit in libertate judicandi, quam homines colloquentes his, quibus colloquuntur, debere quaſi *pacto quodam tacito* intelliguntur [f]: circa hanc enim libertatem injuriam fieri, ſi quid ei dicatur, quod falſam habet ſignificationem [g]. *Tacitum pactum* autem ex eo deducit, quod Gentes ſimulatque ſermone, notisque ſimilibus uti inſtituerunt, mutuam inter ſe obligationem introducere voluerint, ne alio, quam juxta inſtitutum, ſenſu, ſermone illo utantur. [h]

n. 1. Nos mendacium per ſe non eſſe delictum, ſtatuimus, ſed rem indifferentem, quæ aliquando bona, quin neceſſaria, aliquando mala eſſe poteſt. Sane, 1. ſermo res mea eſt, & locutio ad actiones humanas pertinet: quilibet autem ſuarum actionum dominus eſt, ac de ſuis actionibus pro lubitu diſponere poteſt. Hinc nemo jus in meas actiones, & in meum ſermonem ſibi arrogare poteſt; neque hactenus ulli hominum jus quæſitum eſt. Adeoque 2. jus alterius hoc mendacio non læditur, totaque obligationis ratio, quæ in jure ſuo cuique tribuendo conſiſtit, ceſſat. Fruſtra enim de reparatione juris agitur, ubi jus alterius læſum non eſt. Equidem 3. *jus, quod colloquentes his, quibus colloquuntur, debere finguntur*, & quod in *libertate judicandi* Grotius conſtituit, revera jus non eſt: neque enim ex ſtatu hominum, neque ex jure in re, neque ex obligatione perſonæ oritur. Sane, nihil alterius patrimonio abeſt. Unde 4. non concedi poteſt, *homines, ſimulatque ſermone uti inſtituerunt, mutuam obligationem inter ſe introducere voluiſſe, ne homines alio ſenſu ſermone illo uterentur:* præterea enim, quod id verum jus non ſit, de tali pacto hominum non conſtat; & verum non eſt, quod Grotius porro ait, *ſine tali obligatione inane fuiſſe tale repertum* [k], quia uſum inſignem illud repertum habet quoties alterius jus ex meo mendacio læditur: extra hunc caſum igitur res arbitrii manet. Idque 5. jure Romano quoque ita deciſum eſt: nam ſi quis interrogatus tutorem ſe eſſe reſpondit, nulla is actione tenetur, niſi adoleſcentem in aliquam captionem reſponſo ſuo induxit. [l]

Sed & 6. tot exceptiones Grotius ponit, ut veritas regulæ noſtræ eo ipſo probetur. Ita enim [a] amenti, & infanti mendacium licite dici, ait [m]: [b] nec tunc eſſe mendacium, ſtatuit, cum is, ad quem ſermo dirigitur, non decipitur, ſed tertius aliquis inde falſam haurit perſuaſionem: [c] ſi fabula narratur; aut [d] ſermo figuratus profertur [n]: [e] ſi in commodum ejus, cui mendacium dicitur, id fit [o]: [f] ſi Prin-

(c) B. Parens d. l. §. 10. (d) Lauterb. Comp. pag. 692. (e) Grot. L. 3, c. 1, §. 11, n. 1. (f) d. l. 3, c. 1, §. 11. n. 1. (g) d, c. 1, §. 12, 13. (h) id. l. 3, c. 1, §. 8, n. 5, & §. 11, n. 1. (i) d. c. 1, § 8. n. 2, & §. 11, n. 1. (k) d. §. 11, n, 1. (l) l. f. ff. quod falſo tut. ibique Gothofr. (m) d. c. 1. §. 12. (n) d. c. 1, §. 13. (o) d. c. 1, §. 14.

Princeps utitur falſiloquio ad explorandam veritatem a ſubditis [p] : [g] ſi agitur de avertenda ab alio injuria [q] ; [h] adverſus hoſtes. [r]

n. 2. Regula autem a nobis propoſita exceptionem patitur, ſi alii injuria ex illo mendacio infertur, i. e. ſi jus ejus læditur : tunc enim is, qui aliquid falſo aſſerit, obligatur ex regula juſtitiæ generali, ad jus ſuum cuique tribuendum (niſi hoſtis inde lædatur ; nam hoſti damnum inferre licet [s]). Ponamus, aliquem percontari viatorem de via ; is monſtrat doloſe aliam, & damnum quærenti inde contingit : deceptus agere poteſt ad id, quod intereſt, contra eum, qui mentitus eſt. Aliud exemplum occurrit in *lege finali ff. quod falſo tutore*, &c.

S e c t i o II.

De Delictis privatis.

§. DXXII. Delicta *privata* JCtis Romanis dicuntur, quia actor agit ad id, quod ei ex delicto alterius abeſt: adeoque quia jus ſuum privatum perſequitur. [t]

§. DXXIII. Privata delicta tantum quatuor denominaverunt : 1. *furtum*, 2. *rapinam*, 3. *damnum injuria datum*, & 4. *injuriam.*

§. DXXIV. *Furtum* definitur contrectatio fraudulosa, lucri faciendi cauſa, vel ipſius rei alienæ, vel uſus ejus, poſſeſſioniſve, invito domino facta. [u]

n. 1. Requiritur igitur 1. *contrectatio*, unde excluditur cogitatio, ingreſſio in conclave, &c. ; contrectare autem etiam videtur qui re aliena abutitur, item qui opem, & conſilium d[illegible], qui rem furtivam emit, vel celat, &c. [v] 2. *malitia* furis [x] ; ſi proinde quis aufert rem, putans ſuam eſſe, non eſt furtum: 3. ut contrectet *lucrandi cauſa* ; non ſi ex alia cauſa, v. g. libidine [y] : 4. contrectatio rei *alienæ* ; nam rei propriæ furtum non fit [z] : 5. ut fiat *invito domino* ; volenti enim non fit injuria. [a]

n. 2. Prohibitio furti ſequitur ex ipſo jure naturæ [b] (non pro certo rerum ſtatu, uti Grotius ſtatuit, qui dominium voluntate hominum introductum, at eo introducto nefas mihi eſſe, ait, arripere te invito, quod tui eſt dominii [c] ; quam ſententiam alibi refutavimus [d]), quod cum humano genere originem cepit. Cum enim naturali ratione ſingulis hominibus competat jus occupandi res terræ, & facultas occupatis rebus utendi, ac pro lubitu de illis diſponendi, neceſſario ſequitur, alios homines turbare illam facultatem a Creatore conceſſam, i. e. auferre jus alii quæſitum, non poſſe. Si proinde auferunt talem rem alii quæſitam, furtum committere dicuntur, & ex regula generali juſtitiæ tenentur eam reſtituere ei, cujus eſt, eoque ſuum cuique tribuere. [e]

n. 3.

Grot. l. 3. (*p*) d. c. 1, §. 15. (*q*) d. c. 1, §. 16. (*r*) d. c. 1, §. 17. ſeq. (*s*) vid. infr. §. 750. (*t*) §. 10, Inſt. injur. (*u*) §. 1, & 2, obl. quæ ex del. (*v*) Laut. Comp. pag. 753. (*x*) §. 7, de uſucap. l. 37. de Uſurp. l. 7, de furt. (*y*) l. 53, pr. l. 39, pr. de furt. Laut. d. pag. 653. (*z*) Laut. Comp. pag. 652. (*a*) Laut. d. l. pag. 753. (*b*) Grot. prol. §. 8. l. 3, c. 1, §. 10, n. 9, (*c*) Grot. l. 1, c. 1, §. 10, n. 4. (*d*) Diſſert. procem. I. c. fin. (*e*) vid. ſupr. §. 243, & 248. Conf. Diſſert. Procem. X. Poſ. V, per tot.

Digitized by Google

n. 3. Atque hinc furtum jure naturali prohibitum eſſe, ait *Paulus*, natura turpe *Ulpianus*, Deo diſplicens *Euripides* [f]: ſed & crimen eſt apud Scytas [g], Hebræos [h], aliasque gentes. Qua ratione admiſſum apud Spartanos, & Ægyptios fuerit, alibi videbimus. [i]

Adeo autem jus alii quæſitum natura auferri nequit, ut nec ob neceſſitatem furtum licitum fieri poſſit [k]. Si Deo jubente res aliis auferuntur, crimen non eſt. [l]

n. 4. Furtum committunt omnes, qui delinquere poſſunt. (Jure Romano excipiuntur uxores, & liberi [m].)

n. 5. Effectus hujus delicti *intuitu domini* eſt, ut ille rem ſuam defendere poſſit [n], *vel* per *bellum publicum*, ſi inter ſummas poteſtates res agitur: *vel* per *bellum privatum*, ſi judicis copia non ſit; quod adeo verum eſt, ut & furem nocturnum, & diurnum, jure neceſſariæ defenſionis interficere liceat [o] (cur jure divino id mutatum ſit, alibi explicabimus [p]): *vel* per *actionem* coram judice inſtituendam, de quo late in libris Digeſtorum agitur. [q]

n. 9. JCti Romani, pro varia qualitate furtorum, etiam varias actiones dedere: nam 1. ſi ad ſimplum ſaltem agitur, *condictio furtiva* datur: 2. ſi ad duplum, triplum, vel quadruplum, *actio furti*. 3. Si furtum cum rapina conjunctum eſt, *actio de rapina* datur. 4. Si uxor furtum fecit, actio vocatur *rerum amotarum*. 5. Si filiusfam. aliquid aufert patri, *jure patriæ poteſtatis* caſtigatur. 6. Si tignum ædificio junctum tollitur, actio de *tigno juncto* obtinet. 7. Si nautæ, caupones, ſtabularii, vel ipſi, vel operarii eorum, furtum committunt, datur *actio adverſus nautas, caupones*, &c. 8. Si familia furtum fecit, dominus convenitur actione *ſi familia furtum feciſſe dicatur*, *ut ea dedatur*, *vel duplum reſtituatur*. 9. Si occaſione incendii, &c. furtum fit, datur actio *de incendio*, *ruina ædium*, *naufragio*, *& rate navi expugnata*. 10. Si in balneo veſtimenta, &c. auferuntur, datur *actio de furibus balneariis*. 11. Si pecudes abiguntur, datur actio *de abigeis*. 12. Si hæreditariæ res auferuntur, locum habet actio *expilatæ hæreditatis*. 13. Si in platea, vel in domo, veſtimenta, aliæque res mobiles auferuntur, datur actio *de effractoribus*, *& expilatoribus*. 14. Si furtim arbores læſæ ſunt, *actio arborum furtim læſarum*, &c. Ideo autem hæc furta ſeparatis titulis tractantur, quia in ſingulis ſpeciale quid legibus Romanis ſancitum eſt.

n. 10. Non tantum autem tenetur Fur ad reſtituendam rem, ſed præterea magiſtratui ad pœnam, quia lege prohibente jus alterius lædit. De quo in materia pœnarum dicendi locus erit.

§. DXXV. *II.* RAPINA a furto non differt, niſi quod vis hic accedat, & res mobilis vi rapiatur [r]. Ubi quædam ſingularia jure Romano obtinent: nimirum, 1. quod intra annum detur in quadruplum; cui ſimplum ineſt: 2. quod

(*f*) apud Grot. d. c. 1, §. 10, n. 4. (*g*) Grot. l. 2, c. 1, §. 12, l. 2, c. 20, §. 35. (*h*) Grot. l. 2, c. 20, §. 32, & 35. (*i*) Conf. Not. ad Grot. l. 2, c. 20, §. 35. (*k*) Diſſent. Grot. l. 2, c. 6, §. 6, n. 4. (*l*) vid. ſupr. §. 61, Conf. Grot. l. 1, c. 1, §. 10, n. 6. & late Diſſert. Proœm. 1, §. 60. (*m*) Laut. comp. pag. 652. (*n*) vid. ſupr. §. 49. (*o*) Grot. l. 2, c. 1, §. 11, & ſeq. (*p*) Grot. d. l. §. 22. (*q*) Laut. Comp. pag. 654. (*r*) tot. tit. Inſt. & ff. de vi bon. rapt.

2. quod rapiens præterea teneatur ex lege Julia de vi: 3. quod is, qui rem ſuam rapit, ſuæ rei dominium, aut creditum perdat [s]. Atque hæc ratio eſt, cur ſpeciali titulo a JCtis Romanis tractetur.

§. DXXVI. Inter privata delicta quoque recenſetur DAMNUM, quod in re aliena, non animo lucrandi, INJURIA (i. e. dolo, & culpa, etiam leviſſima) datur. [t]

Tale factum, ex quo jus meum læditur, verum delictum eſt: patrimonium enim meum diminuitur; adeoque facto alterius illicito mihi aliquid abeſt, quod is, qui cauſa eſt hujus damni, reſtituere, adeoque jus ſuum cuique tribuere tenetur. (*Vid.* §. 515.

n. 1. Equidem mirum videri poteſt, damnum *culpa* datum inter delicta, & maleficia referri, cum delictum ſine propoſito non committatur. At cum naturam delicti examinaverimus, dubium hoc ſponte ſua corruet.

n. 2. Ex præcedentibus enim repetendum eſt, naturali ratione jura quædam ſingulis propria, & ſua eſſe; atque hoc jus quæſitum, ab aliis hominibus auferri, damnum inferendo, non poſſe.

Damnum autem dari poteſt duplici modo; vel dolo, ſeu propoſito, vel culpa. Utroque modo fit injuria: de damno doloſo id indubium eſt: de culpa, id nunc probandum erit.

Culpam autem definimus: *factum, quod homo intelligit, vel intelligere debet, alii periculoſum futurum.* [u]

Sane, Deus homini rationem, i. e. intellectum dedit, vi cujus cognoſcere poteſt, jus naturali ratione aliis quæſitum, facto tali auferri poſſe. Hinc neceſſario ſequitur, hominem, qui negligit has intelligendi vires, eoque damnum dat, injuria, i. e. contra jus agere: maleficium enim hic eſt, factum illicitum, quod jure improbatur; adeoque verum delictum.

Neque *obſtat* vulgatum illud, quod delictum ſine propoſito, ſeu dolo, non committatur. Reſp. Fallit hæc regula quando de *reparatione damni culpa dati* agitur, quia facto illicito, ſeu jure improbato, jus alterius turbatur; quod proinde reparari, i. e. jus ſuum cuique tribui debet. (*Vid. infr.* §. 577.)

Not. Cum obligatio ex damno dato tantum pertineat ad damna corpore, vel, in corpus data, adeoque in aliis damnis actio legis Aquiliæ ceſſet, Prætor hic quoque ſuccurrit. Atque hinc ſi quis ſervum meum ſollicitat ad aliquid faciendum, vel cogitandum improbe, actionem dedit *de ſervo* corrupto. Cum enim ſervus hic corrumpatur, & deterior reddatur alterius nequitia, etiam naturali jure corrumpens tenetur; quia tanti minoris factus eſt ſervus: indeque corruptor omnem æſtimationem præſtare tenetur, omneque, quod domini intereſt. [x]

§. DXXVII. *IV.* INJURIA eſt delictum privatum, quo aliquid fit in alterius contumeliam. [y]

n. 1. Ea fit 1. *re*, quando manu, vel vi corporis infertur: 2. *verbis*, ſi ore, vel ſcriptura: 3. *factis*, ſi geſtis, aliisque ſignis expreſſa ſit. [z]

n. 2. Cauſa obligationis, quando ex *injuria* oritur, eſt ex jure naturæ: nam in-

(*s*) dd. tit. (*t*) l. 5, §. 1, leg. Aquil. (*u*) l. 8, §. 1, de l. Aquil. (*v*) L. 1, §. 3, Serv. corrupt. (*x*) L. 1, pr. ſerv. corr. l. 9, §. f. l. 10, l. 11. ff. Eod. (*y*) pr. Inſt. de injur. l. 1. §. 1, l. 15, Eod. (*z*) l. 1, §. 1, ff. injur. l. 15, eod.

Digitized by Google

inter jura cuique hominum quæſita merito refertur honor, fama, & integritas tum vitæ, tum morum [a]. Ob has enim qualitates bene de nobis exiſtimant viri boni; ex hac opinione capax quis redditur dignitatum reipublicæ; ideo ad conſortium membrorum illius civitatis admittitur: immo omnis fides hominis ex integritate vitæ, & morum dependet.

Si quis proinde famam meam ſugillat, revera honorem lædit, integritatem vitæ, & morum inculpat, a virorum bonorum conſortio, & dignitatibus reipublicæ, eo ipſe me excludit, fidemque meam inter homines ſi non tollit, ſuſpectam tamen reddit; jus igitur mihi quæſitum aufert, eoque injuriam mihi facit, quam proinde jure naturæ reparare, i. e. jus ſuum cuique tribuere tenetur. [b]

n. 3. Magis hæc ratio obtinet in *injuriis realibus*: ubi præterea jus, quod nobis ſolis in corpus noſtrum competit, violatur; quæ injuria reparari omnino debet.

n. 4. Injuriam inferunt qui doli capaces ſunt [c]: non ergo infantes, furioſi, ſumme ebrii, &c. [d]. Inferri autem etiam poteſt per tertium; & tunc mandans, & mandatarius, habentur pro una perſona. [e]

n. 4. Patientur injuriam omnes [f], etiam infantes, ſervi, ac furioſi [ff]: nec non mediate, per perſonas alias. Ita patri fit injuria per liberos in poteſtate conſtitutos; domino per ſervum, ſi in contumeliam domini injuria fiat; marito per uxorem; ſponſo per ſponſam; hæredi per defunctum. [h]

n. 5. Quando *injuria* vera ſit, late explicatur a Doctoribus juris civilis. [i]

n. 5. Effectus eſt 1. *intuitu ejus, qui injuriam paſſus eſt*, ut vindicare illam injuriam poſſit: *tum* bello publico, ſi inter ſummas poteſtates res agitur, exemplo Davidis [ii]: *tum* bello privato, ſi judicis copia non eſt; adeo ut etiam ei, cui imminet periculum accipiendæ alapæ, aut mali ſimilis, jus ſit id arcendi cum cæde inimici [k]: *tum* judicio, per actiones; de quibus vide Doctores juris civilis. [l]

Intuitu injuriantis effectus eſt, ut ille teneatur ad reparationem injuriæ, patiendo tantundem, in eo enim vera æſtimatio injuriæ conſiſtit. [m]

n. 8. Extinguitur actio injuriarum, 1. morte alterutrius, ante litem conteſtatam [n]; 2. actoris remiſſione, etiam tacita [o]: non vero 3. lapſu temporis; ſecus, ac jure Romano, ubi intra annum præſcribitur, niſi lis conteſtata fuerit [p]: nec 4. retorſione (aliud ſtatutum eſt jure Romano [q]); nam hoc caſu duæ diverſæ ſunt injuriæ.

SE-

(*a*) tot. tit. ff. his qui not. inf. (*b*) vid. diſſert. procem. X. Poſ. V. lit. u. (*c*) l. 3, §. 1. injur. (*d*) l. 3, §. 1, Laut. Comp. pag 664. (*e*) l. 11, pr. §. 3, & 4, l. 15, §. 18, Injur. Laut. d. l. (*f*) L. 1. §. 5, in fin. de injur. (*ff*) l. 3, §. 1, l. 15, §. 35, injur. Laut. d. l. (*g*) l. 1, §. 3, de injur. (*h*) Laut. d. pag 664. in fin. & 665, pr. (*i*) vid. Laut. pag. 665. (*ii*) II. Reg. 10, n. 6, ſeq. (*k*) Diſſent. Grot. l 2, c. 1, §. 10, Conf. not. ibid. (*l*) Laut. Comp. pag. 666. (*m*) vid. Laut. d. l. p 667. (*n*) l. 13, pr. l. 15. §. 14, de injur. (*o*) l. 16, §. 6, l. 17, §. 1. l. 27, §. 2, l. 11, §. 1, l. fin. ff. de injur. §. fin. Inſt. eod. Conf. Laut. tit. de injur. pag. 668. (*p*) Laut. d. l. (*q*) l. 37, in fin. de Minor.

Sectio III.

De Delictis extraordinariis.

§. DXXVIII. Delicta *extraordinaria* ſunt, ubi is, qui læſus eſt, agit ad pœnam extraordinariam, arbitrio judicis infligendam. [r]

Unde differunt 1. a *delictis publicis*, ubi publica ſecuritas læditur, (unde plerumque cuique e populo actio datur) & in quibus certa pœna lege ſtatuta eſt; in *extraordinariis* autem ſolus læſus agit, & pœna ex arbitrio judicis infligitur: 2. *a delictis privatis*, ubi læſus agit ad damni, & juris ſui, reparationem; in *extraordinariis* petit læſus, ut is, qui deliquit, extra ordinem puniatur.

§. DXXIX. Ad delicta extraordinaria referuntur *I.* omnes ſpecies, quæ in titulo de *extraordinariis criminibus* proponuntur [s]: ut [a] ſollicitatio alienarum nuptiarum [t]; [b] ſi quis alienæ ſponſæ nuptias appetit [u]; [c] injuria, quæ fit, fimum corruptum in aliquem fundendo; [d] ſi ad injuriam publicam quis aquas conſpurcaverit [x]; [e] doloſa pueri, vel puellæ, de ſtupro interpellatio; [f] abortus procuratio [z]; [g] annonæ vexatio [a]; [h] ſcopelismus, qui eſt ſpecies diffidationis, quæ fit per poſitionem lapidum [b]; [i] crimen ſacculariì [c]; & [k] directoriatus. [d]

§. DXXX. *II.* Crimen de *ſepulchro violato* [e]: quando corpora ſepulta, vel etiam oſſa, dolo malo extrahuntur, contrectantur, vel monumenta deformantur.

§. DXXXI. *III.* Crimen *concuſſionis*: quando quis pecuniam, vel aliam rem, ab alio, terrore injecto, extorquet. [f]

§. DXXXII. *IV.* Crimen *abigeatus*: quando grex e paſcuis, vel aliud pecus ex armentis, vel jumentis, ſubtrahitur. [g]

§. DXXXIII. *V.* Crimen *prævaricationis*: quando quis, prodita cauſa ſua, adverſarium juvat, colludendo cum reo ut abſolvatur, &c. Obtinet quoque hoc crimen in advocato, ſeu procuratore, qui manifeſtat tacenda; vel deſerto cliente, adverſario operam præſtat, &c. [h]

§. DXXXIV. Crimen *receptationis*: quando quis facinoroſis, eos abſcondendi cauſa, in ſuo, vel alieno, dolo malo, refugium præſtat. [i]

§. DXXXV. *VII.* Ad extraordinaria quoque crimina referuntur *furta balnearia*: quando veſtimenta, vel aliud quid, in publicis balneis ſurripitur. [k]

§. DXXXVI. *VIII.* Crimen *effractionis*, [i] & *expilationis*: quando quis ædes, horreum, &c. furandi cauſa, & carceres fugiendi cauſa, *effringit*; vel quando quis homines, veſtimenta, aliasque res, auferendo expilat. [l]

§. DXXXVII. *IX.* *Expilatæ hæreditatis* crimen eſt, quando res hæreditariæ

(r) l. 3, §. 1, Stellion. §. 10, Inſt. de injur. (s) vid. tot. tit. de extraord. crim. (t) l. 1. pr. eod. (u) l. 1, pr. eod. (v) l. 1, §. 1, eod. (x) l. 1, §. 1, eod. (y) l. 1, §. 2, eod, l. 1. §. 3, ſerv. corrupt. (z) l. 4, eod. l. 8, ad leg. Corn. de Siccar. (a) l. 6, eod. Laut. p. 672. (b) l. 9, ff. eod. (c) l. 7, eod. (d) l. 7, eod. (e) tot. tit. ff. ſepulchr. viol. Laut. p. 673. (f) tot. tit. ff. de Concuſſ. vid. Laut. p. 679. (g) tot. tit. ff. de abigeis vid. Laut. p. 674. (h) tot. tit. ff. de prævaricat. vid. Laut. p. 679. (i) Tot. tit. ff. de receptat. vid. Laut. p. 675. (k) tot. tit. ff. de effract. & expilat. Laut. p. 676. (l) Tot. tit. de effract. & expilat. Laut. p. 676.

tariæ vacuæ, dolo malo, lucri cauſa, contrectantur. [m]

§. DXXXVIII. *X. Stellionatus* crimen eſt, quoties impoſtores ſubdole, alterius fraudandi cauſa, aliquid machinantur, & ſpeciale delicti nomen deficit [o]. Exempla ſequentia LAUTERBACHIUS [p] recenſet: [a] ſi quis ſciens, prudensque, rem alteri oppignoratam, per calliditatem, diverſis contractibus, alteri oppignoraverit [q]: [c] ſi quis æs pro auro oppignoraverit [r]: [d] ſi quis ignoranti creditori rem alienam tamquam ſuam oppignoraverit [s]: [e] ſi quis pecuniam non numeratam exigat; aut ſi creditor pecuniam ſemel acceptam iterum exigat [t]: [f] ſi quis merces corruptas diſtrahat [u]: [g] ſi quis divitem ſe ſimulet, ut eo gravius æs alienum conflet [v]: ſi quis rem feudalem ut liberam alienet, &c. [x]

Denique & *XI.* inter crimina extraordinaria quoque referuntur *collegia* illicita [y]: & *XII.* ſi quis terminos finium cauſa poſitos propulerit.

CAPUT VI.

De Pœnis.

§. DXXXIX. EXPLICAVIMUS hactenus delicta, quæ in *malo actionis* conſiſtunt: ſequuntur pœnæ, ſeu *malum paſſionis*, quod propter malum actionis infligi ſolet. Grotius naturam, & originem pœnarum minus intellectam, multis erroribus cauſam dediſſe, ait [a]; intereſt igitur, originem pœnarum ex ratione naturali demonſtrare.

§. DXL. Quid ſit delictum, & quæ inde oriatur obligatio, ſi damnum in bonis datum eſt, ſive dolo, ſive culpa, late ſupra examinavimus.

§. DXLI. Cum vero 1. præter reſtitutionem damni, malitia quoque ejus, qui jus alterius lædit, coërceri debeat, læſus hujus quoque injuriæ reparationem exigere naturali ratione poteſt. Sane, in delictis non ſufficit, reſtituiſſe damnum. Si enim præter damni reparationem nihil metuendum eſſet delinquentibus, nemo hominum tutus amplius foret: vel enim clam crimen perpetraturi eſſent facinoroſi, & tunc lucrabuntur ex ſuo dolo; vel ſi palam delictum committunt, liberarentur damni reſtitutione: utroque autem modo ad delinquendum invitarentur, & allicerentur.

Atque hinc JCti Romani in plurimis delictis, præter reſtitutionem damni, *pœnas privatas* conſtituerunt, in penſationem injuriæ illis, quibus damnum datum eſt, illatæ: quo pertinent pœnæ in ſimplum. duplum, triplum, & quadruplum. [b]

§. DXLII. 2. Si damnum in bonis da-

(*m*) Tot. tit. ff. expil. hæred. Laut. p. 677. (*n*) l. 3, §. 1, Stellion. (*o*) Laut. Comp. jur. pag. 678. (*p*) l. 3, §. 1, Stellion. (*q*) l. 16, §. 1. Stellion. 36, §. 1, pign. act. l. f. C. Stell. (*r*) l. 16, §. 1, Eod. l. 36, pign. act. (*s*) d. l. 16, §. 1, pign. act. (*t*) l. 29, §. 2, & 5, Mand. (*u*) l. 3. §. 1, Stellion. (*v*) l. 43, §. 5, furt. (*x*) 2, feud. 55. (*y*) tot. tit. ff. colleg. & corp. (*z*) tot. tit. ff. de term. mot. (*a*) l. 1, c, 20, §. 1, n. 1. (*b*) B. Parens. Hyp. Inſt. tit. de act. §. 21.

datum reſtitui non poſſit, alio modo reparari damnum debet. Unde regula, quod is, qui non habet in ære, luere in corpore, (i. e. pœnam pati) debeat, naturalis eſt.

§. DXLIII. Sed & 3. ſæpius contingit, damnum datum non eſſe, attamen jus alterius lædi; ut in injuria verbali, raptu, &c. Hoc caſu læſo jus competit perſequendi injuriam illatam, exigendo pœnam.

§. DXLIV. Præterea omnibus his caſibus 4. injuria quoque fit magiſtratui, quia leges ejus violantur, auctoritasque ejus ſpernitur: atque hanc injuriam itidem perſequi magiſtratus poteſt, pœnam infligendo.

§. DXLV. Denique 5. etſi nemini damnum datum ſit, immo licet privatis injuria illata non ſit, ſi tamen prohibente lege aliquid committitur, hoc quoque delictum reparari debet; quia ſuperioris jus violatur, adeoque ei injuria fit.

§. DXLVI. Merito igitur quæritur, quanam ratione omnibus his caſibus reparari injuria illata debeat. Reſp. per pœnam, i. e. patiendo tantundem mali, quantum lædens fecit.

§. DXLVII. Pœna vox græca eſt, a *ποινὴ*, vel ex dialecto dorica, *ποινὰ*, pœna, ultio, a *ποινάω*, punio, unde *ποινὴ* apud Græcos eſt pretium, quod homicidæ propinquis, & affinibus mortui tribuebant, ne homicidii reum arguerent: ut ex *Heſichio Mauſacus* ad *Harpocrationem* docet p. 269. Et Pauſaniæ in Laconicis *ποινὴ* eſt *ἁμαρτήματος ἐκδίκησις*, *peccati ultio*, vel juxta deſcriptionem JCti [bb], *noxæ vindicta*.

Non ergo pœna eſt a *pœnitendo*, quaſi feram admiſſi pœnitentiam ingerat, uti Varro putat [c], neque a *pendendo*, quod delinquens pendere pœnas dicatur [cc]; neque a verbo *πονέω* vexo, affligo; aut quia delinquens afflixit, aut quia afflictione dignus eſt. [d]

§. DXLVIII. Pœna a JCtis Romanis definitur *noxæ vindicta*, vel *delictorum correctio* [e]. A Philoſophis autem, *malum paſſionis propter malum actionis*. [f]

§. DXLIX. Duo ergo ad pœnam requiruntur: 1. ut delinquens malum aliquod patiatur: 2. ut id malum patiatur ob malum actionis.

PRIMO igitur requiritur, *ut reus malum aliquod patiatur*, i. e. ut ipſe vel in corpore ſuo, vel ſuo ære, vel juris alicujus amiſſione, luat delictum; quia alias non ipſe punitur, qui deliquit, ſed alius, qui pœnam de ſuo ſolvit, & qui non deliquit. [g]

Hoc fundamento nititur tota ratio pœnarum in jure Romano. Nam 1. vera *pœna* eſt, quæ debetur ex delicto, ſive publico, ſive privato, ſive extraordinario [h]; quia pœna ex his delictis debita, vel perſonam rei afficit, vel ex rei patrimonio debetur. 2. Porro *pœnæ* nomine venit duplum, triplum, & quadruplum, quod reus defunctus jure Romano ultra ſimplum actori debuit [i]; quia de ſuo debet. Simplum ipſum aliquando *pœna* eſt, vel in totum, vel pro parte. In *totum* pœna eſt, quando jure civili ratione damni dati actio non datur; ſed jure prætorio, in *pœ-*

(*bb*) In l. 131, pr. de V. S. (*c*) de ling. lat. l. 4. (*cc*) Faber in lex. voc. pœna. (*d*) vid. Bodin. de pœn. innoc. th. 3. (*e*) Leg. 131. ff. V. S. (*f*) Grot. l. 2, c. 20, §. 1. (*g*) B. Parent. Diſquiſ. de oblig. hær. ex del. def. th. 7. (*h*) vid. infr. (*i*) B. Parens d. diſp. th. 9, & th. 11. Conf. §. 19, Inſt. de act.

Digitized by Google

pœnam doli, ſimplum reſtitui jubetur. Hoc caſu *ſimplum* mera pœna eſt [k] (etſi revera rei perſecutionem contineat intuitu actoris [l]); adeo ut nec contra hæredes detur [m] (quod merito juri naturali repugnare, B. Parens [n] ait). Sed & tunc ſimplum *pœna* eſt, quando reus damnum alteri dedit, nec inde locupletior factus eſt; etſi enim intuitu actoris ſit rei perſecutio, erit tamen pœna intuitu lædentis, quia de ſuo debet [o]. *Pro parte pœna* eſt, quando ſimplum in pœnam extenditur. [oo]

Econtrario, non eſt *pœna*, 1. quoties reus reſtituit rem alienam, quam ex delicto ſuo tenet; vel lucrum, quod ex re aliena percepit [p]: nihil enim de ſuo ſolvit. Nec 2. ſimplum pœna eſt in actionibus mixtis [q]: nec 3. rei perſecutio, quæ ultra pœnam ſimplo ineſt [r]: nec 4. ſi poſt mortem malum aliquod infligitur.

§. DL. Alterum requiſitum eſt, ut quis pœnam patiatur *ob malum actionis*: i. e. ut aliquid fecerit, quo jus alterius violatur, ſive dolo, ſive culpa.

Duo autem requiruntur ut *actio mala ſit*: [a] ut *jus* alterius *lædatur*, [b] ut illud lædatur *dolo*, vel *culpa agentis*.

n. 1. Ex *priori* requiſito ſequitur, neminem puniri poſſe 1. ob actus nondum inchoatos, 2. ob pravas cogitationes, 3. ob neglectos actus perfectionis. An 4. ob hæreſin? Reſp. Si legibus loci certus cultus ſtatutus eſt, omnes, qui cultum illum profiteri nolunt, exilio mulctari, etiam ratione naturali, poſſunt. Atque hæc ſola pœna, ſub primis Imperatoribus Chriſtianis, Arrianis, aliiſque hæreticis, dictabatur.

Si vero contra leges civitatis alium cultum propalare ſtudent, gravioribus pœnis coërceri, & ſi motus inde oriuntur, vel metuuntur, capite plecti poſſunt. Atque ex hac ratione tractu temporis auctæ ſunt pœnæ a Romanis Imperatoribus.

Temporibus Conſtantini, Conſtantii, & Conſtantis, hæretici muneribus ſubjiciebantur [t]. Sub Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio, arbitrarie, exilio nimirum, mulcta pecuniaria, &c. puniebantur [u]. Hæ pœnæ auctæ fuere ſub Honorio, & Arcadio [v]; qui primi pœnam capitis ſtatuerunt in Manichæos, & Donatiſtas [x]: quam differentiam interManichæos,& reliquos hæreticos, quoque obſervarunt Theodoſius II. & Valentinianus III. [y], & poſt eos Juſtinianus [z]. Valentinianus, & Marcianus extenderunt pœnam capitis in Appollinariſtas, & Eutychianos, ſi publice ſuam hæreſin docerent [a]. Denique Juſtinianus pœnam mortis in omnes hæreticos conſtituit, qui actus quoſdam religionis publice docerent. [b]

Not. Si hæreticis ſemel fides publica data eſt, eis nulla ratione jus hoc quæſitum auferri, nedum pœna in eos ſtatui poteſt. (*Vid.* §. 81. & 99.)

An 5. ob mendacium puniri quis poteſt

(*k*) l. 9, §. f. reb. aut. jud. poſſid. l. 9, §. 1, quod falſ. tut. l. 35, pr. O. A. d. diſp. th. 5, in fin. & th. 11. ſeq. (*l*) l. 11, ff. reb. auth. jud. l. 7, §. 1, quod falſ. tut. (*m*) d. l. 9, §. f. d. l. 9, §. 1. (*n*) d. diſp. th. 23. (*o*) Aliter B. Par. d. diſp. th. 10. (*oo*) Ut in caſu §. 19, Inſt. de action. (*p*) dict diſp. th. 5, n. 2, & th. 10. (*q*) dict. diſp. th. 11. & 12, Conf. §. 19, Inſt. act. (*r*) Dict. §. 19. (*t*) L. 1, C. Hæret. (*u*) l. 1, §. 1, Summ. Trin. l. 2, C. Hæret. (*v*) l. 3, C. Hæret. (*x*) l. 4, C. Hæret. (*y*) l. 5, C. Hæret. (*z*) l. 12, C. Hæret. (*a*) l. 8, C. Hæret. (*b*) l. 14, C. Hæret.

Digitized by Google

Poteſt? Negatur, ſi jus alterius inde læſum non eſt. (*Vid. ſupr.* §. 521. *n.* 12.)

n. 2. Ex *poſteriori* requiſito ſequitur, eum, qui caſu delinquit, vel delicti capax non eſt, puniri non poſſe.

Quæritur, an ob *culpam* naturali jure pœna infligi poſſit [c]? Nos affirmamus, 1. quia culpa factum illicitum eſt; is enim, qui culpa ſua jus alterius lædit, potuit, & debuit id providere: injuria igitur eſt, quæ reparari debet. Atque hinc 2. ex eadem ratione is, qui culpa damnum dat, id reſarcire tenetur. *Vid.* §. 526. Hæc ſententia 3. confirmatur exemplo legis Moſaicæ, quæ agnatis defuncti facultatem concedit pœnas ſumendi ab homicida, qui NB. *in perturbatione animi, & in furore iræ, defunctum percuſſit.* Sed & 4. illos, qui ad aſylum profugerunt, perpetuo exilio mulctavit Deus. Jure Romano 5. is, qui culpa ſua cauſam incendio dedit, ſi damnum reparare nequit, fuſtigatione punitur [d]. Si damnum culpa in corpus datur, quod reparari nequit, is, qui damnum dedit, punitur pro qualitate damni, & culpæ [e]; quæ pœna aliquando ad mortem extenditur, uti ſi quis poculum amatorium absque dolo alicui propinat, unde perit. [f]

Præterea ob levem quoque, immo aliquando ob leviſſimam culpam, pœna ſtatuitur. Quoties enim culpa mea res alterius perit, caſum præſtare teneor; quæ vera pœna eſt.

§. DLI. Pœna igitur ſupponit malam actionem. Hinc regula naturæ eſt, *neminem ob alterius delictum puniri poſſe.*

n. 1. Non ergo 1. puniri poſſunt *ſubditi ex delicto civitatis, vel Principis* [g]; quia ſubditi nihil mali peregerunt, adeoque nihil mali viciſſim pati poſſunt.

Excipe, ſi delictum eorum proprium concurrit: uti [a] ſi ſubditi conſenſum præbuerunt, & v. g. communi conſilio injuria approbata fuerit; tunc enim ex ſuo conſenſu tenentur [h]: ſi injuriam factam defendunt, uti ſi Principi contra eum, qui injuriæ reparationem urget, aſſiſtunt, ſive opera, ſive opibus [i]. Qua ratione nititur jus capiendi res, & adimendi vitam, ac libertatem, ſubditorum hoſtilium.

Neque *obſtat*, populum pœnas dediſſe pro crimine Davidis? Reſp. pœna non fuit *intuitu populi*, qui nihil mali egit; Deus tanquam arbiter vitæ, & bonorum, (qui de utrisque pro lubitu diſponere poteſt) jure ſuo uſus, peſtem immiſit populo: at pœna fuit *intuitu Davidis*, qui tot malis, quorum ipſe cauſa erat, mire afficiebatur.

n. 2. Nec 2. puniri poteſt civitas, vel Princeps, ob *delictum ſubditorum* [k]; ceſſat enim mala actio: niſi civitatis, vel Principis proprium delictum concurrat. Quod fit [a] ſi cauſa ſunt injuriæ: uti ſi mandant, vel conſilium dant ſubditis, vel ſi non prohibent, cum prohibere poſſunt, & debent; hinc ante omnia læſi percontari ſolent Principem, cujus ſubditi injuriam fecere, an ſubditi conſilio publico injuriam dederint, an auſu priva-

(c) Vid. Struv. Synt. jur. civ. tit. de Pœnis §. 8, & 9. (d) Leg. 9, l. 11. ff. de incend. & ruin. &c. (e) Leg. 6, de extraord. cogn. l. 107. Reg. jur. (f) Leg. 38, §. 5, ff. de pœnis. (g) Grot. l. 2, c. 21, §. 7, §. 2, n. 5, §. 17, n. 1. (h) Grot. l. 2, c. 21, §. 7, n. 1. (i) d. c. 21, §. 2, n. 5, §. 17, n. 1. (k) Grot. l. 2, c. 20, §. 2, n. 1.

Digitized by Google

privato: [b] ſi civitas, vel Princeps, injuriam factam defendunt; uti ſi vel punire reos, vel dedere nolunt. [l]

Idque verum quoque eſt in ſubditis momentaneis, i. e. in advenis [m]: nam & hos vel punire, vel dedere debet civitas; quod ſi recuſat, ipſa injuriam facit, adeoque ex ſuo delicto obligatur, adeo ut nec aſyli prætextu eludi juſta vindicta poſſit. [n]

n. 3. Nec 3. *liberi* puniri poſſunt *ob delictum parentum*, nedum *agnati* [p], quia nihil mali egere, adeoque & formale delicti ceſſat, & materiale. Neque enim pœna *intuitu liberorum* dici poteſt, quod non ſuccedant in bona patris, qui læſæ majeſtatis reus eſt: id enim non eſt ex defectu juris, ſed quia defunctus moriens bona non reliquit, utpote quæ eo vivente fiſco jam fuere addicta [q]. Sed & pro pœna haberi non poteſt, quod filii perpetua infamia notentur, & a dignitatibus civitatis perpetuo excludantur; quia civitas de juribus ſuæ civitatis pro lubitu diſponere, atque ab illis excludere poteſt eos, quorum parentes male de republica meriti ſunt. Accedit, quod jura quædam ſint, quæ liberi non habent niſi per patrem, qualia ſunt jura civitatis: hæc ergo jura cum patri adimuntur, neceſſario adimuntur liberis [r]. Et ſi civitas jura civitatis, urgente utilitate publica, auferre ſubditis poteſt, mirum non eſt ſi pro tuenda civitate etiam liberis eorum, qui munimenta publicæ ſecuritatis infringunt, jura quædam adimunt, quæ a civitatis arbitrio dependent. Adeoque hactenus pœna non eſt, ſed calamitas.

Quod vero liberi, & agnati, quibuſdam locorum ſtatutis, mortem ſubire teneantur, id juri naturæ contrarium arbitramur; quia vita ſubditorum non eſt jus civitatis, nec ab ejus arbitrio dependet.

Neque *obſtat*, Deum minari pœnas ob delicta parentum, ad tertiam, & quartam uſque generationem: nam pœna hæc eſt intuitu parentum, qui male egerunt, & qui hoc ipſo mali aliquid patiuntur, dum liberis eorum, quorum ſalus adeo cordi eſt parentibus, nulla felicitatis ſpes relinquitur. At in liberis pœna non eſt [s], ſed calamitas, dum privantur jure aliquo, quod totum a divina diſpoſitione dependet. Deus ergo vel vitam, vel bona liberis adimendo, ſuo jure utitur, nec liberis injuriam facit.

n. 4. Nec. 4. parentes *ob delictum liberorum* pœnæ ſubjici poſſunt; niſi proprium patris delictum concurrat: uti ſi cauſa eſt delicti, vel mandando, vel conſilium dando, vel non impediendo, dum impedire potuit, & debuit. [t]

n. 5. Nec 5. fidejuſſor *pro reo capitis* puniri poteſt, quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum, adeoque diſponeret de jure alieno. Effectum tamen hæc fidejuſſio hactenus habet, ut bona ei auferri, & a juribus civitatis excludi poſſit [u]. (*Vid.* §. 497.)

n. 6. Nec 6. hæres ex *delicto defuncti* tenetur; quia meritum, & demeritum, perſonaliſſimum aliquid eſt, quod nunquam ad hæredes tranſit, ſed cum perſona interit. Secus ſi defunctus pœnam ex patrimonio debuit; nam tunc onus hoc cum patrimonio tranſit ad hæredes [v]. Atque hæc ratio

(*l*) Dict. c. 21, §. 2, n. 2, 3, 4, & 6, §. 3, n. 1, & 2. (*m*) Dict. c. 21, §. 4, n. 8. (*n*) Dict. c. 21, §. 5. (*o*) Dict. c. 21, §. 10, uſque ad 16. (*p*) Dict. c. 21, §. 14. (*q*) Dict. c. 21, §. 15, junct. §. 10. (*r*) Grot. l. 2, c. 21, §. 16. (*s*) Grot. l. 2, c. 21, §. 14. (*t*) Grot. l. 2, c. 21, §. 2, n. 2, 3, 4, & 6. (*u*) Grot. l. 2, c. 21, §. 11. (*v*) Grot. l. 2, c. 21, §. 19, & 20.

tio eſt, cur poſt litem conteſtatam pœna pecuniaria etiam ad hæredes tranſeat. [x]

§. DLII. Pœnæ jure naturali dividuntur in *capitales*, & *non capitales*: hæ vero iterum in pœnas, *quæ corpus ipſum afficiunt*, & in eas, *quæ corpus non afficiunt*.

§. DLIII. De *capitalibus* quæri ſolet, an jure naturali licitæ ſint. Grotius *Lib.* 1. *c.* 2. operoſe contra Anabaptiſtas licentiam judiciorum capitalium, tum ex jure naturæ, tum ex legibus divinis, inprimis autem ex doctrina Evangelii probat. Rationes naturæ paucis exponemus.

§. DLIV. Supponimus autem 1. Deum jura quædam cuique hominum propria eſſe voluiſſe, indeque injuriam fieri tum Deo, tum hominibus, ſi jura illa, voluntate Creatoris homini quæſita, ab alio homine auferuntur.

Supponimus, 2. injuriam illam neceſſario reparari debere, *tum* intuitu Dei, *tum* intuitu hominum; quia cum perfectione creatoris pugnat, contemtum ſuæ legis impunitum relinquere, & creaturam voluntatem Creatoris, qui jus aliis conceſſum voluit, impune infringere poſſe.

His præmiſſis 3. dicimus, naturale eſſe ut is, qui mali aliquid facit, tantundem mali pati teneatur [y]. Hoc quomodo æſtimandum ſit, admodum variant. Sane, talio non intelligi poteſt de retribuendo ejuſdem generis malo, & v. g. infligendo iterum naturali vulnere; quod rationibus naturæ probat B. Parens [z]: ſed tantundem illud æſtimationem recipit, vi cujus aliquid penſamus cum aliis rebus, vel factis, quæ ſunt vel ejuſdem valoris, vel ejuſdem quantitatis, vel qualitatis.

Hinc jam eſt quod quædam delicta pecunia, quædam pœnis corporis afflictivis, quædam privatione alicujus boni, quædam autem nonniſi ultimo ſupplicio penſari poſſint. [a]

§. DLV. Ad ultimam ſpeciem referimus 4. crimen HOMICIDII. Cum enim nihil in hoc orbe, nihilque omnino corporei, cum vita, ac anima hominis, quippe divinitatis particula, comparari poſſit, illius ademtæ talio nulla eſſe poteſt, quæ non ſit inferior delicto, niſi ipſa vita, & anima; qua ſola cum æſtimari, ac penſari crimen illud poſſit, viciſſim eam auferri neceſſe eſt, cum nullum animæ pretium ſtatui poſſit, quam anima.

Atque hæc talionis lex ex ipſis ſacris probatur [b]. Unde homo de ea diſpenſare nequit. Quod rationibus naturæ, & ex conſenſu Gentium, B. Parens demonſtravit. [c]

Hinc 5. Cain talionem hanc metuens, ſibi ipſi hanc ſententiam dictavit: *quicunque inveniet me, occidet me.* Et ipſe divinus legislator Noacho declaravit [d], quod *ſanguis ejus, qui effuderit ſanguinem, itidem effundi debeat*; ubi addit rationem: *ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*; quam imaginem deſtruit ille, qui vitam homini adimit [e]. Atque hæc pœna conſenſu omnium gentium probatur; omnes enim pœnam mortis in homicidas admittunt. [f]

Equi-

(*x*) d. §. 20. (*y*) B. Par. diſp. de SS. talion. jure §. 1, uſque ad §. 42. Grot. l. 1, c. 2, §. 5. (*z*) Diſp. de SS. tal. jur. §. 10, ſeq. (*a*) d. diſp. §. 18, ſeq. (*b*) d. diſp. §. 28, ſeq. (*c*) d. diſp. §. 30, ſeq. (*d*) Gen. IX. 6. (*e*) Conf. Num. 35, v. 31, 33. (*f*) B. Par. d. diſp. §. 31, ſeq. uſque ad §. 42.

Equidem 6. de *homicidis* id communiter concedunt; de aliis vero criminibus capitalia ſupplicia ſumi poſſe, plerumque negant: neque talionem ibi per effuſionem ſanguinis admitti poſſe, putant.

At 7. bene Grotius [g] notat, naturali ratione a ſimilibus ad ſimilia procedi poſſe, ut quod in homicidas conſtitutum jure naturæ eſt, in alios quoque eximie nocentes non iniquum videretur; quod B. Parens ſpeciatim de adulteris pluribus naturæ rationibus probavit [h]. Sunt enim quædam, quæ vitæ æquiparantur, ut exiſtimatio, pudor virginalis, fides matrimonii, ſecuritas publica, &c. [i]; adverſum quæ qui faciunt, ii homicidis meliores non videntur.

Sane, 8. in *adulterio* cum conjugata commiſſo juſta talio infra ſupplicium capitis ſtatui nequit, & omnia reliqua infra ejus æſtimationem eſſe videntur. Nam & violatur eo conjugalis thori ſanctimonia, quem ſolum natura conſtituit propagandi hominis, conſervandique generis humani, modum, ac remedium: & hoc præterea agitur, ut perpetua, ac æterna inferatur familiis injuria, quæ cum partu adulterino, ejuſque poſteritate, omnia familiæ jura uſurpante, alioſque iis privante in ſempiternum perennat. Accedit, quod adulterini amoris furoribus periclitetur vita conjugis innocentis. Denique hoc crimen omnium ſcelerum ſentina eſt, tantique viſum, ut amaræ potionis miraculo, & execratione, prodi potuerit latitans adultera [k]; quæ ſunt verba B. Parentis [l]: ubi porro probat, fere omnium gentium conſenſu pœnam capitalem in tales adulteros ſtatutam fuiſſe.

Negari 9. nequit, inter Iſraelitas pœnas mortis obtinuiſſe etiam in alios facinoroſos. Juda Thamarem, quod fornicata eſt, comburi voluit [m]. Inceſtum morte punitum eſſe, ex *Levitici XVIII. v.* 24. & *Lev. XX. v.* 11. 12. 14. 17. 18. apparet. De adulterio idem ex *Levit. XX. v.* 10. de Sodomia ex *Levit. XX. v.* 13. 15. 16. de violatione Sabbathi, ex *Exod. XXXV.* 2. de filia ſacerdotis fornicante, ex *Levit. XXI.* 9. *&c.* conſtat.

Sane, 10. Moſes dictis ſanctionibus capitalibus rationes adjecit, quæ apud alios populos non minus, quam apud populum Hebræum valent: ut ex *Levit. XVIII. v.* 24. *uſque ad* 28. probat Grotius. [n]

Præterea 11. abſurdum cogitatu eſt, Hebræo populo indultum, diſciplinam, & ſalutem publicam, ac ſingulorum, munire pœnis capitalibus, ac ſe bello tueri; cæteris autem regibus, gentibuſque idem, eodem tempore, non licuiſſe: quæ ſunt verba Grotii. [o]

Immo contra, 12. quis non credet, cum lex Moſis de judiciis expreſſam habuerit divinæ voluntatis imaginem, recte, ac pie facturas nationes, quæ inde ſibi exemplum peterent. [p]

Sed & 13. apud omnes gentes in crimina quædam pœnas capitales ſancitas eſſe, experientia teſtatur.

§. DLV. *Cauſa efficiens* pœnæ eſt ipſum jus naturæ [q]. Cum enim Deus jura quædam hominibus propria eſſe voluerit, neceſſario inde ſequitur, alios hæ-

(g) L. 1, c. 2, §. 5, n. 6, ſeq. (*h*) d. diſp. §. 32. (*i*) Grot. d. l. 1, c. 2. §. 5, n. 7. (*k*) Num. 5, v. 11, ſeq. (*l*) dict. diſp. §. 32, ſeq. (*m*) Gen. XXXVIII. v. 24. (*n*) d. l. 1, c. 2, §. 5, n. 9. (*o*) Grot. d. c. 2, §. 5, n. 9. (*p*) Grot. d. §. n. 10. (*q*) Grot. l. 1, c. 2, §. 5, n. 3, l. c. 20, §. 1, n. 2, & §. 33.

hæc jura violare non poſſe, & contra voluntatem, legem, ac præceptum Creatoris agere, qui talia jura, naturali ratione cuique hominum quæſita, turbant.

Hoc poſito, porro ex eadem ratione naturali ſequitur, turbantes injuriam illatam reparare, eoque ſuum cuique tribuere debere.

Equidem, cum non agatur hic de reparatione damni, in bonis, & patrimonio dati (nam pœna tunc demum eſt, quando ultra damni dati reparationem a reo aliquid præſtari debet [s]), noxa autem, ſeu injuria, ſive privato, ſive auctoritati judicis illata, reſtitui in priſtinum ſtatum non poſſit, nulla videtur actio naturalis prodita ad injuriæ hujus reparationem.

Verum, alibi demonſtravimus, reparationem quoque fieri naturaliter per *tantundem*, utpote quod morali ratione idem eſt: uti igitur damnum datum in bonis, ſi res ipſa reſtitui non poteſt, penſatur ſi reo tantundem ex ejus bonis aufertur; ita pari ratione, quia malum, quod reus fecit, in priſtinum ſtatum reſtitui non poteſt, ei tantundem mali inferri debet: hoc enim ſolo modo ſatisfactum læſo, & penſata injuria dici poteſt.

Unde apparet, verum non eſſe, pœnas ex conſenſu delinquentis originem ſumſiſſe [t]; etſi enim delinquens ſciat, omni maleficio pœnam conjunctam eſſe, non tamen ideo in eam conſentit, ſed potius eam invitus ſubit.

§. DLVI. *Subjectum* pœnæ *activum* ſunt in genere omnes, quorum jus læſum eſt. Adeoque ob violationem *juris alieni* pœnam nemo poſcere poteſt, niſi 1. jus ipſius punientis aliquo modo lædatur. Hinc magiſtratus, pater, maritus, &c. vindicare poſſunt injuriam civibus, liberis, uxori, &c. illatam: atque hoc jure nituntur actiones populares, quibus cuique e populo jus eſt vindicandi crimina, per quæ publica ſecuritas violatur; ſingulorum enim intereſt, ne munimenta publicæ tranquillitatis reſcindantur. 2. Niſi quis alterius cauſæ accedat, eamque defendat conſenſu læſi. Læſus enim quocunque modo, etiam adhibito aliorum auxilio, jus ſuum defendere poteſt.

n. 2. Quæritur, an hæres agere ad pœnam poſſit, quæ defuncto debita fuit [u]? Negatur, *quoties de ſola vindicta agitur*, quæ perſonæ læſæ, non ergo ejus hæredi, competit.

Hinc 1. actio ex crimine intentata, ab hærede continuari nequit [v], ſed petente reo nomen ejus aboleri debet [x]; idque verum eſt, etſi lis conteſtata jam fuerit. Hæres tamen ſuo jure, ſi crimen publicum eſt, ex integro id vindicare poteſt [y]. 2. Actio injuriarum æſtimatoria hæredibus non competit [z], quia vindicta non eſt in bonis [a], niſi [a] lis conteſtata ſit [b]; tunc enim pœna debetur ex bonis, & ex contractu: [b] ſi non de pœna, ſed v. g. de expenſis, aliaque cauſa civili, agatur. [c]

Si

(s) l. 35, O. A. l. 2, in f. ff. tut. & rat. l. 12, §. 1, ſi quis om. cauſ. l. 25, §. 1, ff. quæ in fraud. cred. l. 1, §. 2, ff. ad leg. Aquil. (t) Diſſent. Grot. l. 2, c. 20, §. 2, n. 2, §. 25. (u) Vid. B. Par. Diſput. de oblig. hær. ex del. def. Sect. 2, n. 13, ſeq. Jus meum controv. tit. de injur. q. 14, q. 21. (v) l. 3, ff. Accuſ. (x) d. l. 3. (y) d. l. 3, §. f. (z) §. 1, Inſt. De perp. & temp. l. 1, §. 1, ff. priv. del. l. 13, pr. de injur. l. 28, eod. (a) d. l. 28. (b) d. l. 13, d. l. 28. (c) vid. jus meum controv. l. 44, t. 7, q. 21.

Digitized by Google

Si vero non *de vindicta* agitur, ſed *de ſimplo*, *quod defuncto ex delicto rei* (qui locupletior inde factus non eſt) *debitum fuit*, actio omnino datur hæredi: etſi enim actio hæc ſit *rei perſecutoria* intuitu defuncti, ex cujus patrimonio ſimplum illud abeſt, negari tamen nequit, *pœnam* eſſe intuitu *rei*, quia de ſuo debet. [d]

Atque hæc ratio eſt, cur jure Romano actiones Prætoriæ, quæ dolum puniunt, hæredibus dentur, quia actiones illæ continent rei perſecutionem. Ex eadem ratione quoque pœnæ conventionales in hæredes actoris tranſeunt. [e]

§. DLVII. *Subjectum* pœnæ *paſſivum* ſunt omnes, qui injuriam aliis inferunt ex propoſito, & animo deliberato, vel cauſa ſunt injuriæ. [f]

Adeoque non tantum delinquunt ſinguli, ſed & univerſitates: quanquam aliæ ſint pœnæ ſingulorum, aliæ univerſitatis; de quib: inſra §. 560. *n.* 10. agemus.

n. 1. An Princeps quoque crimen committens pœnæ ſit obnoxius, quæri ſolet? Et diſtinguimus, an injuriam fecerit *ſubdito*, an *extraneo*: ſi *ſubditum* læſit, puniri nequit; non a læſo, vel ab aliis ſubditis, quia imperium in Principem non habent, cum omne ſuum judicium in Principem transtulerint, indeque cognoſcere non poſſint, an Princeps jure, an injuria egerit: nec ab aliis Gentibus, quia illis injuria facta non eſt. Adeoque Deus ſolus vindictam hujus injuriæ ſibi reſervavit. De quo alibi ex profeſſo egimus.

Si *extraneum* læſit, diſtinguendum eſt, an ſubditum alienæ poteſtatis injuria affecerit an ſummam poteſtatem ipſam. *Priori* caſu puniri Princeps a læſo nequit, utpote qui nec imperium, nec jus belli habet: ſed læſus ſuum magiſtratum adit, qui vi officii reparationem injuriæ poſtulat; qua negata, ejus cauſa eſt, & ejus injuria, quam magiſtratus bello vindicare, atque jure belli tantundem mali ei infligere poteſt.

Poſteriori caſu læſus pœnam exigit jure belli, adeoque Princeps læſus tantundem mali Principi lædenti infligere poteſt, quantum ipſe fecit. Atque hæc bella punitiva Grotio dicuntur. §. 559.

n. 2. Quæritur, an hæres ex CRIMINE defuncti teneatur ad pœnam [g]? Diſtinguimus inter pœnam, quæ ex patrimonio debetur, & eam, quæ perſonam, ejuſque corpus afficit.

Priori caſu hæres tenetur; quia ſuccedit in patrimonium defuncti [h]. Adeoque contra hæredes dantur actiones ex crimine defuncti, 1. ſi pœna pecuniaria per ſententiam dictata eſt [i], quia pœna illa non ex crimine, ſed ex ſententia judicis debetur, adeoque ex pacto; idque verum eſt, etſi ſententia per appellationem ſuſpenſa ſit, & reus interim moriatur [k]: 2. ſi aliquid ex crimine defuncti ad hæredem perve-

(*d*) l. 11, ff. reb. auct. jud. l. 35, Obl. & act. l. 1, §. priv. del. §. 1, perp. & temp. act. l. 1, §. 44, vi arm. l. 2, §. f. vi bon rapt. d. diſp. §. 10, 14. (*e*) vid. §. ſeq. dict. diſp. §. 11, 16. (*f*) Grot. l. 2, c. 21, fin. (*g*) vid. B. Par. diſp. de oblig. hær. ex del. def. Sect. 2, §. 8. ſeq. jus meum controv. tit. de obligat. q. 11, & tit. de injur. q. 14, ſeq. q. 31. (*h*) Grot. l. 2, c. 21, §. f. B. Par. d. diſp. th. 6, ſeq. (*i*) l. 20, ff. Accuſ. l. p. C. ſi reus vel accuſ. B. Par. d. diſp. th. 30. (*k*) B. Par. d. th. 34, vid. jus meum controv. tit. de injur. quæſt. 14, p. 642.

pervenit; tunc enim hæres tenetur quatenus pervenit: 3. ſi in cauſa criminali expenſæ litis debentur [l]: 4. ſi reus conſcientia criminis, cui publicatio bonorum cohæret, mortem ſibi conſciverit [m]; quod jure Romano ſtatutum eſt.

Poſteriori caſu actiones criminales morte rei finiuntur; & nunquam ad hæredes tranſeunt [n]. Sane, pœna tenere debet ſuos auctores; meritum, & demeritum perſonæ cohærent: neque alius ex alterius delicto teneri poteſt. Idque verum eſt, etſi lis cum defuncto conteſtata fuerit. [o]

Quid ſi defunctus non ex crimine, ſed ex DELICTO CIVILI pœnam debet? Reſp. Eadem hic regula obtinet, ut pœna, quæ ſolam malitiam defuncti coercet, non tranſeat in delinquentis hæredes. [p]

Atque hæc vera ratio eſt, cur jure Romano actiones Prætoriæ, quæ dolum puniunt, (& quas ſingulas recenſet B. Parens) non dentur contra hæredes [q], etſi rei perſecutionem contineant intuitu actoris [r]. Cum enim jure civili ex tali facto actio prodita non ſit contra reum, indeque reus ex hac ſuppoſitione nihil ex patrimonio debeat; nec hæres teneri poteſt, utpote qui non niſi ex patrimonio defuncti tenetur.

Hæc quoque ratio eſt, cur nec actiones in duplum, triplum, & quadruplum [s]; nec actiones, quæ infiſciatione in duplum creſcunt [t]; nec actiones populares [u]; quin nec ſimplum; ſi ei pœna conjuncta eſt, &c. [v], in hæredes tranſeant. [x]

Regula autem allegata vera eſt, etſi actione ex ipſo contractu ad pœnam ex delicto civili agatur [y]: eadem enim ratio obtinet, quia non debetur ex patrimonio defuncti.

Aliud igitur dicendum, ſi ex patrimonio defuncti pœna debetur; tunc enim hæres ad eam tenetur, quia in patrimonium ſuccedit [z]. Hinc 1. ad hæredes delinquentis tranſeunt omnes actiones civiles ex delicto, quatenus ſunt rei perſecutoriæ, adeoque & ſimplum in actionibus mixtis [a]: 2. quoties ex illo delicto aliquid ad hæredes pervenit [b]: 3. quando pœna conventionalis petitur [c]: 4. omnes actiones mere pœnales, poſt litem conteſtatem [d]: tunc enim pœna debetur ex pacto.

§. DLVIII. *Objectum* pœnæ eſt reparatio injuriæ: ut nimirum jus cuique a natura quæſitum tribuatur per juſtam

(*l*) B. Par. d. diſp. th. 35, vid. jus meum. controv. l. 47, tit. 10, q. 15. (*m*) B. Par. d. diſp. th. 36. (*n*) l. 26, ff. pœn. l. 22, C. eod. l. f. ad leg. Jul. majeſt. Tot. tit. C. ſi reus vel accuſ. mort. l. un. in f. ſi quis jus dicenti, &c. B. Par. dict. diſp. th. 8. & 25. (*o*) d. l. ult. l. 2, l. 3, l. 4, l. fin. Si reus, vel accuſ. l. 6, ff. publ. jud. l. 15, §. 3, ad Sc. Turpil. Quia in criminibus litis conteſtatio vim pacti habere nequit. B. Par. d. diſp. th. 26, ſeq. (*p*) L. 111. Reg. jur. §. 1, Inſt. de perp. & temp. act. l. 2, §. f. vi bon. rapt. (*q*) l. 35, obl. & act. l. 9. §. f. reb. auct. jud. l. 7, §. 2, quod falſ. tut.

(*r*) l. 11, reb. auct. jud. l. 7, §. 2, quod falſ. tut. (*s*) §. 1. Inſt. de perp. & temp. act. d. diſp. th. 20. (*t*) l. 1, §. 1, l. 18. depoſ. (*u*) l. f. de pop. act. l. 5, §. 5, de deject. & effuſ. (*v*) §. 9, Inſt. ad leg. Aquil. (*x*) d. diſp. th. 19. (*y*) §. 1. Inſt. perp. & temp. aliter B. Par. d. diſp. th. 6, ſeq. (*z*) Grot. l. 2, c. 1, §. fin. d. diſp. th. 6, ſeq. (*a*) §. 1, Inſt. perp. & temp. d. diſp. th. 21. (*b*) l. 30. Reb. auct. jud. l. 35, pr. Obl. & act. dict. diſp. th. 20, & 21. (*c*) l. 56, pr. & paſſ. de evict. l. 38, §. 17, de verb. obl. §. 18, Inſt. de inut. ſtip. d. diſp. th. 16. (*d*) l. 139, l. 164. Reg. jur. §. 1, Inſt. de perp. & temp. act.

Digitized by Google

juſtam æſtimationem, infligendo lædenti tantundem mali, quantum fecit.

§. DLIX. *Effectus* pœnæ, *intuitu ejus, cujus jus læditur*, eſt jus perſequendi id, quod ei ex delicto alterius debetur.

Perſequi autem læſus poteſt pœnam vel per *judicia*, ſi de injuria inter membra ejuſdem civitatis quæritur; vel per *bellum*, ſi inter eos de injuria agitur, qui ſuperiorem non habent: quod bellum punitivum dicitur. [e]

§. DLX. *Effectus* pœnæ intuitu *lædentis* eſt, ut teneatur pati aliquid mali pro malo actionis: nam hæc reſtitutio mali eſt ſolus, & unicus reparandæ injuriæ modus, neque alius ratione naturali ſuppeditari poteſt. Atque hæc reparatio injuriæ, quæ fit per tantundem, TALIO dicitur, ejuſque juſtitia inter gentes maxime celebrata eſt. [f]

§. DLXI. Cum vero ipſa vox *talionis* indigitet, proportionem aliquam eſſe debere inter malum actionis, & malum paſſionis, tota quæſtio in eo vertitur: quænam ſit norma illius proportionis [g]? B. Parens ſpeciali diſputatione erudite admodum demonſtravit, talionem non ita crude eſſe intelligendam, ut delinquens idem præciſe pati in ſuo corpore teneatur, quod alium pati fecit: id enim tum impoſſibile eſſet, tum non omnibus criminibus convenit. Sed ea ſignificatio vocis eſt, ut judex examinatis omnibus circumſtantiis (quas Grotius late examinat [h]) æſtimet, quantum mali viciſſim pati ob malam actionem debeat; adeoque obſervando proportionem inter malitiam, & pœnam, tantundem delinquenti infligat.

n. 2. His principiis poſitis conſtat, ratione naturali nullam certam pœnam ſtatutam eſſe, niſi in *homicidio*: ibi enim juſta talio non eſt, niſi ſanguis pro ſanguine, uti plenius probavit B. Parens [i]. In reliquis igitur delictis tota æſtimatio arbitrio judicis relinqui debet: cum enim juxta proportionem malitiæ pœnæ æſtimatio fieri debeat [k], malitiæ autem plures gradus ſint, magiſtratus officium eſt, cognita cauſa, quidnam tantundem ſit definire, eoque talionem ſtatuere. [l]

n. 3. Atque ex his conſtat, præcipuam partem magiſtratus officii poſitam eſſe in talione, i. e. in juſta æſtimatione delicti rite definienda: ut, nimirum, cum natura nihil certi determinatum ſit, nec determinari poterit, ipſe juſta proportione decernat, quantum is, qui delinquit, pro mala illa actione viciſſim pati debeat.

n. 4. Unde adeo ſolliciti fuere JCti Romani in applicandis ad ſingula delicta pœnis [m]; & diligentia eorum, qui conſtitutionem criminalem Caroli V. compilarunt, laudari ſatis non poteſt.

n. 5. Circa hanc talionem notandum 1°. eſt, ultra eam pœnam inferri non poſſe: adeoque ſi tantundem

(*e*) Grot. l. 1, c. 2, §. 9, n. 13, l. 3, c. 4, §. 5, §. 3, & 4, l. 2, c. 26, §. 6, c. 1, §. 2, n. 2, c. 17, §. 1, n. 3, c. 20, §. 38, & 40, ſeq. (*f*) vid. diſp. B. Parentis de SS. talionis jure. (*g*) Grot. l. 2, c. 20, §. 28, uſque ad §. 37. (*h*) d. §. 28, uſque ad §. 44. (*i*) vid. d. diſp. §. 30. ſeq. conf. ſupr. §. 554, n. 4. (*k*) Cicero de LL. Noxæ pœna par eſto: cavendum, ne major pœna, quam culpa ſit. Cic. off. l. 1, c. 25, (*l*) vid. ſupr. §. 12, & 13, (*m*) vid. l. 151, pr. V. S. 16. pœn.

Digitized by Google

dem paſſus eſt is, qui lædit, præterea ab eo aliquid exigi nequit (*inf. n.* 11.) Neque *obſtat*, quod in bello talio in immenſum injuriam ſuperare ſoleat. Reſp. cum is, qui injuria bellum gerit, infinitas injurias inferat, infinitaque crimina cumulet, etiam in infinitum talio ab eo exigi poteſt: & cum ſinguli, defendendo factum Principis opibus, & operis, æque rei fiant illorum criminum, ſingulis quoque vitam, & multo magis bona auferre, adeoque in infinitum ab eis pœnas ſumere licet.

Not. Si crimen frequens, eoque exemplo opus eſt, propter utilitatem publicam exaſperari pœna, etiam ratione naturali poteſt.

n. 6. 2°. Obſervandum eſt, pœnas a JCtis Romanis determinatas in ſummo gradu eſſe ſtatutas, adeoque non adimi judici arbitrium recedendi ab illo rigore, ſi naturales cauſæ, quæ malitiam minuunt, accedant. [n]

n. 7. 3°. Talio non debet novum crimen inferre; neque enim ideo, quod alter male fecit, mihi quoque jus eſt male agendi: hinc reæ non poteſt ſtuprum inferri pœnæ nomine, &c.

n. 8. Finis igitur pœnarum naturalis, & unicus eſt reparatio injuriæ, quæ fit per talionem. Unde verum non eſt, quod Seneca ait: nemo prudens punit quia peccatum eſt, ſed ne peccetur [o]. Quod enim pœnæ ad exemplum aliorum, i. e. publice ſtatuantur, id mere civile eſt, & ex utilitate publica ſtatutum, ut pœna unius metus eſſe poſſit multorum [p]: i. e. ut cæteri a ſimilibus facinoribus deterreantur [q]. JCti enim metu pœnarum bonos efficiunt [r]. Atque hinc omnia, quæ de fine pœnarum Grotius late diſſerit, ſuperflua ſunt.

n. 9. Talio ſtatui poteſt vel in *capite* delinquentis, vel in *bonis* ejus, vel in alio quodam jure. [s]

In *capite* talio conſtituitur, vitam reo adimendo. Equidem dubium quibuſdam videtur, an extra homicidii crimen ob reliqua delicta pœna *capitalis* ſtatui poſſit, cum naturali jure nihil ſtatutum de eo videatur? Reſp. Eo ipſo, dum arbitrio judicis definitio talionis reſervata eſt, neceſſario ſequitur, arbitrium hoc etiam ad vitam extendi poſſe, ſi tanta eſt malitia, ut ſpes, reum meliorem fieri poſſe, nulla ſupeſit. Idque Grotius [t] optime probat. (*Vid.* §. 554.)

In *bonis* talio ſtatuitur, ſi non tanta eſt malitia, ut corpus affici ideo poſſit: tunc enim pecunia, vel aliis rebus, penſatur delictum; atque hæc pecunia vel læſo tribui, vel fiſco addici poteſt: illud a Romanis ſub republica, hoc ſub imperio Cæſarum plerumque obſervatum fuit.

Alio quodam jure pœna ſtatuitur, ſi reus infamis declaratur, ſi civitatis jure privatur, vel ſi ſalva civitate relegatur, vel alicui certo ſaltem loco interdicitur. [u]

n. 10. Denique notandum eſt, alias eſſe pœnas, quæ ſingulis, ut ſingulis, infliguntur; alias, quæ univerſitati infliguntur. Pœnæ, quæ univerſitati infliguntur, vel *perſonas* afficiunt, vel *res* univerſitatis. *Perſonæ* univerſitatis pœnam patiuntur, ſi ſub jugum mittuntur, vel imperio privantur, &c.

Pœnæ,

(*n*) l. 11, l. 16, §. 2. pœn. Grot. l. 2, c. 20. §. 22. ſeq. (*o*) apud. Bod. diſp. de pœn. th. 3. (*p*) l. 1, C. L. Jul. repetund. (*q*) l. 31, den. l. 28, §. 13, pœn. (*r*) §. 1. Inſt. de juſt. & jure. (*s*) l. 6, §. 2, l. 7, l. 8. ff. de pœn. (*t*) l. 1, c. 2, §. 5, n. 5. ſeq. (*u*) tot. tit. ff. de interd. & releg.

Pœnæ, quæ *res* univerſitatis afficiunt, ſunt ſi patrimonium civitatis vel in totum, vel pro parte, aufertur. Atque hæc pœna obtinet, etiamſi illi, qui delictum admiſerunt, vel approbarunt, mortui ſint; quia univerſitas non moritur: adeoque quamdiu non reparat injuriam, ſemper ejuſdem delicti rea manet. [v]

Neque *obſtat*, plures inveniri in civitate innocentes, qui furorem multitudinis impedire non potuerunt, & quos punire iniquum videtur. Reſp. 1. Etſi forte improbent factum civitatis, certum tamen eſt, eos, quamdiu ſunt in civitate, factum civitatis opibus, ac conſilio probare, & defendere; adeoque hactenus quoque rei ſunt. Reſp. 2. Si innocentiam probare poſſunt, victores parcere ejuſmodi captis ſolent: ex ea enim ratione Thebanis in ſervitutem redactis, illi exemti ſunt, qui decreto exuendæ civitatis contradixere [x]. Reſp. 3. injuria ſingulis non fit, ſi univerſitati jura ei propria in pœnam auferuntur; ſinguli enim, qua ſinguli, nullum jus in res publicas habent: ſufficit igitur, univerſitatem, ejuſque majorem partem, peccaſſe; nam tunc jura publica eodem jure in pœnam auferri poſſunt, quo per conſenſum majoris partis in alios transferuntur.

n. 11. Talio finitur 1. *morte*, ſi pœna vel in corpore, vel in exiſtimatione, ſtatui debet; cum enim hæ pœnæ perſonam ipſam afficiant, non patrimonium delinquentis, neceſſario ſequitur, ſublata perſona tolli quoque pœnam.

At ſi pœna afficit *bona* defuncti, & hic litem conteſtatus eſt, pœna quoque ab hæredibus, qui in patrimonium ſucceſſerunt, peti poteſt. Nam per litis conteſtationem jus aliquod eventuale actori quæſitum eſt: ſi proinde pœna ex patrimonio ſolvenda poſtea dictatur, pœna ab hærede debetur; quod ſupra plenius explicavi.

Not. Hinc apparet, jure naturali neminem puniri *poſt mortem* poſſe, adeoque pœnas ſaltem eſſe viventium: non enim pati poteſt malum qui mortuus eſt. Quod igitur cadavera punitorum cruci affigantur, &c. id ex ratione mere politica ſtatutum eſt, ut vivi hoc exemplo deterrerentur [y]. Eadem ratio eſt ſi bona eorum publicantur, qui mortem ſibi ex conſcientia delicti ante ſententiam conſciverunt, vel accuſatorem pecunia corruperunt. [z]

Finitur talio 2. Per *aggratiationem*: ſi ſcilicet ſuperior gratiam facit reo, eique pœnam remittit. Hæc remiſſio autem fieri nequit 1. in delictis, ubi ipſo naturæ jure talio requiritur; non ergo diſpenſare Princeps poteſt de homicidio [a]: nec 2. in præjudicium tertii, cui reparatio illa debetur. [b]

Quæri ſolet, an ſi Princeps pœnam remittit, reus omnia priſtina jura recipiat? Reſp. Si crimen eum incapacem reddit quorundam jurium, ea, quæ ſemel amiſit, non recipit, niſi Princeps nominatim id exprimat: at ſi tertio inde jus ſemel quæſitum eſt, nec volente Principe jura priſtina recuperat: quod late explicavi in jure meo controverſo. [c]

3. An pœna tollitur *remiſſione* læſi? Affirma-

(v) Grot. l. 2, c. 21, §. 8. (x) Grot. l. 2, c. 21, §. 7. (y) tot. tit. de cadav. punit. (z) tot. tit. ff. de bon. eorum, qui ante ſent. (a) vid. B. Par. diſp. de SS. Talionis jure §. 30. & ſeq. (b) Grot. l. 2, c. 20. §. 21, uſque ad §. 26. (c) tit. de ſent. paſſ. & reſtit. qu. 1.

Digitized by Google

Affirmatur, quoad jus læſi; non vero quoad jus ſuperioris, ſi vel ejus auctoritas, vel ſecuritas publica violata eſt: hoc jus enim magiſtratui quæſitum remittere is, in quem delictum commiſſum eſt, non poteſt. [d]

4. An pœna finitur *præſcriptione?* Negatur, quia tempus non eſt modus tollendæ obligationis.

An 5. *Aſylum* impunitatem dat delinquentibus? Negatur: quia Princeps nulla ratione jus aliis quæſitum auferre poteſt; auferret autem ſi concedendo reis aſylum, reparationem juris impediret.

Idque maxime verum eſt in illis delictis, in quæ naturali quoque jure talio quædam ſtatuta eſt, ut in homicidia. Sane, Deus ipſe non *facinoroſis*, ſed *culpa* ſaltem delinquentibus, ſecuritatem, ad hæc loca confugiendo, promiſit.

Denique, & 6. finiuntur pœnæ ſi reus tantundem paſſus eſt; tunc enim penſata injuria videtur. [e]

Atque hinc propter idem crimen bis puniri nequit. [f]

C A P U T VII.

De Obligationibus, quæ proprio quodam jure ex variis cauſarum figuris oriuntur.

§. DLXII. EXPLICATIS obligationibus, quæ deſcendunt ex *promiſſione*, & *delicto*; ſequuntur obligationes, quæ proprio quodam jure *ex variis cauſarum figuris* deſcendunt. [g]

§. DLXIII. TRIBONIANUS hoc obligationum genus ad duo capita retulit: nimirum, ad *quaſi contractus*, & *quaſi delicta* [h]; cum tamen hæc capita non omnes ſpecies obligationum perſonalium exhauriant. Etenim ad *quaſi contractus* tantum referuntur illi caſus, ubi quis locupletior factus eſt cum alterius jactura [i]: ad *quaſi delicta* vero illa tantum negotia pertinent, quibus quis obligatur ex culpa ſua, vel quia male elegit, vel quia peritiam quam profitetur, non habet. [k]

§. DLXIV. Certum autem eſt, infinitos alios dari caſus, qui ad neutrum caput referri poſſunt, & tamen obligationem inferunt. Hinc notanter Modeſtinus [l] ait, præter obligationes ex *conſenſu*, & *peccato*, perſonam obligari [a] ex LEGE, [b] ex JURE HONORARIO, [c] ex NECESSITATE.

§. DLXV. Atque ideo quidam Doctores ad *obligationem ex variis cauſarum figuris* non tantum QUASI CONTRACTUS, & QUASI DELICTA, ſed præterea omnia negotia, quibus ex ÆQUO, & BONO obligatio oritur, referunt [m]. De ſingulis nunc agemus.

S E.

(*d*) Grot. l. 2, c. 20, §. 21, uſque ad §. 27. (*e*) vid. ſupr. §. 24, n. 5. (*f*) l. 41, ff. pœn. (*g*) l. 1, pr. obligat. & act (*b*) §. 2. Inſt. de obligat. (*i*) vid. l, 5. ff. oblig. & act, (*k*) vid. l. 5, §. 4, ſeq. obligat. (*l*) l. 52. O. A, (*m*) Goth. ad d. l. 52, B. Parens in Hyp. Inſt. tit. de oblig. & act. §. 1.

Sectio I.

De Obligatione Perſonæ ex Quaſi contractu.

DLXVI. Omnis obligatio, quæ *quaſi ex contractu* oritur, nititur illa generali regula, *quod nemo locupletior fieri debeat cum alterius jactura.* Natura enim, ejuſque auctor, cuique jus pleniſſimum in ſuas res, & actiones, conceſſit; ita ut alius, me invito, nullam utilitatem ex re mihi propria, & ex meis actionibus, percipere poſſit. Si igitur alius lucrum aliquod ex mea re, facto ſuo licito, tenet, vel ex mea actione commodum percipit, is, juxta regulam generalem juſtitiæ, jus ſuum cuique tribuere, i. e. utilitatem rei, & actionis meæ, mihi reſtituere tenetur: quia alias locupletior fieret mea jactura.

§. DLXVII. Hæc igitur obligatio non oritur ex conſenſu, nec expreſſo, nec tacito (unde etiam furioſi, infantes, & ignorantes, ex hujuſmodi negotiis obligantur), ſed ex natura actus, & negotii; quia quis jus alienum ex facto aliquo licito tenet, & plus ſuo habet.

Compilatores juris Romani hanc obligationem deſcendere *quaſi ex contractu*, dixere, non quod tacitum, vel fictum domini conſenſum hic ſubeſſe putaverint, ſed quia æque obligatio inde oritur, ac ex vero contractu. [n]

§. DLXVIII. Atque hac ratione nituntur omnes caſus, quos JCti Romani in Digeſtis, & Inſtitutionibus ad quaſi contractus referunt. Nimirum, 1. *negotiorum geſtio*, quando quis ſine mandato negotium alterius abſentis, vel ignorantis, gerendum ſuſcipit. [o]

n. 1. Ex hoc negotio, per ſe licito, obligatur *tum* is, qui gerit negotium, *tum* is, cujus negotium geritur.

Is, *qui gerit negotium alienum*, tenetur ad rationes reddendas domino, & ad præſtandum quicquid ex illa geſtione penes ſe habet [p]. Ratio naturalis hæc eſt, quia *gerens* hoc caſu plus ſuo habet, aliquid alieni tenet, adeoque locupletior fieret ex negotio alieno.

Is, *cujus negotium geritur*, tenetur ad impenſas [q]: quia locupletior fit ex patrimonio gerentis; adeoque hactenus ipſe aliquid alieni habet.

n. 2. Equidem Grotius actionem negotiorum geſtorum ex jure civili originem duxiſſe, putat, quia nullum eorum haberet fundamentorum, ex quibus natura obligationem inducit [r]. At fruſtra hæc dicuntur. Quod, quæſo, fortius eſt obligationis inducendæ fundamentum, quam reſtitutio utilitatis, quæ ex re aliena penes me eſt? Quid magis repugnat æquitati naturali, quam locupletari cum alterius jactura? Hic ergo obligatio ſequitur ex prima, & generali juris naturalis regula, *jus ſuum cuique tribuere.*

Neque *obſtat*, ipſos JCtos Romanos fateri, obligationem hanc *ob utilitatem abſentium* introductam eſſe, & actionem negotiorum geſtorum edicto demum Prætoris originem debere. Reſp. Primi legiſlatores Romani ex pauciſſimis negotiis, etſi obligatio naturalis ſubeſſet, dedere actiones; ubi enim actionis formula non erat præſcripta, ibi jus agendi ceſſabat. Quia vero ab-
ſentium

(n) l. 5, §. 3, ff. obl & act. (o) §. 1. Inſt. de obl. quæ quaſ. ex contr. (p) l. 2, ff. neg. geſt. §. 1, Inſt. obl. quæ quas. contr. (q) l. 9, ff. neg. geſt. (r) Grot. l. 2, c. 10, §. 9, n. 1. (s) l. 1. ff. neg. geſt.

Digitized by Google

ſentium negotia ideo periclitabantur, Prætor (qui æquitatem naturalem ſecutus rigorem juris civilis corrigere, ejuſque defectus ſupplere ſolet) ob utilitatem abſentium actionem negotiorum geſtorum introduxit. [t]

Neque allegari poteſt, quod nemo ſe ingerere rei alienæ, adeoque ex culpa ſua nemini actio dari debeat: nam aſſiſtere alii, & ejus, qui abſens eſt, res defendere, ejuſque utilitatem promovere, ipſo jure naturæ licitum eſt [u]. Cæterum, quamvis culpa gerentis ſubſit, nihilominus ipſi actio dabitur; quia naturæ ratio dictat, neminem ex culpa alterius locupletiorem fieri debere.

n. 3. Locum autem habet hæc actio etſi utilitas, quæ ſemel fuit, perierit: licet enim nunc alter locupletior ex re mea non ſit, ſemel tamen locupletior factus fuit; utilitas autem perit domino.

n. 4. Si furioſus, vel infans in re aliena aliquid egerint, unde utilitatem perceperunt, pariter hac actione tenentur, & utilitatem, quam perceperunt, reſtituunt [v]: quia hæc actio non ex conſenſu oritur, ſed ex illa æquitate, quod nemo ex re aliena locupletior fieri debeat. (§. 168.)

n. 5. Geruntur negotia aliena etiam furioſorum, & infantium, ſed & ignorantium, ad eum effectum, ut hi teneantur, ſi facto gerentis locupletiores facti ſunt.

n. 6. Negotiorum geſtorum actio *directa* datur ei, cujus negotium utiliter geſtum eſt, ad præſtandum omne id, quod ex illo negotio penes gerentem exſtat [x]. *Contraria* datur ei, qui utiliter alienum nogotium geſſit, contra dominum negotii, ut is impenſas (quia hactenus locupletior factus eſt) reſtituat, etſi utilitas forte perierit.

Not. Is, qui cum negotiorum geſtore, qua tali, contraxit, actionem non habet contra gerentem, qui ſuo nomine non promiſit; niſi de rato caverit. [y]

n. 7. Ceſſat hæc actio, 1. ſi conſenſu domini res ejus geritur; tunc enim actio ex vero contractu, mandati ſcilicet, datur: 2. ſi quis animo donandi negotium alienum gerit.

§. DLXVIII. *II. Actio funeraria* quoque ex quaſi contractu oritur (poſita enim hypotheſi JCtorum Romanorum, *quod homo ſepeliri debeat*, & quidem a familia, negari nequit, officium ſepeliendi corpus defuncti familiæ incumbere; & familiæ negotium geri, ſi alius curam illam ſuſcipit: unde qui propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere creditur. [z]

Familia igitur locupletior fit cum alterius jactura; adeoque hæres, qui in familiam ſuccedit, quaſi ex contractu tenetur. [a]

§. DLXIX. *III.* Actio *tutelæ* quoque negotiorum aliquam geſtionem infert [b]. Tutor enim ſine mandato pupilli, (qui conſentire nequit) ejus negotia gerit; ſi proinde pupillo aliquid ex illa geſtione abeſt, tutor obligatur ad reliqua præſtanda: uti viciſſim pupillus tutori tenetur ad impenſas, &c. Neuter enim cum alterius jactura locupletior fieri debet. (*Vid. ſupr.* §. 194.)

§. DLXX. *IV. Condictiones* ſunt ex quaſi contractu: omnes enim nituntur

ea

(*t*) vid. l. 2, ff. neg. geſt. (*u*) l. 1, ff. neg. geſt. (*v*) l. 3, §. 4, neg. geſt. (*x*) Laut. comp. p. 23. (*y*) tot. tit. ff. ratam rem haberi.

(*z*) l. 1, ff. relig. (*a*) l. 1, ff. relig. l. 14, §. f. l. 31, l. 32, Eod. Paul. Sent. 1, t. 21. (*b*) §. 2. Inſt. de obl. quæ quaſi ex contr.

ea ratione, quodis, a quo aliquid condicitur, locupletior factus eſt, vel ex meo errore, vel ex turpi, & injuſta cauſa, vel ſine cauſa, vel ex contrectatione rei meæ, vel contra novam legem, quæ jus mihi aliquod conceſſit.

§. DLXXI. De *condictione indebiti* diſerte traditur, eam eſſe *quaſi ex contractu* [c]. Quando enim ex errore res alii indebite tradita, vel aliquid indebite promiſſum eſt, condici id poteſt, quia alter errore meo locupletior fieret.

At, ais, priori caſu, ſi rem meam ex errore tibi tradidi, non opus eſſe condictione; quia dominium ſalvum mihi eſſe videtur (errans enim non conſentit): adeoque potius rei vindicationi locus erit. Reſp. In hoc negotio duo ſunt: 1. *translatio dominii*, quæ fit voluntate domini: 2. *cauſa*, ex qua dominium transfertur. Actus *translationis dominii* perfectus eſt: dominus ſua voluntate rei dominium in alterum tranſtulit ex cauſa dominii translativa, etſi erronea, adeoque nullum jus in re retinuit, aut retinere voluit.

Cauſa erronea non impedit translationem dominii voluntate domini factam. At quia is, in quem ex errore meo dominium translatum eſt, locupletior fieret mea jactura, naturalis ratio dictat, ut is mihi obligetur ad reſtituendum id, quod plus ſuo habet.

n. 1. Sed & *condictio ob turpem, & injuſtam cauſam*, ad obligationes ex quaſi contractu pertinet: nam factum, quo res alii traditur, vel alteri aliquid promittitur, licitum eſt, quia de ſua re, & de ſuo jure quisque diſponere poteſt.

Neque obſtat, *cauſam*, ob quam datur, vel promittitur, turpem eſſe: nam dictum jam eſt, *aliud* eſſe translationem dominii, & promiſſionem; *aliud* cauſam, ex qua traditur, vel promittitur. *Prius* licitum eſt, nec cauſa impedit, quo minus negotium traditione, & conſenſu perfectum ſubſiſtat: *cauſa* autem vitioſa eſt, quia lege improbatur. Ceſſante igitur cauſa, rem, vel jus illud condicere poſſum, quia alter ſine cauſa locupletior fieret mea jactura.

Dubium inter Doctores ortum eſt, an hæc condictio ſit *ex quaſi contractu*, an *ex delicto, vel quaſi*. Poſterius olim in Jure meo controverſo ſtatui; ſed re rite perpenſa eam, cum Lauterbachio [d], ex *quaſi contractu* oriri, exiſtimo. Dixi enim, dominium, vel jus in alterum transferri mea voluntate, atque id factum licitum eſſe. Cauſæ autem turpitudo non impedit, quo minus negotium ſubſiſtat.

Hæc condictio naturali jure tantum obtinet, quando cauſa *intuitu accipientis* turpis eſt: ſecus igitur ſi turpis eſt intuitu *ſolius dantis*; hoc enim caſu condictio ceſſat, quia accipiens locupletior fit voluntate domini, & ex cauſa, quæ intuitu ipſius vitioſa non eſt. Hinc is, qui meretrici mercedem dedit, eam non condicit; quia turpiter illa facit quod ſit meretrix, non quod mercedem accipiat ut meretrix [e]; adeoque hic cauſa intuitu ſolius dantis vitioſa eſt.

Quid ſi intuitu *utriusque* turpis eſt cauſa? Reſp. jure naturali datur condictio, quia ceſſante cauſa res, vel jus ſine cauſa eſt penes accipientem: etſi *uterque* ideo, quod in leges peccaverit, puniri a magiſtratu poſſit. Hinc jure

(c) §. 6, Inſt. obl. quæ quaſi ex contr. l. 5, §. 3, obl. & act. (d) Comp. pag. 199. *Sum, de Cocceii Introd. ad Grot,* ibique Dd. (e) L. 4. §. 3, condict. ob turp.

Digitized by Google

Jure Romano quoque condictio hoc caſu ceſſat [f]. Alii tamen ſtatuunt, rem, vel jus in pœnam fiſco tribuendum eſſe. [g]

n. 2. *Condictio cauſa data, cauſa non ſecuta*, itidem ex quaſi contractu deſcendit. Si quis enim, v. g. in ſpem futuri matrimonii, dotem ſolvit, certum eſt, dominium in maritum transferri, quia juſta hic eſt dominii transferendi cauſa. Si vero matrimonium non ſequitur, adeoque cauſa deficit, ipſum quidem dominium non reſolvitur, at actio perſonalis, i. e. condictio, datur, per quam dos data repetitur: quia is, qui dotem accepit, non ſecuto matrimonio ſine cauſa eam penes ſe habet, adeoque locupletior fieret cum alterius jactura. [h]

n. 3. Eadem quoque ratio obtinet, quoties *ſine cauſa* res mea, vel jus meum, penes alium eſt; ſi proinde quis pignus dedit, & poſtea debitum ſolvit, non reſtituto pignore, condici pignus poteſt. [i]

n. 4. *Condictio triticiaria* non eſt ſeparata condictionis ſpecies, ſed qualitas præcedentium condictionum: quando, nimirum, non condicimus pecuniam numeratam, ſed res alias, quæ æſtimationem patiuntur; unde ea nihil aliud eſt, quam *condictio incerti*, adeoque idem jus ibi obtinet. [k]

n. 5. *Condictio furtiva* itidem ex jure naturali oritur. Etſi enim is, cui res ablata eſt, jure dominii rem vindicare poſſit, conſultius tamen eſt abſtrahere a dominio, (utpote quod probare deberet) & actione perſonali agere contra eum, qui rem mihi abſtulit, adeoque locupletior factus eſt ex re mea. Naturali enim ratione ex eodem negotio plures actiones dari poſſunt [l]. Atque hæc ratio eſt, cur condictio hæc non infamet [m], quia furti non fit mentio.

n. 6. *Condictio ex lege* ſupponit, nova lege obligationem introductam, eaque jus aliis quæſitum eſſe: & hactenus eſt ex lege civili. At is, cui lege civili jus quæſitum eſt, naturali quoque ratione id, quod ei debetur, condicere a me poteſt, quia locupletior fierem alterius jactura.

§. DLXXII. *V. Aditio hæreditatis.* Liberi enim continuando familiam patris, i. e. adeundo ejus hæreditatem, obligantur ad præſtandum id, quod defunctus debuit; quia in omnia ejus jura ſuccedunt.

Poſtquam ſucceſſiones etiam in linea collaterali *lege* fuere introductæ, & extranei quoque, introducto teſtamentorum uſu, hæredes ſcribi potuerunt, cognati, & extranei, adita hæreditate, tenentur factum defuncti præſtare, adeoque obligantur ex quaſi contractu.

§. DLXXIII. *VI. Familiæ herciſcundæ judicium.* Cohæres enim, adminiſtrando rem hæreditariam, ſimul gerit negotium ſui cohæredis; unde *huic* competit *actio directa* contra adminiſtratorem, ut rationes reddat, & reliqua præſtet: *adminiſtratori* autem *actio* datur *contraria*, ad repetendum impenſas. &c. [n]

§. DLXXIV. *VII. Communi dividundo*

(*f*) l. 3, l. 4, pr. & §. 1, l. 8, ff. cond. ob turp. (*g*) Laut. comp. pag. 398. (*h*) Tot. tit. ff. de condict. cauſ. dat. (*i*) Tot. tit. ff. de cond. ſin. cauſ. (*k*) vid. jus meum controv. tit. de cond. Trit. q. 1. (*l*) §. 14, Inſt. de action. l. 7. §. 1, cond. furt. (*m*) Laut. Comp. pag. 209. (*n*) §. 3. inſt. de oblig. quæ quaſi ex contr.

Digitized by Google

do judicium. Condominus enim, adminiſtrando rem communem, gerit alterius negotium. Unde huic *actio directa* competit contra geſtorem, qui ex re communi locupletior factus eſt: alteri *actio contraria*, ſi impenſas in rem communem, fecit, quia condominus locupletior factus eſt cum jactura alterius. [o]

§. DLXXV. *VIII. Actio finium regundorum*, quatenus perſonalis eſt (nam quatenus dominium vindicatur, eſt realis), i. e. quatenus fructus, impenſæ, &c. petuntur, eſt ex *quaſi contractu*; niſi dolo fines confuſi, & fructus inde percepti ſint, tunc enim ex *delicto* oritur. [p]

§. DLXXVI. *IX.* Denique in genere huc pertinent omnes illæ cauſarum figuræ, *ubi quis locupletior fit cum alterius jactura.* Qui caſus cum infiniti ſint, in numerato haberi non poſſunt.

§. DLXXVII. Atque ex hoc fundamento ad quaſi contractus referri debent 1. omnes *actiones contrariæ*. 2. Eadem ratione nititur obligatio, quæ ex eo oritur, quod aliquid *in rem noſtram verſum eſt.* Nam, in cujus rem aliquid verſum eſt, locupletior fieret alterius jactura.

3. Actio, quæ de *evictione* datur, eſt quaſi ex contractu [q]: ſi ſcilicet ea promiſſa non eſt (nam ſi promiſſa eſt, actio datur ex pacto, & quidem jure Romano ex ſtipulatu, vel, ſi contractu bonæ fidei promiſſa ſit, actio ex ipſo contractu). Venditor enim, qui rem alienam mihi tradit, ea evicta, cauſa eſt ut res mihi auferatur: pretium igitur, quod ei ſolvi, ſine cauſa penes eum eſt, & locupletior fieret ex re mea.

4. Huc quoque pertinet ratio *legis Rhodiæ de jactu*; per jactum enim, qui fit levandæ navis cauſa, ſervantur res reliquæ: adeoque domini earum rerum locupletiores fiunt cum reliquorum jactura, quod damnum proinde reſarcire pro rata tenentur.

5. Hoc principio quoque nituntur illæ deductiones, quæ obtinent contra dominum rem ſuam vindicantem: ſi enim impenſæ neceſſariæ in rem factæ ſunt, poſſeſſor eas deducit.

6. Ex eadem ratione ſequitur, quod is, qui ex promiſſo rem petit, præterea quoque petere poſſit uſuras ex mora; non vi conſenſus, ſed ex illa æquitate, quod debitor, utendo re promiſſa, locupletior fiat cum alterius jactura. (§. 371.)

7. Si quis ſpecificatione, jure ædificii, &c. novam ſpeciem acquirit, facto hoc ſuo ſpecies alii perit; adeoque faciens cum jactura alterius locupletior fit: unde obligatio perſonæ oritur ad jus ſuum cuique tribuendum. (§. 264. & 276.)

8. Si quis fructus percipit ex re aliena, hi non vindicari poſſunt a domino, quia nec pars rei ſunt, nec domino rei unquam fructus proprii fuere. At quia poſſeſſor nullum jus percipiendi fructus ex re illa habet, is tenetur ex regula naturali (quæ prohibet ne quis cum alterius damno locupletetur) lucrum illud reſtituere ei, cui deeſt. (§. 267.)

9. Atque huc quoque pertinent omnes caſus, quos recenſet Grotius [r], qui eos male ex *jure* aliquo *in re* deducit, quod *ex re non extante* domino competere, putat. [s]

Non vero 10. ad quaſi contractus referri poteſt *actio judicati* [t]: nam ea ex

(o) tot. tit. ff. comm. div. (p) l. 4, § 4, Fin. regund. (q) Tot. tit. ff. de Evictione. (r) Lib. 2, c. 10, §. 2, & late ſeq. (s) vid. d. c. 10, § 2. (t) L. 3, §. 11, pecul. l. 6, §. f. Re jud. Diſſent. Laut. Comp. pag. 580.

et vero conſenſu, ſed tacito, oritur. Quia partes adeundo judicem, in eum compromittere videntur. Hinc judicio contrahi dicitur.

Neque 11. *actiones interrogatoriæ* ex quaſi contractu deſcendunt. Etſi enim is, qui in judicio de jure ſuo interrogatus eſt, *ſic teneatur, quaſi ex contractu obligatus* [u]; non tamen inde ſequitur, eam obligationem deſcendere *quaſi ex contractu:* ſed ſenſus illorum verborum eſt, quod cum ab altero reſpondeatur ea intentione, ut de veritate judex certior fieret, partes vere côntrahant, adeoque ex ſuo conſenſu obligentur. *Voluit enim prætor adſtringere eum, qui convenitur ex ſua in judicio reſponſione, ut vel confitendo, vel mentiendo ſe oneret* [x]: ea igitur intentione alter coram judice interrogat, alter reſpondet. Neque hic agitur de caſu, ubi quis ex facto licito locupletior fit cum alterius jactura.

Neque 12. *actio de receptis.* Hæc enim itidem oritur ex vero conſenſu, ſed tacito. Sane, is, qui publice recipere ſolet res, eo ipſo promittit ſecuritatem [y]; adeoque profeſſio hæc publice facta infert pactum tacitum cum eo, qui res ſuas illius cuſtodiæ tradit. Jure civili nulla actio exinde dabatur; formula enim in talem actionem non erat concepta: at Prætor ex æquitate actiones dedit *de receptis* (atque eadem ratio eſt in omnibus actionibus, quæ dantur contra eos, qui publice profitentur peritiam). Non ergo hæc actio eſt ex quaſicontractu [z]. Sane, recipiens hic non fit locupletior cum alterius jactura.

S E C T I O II.

De Obligatione Perſonæ, quæ quaſi ex delicto oritur.

§. DLXXVIII. D I X I M U S, Jure naturæ eandem rationem obligationis eſſe in quaſi delictis, quæ in delictis veris (*vid.* §. 518.). Ex utriſque enim ideo obligatur is, qui delinquit, quia jus alterius læſit. Adeoque ex culpa quoque oritur obligatio.

Sane, Deus nobis intellectum, & voluntatem dedit, ut præcepta ejus cognoſcere, & actiones noſtras juxta eorum normam moderari poſſimus. Quoties igitur homo facultates illas rationis circa jura aliena non rite adhibet, vel negligit, adeoque aliquid contra jus alterius admittit, quod vi illarum facultatum prævideri potuit, C U L P A eſt. Hinc culpa a JCtis Romanis definitur, *cum quis providere debuit, & potuit, jus alterius inde lædi poſſe.* [a]

Si proinde jus meum alterius culpa læditur, adeoque facto ejus illicito aliquid mihi abeſt, is cauſa eſt damni, & injuriæ, quam naturali jure reparare, i. e. jus ſuum cuique tribuere tenetur.

n. 1. Hinc jam conſtat, jure naturæ homines teneri ad *culpam leviſſimam*, i. e. adhibere debere circa jura aliorum talem diligentiam, quam diligentiſſimi patresfamilias adhibere ſolent. [b]

n. 2.

(u) l. 11, §. 9, interrogat. (x) l. 4, pr. eod. (y) l. 1, pr. §. 1, & §. 8, Naut. caup. l. 3, pr. eod. (z) Diſſent. Laut. Comp. pag. 91. (a) l. 31, ff. leg. Aquil. l. 26, §. 7, ex quib, cauſ. maj. l. 9, §. 3. Locat. l. 5, §. f. l. 6, l. 8, §. 1, ad leg Aquil. (b) l. 18, pr. commod. §. 2, Inſt. quib. mod re. l. 1, §. 4. O. A.

n. 2. Atque hæc regula naturæ in plurimis negotiis, jure Romano quoque, admittitur. Nimirum, 1. quoties quis ultro ſuſcipit negotium alienum [c], ut in mandato, negotiorum geſtione, ſequeſtro [d]; item ſi quis artem, peritiam, aut ſecuritatem publice profitetur: 2. ſi ſolius accipientis eſt utilitas, is pariter omnem, etiam exactiſſimam diligentiam, præſtare tenetur, ut in commodato [e]. 3. Damnum, quod in re alterius datur, etiam leviſſima culpa, reparari debet. [f]

n. 3. Jure Romano rigor ille naturalis temperatus, & imbecillitati humanæ accommodatus eſt. Hinc jure eo regulariter CULPA ſaltem LEVIS præſtatur, i. e. legislatores tantum exigunt in rebus alienis *diligentiam mediam*, qualem bonus paterfamilias præſtare ſolet [g]. Quod adeo verum eſt, ut *culpa* ſimpliciter poſita, regulariter intelligatur *levis*. [h]

n. 4. Ab hac regula JCti Romani excipiunt 1. omnes illos caſus, quos modo recenſuimus, & in quibus favor imbecillitatis humanæ merito ceſſat [i]. 2. Quando de pœna agitur [k]: hæc enim non niſi ex *lata culpa* debetur. Unde id, quod per ruſticitatem [l], ſimplicitatem [m], vel imperitiam, [n] admittitur, excuſare ſolent leges, memores imbecillitatis humanæ [o]. *Latam* autem *culpam* leges punire ſolent, quia etſi in ea non ſit propoſitum lædendi, eſt tamen propoſitum aliquid faciendi, vel non faciendi, unde læſio quidem non neceſſario oritur, ſed oriri poteſt; quod exemplis [p] probat B. Parens [q]. Atque hinc *lata culpa pro dolo habetur:* eaque regula a JCtis Romanis ſtatuitur [r]. 3. Excipiunt leges Romanæ caſus quosdam ſpeciales. [s]

Not. In his negotiis jure Romano exceptis vox *culpa*, ſimpliciter poſita, non *levem* denotat, ſed eam, quæ ex natura negotii definita eſt. [t]

§. DLXXIX. Ad obligationes quaſi ex delicto deſcendentes JCti Romani *Primo* referunt, *ſi judex per ignorantiam male judicat.* Hic enim male judicando neque corpore, neque corpus lædit: at quia culpa ejus damnum eo ipſo datur, quod male judicaverit, ad ejus reparationem naturali quoque ratione obligatur. [u]

Eadem quoque ratio eſt ſi magiſtratus tutores inidoneos conſtituit [v], vel menſor falſum modum dixerit; quia profitetur peritiam. [x]

§. DLXXX.

(c) l. 21, C. Mand. (*d*) l. 5, §. 2, Commod. (*e*) l. 5, §. 2, Commod, (*f*) l. 44, ff. ad leg. Aquil. (*g*) l. 9, §. 2, l. 3, §. 1, l. 6, jur. ignor. l. 32, depoſ. (*h*) dict. legib. (*i*) B. Par. collat. ad Struv. collat. 11, §. 8, ſeq. (*k*) l. 108. Reg. jur. l. 5, §. 21, & 22, ad Sc. Silan. B. Par. dict. collat. 11, §. 14.. (*l*) l. 2, in f. jur. fiſc. l. 2, in f. ſi quis in jus &c. (*m*) l. 1. pr. Dol. mal. l. f. C. Teſtam. (*n*) l. 1, §. f. inſp. ventr. l. 3, §. 22, ad Sc. Silan. l. 25, §. 1, probat. l. 7, § 4, de jurisd. (*o*) l. 24, §. 2, verb. quia naturale vitium eſt &c. Damn. infect. (*p*) l. 7, pr. Depoſ. l. f. §. 2, Cuſt. reor. l. 38, §. 5, pœn. (*q*) Collat. ad Struv. Collat. V. & VIII. (*r*) l. 226. V. S. B. Parens in collat. ad Struv. XIII. §. 3, ubi exceptiones quoque referuntur §. 4, ſeq. (*s*) l. pen. §. f. off præf. vig. l. 9, l. pen. incend. l. 2, in fin. Term mot. l. 1, §. 3, Siccar. &c. dict. collat. 8, §. 16. (*t*) dict. collat. 11, §. 13. (*u*) pr. Inſt. de obl. quæ quaſi ex del. (*v*) tot. tit. ff. de magiſtratibus conveniendis. (*x*) Tot. tit. ff. ſi menſ. falſ. mod.

Digitized by Google

§. DLXXX. *Secundo*, ſi ex cœnaculo meo aliquid ab aliis, v. g. ſervis, vel hoſpitibus meis (nam ſi ipſe effundo, verum delictum eſt, quia corpore meo in corpus damnum datur) effunditur, vel dejicitur in locum, quo vulgo iter fit, indeque damnum datur, hoc caſu conveniri non poſſum actione ex lege Aquilia, quia nec corpore damnum dedi, nec in corpus. At quia aliqualis mea culpa eſt, quod homines illos elegi, ex hac mala electione itidem naturali ratione teneor ad reparationem damni [y]. Atque in eum finem JCti Romani dant actionem in factum, quaſi ex delicto, i. e. ob culpam. [z]

§. DLXXXI. Idem *tertio* obtinet, ſi iidem in cœnaculo meo aliquid ponunt, vel ſuſpendunt, unde damnum datur. JCti Romani hic non tantum actionem in factum dant ex quaſi delicto, contra inhabitatorem cœnaculi [a], ſed & pœnam quoque 10. aureorum in eum ſtatuunt.

§. DLXXXII. *Quarto*, quaſi delictum quoque eſt ſi familia Publicani damnum dedit illicita exactione; tunc enim Publicanus ob malam electionem tenetur [b].

§. DLXXXIII. *Quinto*, ſi animal meum paſtu alii damnum dedit, idque ſervorum meorum culpa factum eſt, teneor actione de paſtu [c], adeoque quaſi *ex delicto*; quia diligentiores eligere debuiſſem ſervos.

§. DLXXXIII. *Sexto*, actio in factum quoque quaſi ex delicto eſt, quæ datur contra *caupones*, *nautas*, & *ſtabularios*, ob furtum ab eis factum, qui ibi habitandi, vel operarum gratia degunt: idque propter malam electionem [d]. Atque hinc omnium eorum factum præſtant, quos recepiſſe cenſentur [e]. Obligatio igitur hæc non demum ex jure civili eſt, uti Grotius putat [f], ſed ex ipſo jure naturæ, & quaſi ex delicto: culpa enim male eligentis damnum hic datur. [g]

§. DLXXXIV. *Septimo*, ſi quis canem, verrem, vel aliud animal noxium in tali loco habeat, quo vulgo iter fit, damnum datum ob culpam naturali ratione reſarciri debet [h]. Hæc obligatio non eſt ex vero delicto, quia neque corpore, neque in corpus damnum datur; ſed ex quaſi delicto, quia culpa concurrit: unde etiam damnum jure Romano non ex lege Aquilia, ſed ex Ædilitio edicto vindicatur. [i]

§. DLXXXV. Equidem quidam Dd. *actiones noxales*, & ſpeciatim *actionem, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur*, vel *ſi ſervus meus ſuo maleficio damnum dedit*, ex jure naturali deducunt: at obligationes hæ oriuntur ex mero jure civili. Quod ſolide demonſtravit. L. B. de SEKENDORF in diſſertatione eruditiſſima, cui titulus eſt: *Dominum ex facto animalis præter culpam non obligari.* Nam 1. intuitu ejus, qui damnum patitur, merus caſus eſt, adeoque ei ſoli

(y) l. 1, §. 4, ff. his, qui effud. (z) l. 5, §. 5, O. A. l. 6, §. 2, his, qui effud. (a) l. 5, §. 6, O. A. (b) l. 3, pr. l. 12, §. 1, ſeq. de Publican. (c) l. 14, §. f. ff. præſcr. verb. Paul. ſent. l. 1, tit. 15. (d) §. fin. inſt. de oblig. quæ quaſ. ex del. l. 5, §. f. de obl. & act. l. 5, §. 4, l. fin. §. 4, Naut. Caup. (e) l. 6, §. 3, Naut. Caup. l. fin. pr. & §. 4, Eod. (f) Lib. 2, c. 17, §. 20. n. 2. (g) l. f. pr. Naut. caup. l. 21, §. 3, Neg. geſt. ibique Goth. (h) §. f. Inſt. ſi quadr. paup. (i) Laut. Comp. p. 413.

Digitized by Google

li nocet. Sane, domino animalis nihil imputari poteſt, quia res licita eſt quadrupedes habere. Hinc *pauperies* definitur, damnum ſine injuria datum [l]; & JCti Romani notanter *culpæ mentionem hic non adjici*, ajunt, *uti in damno injuria dato* [m]. Accedit, 2. quod nec jure Romano quadrupedis dominus teneatur ad damni reſtitutionem (uti teneretur ſi jure naturali ex facto quadrupedis obligaretur), ſed ſaltem ad noxæ deditionem. Adeoque 3. ſola noxa eſt in obligatione; dominus autem non obligatur niſi quatenus noxam poſſidet. Cujus rei ratio hæc eſſe videtur, quod magis faveant leges ei, qui damnum patitur, quam ei, qui animal tale tenet; huic enim aliquid imputari poſſe videtur, alteri nihil.

Eadem autem ratio eſt ſi ſervus meus ſuo maleficio damnum dedit; nam ſervum habere res licita eſt, adeoque nihil eſt quod imputari poſſit domino [n]. Quod ergo ſervus talis dedi debeat, id eſt ex diſpoſitione juris Romani.

SECTIO III.

De Obligatione Perſonæ, quæ proprio quodam jure ex variis cauſarum figuris deſcendit; Lege nimirum, & Jure honorario.

§. DLXXXVI. RECENSUIMUS obligationes, quæ proprio quodam jure ex variis cauſarum figuris oriuntur, & quidem præcipue ex *quaſi contractu*, & *quaſi delicto*. Diximus autem, extra has obligationes, infinitas alias jure Romano exiſtere, quæ ex *lege*, & *jure honorario* oriuntur.

§. DLXXXVII. Nam *Primo* apud Romanos plurima fuere negotia, *ubi obligatio quidem naturalis ſubfuit*, *at non civilis*, adeoque unde actio non dabatur: quo pertinent *pacta nuda*. Quando igitur leges ex tali pacto, propter ſingularem æquitatem, actionem dant, (*exempla vide ſupra* §. 429. *ſeq.*) hæc obligatio civilis nec ex contractu, nec ex quaſi contractu oritur, ſed ex variis cauſarum figuris.

Secundo, multa fuere negotia, in quibus *certa actionis formula non exſtabat*, adeoque ubi omnis ceſſabat obligatio (ita enim ex dolo incidente ante Aquilium Prætorem actio doli non dabatur). Quando igitur leges, vel Prætores, actionem inde dant, obligatio hæc oriri dicitur ex variis cauſarum figuris.

Tertio, huc quoque pertinent *actiones omnes*, *quæ ſaltem ſunt adjectitiæ qualitates aliarum actionum.*

Equidem jure naturali certum eſt, neminem ex contractu *tertii* obligari. *Pater* igitur non tenetur ex contractu filii, etſi de peculio, vel ejus juſſu contraxerit: *Præponens*, & *magiſter navis*, naturali ratione non poſſunt conveniri ex contractu inſtitoris, vel exercitoris; nam nec cum *patre*, nec cum *præponente*, nec cum *magiſtro navis* contractum eſt: deficit ergo duorum in idem placitum, & conſenſus.

At negari nequit, *patrem*, concedendo peculium, vel jubendo; *præponentem*, & *magiſtrum navis*, committendo alii adminiſtrationem, conſentire, ut filii, inſtitores, & exercitores intra fines peculii, præpoſitionis, &c. con-

(*k*) Grot. l. 2, c. 17, §. 21. (*l*) l. 1, §. 3, ſi quadrup. paup. (*m*) l. 1, §. 4, ff. his, qui effud. (*n*) d. l. 1, §. 4, his, qui effud. §. 4, inſt. de nox. act.

Digitized by Google

contrahere poſſint. Atque ideo merito JCti Romani conſtituerunt, ut ex hoc contractu, intra eosdem fines, ipſe *pater*, *& præponentes*, teneantur; quia alias facto ſuo, utut licito, locupletiores fierent cum alterius jactura, vel ſaltem cauſa eſſent damni, quod contrahentibus ex facto filii, vel inſtitorum, &c. contingit.

Hæ igitur obligationes oriuntur ex edicto Prætoris, & deſcendunt *ex variis cauſarum figuris.*

Quarto, cum quotidie nova occurrant negotia, *Legislatores Romani*, *pro varia utilitate novas leges ſtatuerunt*, *indeque actiones dederunt*, quæ *vel* proprium nomen habebant, ut *actiones noxales*, *de pollicitatione*, *quod quisque juris in ſe ſtatuit*, *cautiones*, inprimis *de damno infecto*, actiones circa *res religioſas*, *&c. vel* proprium nomen non habebant, uti *condictiones ex lege* [o], *& actiones in factum* [p] (quo nomine plerumque veniebant actiones prætoriæ). Utræque actiones pertinent ad *varias cauſarum figuras.*

§. DLXXXVIII. Atque ad hanc quoque claſſem pertinent INTERDICTA: nam ex præcedentibus repetendum eſt, Modeſtinum docuiſſe, *nos etiam obligari ex his*, *quæ edicto perpetuo*, *vel a magiſtratu fieri præcipiuntur*, *vel fieri prohibentur.* At interdicta nihil aliud ſunt, quam actiones extraordinariæ, quibus Prætor vel jubendo, vel vetando, interdicebat [r], ſed tantum de *poſſeſſione.*

Jure enim Romano *ex nudo poſſeſſionis facto* nulla oriebatur actio; adeoque detentori rei alienæ, amiſſa poſſeſſione, nullum remedium ſive retinendi, ſive adipiſcendi, ſive recuperandi poſſeſſionem, dabatur: Prætor demum actiones extraordinarias, i. e. interdicta [s] *ex nudo facto detentionis* dedit.

§. DLXXXIX. Merito autem quæritur, *an hæc interdicta fundamentum in jure naturæ habeant?* Equidem Grotius *judicia poſſeſſoria* eſſe juris civilis, & jure gentium poſſidendi jus dominum ſequi, ait [t]. At cum hæc interdicta tantum dentur inter eos, quorum neuter dominus eſt, vel quorum neuter dominium allegat (contra dominum enim, de cujus titulo conſtat, interdicta non dari, infra demonſtrabimus), facile conſtat, poſſidendi jus non neceſſario ſequi dominum, qualis hic non eſt, vel non apparet.

Negari igitur nequit, ex nuda facultate rei corpore inſiſtendi, adeoque ex ſola detentione rei alienæ, etiam naturali ratione, jus aliquod poſſeſſori quæri, quod remediis juris, i. e. interdictis, defendi poteſt. Quod nunc probandum eſt.

§. DXC. Poſſeſſio eſt facultas naturalis inſiſtendi rei, animo ſibi habendi.[u]

§. DXCI. Nititur igitur eſſentia & natura poſſeſſionis I. *facultate naturali rei inſiſtendi:* unde JCti poſſeſſionem appellari, ajunt, *a ſedibus*, quaſi *poſitio*, quia rei inſidemus. Is ergo demum rem poſſidet, qui eam ita tenet, ut in ejus poteſtate ſit inſiſtendi: quod etiam ſit per fictas traditiones [v]. Non ergo is poſſidet, qui rem tantum videt [x], etſi animum habeat eam tenendi.

§. DXCII.

(o) l. un. ff. & tot. tit. ff. de condict. ex lege. (p) l. 11, ff. præſcr. verb. (q) l. 52, pr. & §. 6, de O. A. (r) pr. inſt. de interdict. Conf. l. 84, in fin. ff. de legat. (s) vid. rubr. ff. de interdictis, ſeu extraordinariis actionibus. (t) l. 3, c. 20, §. 48. (u) l. 1, ff. A. P. l. 8, C. eod. (v) l. 3, §. 3, ff. A. P. (x) vid. jus meum controv. tit. de A. R. D. q. 2.

§. DXCII. Hæc detentio igitur, quæ conſiſtit in ſola facultate naturali rei inſiſtendi, effectum juris aliquando habet, etſi titulo juris careat; quia in ſumma poſſeſſionis nihil intereſt, an juſta ſit poſſeſſio, an injuſta: qualiſcunque enim poſſeſſor, hoc ipſo, quod poſſeſſor eſt, plus juris habet, quam ille, qui non poſſidet. Adeo ut prædo ab alio prædone dejectus, contra hunc interdicto utatur; quia non quæritur, an dejectus juſto titulo rem teneat, ſed de facto, an poſſeſſor fuerit. Atque hinc eſt, quod poſſeſſio facti eſſe dicatur. [a]

§. DXCIV. Hinc quoque apparet ratio, cur duo in ſolidum eandem rem poſſidere non poſſint, quia impoſſibile eſt, ut tu corpore eidem loco inſiſtas, quem ego jam occupavi. [b]

§. DXCV. Ex præmiſſis jam facile apparet differentia *poſſeſſionis*, & *dominii* [c]. Nam 1. *poſſeſſio* conſiſtit in ſola facultate naturali rei inſiſtendi, ſive jure, ſive injuria; *dominium* vero in facultate rei inſiſtendi, ex juſta, i. e. dominii translativa cauſa. *Illa* 2. conſiſtit in nudo facto, *hoc* in jure poſſidendi. Hinc 3. *poſſeſſio* acquiri poteſt per ſolam rei inſiſtentiam; *dominium* vero non niſi accedente juſto titulo. 4. Si *poſſeſſor* agit actione poſſeſſoria, ſolam detentionem, ſeu factum poſſeſſionis probare tenetur: ſi *dominus* rem ſuam vindicat, titulum quoque poſſeſſionis docere debet. 5. *Poſſeſſio* antiquior eſt *dominio*; quia ex rerum poſſeſſione dominia orta ſunt [d]; neque enim quis dominium rei acquirere poteſt, niſi facultatem rei inſiſtendi habeat. 6. *Dominium* in hæredes tranſit ipſo jure: *poſſeſſio* non niſi per corporalem apprehenſionem.

Ex his, quæ dicta ſunt, facile conſtat, in genere verum non eſſe, quod Grotius ait, *jure gentium poſſidendi jus dominium ſequi*; hoc enim admitti ſaltem poteſt, ubi de dominio conſtat: ſed quando res agitur inter duos, quorum neuter dominus eſt, vel de quorum dominio non conſtat, ſola cauſa poſſeſſionis decidi debet. Exempla allegavimus *in not. ad Grot. l.* 3. *c.* 20. §. 48. Hactenus igitur poſſeſſoria judicia non ſunt juris civilis, ſed naturalis.

§. DXCVI. 2. Poſſeſſio requirit *animum poſſidendi.* Abſque animo igitur non eſt poſſeſſio, quia alias bruta quoque, lapides, & dormientes poſſiderent [f]. Per animum autem hic non intelligitur judicium perfectum, ſed voluntas ſibi habendi: unde diximus, pupillos quoque incipere poſſe, abſque tutoris auctoritate, poſſidere, ſi ejus ætatis ſunt ut intellectum capiant, i. e. ut affectionem tenendi habeant [g]; unde & amittere quoque poſſeſſionem abſque auctoritate tutoris poſſunt. [h]

Not. Si quis poſſidet *animo* ſibi habendi, *propria* poſſeſſio dicitur; ſi alieno nomine quis tenet, *impropria.* [i]

§. DXCVII. Ratio acquiſitionis rei per ſolam inſiſtentiam, animo ſibi habendi

(*y*) L. 2, ff. uti poſſid. l. 3, §. 5, ff. de A. P. (*z*) l. 1, §. 3, ff. vi armat. (*a*) l. 1, §. 3, A. P. l. 13, eod. l. 19, ff. ex quib. cauſ. maj. l. 12, §. 2, in fin. de capt. & poſtl. (*b*) l. 3, §. 5, de A. P. vid. jus meum controv. tit. de A. P. q. 4. (*c*) Conf. l. 1, §. 2, ff. uti poſſid.

(*d*) l. 1, §. 1, ff. A. P. l. 20, in fin. ff. A. R. D. (*e*) vid. ſup. §. 591. (*f*) l. 3, §. 1, l. 8, de A. P. l. 1, §. 3, l. 1, §. 9, Eod. (*g*) l. 1, §. 3, de acq. poſſ. (*h*) l. 29, ff. eod. (*i*) l. 17. vi arm. l. 21, §. 1, nox. act. l. 17, A. P.

habendi conjunctam, fundatur in ipſo jure naturæ.

Etſi enim mirum videri poſſit, jure naturæ jus aliquod ex ſolo facto poſſeſſionis acquiri, & prædonem remediis juris defendi, cum nemo ex injuria ſua jus agendi ſibi arrogare poſſe videatur: tuto tamen aſſerere auſim, nullam hic, poſitis terminis habilibus, iniquitatem ſubeſſe.

n. 1. Facultas enim illa rei inſiſtendi, i. e. *poſſeſſio*, tunc demum jus dat poſſeſſori, ſi *de ſola inſiſtendi facultate* quæſtio eſt, non ſi de jure. Adeoque quilibet poſſeſſor, etiam prædo, defenditur in poſſeſſione: 1. ſi ab alio illa facultas turbatur, qui nec dominus rei eſt, nec antiquiorem poſſeſſionem docet: vel 2. ſi ab eo turbatur, qui dominum ſe eſſe contendit, at id nondum probavit.

n. 2. *Primo* igitur nuda poſſeſſio jus rei inſiſtendi dat poſſeſſori, *ſi facultas rem tenendi* ab alio violatur, *qui rem nec tenet, nec antea tenuit.* Hoc caſu in facto detentionis potior eſt is, qui poſſidet; de hoc enim facto conſtat, & ex eo facto jus aliquod, ſeu facultas rei inſiſtendi ei naſcitur contra tertium, qui talem facultatem inſiſtendi non habet, nec unquam habuit [k]. Sane, tertius ille nullum jus in factum alterius ſibi arrogare poteſt: nihil ei abeſt; adeoque poſſeſſor ei facultatem inſiſtendi rei cedere non tenetur. Neque allegare poteſt, poſſeſſorem prædonem eſſe: tum quia hæc exceptio eſt de jure tertii; tum quia ipſe quoque prædo fieret, poſſeſſionem alienam arripiendo. Hinc igitur quilibet poſſeſſor, etiam prædo, NB. PLUS JURIS habere dicitur, ac ille, qui non poſſidet; etſi ergo titulum juris non habeat, jus tamen comparative ad turbantem habet, quia turbans nec jus docere poteſt, nec factum poſſeſſionis antiquioris.

n. 3. *Secundo* defenditur factum poſſeſſionis, etiam contra dominum, qui poſſeſſorem turbat, quamdiu de ejus *dominio* nondum conſtat [l]. Hoc caſu igitur interim, & donec jus dominii probetur, poſſeſſor, utut prædo, facto potior eſt: de ejus enim facultate rei inſiſtendi conſtat, jus vero dominii in incerto eſt; adeoque factum illud liquidum, & notorium, prætextu juris nondum probati, eoque incerti, turbari non poteſt.

n. 4. Aliud igitur obtinet, nec poſſeſſio illa defenditur, 1. ſi tertius ante fuit in poſſeſſione [m]: tunc enim conſtat, tertium illum potiorem eſſe facto, quia facultas ejus inſiſtendi rei antiquior eſt; adeoque in concurſu duorum factorum id, quod tempore prius eſt, defenditur. Hinc jure Romano poſſeſſor non defenditur ſi vi, clam, vel precario ab eo, qui nunc agit, poſſidet [n]. 2. Si dominus jus ſuum dominii probat: tunc enim conſtat, facultatem illam rem tenendi lege prohibitam eſſe, & poſſeſſorem rem alienam tenere; quam proinde ei, cujus eſt, reſtituere, eoque jus ſuum cuique tribuere tenetur. Jam enim non de facto, ſed de jure quæritur, ubi is, qui non poſſidet, potior eſt.

n. 5. His principiis poſitis conſtat, nihil inqui in ea theſi inveniri, *quod prædo quoque remediis juris defendatur*: ſupponimus enim, alterum, qui poſſeſſorem

(*k*) §. 4, inſt. de interd. l. 1, §. f. ff. A. P. (*l*) §. 4, Inſt. de interd. (*m*) l. 1, §. f. A. P. (*n*) l. 7, §. 3, & 4, Com. div. l. 3, Uti poſſ.

Digitized by Google

rem turbat, nec jus, nec inſiſtendi facultatem habere. In hoc concurſu igitur duarum facultatum, merito præfertur is, qui prior rem detinuit; tempore enim potior eſt. Hæc igitur prioritas potius aliquod jus tribuit, etiam jure naturali. Atque hoc eſt, quod JCti Romani ajunt, poſſeſſorem hoc ipſo, quod poſſeſſor eſt, *plus juris* habere, quam ille, qui non poſſidet o. Neuter ergo *jus* habet; ſed orta de illo facto controverſia *plus juris* habet poſſeſſor, quia nimirum facto prior, eoque potior eſt. Atque hoc ſenſu poſſeſſionem plurima *ex jure* mutuari, iidem JCti tradunt p. Etſi enim ſola poſſeſſio nullum jus tribuat, nec actiones ordinariæ, quæ tantum pro jure tuendo dantur, ex poſſeſſione dari potuerint, Prætor tamen actiones extraordinarias dedit, per quas poſſeſſor perſequitur non jus, ſed facultatem rem corpore tenendi: hactenus enim poſſeſſio aliquid ex jure mutuatur, dum per remedia juris defenditur.

§. DXCVIII. *Subjectum* hujus acquiſitionis ſunt homines, qui animum rei inſiſtendi habent, adeoque voluntate, & intellectu præditi ſunt: non ergo bruta. Sed & furioſi, infantes, &c. incipere non poſſunt poſſidere abſque tutoris auctoritate q. Secus igitur in infantiæ majoribus, quia affectionem habent, ſeu intellectum capiendi.

§. DXCIX. *Objectum* poſſeſſionis ſunt omnes res, quæ corporaliter apprehendi poſſunt: fruſtra igitur de poſſeſſione quæritur, ſi res ipſa in poteſtatem noſtram redigi nequit, uti aër, aqua profluens, mare, &c.

(o) l. 2, ff. uti poſſid. l. 3, §. 5, ff. A.P. (p) l 49, pr. A. P. (q) l. 1, §. 3, de A. P. (r) l. 34. §. 1, contr. emt.

§. DC. *Effectus* poſſeſſionis alii ſunt intuitu poſſeſſoris, alii intuitu tertiorum.

I. Intuitu *poſſeſſoris* effectus inſignis eſt, [a] ut poſſeſſor ex hoc facto detentionis jus aliquod acquirat, nimirum, facultatem rei inſiſtendi; de quo proinde jure pro lubitu diſponere, illudque in alium transferre poteſt r: [b] uti poſſeſſor defendere factum poſſeſſionis poſſit contra omnes, qui poſſeſſionem illam turbant. Hæc defenſio jure Romano fiebat per INTERDICTA, quæ ſunt actiones perſonales extraordinariæ, quibus perſequimur jus, quod ex facto detentionis nobis competit, & quod nobis ab eis, qui nec antiquiorem poſſeſſionem, nec jus poſſidendi docent, debetur.

n. 1. Defenſio autem contra *extraneos* fit BELLO. Si proinde Rex aliquis, qui vi occupavit regnum, & in ejus poſſeſſione eſt, bello petitur ab alio rege, qui nec dejectus, nec ſocius regis ejecti eſt, nec ejus jure, & nomine agit, neque antiquiorem poſſeſſionem allegare poteſt, jure ſe defendit, quia qua poſſeſſor potior eſt tempore: bellum igitur pro defendendo facto poſſeſſionis juſtum eſt, etſi poſſeſſor ipſe prædo ſit.

n. 2. Contra *concives* defenditur poſſeſſio per ACTIONES POSSESSORIAS, quas JCti Romani vocant *interdicta:* quibus agitur vel ad adipiſcendam, vel ad retinendam, vel ad recuperandam poſſeſſionem.

Equidem, occaſione hujus poſſeſſionis de *cauſa*, *fructibus*, *acceſſionibus*; *culpa*, & *dolo* quæri poteſt: at ſæpius dictum eſt, jure naturæ ſingula hæc capita propriis actionibus ex contractu, vel quaſi

Digitized by Google

quaſi contractu, ex delicto, vel quaſi delicto vindicari. JCti vero Romani officio judicis permiſere, ut de his præſtationibus quoque judicare poſſit, etſi natura actionis non comprehendantur [s]. Unde interdicta ad actiones arbitrarias referuntur [t]: ſi tamen judex de iis non pronunciat, adhuc ſeparata actione peti poſſunt.

n. 3. Actiones poſſeſſoriæ etiam ab ipſo domino intentari poſſunt; is enim duplicem inſtituere actionem, & vel jus rei ſuæ vindicare, vel defendere ſolam poſſeſſionem poteſt. *Priori* caſu jus rei ſuæ, i. e. titulum docere debet: *poſteriori* caſu autem ſufficit ſi ſaltem probat, ſe in poſſeſſione fuiſſe; tunc enim antiquior poſſeſſio præfertur. Conſultius igitur eſt domino, rei interdicto agere, quam rei vindicatione.

n. 4. Alius quoque effectus poſſeſſionis 2. eſt, quod omnia commoda poſſeſſionis poſſeſſorem ſequantur; unde [*a*] percipit fructus [u]; [*b*] jus retentionis habet [v]; [*c*] non opus habet actione, ſed tutus eſt poſſeſſione [x]; [*d*] liberatur ab onere probandi. [y]

n. 5. *II.* INTUITU TERTIORUM inſignis poſſeſſionis eſt effectus; illi enim ſequuntur præſentem poſſeſſionem. Si proinde *duo privati* litigant, tertii, ad quos lis illa non pertinet, poſſeſſorem rei pro domino habent, cum eo contrahunt de re, reditus ei præſtant, ei ſerviunt, &c. Neque enim poſſeſſori opponere poſſunt, *tu non es dominus*; quia judicium eorum non eſt, & exceptio hæc eſt de jure tertii.

Majorem uſum hæc res habet inter *duas gentes* bellum invicem gerentes: hoc enim caſu reliquæ gentes, quæ naturali ratione de hujus, vel illius jure decidere non poſſunt, poſſeſſionem ſequi tuto poſſunt.

Hinc omnia cum poſſeſſore agi poſſunt, quæ ad reipublicæ adminiſtrationem pertinent: nec rex ejectus de injuria queri poteſt: uti infra *lib.* 7. *cap.* 5. uberius demonſtrabimus. Medii igitur cum poſſeſſore rerum commercia habent, fœdera cum eo contrahunt, auxilia Reipublicæ promiſſa præſtant, legatos ejus recipiunt, &c. quæ omnia alibi [z] plenius examinavimus. At finita poſſeſſione omne jus poſſeſſoris deſinit, & jam vicini noviorem poſſeſſionem ſequuntur: cujus rei exemplum illuſtre allegavimus alio loco. [a]

Adeo autem verum eſt, vicinos poſſeſſionem ſequi poſſe, ut ſi injuria eum poſſidere aſſerant, juſta inde belli cauſa oriatur.

§. DCI. Amittitur poſſeſſio *I.* ſi naturalis facultas rei inſiſtendi deſinit [b]; tunc enim res non amplius eſt in poteſtate noſtra naturali: uti [*a*] ſi res ipſa poſſeſſa interit [c]; [*b*] ſi furto ablata [d]; vel [*c*] alius vi occupavit [e]; [*d*] ſi inundatione maris, vel fluminis, res deſinit eſſe in noſtra cuſtodia [f]; [*e*] ſi lapides naufragio in fluvium demerſi ſunt. [g]

Non vero 2. deſinit naturalis poſſeſſio,

(*s*) §. 31, Inſt. de action. §. 2, Inſt. de offic. jud. (*t*) d. §. 31, & §. 2, Inſt. de off. jud (*u*) l. 48, pr. A. R. D. (*v*) l, 31, §. 2, & 3, Hæred. pet. l. 6, §. 1. unde vi. (*x*) l. 1, §. 2, & 6, ff uti poſſid. (*y*) l. 6, §. 1, C. unde vi. §. 4, Inſt. Interd. (*z*) Vid. comment. ad Grot. l. 3, c. 17. (*a*) ad dict. l 3, c. 17. (*b*) l. 3, §. 3, §. 17, de A. P. l. 30, §. 3, eod. (*c*) l. 23, ff. præſcr. verb. (*d*) l. 15, de A. P. (*e*) l. 1. §. 45, ff. vi arm. (*f*) arg. l. 3, § 17, acq. poſſ. l. 30, §. 3, eod. l. 12, §. 2. Reb. aut. jud. (*g*) l. 13, pr. acq. poſſ.

ſeſſio, quamdiu non certo conſtat, rem deſiiſſe in noſtra eſſe poteſtate; hinc fera capta manet noſtra, donec ſpes eſt recuperandi [b]. Pariter res noſtra manet, etſi alius clam ingreſſus ſit; quia non conſtat, anne domino revertenti ceſſurus ſit. [i]

n. 1. *II.* Amittitur poſſeſſio, ſi ANIMUS POSSIDENDI deficit, adeoque ſi poſſeſſor conſtituit, ſe nolle poſſidere [k]: nam eo ipſo quoque corpore amittimus poſſeſſionem, quia non eſt poſſeſſio, quæ ſolo corpore fit. Hinc amittitur poſſeſſio [*a*] morte poſſeſſoris [m], [*b*] ſi nolit amplius poſſidere [n], uti [*c*] in conſtituto poſſeſſorio. [o]

n. 2. *III.* Amittitur poſſeſſio, ſi de jure alterius certo conſtat: tunc enim apparet, poſſeſſionem illam injuſtam eſſe, adeoque defendi eam non debere. Neque tunc amplius quæſtio eſt de ſolo facto, ſed de jure: adeoque non agitur de poſſeſſione mere naturali, & corporali, ſed de poſſeſſione legitima, ubi præfertur is, cujus jus potius eſt.

§. DCII. Hinc jam facilis eſt deciſio quæſtionis, *an poſſeſſio ſit ſpecies juris in re*, adeoque an interdicta, quæ de poſſeſſione dantur, ſint actiones reales? *an vero poſſeſſio ad jus ad rem referri debeat*, adeoque an interdicta ſint actiones perſonales?

Equidem alii poſſeſſiones ad *jus in re*, alii ad *jus ad rem* [p], alii *ad utrumque* [q], alii *ad neutrum* referunt: quam ſententiam ſovet B. Parens, & ego olim ſecutus ſum [r]. Qui poſteriorem opinionem defendunt, præmittendam eſſe, ajunt, diviſionem *in jus*, *&* *factum*; ad *factum* referunt poſſeſſiones: *juris* autem duas ſpecies conſtituunt, *in rem*, & *in perſonam*.

Re rite perpenſa nullum dubium ſupereſſe, plane perſuaſum mihi habeo, *poſſeſſiones pertinere ad jus ad rem*, & oriri *ex variis cauſarum figuris*: adeoque interdicta eſſe actiones mere perſonales, non reales.

Idque probatur 1. per l. 1. §. 3. ff. de interd. ibi: *interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipſa ſunt perſonalia.* 2. Quia quatuor tantum ſunt ſpecies juris in re, *dominium*, *ſervitus*, *hæreditas*, *&* *pignus*: poſſeſſio ergo eo referri nequit. 3. In *actionibus realibus* contendimus, rem noſtram eſſe [s]; cujus effectus eſt, ut actor altero negante titulum probare teneatur. At in materia *poſſeſſionis* plane de jure, & de titulo non quæritur, ſed de ſolo facto poſſeſſionis: non igitur hic contendimus, *rem noſtram eſſe*, ſed nos rem vel detinere, vel in poteſtate noſtra corporali eam habuiſſe.

4 Actiones reales dantur non poſſidentibus contra eos, qui poſſident: at interdicta etiam dantur contra eos, qui non poſſident, ut interdicta *unde vi*; & aliquando ipſi poſſeſſori, ut *interdictum retinendæ*. [t]

5. Præter obligationes, quæ ex contractu, & delicto deſcendunt, obligamur quoque jure honorario, ſeu Prætorio, *ex his*, *quæ edicto perpetuo*, *vel magiſtratu fieri præcipiuntur*, *vel fieri* pro-

(*b*) §. 12, I. de R. D. (*i*) l. 3, pr. ff. uti poſſ. l. 12 §. 4, de vi arm. (*k*) l. 2, §. 6, de A. P. l. 8, eod. (*l*) l. 23, ff. de A. P. (*m*) l. 3, §. 6, l. 17, §. 1, ff. de A. P. (*n*) l. 9, l. 18, pr. de A. P. (*o*) l. 6, §. 1, C. unde vi. (*p*) vid. jus meum controv. l. 2, tit. 8, q. 2. (*q*) Struv. ad tit. de interd. (*r*) in jure meo controv. d. l. (*s*) l. 25, pr. O. A. l. 28, eod. (*t*) Tot. tit. ff. de interd. retin.

Digitized by Google

prohibentur [u]. Diximus autem, interdicta nihil aliud eſſe, quam edicta Prætoris, quibus aliquid fieri præcipit, vel fieri prohibet. Interdicta ergo pertinent ad obligationes perſonæ.

Certum 6. eſt, *interdictum* recuperandæ poſſeſſionis, *unde vi*, eſſe ex delicto [v], adeoque ex obligatione perſonæ.

Accedit, 7. quod interdicta aliquando dentur de rebus, quæ plane non ſunt in commercio hominum, adeoque quæ nullius ſunt, & in dominium ſingulorum venire non poſſunt, nimirum, *de rebus ſacris*, *religioſis*, *de homine libero*, *&c.* Hæc igitur interdicta ad *jus in re* referri nulla ratione poſſunt. Denique 8. interdicta quoque dantur de locis publicis, nimirum, *de itinere*, &c. in quæ loca nemini jus in re competit.

Neque *obſtat*, 1. interdicta eſſe *in rem* concepta [x]. Reſp. plures ſunt actiones, quæ in rem conceptæ ſunt, & tamen ſunt perſonales, uti actio de metu [y], actiones noxales [z], actio ad exhibendum, &c. [a]. Nam jure Romano his actionibus privilegium datum eſt, ut licet ſua natura tantum in perſonam, quæ metum intulit, quæ noxam eo tempore, eum damnum datum eſt, poſſedit, & quæ furto rem exhibendam abſtulit, prolatæ ſint, tamen contra poſſeſſorem ipſum ideo intentari poſſint, ut eo facilius jus ſuum conſequatur actor, nec per ambages prius perſonam convenire, & tunc demum executionem contra poſſeſſorem impetrare teneatur. Atque ad has actiones *in rem ſcriptas* quoque pertinent interdicta. [b]

Etſi ergo interdicta tantum contra perſonam dentur, ſi tamen rem ipſam, ejuſque poſſeſſionem adipiſci, vel recuperare, actoris intereſt, contra poſſeſſorem rei agere poteſt, ut patiatur adipiſci, vel recuperare poſſeſſionem [c]. Nemo enim præſtare id poteſt, niſi qui rem tenet.

Obſtat 2. quod interdicta non poſſint referri ad obligationes perſonæ, quia per actiones perſonales actor intendit adverſarium ei dare, vel facere oportere, i. e. eum ſibi obligatum eſſe. Per interdicta autem, ait, *poſſeſſionem rei ſuam eſſe.* At hujus modi actiones dicuntur in rem. [d]

Reſp. In interdictis non aio, rem, de cujus poſſeſſione agitur, meam, i. e. in meo dominio eſſe, quo ſolo caſu actiones in rem eſſe dicuntur, §. 1. *Inſt. act.* ſed mihi facultatem competere rei inſiſtendi. Quo caſu Prætor interdicit, i. e. vel præcipit ut alter reſtituat, &c. vel prohibet ne turbet. Hæ autem obligationes ſunt perſonales [e]. Nam actor intendit, alterum ei dare, vel facere oportere, nimirum, dare facultatem rem tenendi, vel facere ne ea turbetur.

Obſtat 3. obligationem perſonalem tantum ex quatuor cauſis deſcendere, nimirum, ex *contractu*, *quaſi contractu*, *delicto*, *& quaſi delicto.* Ad neutram autem harum cauſarum referri poteſt poſſeſſio. Reſp. immo præterea obli-

(*u*) l. 52, pr. & §. 6, ff. oblig. & act. (*v*) l. 5, ff. interd. l. 3, ff. vi arm. (*x*) d. l. 1, §. 3, de interd. Conf. l. 1, §. 1, & 2, de ſuperf. ibi, & quaſi actiones in rem &c. (*y*) l. 9, §. 1, & §. 8, quod met. l. 14, §. 3, Eod. (*z*) l. 1, §. 12. ſi quadr. paup. (*a*) l. 3, §. f, ad exhib. junct. §. 3, Eod. (*b*) d. l. 1, §. 3, de interd. d. l. 1, §. 1, & 2, de ſuperf. (*c*) l. 16, §. 2, quod vi l. 13, §. fin. l. 14, l. 15, §. 1, l. 7, §. 1, eod. (*d*) §. 1, Inſt, De action. (*e*) l. 52, O. A. §. 6.

Digitized by Google

obligatio quoque oritur *ex aliis variis cauſarum figuris*.

Obſtat 4. iniquum maxime videri, *prædonem* defendi in poſſeſſione. Reſp. non defenditur qua prædo, (de titulo enim nondum conſtat, nec de eo quæritur) ſed tanquam poſſeſſor, qui ait, facultatem ſuam rem tenendi, ab alio, qui nec jus probavit in re, nec ante rem detinuit, turbari, vel detineri. Hoc igitur caſu, ubi de ſolo *facto* quæſtio eſt, (etenim an prædo ſit, an non, cum domino, non cum turbante, qui æque prædo eſt, diſceptari debet), jus aliquod actori ex facto detentionis quæſitum eſt, quod ei ab alio, qui ante non poſſedit, auferri nequit: hactenus enim verum eſt, quod *plus juris* habeat is, qui poſſidet, quam is, qui non poſſidet.

Certum ergo eſt, *poſſeſſionem* non eſſe ſpeciem juris in re, ſed eam ad jus ad rem pertinere; indeque *interdicta*, ſeu actiones extraordinarias, quæ inde dantur, non eſſe actiones reales, ſed perſonales.

Sectio IV.

De Obligatione, quæ ex neceſſitate oritur.

§. DCVI. Aliquando obligatio ex *ſola neceſſitate legis* oritur, ut in ſuo, & neceſſario hærede *f*. Hic enim repudiare hæreditatem non potuit, ſed invitus eam adire tenebatur, etſi nullum lucrum ex ea habiturus fuiſſet. Hæc igitur obligatio neque eſt ex contractu, vel, quaſi, neque ex delicto, vel quaſi; ſed itidem proprio quodam jure oritur *ex variis cauſarum figuris*.

(*f*) D. L. 25, §. 7, O. A.

LIBER

LIBER VI.

DE DEFENSIONE JURIUM

Naturali ratione cuique hominum quæſitorum

CONTRA CONCIVES.

Ubi de Origine SUMMÆ POTESTATIS, *ejuſque Juribus agitur.*

PROOEMIUM.

§. DCVII. EXPLICAVIMUS jura, quæ natura quæſita ſunt tum DEO, tum *cuique hominum*, & quæ eis ab aliis hominibus tribui neceſſario debent.

§. DCVIII. Quid ſi homines refragentur voluntati divinæ, & nolint jura cuique a natura conceſſa tribuere? Reſp. hoc caſu ex medii neceſſitate ſequitur, eos, etiam invitos, ad id adigi poſſe; fruſtra enim jura a Creatore conceſſa eſſent, ſi creatura impune illa turbare, nec turbantes coërcere poſſet.

§. DCIX. Omnis igitur quæſtio in eo vertitur, *quis ſit vindex illius juris?* & *cui competat jus coërcendi nocentes*? Equidem ratio naturalis dictat, ſolum Deum eſſe vindicem violati juris, *tum* quia is jura illa conceſſit, adeoque ei fit injuria; *tum* quia extra Deum nemo eſt, qui jus in homines habeat.

At cum experientia teſtetur, Creatorem non immediate imperium ſuum exercere in homines, examinandum eſt, *cuinam vices ſuas inter homines commiſerit?* adeoque, *cui hominum facultatem coërcendi eos, qui jura naturæ violant, conceſſerit?*

§. DCX. *Illi*, qui exiſtentiam juris naturalis negant, vindicem talis juris non dari, ſtatuunt; ſed imperia, & judicia pactis demum hominum orta eſſe, contendunt. *Alii*, qui jus naturæ admittunt, toti humano generi exſequutionem illius a Creatore delegatam eſſe, exiſtimant. *Alii* unumquemque privatum ſui, & alieni juris eſſe vindicem, aſſerunt, & eum ſemper eſſe ſuperiorem lædente, ajunt.

At neutri harum ſententiarum adſtipulamur: ſed verius eſt, cuique patrifamilias imperium in membra ſuæ familiæ a Creatore conceſſum eſſe; has autem demum familias, conſtitutis civitatibus, imperium vel omnibus, vel pluribus, vel uni contuliſſe. De quo nunc plenius agemus.

§. DCXI.

Digitized by Google

§. DCXI. *Primo* igitur probabimus, naturali ratione patribusfamilias imperium in familiam conceſſum eſſe: familiis vero auctis civitates conſtitutas, atque in illas imperium eſſe collatum. (*Vid. cap.* 1.)

Secundo, agemus de imperio *ex delatione populi* quæſito, ejuſque juribus, ac deſinendi modis: & ſpeciatim de *ſucceſſione* in his regnis. (*Vid. cap.* 2.)

Tertio, exponemus naturam regnorum bello quæſitorum. (*Vid. cap.* 3.)

Quarto, delineabimus proceſſum naturalem in cauſis privatorum. (*Vid. cap.* 4.)

CAPUT I.

De Imperio patribusfamilias in membra familiæ naturali Jure competente; ubi de origine Civitatum.

§. DCXII. NATURALI jure cuique patri familias imperium in membra ſuæ familiæ conceſſum eſſe, ex ipſa natura familiæ apparet. Familias enim, i. e. ſocietates domeſticas a natura eſſe, easque per juſtas nuptias conſtitui, ſupra demonſtravimus (*Vid.* §. 141.). Probavimus quoque, patremfamilias eſſe caput familiæ, & dominum ſuæ domus, in quam *uxor* tranſit ex conſenſu, & *liberi* accedunt per generationem. (*Vid.* §. 147.)

n. 1. Hinc neceſſario ſequitur, patremfamilias tamquam caput ſuæ familiæ, & dominum ſuæ domus, legem dicere poſſe domui, & illis, qui in domo illa habitant: adeoque *imperium* in membra familiæ tum ex conſenſu, tum ex generatione, ei competere.

Sane, ſi membra familiæ æqualia, & omnes perſonæ familiam conſtituentes in pari conditione eſſent, pater in propria domo nihil invitis membris familiæ agere poſſet, quia in ſocietate melior eſt conditio prohibentis: immo ſi maritus caſtigaret uxorem, vel liberos, his jus belli competeret in maritum, & patrem; quæ omnia ſanæ rationi repugnant.

n. 2. Provocamus ad conſenſum omnium gentium: omnes in eo conveniunt, membra familiæ eſſe in poteſtate patrisfamilias. Hinc ULPIANUS familiam deſcribit, quod ſint *plures perſonæ* UNIUS POTESTATI NATURA, *vel jure ſubjectæ.* [a]

n. 3. Hæc poteſtas ante conſtitutas civitates, i. e. antequam familiæ ſuum jus in civitates contulerunt, pleniſſimum imperium, adeoque & judicia capitalia comprehendebat.

HOMERUS [b] antiquiſſimum hominum ſtatum deſcribens, ait,

> *dant conjugibus jus*
> *quisque ſuis, ſobolique*, &c.

EURIPIDES [c] eundem ſtatum ita proponit,

> *dat liberis jura,*
> *natisque, uxorique.*

ARISTO-

(*a*) L. 195. §. 2, D. de verb. ſign. Conf. ſupr. §. 141. & 159. (*b*) Odyſſ. v. 114. 115. [Lib. IX. ubi de Cyclopibus ſermo eſt. *D.*] (*c*) Andromache.

Samuelis de Coccerii Introd. ad Grot.

Digitized by Google

ARISTOTELES [d] ita argumentatur : *ſi Cyclopes etiam neceſſitatem reginimis, & imperii, ſaltem domi ſuæ agnoſcunt, quanto minus alii negabunt.* Et PLATO [e] quoque ait, *δυναςείαν ὑπονομικὴν* apud Cyclopes fuiſſe *rudimentum regni.*

EUSTACHIUS ſententiam Ariſtotelis ita explicat: *Cyclopes non habebant leges, aut conſtitutam legibus civitatem, ſed diſperſis familiis agebant, in quibus arbitria patrisfamilias pro legibus erant, ſive quisque domi ſuæ rex erat.*

n. 4. Ex hiſtoria ſacra quoque apparet, Adamo, primo hominum, imperium in familiam conceſſum fuiſſe: Deus enim Hevam allocutus declaravit, maritum ei dominaturum [f]; & Cain metuebat vindictam hominum; at præter Adamum, ejusque familiam, alii homines non exiſtebant.

Hujus imperii familiaris celebre exemplum exſtat in hiſtoria Judæ: hic enim, cum nurus ſtupri accuſaretur, ſententiam pronunciavit, ut igne combureretur; certiſſimo indicio, Judam tamquam caput ſuæ familiæ, pœnas capitales in membra familiæ ſtatuere potuiſſe.

Sane, primos Judæorum auctores, quos Patriarchas vocant, ſummam poteſtatem habuiſſe, vel ex eo apparet, quod bella geſſerint. Abrahamus enim fratrem a vicinis regibus captum armis liberavit; & filii Jacob, ob ſtuprum ſorori illatum, pœnam ſumſere a tota Hemoritarum gente.

Veſtigia hujus imperii adhuc extant apud plures gentes, ubi, etiam poſt inſtitutas civitates, jus vitæ, & necis, patribusfamilias relictum fuit; quod proinde non eſt jus novum: ſed id, quod antea patresfamilias habuerunt, eis reſervatum eſt. Sufficere enim primis reipublicæ auctoribus ad tranquillitatem civitatis videbatur, injurias, quas *familiæ* ſibi *invicem* inferebant, civitatis arbitrio ſubmittere; neque eis ad ſtatum publicum pertinere videbatur, quid in *cujusque familia* ſtatueretur.

n. 5. Neque metuendus eſt domeſtici hujus judicii abuſus: ſatis enim provida proſpexit natura per unionem carnis [g], quæ cum uxore contrahitur, & per ςοργὴν, quam natura parentibus erga liberos ingenuit. Hæc naturæ vincula tutos reddunt & uxores, & liberos, ab injuriis maritorum, & parentum [h]. Sane, minor longe metus eſt a marito, vel patre judice, quam ab extraneo, qui pariter, & magis abuti judicio poteſt. Cum T. Atrius filium deprehenſum in parricidio exſilio damnaſſet, SENECA [i] addit: *nemo dubitabat, quin merito reus damnatus eſſet, quem is pater damnaſſe potuiſſet, qui odiſſe non poterat.*

n. 6. Certiſſimum igitur eſt, patremfamilias eſſe judicem naturalem ſuæ familiæ, qui legem familiæ dare, lites in familia ortas decidere, crimina punire, ac jura familiæ contra injuriam aliorum defendere poteſt, & debet.

n. 7. Patrefamilias mortuo, quotquot capita ei ſubjecta fuere, ſingula familias habere inceperunt, & ſinguli patrumfamilias nomen ſubierunt. [k]

Auctis igitur hoc modo familiis, cum una domo capi tot familiæ non potuerint, in alias domus, tamquam in colonias exierunt [l]; atque ex his pluribus

(*d*) de moribus Lib. X. c. 19. Et L. 8, c. 12. (*e*) Plato de Legib. dial. 3, p. m. 766. & 767. (*f*) Gen. III. v. 16. (*h*) vid. Grot. L. 2, c. 5, §. 7. Diod. Sic. L. 4, c. 45. (*i*) de clement. L. 2. c. 5. (*k*) d. L. 195. D. de verb. ſign. (*l*) Ariſt. Polit. L. 1, c. 2, & Cic. offic. L. 1, c. 2.

Digitized by Google

bus domibus, quæ ex eadem domo, & gente prodierunt, quædam conſtituebatur ſocietas, quæ *pagus* vocatur. [m]

Secutis connubiis, & affinitatibus contractis, plures orti ſunt *pagi*, inter quos cum memoria cognationis pene deleta eſſet, facile lites oriri potuerunt, unde *bella* ſecuta. Bellum gerentes vicinorum auxilia implorabant & hæ gentes ſociæ, incurſiones hoſtium metuentes, communem cœtum conſtituebant, unde *civitates* ortæ ſunt. [n]

n. 8. Atque hanc originem civitatum, & regnorum, totidem verbis refert ARISTOTELES [o]: poſtquam enim patresfamilias capita, & rectores ſuæ domus conſtituit, ita pergit: *quæ ex pluribus domibus conſtituitur ſocietas prima, utilitatis gratia non quotidianæ,* PAGUS *eſt: maxime vero ſecundum naturam videtur pagus propagatio quædam eſſe domus eorum, quos dicimus coalitos, & natos eſſe natorum. . . . . Quæ autem ex pluribus pagis conficitur ſocietas,* CIVITAS *eſt.* Atque hoc ſenſu civitatem a natura eſſe, ſtatuit [p]. Eodem recidit ſententia CICERONIS: nam hic quoque primam ſocietatem inter membra familiæ, i. e. in una domo conſtituit [q]; & tunc addit: *ſequuntur fratrum conjunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinorumque; qui cum una domo jam capi non poſſint, in alias domos, tamquam in colonias exeunt: ſequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quæ propagatio, & ſoboles, origo eſt* RERUMPUBLICARUM.

n. 9. Ex his jam facile conſtat ratio, cur in rebuspublicis ſola familiarum capita, non vero membra ſingularum familiarum, ad comitia vocentur: ſola enim capita jus imperii habuerunt, & in civitatem coëuntes ſe, ſuaque, arbitrio communi reliquorum capitum ſubjecerunt.

§. DCXIII. CIVITAS igitur eſt cœtus plurium familiarum juris tuendi cauſa congregatus. [r]

Hinc differt a cœtu latronum. Etſi enim hi latrones unum corpus conſtituant, formamque regiminis habeant, non tamen civitatem conſtituunt, adeoque jura juſti populi non habent [s]. Unde nec ſumma poteſtas eis tribuitur, quia non juris tuendi cauſa in unum cœtum coiverunt, ſed potius animo jura aliorum deſtruendi [t]. Hinc 1. quidquid agunt, injuria agunt; 2. jura belli cum ipſis non obtinent, quia juſti hoſtes non ſunt [u]; adeoque 3. capti a piratis, & latronibus non fiunt ſervi [x]; nec 4. reverſi poſtliminio opus habent [y]. Hinc nec 5. legatos mittunt [z]: nec 6. apud Romanos triumphus decernebatur duci, qui eos vicisſet [a]: & ſi 7. latrones quædam capiunt, eorum domini non fiunt. [b]

n. 2. Effectus hujus differentiæ inſignis hic eſt, ut civitas non deſinat eſſe juſtus populus, etſi injuria quid agat [c], & actum illum armis defendat;

(*m*) Ariſt. d. l. (*n*) Ariſt. d. l. Grot. Proleg. §. 19, & 21, ibique not. & L. 1, c. 1. §. 14, n. 1. (*o*) Polit. lib. 1, cap. 2. (*p*) d. lib. 1, c. 2. (*q*) de offic. lib. 1, c. 17. (*r*) Grot. Proleg. §. 29, & L. 1, c. 1, §. 14, n. 1, L. 1, c. 3, §. 7, n. 1, L. 2, c. 9, §. 3. Vid. ſupr. §. 199. (*s*) Grot. L. 3, c. 3, §. 2, n. 1. (*t*) Grot. L. 3, c. 3, §. 1, n. 1. (*u*) Grot. L. 3, c. 3, §. 1, n. 1. (*x*) Grot. L. 2, c. 13, §. 15, L. 3, c. 3, §. 2, n. 3. (*y*) Grot. L. 3, c. 9, §. 16, & 17. (*z*) Grot. L. 2, c. 18, §. 2, n. 3. (*a*) Grot. L. 3, c. 3, §. 2, n. 2. (*b*) Grot. L. 3, c. 3, §. 2, n. 1, L. 2, c. 17, §. 19. (*c*) Grot. L. 3, c. 3, §. 2, n. 2.

Digitized by Google

dat ; quia finis tamen civitatis idem ſemper manet, populus juris in genere tuendi cauſa eſt congregatus : atque hinc omnia jura belli etiam cum hoc populo injuria agente obtinent. [d]

E contrario cœtus latronum non incipit eſſe civitas , etſi latrones actus juſtitiæ exerceant inter ſe , quia finis generalis ceſſat [e] ; niſi finem ſuum, promiſcue prædandi , mutent : nam cœtum latronum juſtam civitatem fieri poſſe , ex quo latrones illi eo animo congregantur juris tuendi cauſa, extra omne dubium eſt.

Certum ergo eſt , civitates, cœtum illum juris tuendi cauſa congregatum , id eſt, imperium,prout inter gentes eſt conſtitutum, ex pacto hominum ortum eſſe.

At negari nequit , *jus imperii* , quod in civitatem collatum eſt , a Deo eſſe : jus enim illud conſiſtit in tuendo jure ſingulorum ; quod officium patribusfamilias a Creatore conceſſum , ab his autem in civitates, earumque rectores, translatum eſt.

Hinc jam apparet ratio , cur judicia *divina ordinatio* vocentur [f] ; nimirum, non ratione formæ, utpote quæ ex facto , & diſpoſitione hominum ſtatuta eſt , ſed intuitu finis : quia finis judiciorum eſt , ut jura ſingulis ex voluntate divina quæſita tuta ſint. Hinc [a] eſt, quod nomen Regium apud gentes pro Deo cultum fuerit [g] : [b] quod reverentia iis debeatur , etſi impii ſint [h] : [c] quod inviolabiles ſint [i] , etiam in alieno territorio [k] : [d] quod judicem actionum ſuarum nullum habeant [l] : [e] quod *Dei gratia* ſe principes eſſe , in titulis ſuis aſſerant : [f] quod ſeveriſſimis pœnis eorum violatio prohibeatur. [m]

§. DCXIV. In civitate major in ſuffragiis ferendis pars , etiam naturali jure , obtinet , quia alias nullus conſiliorum foret exitus [n]. Sed ſi vota inter ſe differunt , quæritur, quomodo computentur ? Reſp. fundamentum hoc eſt: *primo* , *& ante omnia* , *ſententiæ damnantes jungi debent contra abſolventes*; & tum *condemnantes (& in gradu pœnæ diſſentientes) ponderantur* ; *& iterum ea ſententia præfertur* , *in quam major pars conſentire videtur*.

Exemplo res clarior fit : quinque ſunt judices,quorum duo abſolvunt,tres condemnant , unus in 15. alter in 10. tertius in 5. Hic 1. quæritur, *an abſolvendus ſit reus* , *an condemnandus ?* poſterius affirmatur , quia tres aſſerunt contra duos , reum puniendum eſſe. Non poteſt is ergo abſolutus videri, quem pars major condemnavit. 2. Quæritur , *quanam pœna afficiendus ſit ?* Et dicimus , rationis eſſe , reum in 10. teneri : non enim poteſt teneri in 15. quia plures , ſcil. duo ſunt , qui minori pœna reum dignum ſtatuunt. Ergo media retinenda eſt , quia ille , qui condemnavit in 15, conſentit quoque in 10; qui enim in majorem conſentit , multo magis conſentire videtur in minorem : unde omnes tres quidem conſentiunt in 5 ; ſed horum plures , duo ſcilicet , in majorem : adeoque perinde eſt , ac ſi uterque ſtatuiſſet 10.

De

(*d*) Grot. L. 3, c. 3, §. 2, & 3. (*e*) Grot. L. 3, c. 3, §. 1. (*f*) Grot. L. 1, c. 7, §. 3, L. 1, c. 3, §. 20, & 23. L. 4, c. 4, §. 2, n. 1. (*g*) Grot L. 1, c. 4, §. 7, n. 7. (*h*) Grot. L. 1, c. 3, §. 21, n. 1. (*i*) Grot. L. 1, c. 4, §. 2. (*k*) Grot. L. 3, c. 4, §. 8, n. 2. (*l*) Grot. L. 1, c. 3, §. 8, n. 10, & n. 14, 15, L. 1, c. 3, § 20, n. 2, & 3, (*m*) Grot. L. 1, c. 4, § 2, n. 1, & §. 3. (*n*) Vid. B. Parent. Diſput. de eo, quod juſtum eſt circa numer. ſuffrag. ſect. 3.

De quo caſu cum idem quoque ſentiat, in priore vero diſſentiat Jus Canonicum, in *c.* I. *de arbitr. in* 6. id ſibi non convenit. At Jus Civile, etſi utroque caſu diſſentiat, ſibi tamen conſtat, quia ſemper minimam ſummam præfert. *L.* 27. §. *D. h. t. arg. L.* 47. *D. de obl. & act.*

n. I. Hæc ratio noſtra facilius a ſummis ad alias pœnas transferetur in omnibus illis caſibus, de quibus adeo diſceptatum inter Dd. eſt: uti I. ſi tres judices reum morte mulctandum cenſent, duo exſilio, duo pecunia, GELLIUS putat, morte puniendum reum, *Noct. Attic. L.* 9. *c.* 15. Nos exſilio. Non enim morte puniri poteſt, quia quatuor minori pœna eum afficiendum dicunt; nec pecunia, quia 5. graviorem dictarunt: ergo exſilio; quia indubie in hanc quoque conſentiunt morte damnantes.

2. Si tres mortem, duo infamiam, & duo exſilium irrogant, *vid.* QUINTILIANUS *declam.* 365, eadem eſt ratio decidendi, ita ut media præferatur pœna.

3. Si quidam abſolvunt, quidam relegationem, quidam mortem decernunt, uti apud PLINIUM *L.* 8. *ep.* 14, tum duæ ſunt quæſtiones: I. an abſolvendus ſit reus? Et negatur; quia ex ibi propoſitis apparet, unam ſaltem partem abſolviſſe, duas vero condemnaſſe, niſi abſolventium major, aut par numerus fuerit, *Plin. d. l.* 2. quomodo puniendus ſit? Reſpondemus verbis PLINII: duæ ſententiæ vitam reliquerant, una ademerat; apparet, vitam adimi non potuiſſe, quia duo vitam reliquerant: ſed relegantium ſententiam, quippe in quam etiam reliqui conſenſiſſe videntur, præferri debuiſſe; niſi una pars numero quoque reliquos ſuperarit.

4. Si quidam omnes captivos, quidam nullos, alii quosdam dimittendos cenſent, recte POLYBIUS in *Excerpt. leg.* 129. cenſet, quosdam dimittendos eſſe. Nam omnes dimitti non poterant, quia duæ partes id negabant. Nec eorum ſententia, qui nullos dimittendos cenſebant, obtinere potuit, quia ei itidem duæ partes contradicebant: ergo dimittendi ſunt quidam; nam cum hac ſententia conjunguntur illi, qui omnes dimittendos cenſuerunt. In utroque tamen poſteriore exemplo ſupponitur, ne pars partem numero vicerit. Conf. GROTIUS de *J. B. & P. L.* 2. *c.* 5. §. 19. PUFENDORFIUS *L.* 7. *c.* 2. § 18. B. PARENS *Diſp. de eo, quod juſt. circ. ſuffr. ſect.* 3.

§. DCXV. Inter civitates, reges, principes, &c. ordo naturalis eſt, ut præcedat qui potior eſt tempore: ſi plures civitates commune aliquod concilium conſtituunt, ordo hic eſt, prout quisque in ſocietatem venit [o]. Atque ex his principiis facile lis de ordine inter Circulos Imperii decidi poteſt. [p]

§. DCXVI. Hæc ergo vera origo eſt civitatum: ex una enim familia per propagationem plures familiæ ortæ ſunt, quæ vel ex neceſſitate, vel ex utilitate in unum cœtum ſeſe congregarunt, ac ſe, ſuaque, arbitrio vel unius, vel plurium ſubjecerunt.

CAPUT

(o) Grot. L. 1, c. 5, §. 21. (p) B. Par. Jur. publ. c. 4, §. 21.

Digitized by Google

CAPUT II.

De ſumma poteſtate ex delatione Populi quæſita, ejusque Jure.

§. DCXVII. **D**IXIMUS in capite præcedenti, CIVITATES ex pacto, & conſenſu plurium familiarum ortas eſſe: hæ igitur civitates idem IMPERIUM conſequuntur, quod antea ſinguli patresfamilias habuerunt: illudque imperium SUMMAM infert POTESTATEM.

§. DCXVIII. Hæc poteſtas *ſumma* dicitur, quia ſuperiorem aliam non agnoſcit, etſi parem forte habeat: nam duæ ſummæ poteſtates, duoque Monarchæ ſimul in uno regno in ſolidum concurrere poſſunt; idque ſæpius apud Romanos, in Ægypto, & alibi contigiſſe, experientia docet: *ſummum* enim duplici ſenſu ſumi poteſt, & quod omnibus aliis ſuperius eſt, & quo nihil ſuperius eſt. [q]

§. DCXIX. *Summa poteſtas* autem definitur, facultas moralis jure proprio competens ad tuenda jura civitatis, omniaque ea agendi, quæ ad ſalutem civitatis pertinent. [r]

§. DCXX. Eſſentia igitur Imperii in eo conſiſtit, 1. ut facultas illa competat *jure proprio*, non alieno [s]: 2. ut tendat ad ſalutem reipublicæ, & juris tuendi cauſa exerceatur.

n. 1. Omnis autem quæſtio PRIMO in eo vertitur, *quando Imperium jure proprio competat, & ex quibus ſignis id appareat?* Sane, jus ſummæ poteſtatis dijudicare non debemus 1. ex ſono vocis, forte quod quidam reges, & principes vocentur [t]; nec 2. ex agendi facultate [u]; nec 3. ex delatione imperii per electionem, aut ſucceſſionem [x]; nec 4. ex habendi plenitudine, forte quod quis facultatem omnia agendi habeat jure perpetuo, vel temporario [y]; nec 5. ex obligatione imperantis, ſi quædam promittit vel ſubditis ſuis, vel vicinis, etiam quæ ad imperii rationes pertinent [z]. Unde ergo? Reſp. ex ſolo titulo, & cauſa delationis, *ſi nimirum populus omne jus ſuum in principem transfert.* Non autem definit jure proprio imperium habere Princeps, etſi teneatur ſubditis rationes reddere [a], vel inæquali fœdere junctus ſit [b], vel tributum alii ſolvat [c], vel fidelitatem alii juret. [d]

Translato ita imperii in principem jure, nulla amplius poteſtatis particula, nec realis, penes populum reſidet [e]; unde nec populus punire regem male agentem poteſt. [f]

n. 2. Non ergo *jure proprio* imperium habet, qui ſaltem miniſter eſt populi, officialis ejus, adeoque cui ſola admi-

(*q*) B. Parent. Exerc. 11. ad Grot. §. 77. ſeq. (*r*) B. Parent. Exerc. 11. ad Grot. §. 64. (*s*) B. Parent. Auton. jur. gent. cap. 13, 14, & 15. (*t*) Grot. l. 1, c. 3, §. 10, n. 1, & §. 19, in fin. (*u*) d. §. 10, n. 1. (*x*) d. §. 10, n. 5. (*y*) d. c. 13, §. 11, & 12. (*z*) Grot. d. c. 3, §. 16, & 17, n. 1, §. 18, §. 19, §. 20. (*a*) d. c. 3, §. 2. (*b*) d. c. 3, §. 21. (*c*) d. c. 3, §. 22. (*d*) d. c. 3, §. 23. (*e*) Grot. L. 3, c. 3, §. 8, per tot. & §. 9. (*f*) d. §. 8, n. 1,

adminiſtratio commiſſa eſt: ibi igitur omne jus eſt populi, vel civitatis; omnia ejus jure, ac nomine geruntur.

Hinc ſummæ poteſtates non fuere 1. dictator [g]; 2. antiqui reges Germanorum, Vandalorum, Gothorum [h], nec primi Græcorum Imperatores [i]: 3. ſi poteſtas non ex ſubjectione oritur, ſed ex fœdere. Hinc Ordines Belgii non habent imperium in ſeptem provincias; nec civitates Græciæ erant ſub imperio concilii generalis, quia jure fœderis parebant, non jure imperii. [k]

§. DCXXI. Secundo requiſivimus ad juſtum imperium, *ut juris tuendi cauſa exerceatur*: nam eo ſolo a ſocietate latronum differre, diximus. Quod requiſitum infra plenius examinabimus, ubi de objectio ſummæ poteſtatis agemus.

§. DCXXII. Cauſa imperii, ſeu ſummæ poteſtatis *mediata* eſt *Deus*; is enim dum jura quædam humano generi conceſſit, conceſſit etiam media jura illa defendendi: adeoque vi hujus conceſſionis divinæ paterfamilias jura ſuæ familiæ vel ipſe defendere, vel ea per alios, v. g. per civitatem, per principem, &c. tueri poteſt. Jus igitur imperii a Deo eſt, & civitas, ſeu princeps, approbante Deo, defenſionem illam peragit, idque jurê imperii, vel, quod idem eſt, ſummæ poteſtatis.

Cauſa *immediata* eſt pactum, ac conſenſus patrumfamilias, qui in unam civitatem coeunt, & facultatem jura ſua defendendi in commune civitatis, vel in unius Principis arbitrium contulerunt.

§. DCXXIII. *Subjectum* ſummæ poteſtatis ſunt 1. imperantes, 2. parentes, ſeu ſubditi, 3. territorium.

Imperantes ſunt, quibus patresfamilias jus imperii detulerunt: defertur autem vel *uni*, vel *omnibus*, vel *pluribus*; unde tres illi ſtatus adeo inter Politicos celebrati oriuntur. Si *uni* defertur imperium, ſtatus dicitur Monarchicus; ſi *omnibus*, ſtatus eſt popularis, ſeu Democraticus; ſi *pluribus*, ſtatus hic in infinitum variare poteſt, & pro varia diſpoſitione etiam varia conſequitur nomina.

Aliquando defertur non ipſum jus imperii, ſed ſola adminiſtratio: hic adminiſtrator igitur non habet ſummam poteſtatem, ſed ſaltem eſt alterius cauſæ inſtrumentum [l]. *Vid. ſupr.* §.620.

§. DCXXIV. Celebris quæſtio eſt, an detur ſtatus mixtus, vel (ut Grotius eam proponit) an dividi imperium poſſit? & quando ſtatus mixtus, adeoque imperium diviſum videatur? Variæ hac de re ſunt opiniones [m]. Si dicendum quod res eſt, ſtatum vere mixtum dari, non puto. Is, qui proprio jure imperium habet, illud nec cum populo dividit, nec cum proceribus; etſi quoſdam actus ſine horum conſenſu peragere impediatur. Neque populus, vel ſtatus, in his actibus concurrunt jure imperii, ſed vi pacti. Nec illi aliquid ſtatuere, ſed ſtatuentem impedire poſſunt.

§. DCXXV. Deferri porro imperium poteſt vel *ſimpliciter*, vel *ſecundum quid*, i. e. certo ſaltem reſpectu [n]. Huc pertinent *regna feudi jure delata*, ubi imperium *directum* (ſed abſque utilitate) manet penes deferentem; *utile*

(g) Diſſ. Grot. d. c. 3, §. 11, n. 2. (h) Grot. c. 3, §. 11, n. 2. (i) Grot. c. 3, §. 10, (k) Vid. B. Parent. Diſp. de imperio in pares. (l) B. Parent. Exerc. 11. ad Grot. §. 102. ſeq. (m) Grot. L. 1, c. 3, §. 17. ſeq. B. Par. in Exerc. 11, ad Grot. §. 86, ſeq. (n) B. Parent. Exerc. 11. ad Grot. §. 93.

utile autem eſt penes regem vaſallum [o]: atque ad hoc imperii genus referri debet ſuperioritas territorialis, qua ſtatus Imperii Romano-Germanici gaudent. [p]

§. DCXXVI. Denique deferri imperium poteſt vel *perſonæ*, vel *familiæ*. Priori caſu regnum dici ſolet *electivum*, (*ein Wahl-Königreich*): hoc caſu *ſucceſſivum*, (*ein Erb-Königreich*). In utriſque autem jus regis dependet ex lege delationis.

Not. Quisquis in regem eligitur, licet ſit extraneus, in jus civitatis illius regni admittitur. Etſi igitur v. g. Imperator non niſi Germanus eligi poſſit; ſi tamen extraneus eligitur, is jura civitatis regni Germanici eo ipſo conſequitur. [q]

§. DCXXVII. *Parentes*, (*Vid.* §. 623.) ſeu cives, itidem ad *ſubjectum* ſummæ poteſtatis pertinent; adeo ut deficiente populo, ipſum jus imperii tollatur (*vid. infr.* §. 638.). Fiunt autem cives vel nativitate, vel adoptione. [r]

§. DCXXVIII. *Territorium* quoque *ſubjectum* ſummæ poteſtatis conſtituit (§. 623). Proprietas enim territorii manet populi, ejuſque eſt quaſi patrimonium: atque hinc *bona coronæ* dicuntur. [s]

n. 1. Hujus rei varii ſunt effectus: nam 1. ſumma poteſtas non continetur numero perſonarum, ſed finibus territorii [t]. 2. Quidquid intra fines imperii invenitur, ſubjectum eſt imperio, adeoque etiam [a] reges tranſeuntes, [b] regum legati, [c] exercitus extraneus, [d] clerici. 3. ſi civitas ſe obligat ad utilitatem publicam, & debita contrahit, ea debentur ex patrimonio populi. 4. Atque hinc ſucceſſores in territorio, ſive ex eadem familia ſint, ſive extranei, ſuccedunt in debitum, quod territorio cohæret. (*Vid. ſupr.* §. 345.) 5. Si territorium interit, ſumma poteſtas tollitur intuitu territorii. [u]

n. 2. *Territorium* autem hic intelligimus cum ſuis *juribus*, & *acceſſionibus*. Ad *jura* pertinent regalia, debita tum activa, tum paſſiva, &c. Ad *acceſſiones* pertinet quicquid vel ex natura rei, vel ex deſtinatione Principum ad uſum imperii pertinet; *quæ acceſſiones late recenſentur a* B. PARENTE in *Jur. publ. c.* 9. §. 14. *ſeq.*

§. DCXXIX. *Objectum* imperii, ſeu ſummæ poteſtatis, eſt ſalus reipublicæ; adeoque defenſio jurium civitatis publicorum, & privatorum: unicus enim finis, cur homines in civitatem coierint, in eo conſiſtit, ut jura tum communia, tum ſingulorum, tuta ſint.

n. 1. Non ergo approbamus varias illas ſummæ poteſtatis partitiones, quas Doctores Politices formare ſolent, & quas alibi examinavimus. [x]

n. 2. *Dominium*, quod vulgo vocari ſolet *eminens*, eſt vera pars ſummæ poteſtatis: quia Doctores voce illa nihil aliud intelligunt, quam effectum imperii, vi cujus Princeps jura ſubditis quæſita vel ob utilitatem publicam, vel in pœnam auferre poteſt. Negari tamen nequit, vocem *dominii* improprie admodum hic uſurpari, quia ea ſua natura

(o) B. Par. d. l. §. 98, 99, & 100. Lynker. Reſp. 93. (p) B. Par. d. §. 93, & in Jur. publ. c. 7, §. 1. (q) B. Par. Jus publ. c. 8, §. 3. (r) Tot. tit. D. ad municip. (s) B. Par. Juriſpr. publ. c. 1, §. 9, & c. 9, per tot. L. 14, D. de acquir. rer. domin. (t) B. Par. in Diſp. de fund. in territ. juriſd. tit. 2, & ſeq. (u) Vid. infr. §. 638. (x) Vid. Diſſ. proœm. VIII. §. 19, & 28, & Comment. ad Grot. L. 1, c. 3, §. 6.

Digitized by Google

tura facultatem abutendi infert; adeoque conſultius eſt, voce illa abſtinere, ac jus illud Principi aſſerere non vi dominii eminentis, ſed vi imperii legitimi, ſeu vi plenitudinis poteſtatis.

n. 3. Nulla autem ratione monſtrum illud, quod Germani *einen Machtſpruch* vocare ſolent, (& vi cujus Principi permiſſum eſſe, ajunt, jura ſubditis quæſita pro lubitu tollere) ad objectum imperii referri poteſt: pugnat enim hæc opinio cum eſſentia ſummæ poteſtatis, quæ unice in tuendo jure conſiſtit. [a]

n. 4. Hinc obiter notandum eſt, *regna* a populo delata improprie a GROTIO vocari *uſufructuaria*: quia hæc quoque vox facultatem infert omnem utilitatem rei ſuo jure percipiendi, & de ea pro lubitu diſponendi; reditus autem publici non niſi ad utilitatem reipublicæ impendi poſſunt.

§. DCXXX. *Effectus* ſummæ poteſtatis alius eſt intuitu *imperantium*, alius intuitu *parentium*.

§. DCXXXI. Intuitu *imperantium* effectus ſummæ poteſtatis eſt, ut Princeps teneatur tueri jura civitatis tam publica, quam privata: & ut omnia facere poſſit, quæ ad obtinendum illum finem, adeoque ad ſalutem civitatis, pertinent.

Hinc jam conſtat,

I. Jus armorum Principi competere; quo etiam referimus [*a*] jus *repreſſaliarum*; [*b*] jus belli; cui annexum eſt [*c*] jus ſequelæ [b], præſidii, delectuum, & hoſtitationis; [*d*] jus muniendi, etiam cum detrimento privatorum (quo caſu damnum uni datum ab omnibus penſatur); [*e*] jus anchariandi ſubditos, & impenſas ad bellum neceſſarias ab illis exigendi: quo pertinent capitationes, contributiones, vectigalia, &c. [c]

II. Jus fœderum quoque eſt effectus ſummæ poteſtatis, quatenus tendunt ad ſalutem reipublicæ; atque huc quoque pertinet [*a*] jus *pacem condendi*, [*b*] inducias faciendi, [*c*] legatos mittendi, &c. [d]

III. Ad jura ſummæ poteſtatis refertur *jus conſtituendi judicia*, *eaque mutandi* [e]: quo pertinet collatio officiorum, v. g. Senatorum, Decurionum; jus conſtituendi adminiſtratores civitatis, & rationes ab eis exigendi: vi hujus juris poteſt Princeps ordinationes ratione modi procedendi ſancire, ferias ſtatuere, ſalvum conductum concedere, &c. Jure Romano pro defendenda auctoritate judiciorum, & ne eluſoria fiant, varia remedia prodita ſunt, quæ in Digeſtorum *libro II.* exponuntur.

IV. Ad defenſionem jurium civitatis pertinet *jus leges condendi* in utilitatem reipublicæ *f*. Atque per has leges Princeps poteſt 1. cultum divinum, ejuſque ritus determinare, officia, & dignitates eccleſiæ conſtituere, abuſus reformare: 2. ſingulorum jura tollere, ſi utilitas publica id poſtulat: 3. formam negotiis civilibus præſcribere: 4. jura naturæ ad præſentem humani ſtatus imbecillitatem accommodare, & rigorem juris naturalis minuere; quod in præſtatione culpæ Romani fecere: 5. pœnas ſtatuere civiles, & natura definitas augere: 6.

(*a*) Vid. Jus meum controverſ. lib. 1, tit. 3, qu. 8. pag. 44, 45, & lib. 1, tit. 4, qu. 11. pag. 65. (*b*) B. Parens in Diſp. de jur. ſequ. (*c*) B. Par. Jus publ. c. 23, §. 27. (*d*) B. Par. d. c. 23, §. 32. (*e*) B. Par. d. c. 23, §. 13. (*f*) B. Par. d. c. 23, §. 3.

Digitized by Google

6. mores civium corrigere; quo pertinent leges veſtiariæ, ſumtuariæ, aliæque ad morum diſciplinam pertinentes.

V. Ex eadem ratione quoque ſummæ poteſtati competit *jus privilegia concedendi* [g], vel ob bene merita, ut jura nobilitatis, dignitates equeſtres, &c: vel ad conſervationem ſubditorum, quo referri poſſunt moratoria, jus ſtapulæ, gruis, monopolia, nundinæ, collegia opificiorum, &c.: vel ex æquitate aliqua naturali, ut veniam ætatis, &c.

§. DCXXXII. Cum igitur Princeps tueri civitatem, ejuſque jura teneatur, conſequens eſt, ut alienare imperium non poſſit, quia non tuetur qui alienat: nec populus extra familiam Principis aliis jus ſuum imperii deferre voluit.[h]

Talis igitur alienatio, rei quippe alienæ, non tantum ipſo jure nulla eſt [i], ſed & regi alienanti reſiſti poteſt, ſi actu tradere vult. [k]

n. 1. Idem quoque dicendum eſt, 1. ſi *pars imperii* alienatur [l]: 2. ſi patrimonium populi, cujus fructus deſtinati ſunt ad ſuſtentationem reipublicæ, aut regiæ poteſtatis, alienatur [m]: 3. ſi reditus, qui ex illo patrimonio proveniunt, & ad defenſionem reipublicæ deſtinati ſunt, ad alios uſus impenduntur. [n]

n. 2. Reditus autem publici pertinent vel ad defenſionem reipublicæ, vel ad ſuſtentandam dignitatem regiam [o]. De *prioribus* Princeps non poteſt pro lubitu diſponere, nec eos ad alios, quam uſus publicos adhibere [p], adeo ut Princeps rationem reddere teneatur; quod exemplo Angliæ regum probatur. Hinc reditus vectigales, quos Sulla accepta pecunia civitatibus remiſit, Senatus revocavit [q]. Baſilius Macedo, cum anteceſſor pecuniam publicam diſſipaſſet, decrevit, ut accepta, vel ſaltem pars, reſtitueretur. [r]

De *poſterioribus* Princeps pro lubitu diſponere poteſt, quia ejus arbitrio relictum eſt quomodo dignitatem regiam tueri velit. Huc pertinent 1. reditus ex bonis domanialibus, qui ad ſuſtentationem menſæ deſtinati ſunt: 2. commoda fiſcalia, ut mulctæ, adeſpota, &c. [s]

§. DCXXXIII. Aliquando tamen imperium, ejuſque partes, alienari poſſunt: nimirum, 1. ſi populus conſentiat [t]; ſi pars populi alienatur, præter conſenſum populi, pars quoque illa, quæ alienatur, conſentire debet. [u]

2. Si regnum eſt patrimoniale, ſeu bello quæſitum; populus victor (non rex) illud etiam invito populo victo in alium transferre poteſt [x]: quam in rem varia exempla affert. Grotius. [y]

3. Addit Grotius, ſi longo, & non contradicto uſu id receptum ſit, ut alienatio fieri poſſit [z]: quod exemplis confirmat [a]. Cum vero plerumque vi,

(g) B. Par. d. c. 23, §. 8. (h) Grot. L. 3, c. 20, §. 5, n. 4, & 5, L. 1, c. 3, §. 13, L. 2, c. 14, §. 2, n. 6. (i) Grot. L. 2, c. 12, §. 12, L. 1. c. 4, §. 10, d. c. 14, §. 12, n. 6. (k) L. 1, c. 4, §. 10. (l) L. 2, c. 6. §. 4, & 13. (m) L. 2, c. 6, §. 10, & 11. (n) L. 2, c. 6, §. 12, & c. 14, §. 12. (o) Grot. L. 2, c. 6, §. 11, & 12. Vid. Jus meum controvers. tit. de jur. fiſc. qu. 4. (p) Grot. L. 2, c. 13, § 14, n. 5, L. 2, c. 6, §. 12. (q) Cic. de offic. l. 3. (r) Apud Pufendorf. L. 4, c. 5, §. 9. (s) Vid. Jus meum controverſ. tit. de jur. fiſc. qu. 4. (t) L. 2, c. 6, §. 3, & 7, L. 3, c. 20, §. 5, n. 2. (u) L. 2, c. 6. §. 4, & 6, L. 2, c. 14, §. 12, n. 6. (x) L. 2, c. 2, §. 3, L. 3, c. 20, §. 5, n. 3, L. 1, c. 3, §. 12. (y) d. c. 3, §. 12, (z) L. 3, c. 20. §. 5, n. 4. L. 2, c. 6, §. 10, & 11, L. 1, c. 3, §. 12, n. 3, 4, 5, & 6. (a) L. 1, c. 3, §. 12, n. 3, 4, 5, & 6.

vi,metuque,ejuſmodi obſervantia introducta ſit, vix eſt ut talis conſuetudo jure valere poſſit.

Non vero 4. valet alienatio ob publicam neceſſitatem vel utilitatem, abſque populi conſenſu. [b]

§. DCXXXIV. Alienare autem non tantum videtur qui vendit, ſed etiam qui teſtamento extraneum hæredem inſtituit [c]: qui in feudum alii dat regnum [d]; & qui imperium, ejuſque partem oppignorat [e] (quia facultas vendendi pignus non ſoluto debito conceditur); & denique qui partum alienum ſupponit. [f]

§. DCXXXV. *Not.* I. Alienatione legitime facta is, in quem alienatum imperium, idem jus acquirit, quod populus alienans habuit: nimirum, in regnis patrimonialibus abſolutum dominium, in regnis voluntate populi delatis ſolum jus regendi. [g]

Not. 2. Judicium circa ea, quæ ad tuitionem civitatis pertinent, eſt penes principem; adeoque is arbitratur, v. g. an cauſa belli juſta ſit, an bellum inchoare utile, & an pacem pangere neceſſe ſit: is quoque delectum peragit, quantitatem tributorum determinat, &c. niſi ea poteſtas per legem delationis ſit reſtricta.

§. DCXXXVI. Effectus ſummæ poteſtatis intuitu *parentium* eſt, I. ut cives operibus, opibus, & conſilio teneantur defendere jura civitatis, & præſtare ea, quæ imperans ad ſalutem ejus neceſſaria eſſe judicat. Hinc appa-ret, ſubditos teneri 2. ſequi Principem bellum gerentem [h]; 3. tributa, & vectigalia a Principe decreta [i] ſolvere; 4. munera publica [k], v. g. tutelam [l], legationes [m], &c. ſuſcipere, niſi juſtam excuſandi cauſam habeant [n]; 5. adminiſtrare res civitatis [o]; 6. opera publica conficere [p]. E contrario 7. ſubditi exigere ab imperante poſſunt, ut eos, eorumque jura defendat contra injuriam tum concivium, tum extraneorum, iiſque commoda, & utilitates civitatis permittat. Hinc apparet, 8. Imperantem jura illis quæſita auferre non poſſe, niſi publica utilitas, & neceſſitas aliud ſuadeat.

§. DCXXXVII. Deſinit jus imperii, *vel* quia jus imperantis deſinit, *vel* quia populus deficit.

§. DCXXXVIII. Jus imperantis deſinit *I.* morte, ſi perſonæ delatum eſt imperium [q]: *II.* exſtincta familia, ſi regnum eſt ſucceſſivum [r]: *III.* abdicatione [s], ſi nimirum Princeps remittit imperii faſces, vel populo, vel ſucceſſori; modo conſenſu populi fiat, cui ex pacto cum Principe inito jus quæſitum eſt: *IV.* derelictione [t]; cujus exemplum exſtat in Henrico III. rege Poloniæ, qui audita morte fratris Cracovia ſe ſurripuit.

Not. Abdicatione ſemel legitime facta, pœnitentiæ locus non eſt; ſuo enim juri ſemel renunciavit: unde merito improbatur conatus Regis Sardiniæ, qui vi imperium, quod in manus filii conſenſu populi reſignaverat, recipere voluit.

V.

(*b*) Grot. L. 2, c. 6, §. 8. (*c*) L. 2, c. 6. §. 14. (*d*) L, 2, c. 6. §. 9. (*e*) d. c. 6, §. 9. (*f*) Vid. ſupr. (*g*) Grot. L. 1, c. 3, §. 12, n. 2. (*b*) Vid. ſupr. & tot tit. D. de re milit. (*i*) Tot. tit. D. de vectigal. (*k*) Tot. tit. D. de muner. & honor. (*l*) Vid. ſupr. (*m*) Tot. tit. D. de legation. (*n*) Tot. tit. D. de vacat. muner. (*o*) Tot. tit. D. de adminiſtr. civit. (*p*) Tot. tit. D. de public. oper. (*q*) Grot. L. 2, c. 9, §. 1. (*r*) Id. L. 2, c. 9, §. 2. (*s*) Grot. L. 1, c. 4, §. 9. L. 2, c. 9, §. 1. (*t*) Grot. dd. ll.

Digitized by Google

V. Deſinit imperium, ſi hæres imperii futuro ſuo juri *renunciat*: nam de ſuo jure ſuccedendi diſponere poteſt, modo hæc renunciatio fiat conſenſu populi. Ita filiæ regiæ Hiſpaniarum in conventu Statuum renunciarunt ſucceſſioni, antequam Galliæ regibus deſponſatæ fuerunt.

Quæri ſolet, an renunciatio parentis noceat ejus liberis, ita ut liberi quoque exiſtente caſu a ſucceſſione excludantur? Merito id negatur; quia liberi jus non a patre, ſed ſaltem per patrem habent: qui proinde imperium, liberis ex pacto, & providentia primorum acquirentium quæſitum, ſua renunciatione auferre eis nequit.

Aliud dicendum ſi pater filiam, olim ſucceſſuram, ſuo, ſtatuumque conſenſu, ea lege extraneo Principi in matrimonium collocat, *ne liberi inde nati ſuccedant*: hoc enim caſu nati ex tali matrimonio naturali quoque ratione a ſucceſſione excluduntur; quia matrimonium illud conditionale, deficiente conditione, nullum eſt. Hactenus igitur liberi, qui contra legem contractus ſucceſſionem ambiunt, extra matrimonium nati cenſentur, eoque ſucceſſionis incapaces ſunt.

Neque obſtat, liberos hos eſſe membra familiæ, quæ jus ſuccedendi non a matre, ſed a primis diſponentibus habent. Reſp. Negamus, liberos hos quoad effectum ſucceſſionis eſſe partem familiæ; familia enim non conſtituitur, niſi per juſtum matrimonium, quale non eſt, ſi ſub conditione eſt contractum, eaque deficit. Sane, hæc ſola ratio eſt, cur liberi ad morganaticam, ex inæquali conjugio, & ex concubina nati non ſuccedant in regnis, quia parentes coëundo talem legem dixere, ne ſuccedant, nec alia lege eos exiſtere voluerunt.

VI. Deſinit quoque jus imperantis, ſi populi partem defendere nequit *u*. Nam *vel* ab hoſte hæc pars occupatur, & amittitur imperium jure belli; *vel* ſua virtute hoſtem repellit: quo caſu priſtinam recipit libertatem, tum quia lex delationis non amplius ſubſiſtit, tum quia derelinquere imperans videtur.

VII. Jus imperantis deſinit, ſi ſub certis legibus delatum eſt imperium, & Princeps leges has, quas fundamentales vocare ſolent, evertit. Cum enim Princeps omne jus ſuum ex delatione populi habeat, hic autem non niſi certa lege, & conditione detulerit: negari nequit, deficiente illa conditione ipſam ceſſare delationem, eoque omne jus imperantis. *x*

VIII. Denique jus imperantis deſinit, ſi vere hoſtili animo in totius populi exitium fertur *y*: exemplo Antiochi intuitu Judæorum, regis Hiſpaniæ intuitu Belgarum, &c.

Cavendum autem eſt, ne confundamus talem tyrannum cum Principe, cujus imperium gravius eſt, qui privatas committit injurias, qui onera immodica imponit, &c. Hi enim actus judicio populi non ſubſunt, neque ideo Principis imperium deſinit. Sane, 1. populus omne ſuum arbitrium in Principem contulit, adeoque huic jus eſt cognoſcendi de actibus ſubditorum, non contra. 2. Miſera foret conditio Principum, ſi actus eorum privati judicio populi ſubjecti eſſent, vel ſi ei rationes actionum ſuarum reddere tenerentur. 3. Injuriæ ſæpe viden-

(*u*) Grot. L. 3, c. 20, §. 5, n. 2. (*x*) Grot. L. 1, c. 4, §. 8, 12, & 14, cap. 3, §. 16, n. 4. Ziegler. & Gronov. ad d. §. 8. (*y*) Grot. L. 1, c. 4, §. 11.

Digitized by Google

dentur privatis, quæ ut admittantur, neceſſitas, vel utilitas reipublicæ exigit: atque tunc obtinet, quod TACITUS ait, *injurias privatas utilitate publica compenſari*. Denique, & 4. idem jus Principi competit in ſingulos, quod populus ante delationem in ſingulos habuit: certum autem eſt, populo in ſtatu democratico litem de injuria privatis illata moveri non potuiſſe. Alias rationes videſis apud GROTIUM.[a]

Non vero deſinit imperium *IX.* ſi Princeps profitetur religionem diverſam ab ea, quæ in civitate recepta eſt; vel ſi ipſe in alia ſacra tranſit: jus enim imperii perſonæ confertur, non religioni ejus. Sane, hæc non obſtat, quo minus Princeps jura publica civitatis defendere poſſit, & teneatur. Chriſtianos ſæpius gentilium imperio ſubjectos fuiſſe, in aprico eſt, ipſique Apoſtoli docuerunt, ejuſmodi magiſtratibus parendum eſſe.

Exc. Si lege publica cautum ſit, ne alterius fidei Princeps præeſſe imperio poſſit. Ita legibus fundamentalibus Angliæ excluduntur Principes Romanæ Eccleſiæ addicti.

Neque *X.* deſinit imperium, ſi Princeps in furorem incidit[a]: nec *XI.* ſi ab hoſte capitur[b]: nec *XII.* ſi prælio tantum victus eſt, etſi forte ipſe, ejuſque territorium, in hoſtis ſit poteſtate.

CAPUT III.

De natura Regnorum bello quæſitorum.

SECTIO I.

De Tyrannis acquiſitione.

§. DCXXXIX. DIXIMUS, imperium finiri ſi Princeps degenerat in tyrannum: i. e. ſi contra legem delationis agit, & ſpeciatim ſi leges fundamentales evertit, vel hoſtili animo in totius populi exitium fertur: atque hi *tyranni exercitio*, ſeu *adminiſtratione* vocari ſolent. A quibus differunt *tyranni acquiſitione*: quando, nimirum, vel ſubditi rebelles, vel prædones extranei, rempublicam, vel regnum ſublato Senatu, vel pulſo rege occupant.

§. DCXL. Hinc ſponte ſequitur, non eſſe *tyrannos acquiſitione* reges, aliaſque ſummas poteſtates, quæ bello, utut injuſto, alterius imperium occupant: acquiſitio enim bellica eſt juſtus titulus, & hoſtis occupando imperium alterius jus imperii acquirit; de juſtitia enim belli neutri judicium competit.

§. DCXLI. Circa *tyrannos* tum exercitio, tum acquiſitione, variæ occurrunt quæſtiones, quæ altioris indaginis, & pluribus difficultatibus involutæ ſunt.

§. DCXLII. Præmittendum autem eſt, aliud eſſe *jus imperii*, aliud ejus *exercitium*, ſeu *poſſeſſionem*. Quam differentiam

(a) L. 1, c. 4. §. 4. n. 2, ſeq. (a) Grot. L. 1, c. 3, §. 4. L. 3, c. 20, §. 3, (b) Id. L. 3, c. 20. §. 3, Lib. Baro de Danckelmann in Diſſ. de Rege captivo.

Digitized by Google

tiam alio loco remotis dubiis explicavi, & conſenſu gentium corroboravi. [c]

Hæc duo adeo diverſa ſunt, ut alius *jus* pleniſſimum, alius *poſſeſſionem* pleniſſimam habere poſſit: quod contingit in imperio a tyranno uſurpato. Hoc enim caſu *jus imperii* penes rempublicam ſub jugum miſſam, & penes regem ejectum manet: *poſſeſſio* autem tranſit in uſurpatorem, utpote qui ſolus facultatem naturalem habet rei corpore inſiſtendi.

§. DCXLIII. His præmiſſis *Primo* dicimus, Regem ab uſurpatore regno pulſum omne *jus imperii* retinere, etſi ejus exercitium impediatur: ei ſoli enim jus quæſitum eſt ex populi diſpoſitione, quod ei ab uſurpatore, qui nullum juris titulum habet, auferri nequit.

Hinc 1. jure imperii vi ejicere talem invaſorem, ei pœnas irrogare, immo & occidere eum [d] vel ipſe, vel per alios poteſt, quovis tempore [e], etiam ſine indictione [f]. 2. Rex ejectus fœdera contrahit ad juris ſui defenſionem: 3. jus legatos mittendi retinet; exempla tempore Caroli II. a Cromwellio pulſi exſtant apud Bateum [g].

4. Si rex ejectus, ejuſque hæredes, recuperant regnum, id non acquirunt novo titulo, ſed continuant priſtinum jus; quod proceres Angliæ ſolenni edicto declararunt poſt Caroli II. reditum. [h]

§. DCXLIV. Ex his jam *Secundo* ſequitur, uſurpatorem nullum *jus imperii* ſibi arrogare poſſe; adeoque omnia, quæ agit, injuria fieri, & actus ejus ipſo jure nullos eſſe. [i]

Hinc 1. ſubditi nullo juris vinculo tyranno tenentur [k]: immo 2. nec volentes ſe ejus imperio ſubmittere, eoque jus legitimo regi ſemel quæſitum auferre poſſunt [l]. 3. Contractus, pacta, & fœdera uſurpatorum nulla ſunt [m], etſi jurata [n]; indeque 4. nec populus reſtitutus, nec rex reverſus exinde obligantur [o]: alienationes, factæ ab uſurpatore, revocari poſſunt [p]; quod ex reſciſſis tyrannorum actis apparet. 5. Capti a tali uſurpatore non fiunt ſervi [q]. Hinc Grotius ait, eos non attaminare furti crimine animum, ſi res ſuas ſubducunt, aut fugientes laboris ſui mercedem ſurripiunt [r]. Unde nec poſtliminio tales capti opus habent, ſed ipſo jure omnia jura recipiunt [s]. Nec 6. jus legatorum cum tali uſurpatore obtinet: hinc Auguſtus indoluit, quod Tacfarinas prædo, qui legatum miſerat, hoſtium more ageret [t]: Nabis, Argivorum tyrannus caduceatore ad Romanos miſſo explorabat, ſi paterentur legatos ad ſe mitti [u]. Nec 7. aſyla his inva-

(c) Vid. diſp. mea de Regim. uſurp. rege ejecto, §. 8, ſeq. (d) Grot. L. 1, c. 4, §. 6, n. 4, & 8, dict. Diſp. §. 31. (e) Grot. L. 2, c. 16, §. 16. L. 1, c. 3, §. 11. ibique Teſmar. Vid. Diſp. noſtr. de Regimine uſurpatoris rege ejecto, §. 31. (f) Grot. L. 3, c. 3, §. 5, & 6. dict. diſp. §. 22. (g) de mot. Angl. part. 2, p. 191. (h) Apud Bateum, de mot. Angl. tom. 3, pag. 65. dict. Diſp. §. 16. (i) Grot. L. 2, c. 14, §. 14. (k) Grot. L. 1, c. 4, §. 15, n. 1. L. 2, c. 16, §. 18. dict. Diſp. §. 18. (l) dict. Diſp. §. 19.

(m) Grot. L. 1, c. 3, §. 6, L. 2, c. 15, §. 3. (n) Grot. L. 2, c. 13, §. 6. dict. Diſp. §. 27. (o) Grot. L. 2, c. 14, §. 15. (p) Vid. infr. §. 649. (q) L. 19, §. 2, D. de capt. & poſtlim. Grot. L. 3, c. 7, §. 1, n. 1. dict. Diſp. §. 23. (r) Grot. L. 3, c. 7, §. 6, n. 4, & 5. dict. Diſp. §. 24, ſeq. (s) Grot. L. 3, c. 16, §. 1, & c. 10, §. 6. B. Par. in Diſſ. de poſtlim. ſect. 2, §. 23. (t) Tacit. L. 3, Ann. c. 73, Grot. L. 2, c. 18, §. 2, n. 3. (u) Liv. L. 34, c. 30, Conf. L'Ambaſſadeur de Wikefort.

Digitized by Google

invaſoribus prodeſſe, exemplum Athaliæ probat [x]. FLORUS miratur, Perſen Lacedæmoniorum tyrannum [y] ad inſulam Samothracen confugiſſe *fretum celebri religione, quaſi templa, & aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent* [z]. 8. Ejuſmodi uſurpatoribus a vicinis receptaculum indulgeri nequit. Porphyrogennetus miſit ad Coſroëm *poſtulatum, ut dederetur* ſibi *regni affectator, ne in ſe ipſum pernicioſum ſtatueret exemplum.* [a]

ii. 1. Aliquando tamen invaſor jus imperii conſequi poteſt, quod antea non habuit. Si nimirum is, cui jus imperii competit, ſuo juri renunciat: v. g. ſi populus prædonem pro legitimo rege agnoſcit. Hac ratione regnum ab Arſace prædone occupatum conſenſu populi, adeoque juſto titulo obtentum eſt. [b]

§. DCXLV. Cum vero invaſor imperium poſſideat, i. e. regnum in poteſtate corporali habeat, recte GROTIUS inde infert, quamdiu durat injuſta poſſidendi cauſa, actus imperii, quos exercet, vim habere poſſe obligandi [c]. At non ex ea, quam GROTIUS allegat, ratione, *quod probabile ſit, eum, qui jus imperii habet, ſive is eſt populus, ſive rex, ſive Senatus, id malle, interim rata eſſe quæ imperat, quam legibus, judiciiſque ſublatis ſummam induci confuſionem* [d]; ſed ex natura poſſeſſionis, quæ adminiſtrationem neceſſario infert: cum enim invaſor rem alienam teneat, ejus quoque curam habere, immo maximam in ea adminiſtranda adhibere diligentiam tenetur. Sane, ob malam fidem invaſor non minus, ſed magis actione negotiorum geſtorum tenetur [e]: neque melioris conditionis debent eſſe uſurpatores, quam legitimi adminiſtratores, qui etiam leviſſimam culpam præſtare tenentur.

Hujus rei effectus inſignes ſunt, tum intuitu ipſius *uſurpationis*; tum intuitu *populi devicti*; tum intuitu *vicinorum*; tum intuitu *actuum durante imperio geſtorum.*

§. DCXLVI. *Uſurpator* vi poſſeſſionis omnia ea agere tenetur, quæ ex natura poſſeſſionis ſequuntur, & ad adminiſtrationem pertinent. Hinc 1. leges condere, jus dicere, magiſtratus conſtituere, bello civitatem, ejuſque jura defendere, pacem contrahere, & omnia agere tenetur, quæ ad ſalutem reipublicæ pertinent [f]. 2. Utitur titulo regio, & quia vicariam Dei poteſtatem adminiſtrat, hactenus *Dei gratia* ſe eam gerere teſtatur [g]. 3. Subſidia ad defenſionem civitatis neceſſaria, eaque, quæ ad ſuſtentandam adminiſtrationem regiam pertinent, exigere poteſt a ſubditis. [h]

§. DCXLVII. Effectus hujus imperii violenti *intuitu ſubditorum* eſt, ut quamdiu ſub poteſtate ſunt invaſoris, propitio jure ſequi poſſeſſionem poſſint, quia dum facultas eorum naturalis vi reſtricta eſt, libere non agunt [i]. Hinc in Principem non peccant ſinguli, ſi magiſtratuum officia ab invaſore ſibi conferri patiuntur, ſi legibus

(*x*) 2. Chron. XXIII, n. 15, ſeq. Grot. L. 2, c. 21, §. 5. (*y*) Liv. L. 34, c. 26. in fin. (*z*) Flor. L. 2, c. 12. (*a*) Apud. Grot. L. 2, c. 21, §. 4, in not. (*b*) Vid. Diſp. noſtra de regim. uſurp. rege eject. §. 43, 44, 45. (*c*) L. 2, c. 4, §. 15, L. 2, c. 16, §. 18, & L. 2, c. 23, §. f. n. f. art. poſſeſſio ſine jure habet quoſdam effectus juris. Dict. Diſp. §. 49. ſeq. (*d*) dict. c. 4, §. 45, & d. Diſp. §. 52. (*e*) L. 6, §. 3. D. de negot. geſt. (*f*) dict. Diſp. §. 53, ſeq. (*g*) dict. Diſp. §. 54. (*h*) dict. Diſp. §. 56. (*i*) Grot. L. 2, c. 4, §. 20.

Digitized by Google

legibus a tyranno latis parent, cum abſque periculo non parere non liceat. [k]

Alia quæſtio eſt, *an ſubditi invaſorem in bello ſequi teneantur?* Et diſtinguimus, an bellum ſuſcipiatur pro defenſione reipublicæ, an vero contra Principem ejectum. *Priori* caſu omnino ſequi tenentur, quia de defenſione civitatis agitur, quæ ſingulis jure naturæ incumbit. *Poſteriori* caſu excuſantur, ſi abſque vitæ periculo obſequium invaſori denegare nequeunt. [l]

Porro quæri ſolet, *an ſubditi parere teneantur juſſui regis ejecti?* Negatur: non quia jure non tenentur, ſed quia libertatem non habent parendi, utpote quæ vi eſt prohibita. Sane, cum Princeps eos defendere vi impeditus non poſſit, nec ſubditis aliquid imputari poteſt, quo vi impediti officia Principi præſtare non poſſint.

Hinc jam conſtat, jus non eſſe privato interficiendi uſurpatorem [m]: quia injuria publica eſt, quæ non niſi publica auctoritate vindicari poteſt; inprimis ſi is rerum ſtatus eſt, ut ſine detrimento reipublicæ ſtatus præſens mutari non poſſit. Atque ex hac ratione Caſſius, & Brutus damnati ſunt a populo Romano, quod Cæſarem interfecerint [n]: & juſta talione eodem, quo uſi ſunt, gladio, ipſos periiſſe, tradit Dio. [o]

Aliud autem dicendum, ſi publica lege cautum, & occidere tyrannum cuivis indultum ſit: vel ſi ab eo, qui jus imperii habet, id mandatum, vel approbatum fuerit. [p]

Cæterum, alibi dictum eſt, fidem uſurpatori qua tali datam ſervandam eſſe. [q]

§. DCXLVIII. Effectus adminiſtrationis uſurpatoris *intuitu vicinorum* in eo conſiſtit, ut ſi fœdus cum rege ejecto, vel populo oppreſſo initum; eoque auxilia contra vim aliorum promiſſa ſint, ea neceſſario etiam uſurpatori præſtari debeant; fœdus enim cum republica manet [r], niſi tantum ad regis ejecti utilitatem auxilia promiſſa fuerint.

Non ergo invaſor regni provocare ad fœdus cum republica initum poteſt, ſi contra eum, qua invaſorem, arma moventur. Romani Nabidi Lacedæmoniorum tyranno fœdus cum Lacedæmoniis initum alleganti regeſſerunt, *amicitia, & ſocietas nobis nulla tecum*, ſed cum Pelope rege Lacedæmoniorum [s]. Idque verum eſt, etſi cum ipſo tyranno, qua poſſeſſore, exigente reipublicæ utilitate fœdus aliquod initum fuerit, quale Romani, bellum cum Philippo gerentes, cum Nabide Lacedæmoniorum tyranno contraxere [t]. Idque Romani eidem Nabidi talia objicienti reſponderunt, nimirum, fœdus ad defenſionem reipublicæ initum extendi non debere ad defenſionem tyranni [u]; *nam quid minus conveniret*, quæ ſunt verba Quintii [x], *quam nos, qui pro libertate Græciæ adverſus Philippum gereremus bellum, cum tyranno inſtituere amicitiam.*

n. I. Quæritur, *an vicini jure aſſiſtere ejecto regi, ejuſque cauſam armis defen-*

(*k*) Grot. L. 2. c. 4, §. 15, n. 2. (*l*) dict. Diſp. §. 56. (*m*) Grot. L. 2, c. 16, §. 19. (*n*) Cicer. de offic. L. 3. (*o*) Dion. Caſſ. Hiſtor. L. 59, in fin. (*p*) Grot. L. 2, c. 16, §. 16, 17, 18, c. 20, §. 17. Diſp. de regim. uſurpat. §. 37. 38. (*q*) Grot. L. 2, c. 13, §. 15, n. 1, L. 3, c. 19, §. 2, n. 2. & §. 3, n. 1, & 2. (*r*) Grot. L. 2, c. 15, §. 27. (*s*) Grot. L. 2, c. 16, §. 18 (*t*) Liv. L. 32, c. 39. (*u*) Grot. L. 2, c. 16, §. 18. Conf. dict. Diſp. §. 33. (*x*) Liv. L. 34, c. 32.

Digitized by Google

defendere poſſint ? Affirmatur : ſi populus, vel rex ab uſurpatore ejectus, vicinorum auxilium implorat : quia tales uſurpatores ſemper injuria agunt. Carolus II. exul gentium invocabat fidem, cauſatus, *Principibus, ac Regibus exteris, æquo incumbere, pro vicaria ſupremi Numinis auctoritate, communique officio, aſylum oppreſſis patefacere ; ſed & regibus patrocinari præ ceteris mortalium, tum cognationis intuitu, tum contagionis metu : ne ſcilicet in proprios eorum ſubditos horrendum ſerperet rebellionis exemplar ; ut & ipſi pares in anguſtias forte conjecti, pares viciſſim ſuppetias reportarent* [y]. Unde Romani contra Perſeum, & Nabidem bellum gerebant, ut Græciam libertati reſtituerent [z]. Theſeus de eo gloriatur, dum ait [a] :

> *Pridem facinora nomen hoc per Græciam mihi dederunt, ultor ut ſcelerum vocer ;*

De Moſcovitis tradit Leti [b]: *Proteſtarono i Moſcoviti, di non voler mai correſpondenza alcuna con i patricidi de loro Re, & a queſto fine publicarono, che ſotto pena della vita niſſuno ardiſſe piu corriſpondere, trafficare, o negotiare con Ingleſi.* Hinc ſæpius legatos a tali invaſore miſſos rejectos fuiſſe, legimus. [c]

Merito autem dictum eſt, requiri conſenſum ejus, qui opprimitur. Quintius non ante bellum Nabidi tyranno inferre, & Argos tyrannide liberare voluit, niſi convocatis prius Græciæ civitatibus, & conſenſu earum explorato [d]. Plutarchus de Antiocho Magno ait, *eum prætextum bello ſumere, liberare Græcos, libertatis non agentes.* [e]

n. 2. Cum vero ſæpius non interſit *vicinorum*, alienis ſe immiſcere litibus, quarum judicium ad eos plane non pertinet, tutius agent præſentem ſequendo poſſeſſionem [f] : cum enim commercia inter gentes vicinas ob diſſidia domeſtica impediri non poſſint, jus autem regis ejecti, vel populi oppreſſi, vi prohibeatur, neceſſario ſequitur, commercia cum illo, qui in poſſeſſione eſt, continuari poſſe. Neque regis ejecti hactenus intereſt, quia ejus jus ſalvum manet : vicini agunt cum tyranno qua poſſeſſore, adeoque tantum quamdiu poſſeſſio illa durat.

n. 2. Ex præmiſſis ſequitur, *I.* vicinos hujusmodi invaſoribus propitio jure *titulos regios* tribuere poſſe ; idque ex medii neceſſitate, quia commercia inter gentes vicinas alias turbarentur : inprimis cum *tituli* non jus tribuant, ſed poſſeſſionem denotent. Sanc, tituli non denotant, quales ſint poteſtates, ſed quales eſſe debeant. [g]

II. Vicini *fœdera* cum invaſore contrahere poſſunt, *qua poſſeſſore* imperii. Ita vidimus, Romanos bellum contra Philippum gerentes ſocietatem iniviſſe cum Nabide Lacædemoniorum, & Argivorum tyranno [h] ; quamdiu enim e re fuit, ſequebantur poſſeſſionem, idque jure.

Immo etiam cum invaſore *qua tali* pacem vicini contrahere poſſunt, ſi ejici abſque excidio reipublicæ, quam oppreſſit, nequit. Atque hanc rationem Quin-

(*y*) Apud Bateum, de mot. Angl. part. 2, p. 191 (*z*) Liv. L. 34, per tot. & c 22, 23. (*a*) Apud Euripidem. (*b*) In vit. del Oliviere Cromwel. (*c*) Vid. L'ambaſſadeur de Wickefort. L. 1. ſect. 3. Dict. diſp §. 29, & 55. (*d*) Liv. L. 34, c. 22. (*e*) in Caton. major. (*f*) Grot. l. 1, c. 4, § 20. (*g*) dict. Diſp. §. 54. (*h*) Liv. L. 34, c. 39.

Quintius dux Romanorum allegabat, cum ſocii quererentur de pace cum Nabide tyranno inita. [i]

III. Vicini legatos ab invaſore miſſos recipere poſſunt: quia fœdera abſque legatis vix contrahuntur. Ita Nabis Lacædemoniorum tyrannus legatos ad Romanos miſit [k]: Cromwelli legati in Luſitania, Polonia, Suecia, Hiſpania, Gallia, apud Turcas, & Belgas, &c. [l] admiſſi fuere.

Atque hi legati ſemel recepti omnibus privilegiis legatorum gaudent. Hinc cum Aſchamus Cromwelli legatus confoderetur, ſatisfactio ideo promiſſa fuit [m]: & occiſo Doriſlao ſæpius petita, & tandem comperendinando fruſtrata eſt vindicta. [n]

Pari ratione *vicini* quoque legatos ad hujusmodi uſurpatores mittere poſſunt. Dom Alphonſo de Cardenas a rege Hiſpaniæ miſſus eſt gratulabundus Cromwellio de nova republica [o]: idem a Suecis, & Belgis factum legimus. [p]

IV. Immo mediatores quoque electos fuiſſe, exemplo Cromvelli probatur, qui mediator fuit inter Danos, & Suecos. [q]

V. Quæritur, ſi bellum cum tali uſurpatore geritur, an jura belli cum eo obtineant? Reſp. Si bellum cum ipſa republica geritur, & uſurpator ejus jura defendit, omnino jus belli cum eo obtinet: ita Cromwellius Anno 1652. cum Belgis, & Anno 1656. cum Hiſpanis bellum geſſit, ac utrumque pace compoſuit [r]. Si vero bellum cum ipſo uſurpatore qua tali geritur, certum eſt, eum juſtum hoſtem non eſſe, adeoque nec belli jura cum eo obtinere. Hinc Nabis Argivorum tyrannus cum liberare urbem tyrannide recuſaret, armis ad cedendum adactus legatos mittere non auſus eſt, niſi petita prius a Romanis venia. [s]

VI. Quæſitum memini, an vicini regem ejectum dedere invaſori poſſint? & recte hoc negatur. Mezentium, qui ad Turnum confugerat, Etruria ad ſupplicium repoſcebat [t], recuſante id Turno.

Si tamen periculum inde immineat ei, qui recepit fugitivum, exire eum e regno jubere poteſt: exemplo Caroli II, qui Galliam deſerere, petente Cromwello, juſſus eſt. [u]

VII. Quæritur, an vicini uſurpatorem, qui fuga ſe vindictæ legitimi regis ſurripuit, dedere teneantur? Reſp. vel dedere, vel ipſum punire tenentur. Porphyrogennetus jure a Coſroë poſtulabat, ut dederetur ſibi regni affectator, ne in ſemetipſum perniciosſum ſtatueret exemplum. [x]

§. DCXLIX. Quid vero juris ſit *circa actus medii temporis*, ceſſante, & finito uſurpatoris imperio, de eo variæ ſunt Doctorum opiniones. [y]

Repe-

(i) Liv. L. 34. c. 48, junct. cap. 34, & 39. (k) Liv. L. 32, c. 39. (l) Bateus, de mot. Angl. part. 2, pag. 189. 192. 195. 199. 281. & 302. Vid. L'Ambaſſadeur de Wickefort, L. 1, ſect. 3. & dict. Diſp. §. 55. (m) Apud Bateum, dict. part. 2, pag. 325. (n) Apud Bateum, dict. part. 2, pag. 138. (o) Greg. Leti nella vita di Cromwel, part. 2, l. 3, p. 165 (p) Ibid. p. m. 168. 170. (q) Bateus, de mot. Angl. part. 2, p. 325. (r) Moreri Diction. voc. Cromwel. (s) Liv. 34, c. 30. (t) Virg. Æneid. l. 8, v. 495. Conf. dict. Diſp. § 34. (u) Bateus, dict. Part. 2, pag. 308. L'ambaſſadeur de Wikefort L. 1, ſect. 3. (x) Apud Grot. L. 2, c 21, §. 4, in not. (y) Bartol. in tract. de tyrannide. Decius Conſil. XXV. Baldus Conſil. 228. Matth. de Afflict. Deciſ. 77, n. 1. & 3, ibique Urſellin. dict. Diſp. §. 59.

Repetendum ex prioribus eſt, nobis nullam hic eſſe quæſtionem de imperio *jure belli*, i. e. ab alia ſumma poteſtate, & juſto hoſte occupato: ibi enim finito uſurpatoris imperio *jura poſtliminii* obtinent. Sed quærimus de invaſore notorio, v. g. Cromwellio, &c.

In genere dicendum eſt, omnes actus tyranni ipſo jure nullos eſſe, quia jus agendi non habuit, nec vim obligandi populum (*Vid. ſupra* §. 644.). Et cum omnis facultas agendi invaſori ex facto poſſeſſionis competierit, facile conſtat, eam facultatem ceſſare, ceſſante poſſeſſione [z]. Ita enim Syllæ acta revocata ſunt a Lepido [a]. Sicyones a Nicole tyranno expulſi, & ab Arato reſtituti, bona ſua vindicarunt a poſſeſſoribus [b]. De actibus Antonii CICERO [c] ait: *quibus de cauſis eas leges, quas M. Antonius tuliſſe dicitur, omnes cenſeo per vim, & contra auſpicia latas, iisque legibus populum non teneri*; & mox: *quamvis ergo bonas leges vitioſe, perque vim tulerit, tamen hæ leges non ſunt habendæ.* Poſt Hieronymi Siciliæ tyranni cædem omnia ejus edicta reſciſſa ſunt, non tantum iniqua, ſed etiam utiliter conſtituta, ne ulla umquam exſtarent veſtigia tyrannorum [d]. Populus Anglicanus Cromwellii, & pſeudo - Senatus acta, & decreta, flammis devovit, & omnia irrita pronunciavit. [e]

n. 1. Valida autem acta uſurpatoris ſunt, 1. ſi ante tyrannidem quædam juſte ſtatuerunt [f]: 2. ſi populus, vel rex locupletior inde factus eſt [g]; idque jure Romano quoque de eo, qui ex mala fide alterius locupletior factus eſt, ita deciditur [h]: 3. ſi in utilitatem publicam aliquid geſtum eſt, & neceſſario geri debuit [i]: 4. ſi per judicia juxta leges civitatis res ſingulorum deciſæ ſunt; hæ enim lites reſuſcitari finito uſurpatoris imperio non poſſunt [k]. Theodoſius, & Arcadius, cæſo Maximo uſurpatore, legem publicarunt, ut ea non valerent, quæ contra jus reſcripſit: legitimis ejus reſcriptis minime impugnandis. [l]

Aliquando ſine clade reipublicæ reſcindi acta non poſſunt; adeoque tutius tunc eſt, ea ratihabere [m]. FLORUS de actis Syllæ ait, *Lentulum tanti viri acta reſcindere paraſſe, ſi tamen poſſet ſine magna clade reipublicæ.* Sic Aratus cum animadverteret, abſque difficultate poſſeſſoribus, qui tyrannorum violentia poſſeſſiones amiſerant, ſatisfieri, & præſentibus poſſeſſoribus, qui bona fide eas acquiſiverant, adimi non poſſe, pecunia ſua pretium antiquis poſſeſſoribus ſolvit, ne præſentibus poſſeſſoribus, qui cauſam a tyrannis habebant, eas adimeret. [n]

§. DCL. *Secundo* jus imperii deſinit ſublato populo: deſinit autem populus 1. ſi totus interit, v. g. peſte, chasmate, &c. [o]: 2. ſi bello victus in

(z) Grot. L. 1, c. 4, §. 15. (a) Flor. L. 3, c. 23. Cicer. in Verrin. V. c. 35. (b) Plut. in Arato, c. 11. Cic de offic. L 2, c. 23. (c) Philipp. V. pag. m. 871. (d) Bodin. de republ. L. 2, c 5, p. 280. (e) Bateus, de mot. Angl. part 3, pag. 95. (f) Dict. diſp. §. 62, Cocceji Diſp. de clauſ. reb. ſic ſtantib. c. 2, per tot. (g) Grot. L. 2, c. 14, §. 14, dict. Diſp. de regim. uſurp. §. 63. (b) L. 6, §. 1, D. de negot. geſt. (i) Dict. Diſp. §. 65. (k) Dict. Diſp. §, 65, Vid. Lib. ſeq. c. 3. (l) Bodin. d. l. (m) Bodin. de republ. L. 2, c. 5, p. m. 281. ubi plurima exempla affert. Clapm. de arcan. dom. l. 3, c. 17 (n) Plut. in Arat c 11, Cicer. de offic. L. 2, c. 23. (o) L. 2, c. 9, §. 4, & 5, & c. 5, §. 32.

Digitized by Google

in poteſtatem victoris redigitur, vel per deditionem non conditionatam hoſtis arbitrio ſubjicitur [p]: 3. ſi ſpecies populi deſinit. [q]

Deſinit autem ſpecies populi, ſi in provinciæ formam redigitur [r]; quia etſi propriam civitatem conſtituat ille populus, etſi ſuo jure, ſuisque legibus utatur, non tamen jure proprio id facit, ſed ex arbitrio victoris: adeoque utitur legibus ut alienis, quippe ex re, & ſententia ſuperioris. Quod late B. Parens explicavit. [s]

n. 1. Non autem populus mutatur, adeoque nec ſpecies populi deſinit, 1. ſi plures liberi populi unius imperio ſe ſubmittunt, ſalva ſingulis ſumma poteſtate [t]; quod olim civitates Græciæ, hodie civitates Belgii fecere [u]. Idem dicendum, ſi idem rex ex diverſo jure pluribus regnis imperat. Ita Carolus V. & imperium Germaniæ tenuit, & regna Hiſpaniæ: Angliæ Rex ſummo jure præeſt & Angliæ, & Scotiæ, & Hyberniæ, &c. Nec 2. ſi populus vicino populo quædam conſenſu ſuo indulget, & quædam promittit, etiam quæ ad imperii rationes pertinent [x]. Nec 3. ſi populus inæquali fœdere jungitur alii populo [y]. Nec 4. ſi populus feudi jure ab alio populo imperium tenet [z]. Nec 5. ſi cenſum ſolvit [a]. Nec 6. ſi forma ſaltem imperii mutatur; uti ſi ſtatus democraticus mutatur in monarchicum [b]. Nec 7. ſi populus alias ſedes quærit, adeoque civitatem deſerit, ſive ob inediam, ſive ob alia mala [c]. Nedum mutatur populus, ſi pars populi migraverit, v. g. ſi coloniæ alio mittuntur: hæ enim ſi novas ſedes occupant jure, & nomine ſuæ civitatis, manent pars ejusdem populi; ſi proprio nomine, novus fiunt populus [d], nec præter reverentiam quandam aliquid matrici debent [e]. 8. In diviſione imperii [f].

n. 2. Quæri ſolet, *an imperium mutetur per ſurrogationem alterius imperii?* Occaſionem dedit huic quæſtioni ſurrogatio Imperii Germanici facta in jus Imperii Romani. GROTIUS [g] exiſtimat, populum Romanum eumdem eſſe, qui olim fuit, & imperium quoque penes eum manſiſſe; adeoque Carolum Magnum ex nova electione jus Imperii Romani acquiſiviſſe, idquo diſtinctum eſſe ab imperio, quod in Francos habuit: diviſo autem Francorum populo placuiſſe populo Romano, quo certius præſidium haberet, regem non proprium ſibi ſumere, ſed eum, quem Germani feciſſent, &c. At in ipſo commentario demonſtrabimus, Carolum M. non ex electione populi, ſed jure belli Imperium Romanum acquiſiviſſe, ac illud in Regnum Germanicum tranſtuliſſe; adeoque omnino imperium occidentis per hanc ſurrogationem mutatum fuiſſe.

Se.

(*p*) Grot. L. 2, c. 5, §. 31. (*q*) Grot. L. 2, c. 9, §. 6. (*r*) Grot. L. 2, c. 9, §. 6. (*s*) In Auton. jur. gent. c. 15, §. 1, & 7, idque exemplis probat c. 15, §. 16, & 17. (*t*) Grot. L. 1, c. 3, §. 17, n. 2. C. 9, §. 9. (*u*) Grot. L. 2, c. 9, §. 9. (*x*) Grot. d. c. 3, §. 17, n. 1, & §. 16. (*y*) d. c. 3, §. 21. (*z*) d. c. 3, §. 23. (*a*) d c. 3, §. 22, (*b*) Grot. L. 2, c. 9, §. 8. (*c*) Grot. L. 2, c. 9, §. 7. (*d*) Grot. L. 2, c. 9, §. 10. (*e*) Id. L. 1, c. 3, §. 21. n. 1. (*f*) Id. L. 2, c. 9, §. 10. (*g*) L. 2, c. 9, §. 11.

Digitized by Google

Sectio II.

De Succeſſione naturali in regnis.

§. DCLI. Diximus, (§. 626.) deferri imperium vel perſonæ, vel *familiæ*. Si familiæ defertur, regnum dicitur ſucceſſivum, quia ex diſpoſitione deferentium omnes deſcendentes primi acquirentis ad ſucceſſionem vocantur; qui proinde jus imperii per patrem habent, etſi non a patre.

Quis vero ordo ſuccedendi inter hos deſcendentes obtineat, varie diſceptari ſolet. Equidem ante omnia lex delationis, & quid de ſuccedendi modo, ac ordine pactum eſt, inſpici debet, & juxta illa pacta lites de ſucceſſione familiæ decidendæ ſunt. [b]

Si nihil circa ſucceſſionem a deferentibus ſtatutum eſt, naturali jure obtinet *ſucceſſio linealis agnatica*: adeoque ſuccedunt 1. liberi legitime nati, & inter eos 2. ſoli maſculi; 3. inter maſculos unus tantum, & quidem primo genitus, ac 4. ejus deſcendentes maſculi. Hac linea exſtincta 5. vocatur ſecundo genitus, ejusque deſcendentes, cum eadem prærogativa ſexus, & ætatis: & ſic porro.

§. DCLII. Primo igitur ſuccedunt *liberi* (non collaterales, nec aſcendentes [i]) *legitime nati*, adeoque ex juſtis nuptiis concepti, utpote per quas ſolas pater certus redditur etiam jure naturali (§. 173.). Nec intereſt, an hi liberi ante, vel poſt dignitatem patris naſcantur: liberi enim ſuccedunt in omne jus, quod pater tempore mortis habuit. [k]

Non ergo 1. ſuccedunt liberi *ex concubina nati*; quia ea lege femina cum mare cohabitat, ne de familia, ejusque juribus participet, adeoque ne liberi ſuccedant [l]: nec 2. liberi ex legitimo matrimonio nati, ſi id ea conditione contractum ſit, *ne liberi ſuccedant* (§. 638.): 3. nedum ſpurii, quia certitudo patris hic ceſſat (§. 173.): 4. nec illi, qui contra leges regni nati ſunt, uti ſi ſolennitates negliguntur, quæ legibus regni præſcriptæ ſunt; partus enim tunc ſuppoſitus præſumitur (§. 638.): 5. nec adoptivi; non enim ſunt pars familiæ naturalis [m], cui ſoli populus imperium detulit.

§. DCLIII. Secundo, liberi illi non promiſcue ad ſucceſſionem vocantur, ſed ſoli *maſculi* [n]; imperium enim ſua natura virile eſſe officium, alibi probavimus. Sane, præcipua pars imperii eſt, armis defendere ſubditos contra injurias extraneas: vix autem eſt, ut femina bello præeſſe poſſit.

Feminæ igitur a regnorum ſucceſſione ipſa ratione naturali excluduntur [o]: niſi in prima delatione, vel pacto dictum ſit, ut feminæ quoque ſuccedant. Quo tamen caſu feminæ non ſuccedunt niſi exſtinctis omnibus maſculis, qui ex familia primi acquirentis ſuperſunt; adeoque feminæ non niſi in ſubſidium admittuntur, ſi ſcilicet maſculi non amplius exſtant [p]: idque jure feudali quoque ita deciſum eſt. [q]

§. DCLIV.

(*b*) Grot. L. 2, c. 7, §. 14, & ſeq. & §. 24, Vid. infr. §. 650. (*i*) Grot. L. 2, c. 7, §. 15. (*k*) Grot. L. 2, c. 7, §. 28, & 29. (*l*) Vid. ſupra. §. 173. n. 7. ſeq. (*m*) Grot. L. 2, c. 7, §. 16. (*n*) Vid. Diſſ. procem. VI. §. 44, & 45, Grot. L. 2, c. 7, §. 17. (*o*) Grot. L. 2, c. 7, §. 23. (*p*) Grot. L. 2, c. 7, §. 27, Vid. Diſſ. procem. VI. §. 45. (*q*) 1. Feud. 6, §. pen. 1, Feud. 8, §. fin. 2, Feud. 17, & 50.

§. DCLIV. Tertio, alibi probavimus, regna ſua natura eſſe *individua*; cum igitur non omnes maſculi ſuccedere poſſint, naturale eſt, ut *primogenitus* ſuccedat, utpote qui tempore potior eſt. [r]

§. DCLV. Quarto: naturale eſt, ut præmortuo primogenito *ejus deſcendentes* ſuccedant [s], cum eadem prærogativa ſexus, & ætatis: certum enim eſt, primogenito jus eventuale ſuccedendi quæſitum eſſe. Hoc jus, uti omnia alia jura familiæ inhærentia, transfert ad ſuos liberos, qui proinde ſubeunt in locum patris, ejusque jure ſuccedunt.

§. DCLVI. Deficiente linea primogeniti maſculina, Quinto ſuccedit *ſecundo genitus, ejusque deſcendentes* [t], cum eadem ſexus, atque ætatis prærogativa, ac eodem transmiſſionis jure. Secunda linea exſtincta, eodem ordine, & jure, ſuccedit tertia linea: & ſic porro.

§. DCLVII. Deficientibus omnium linearum maſculis deſinit imperium, & redit ad deferentes (§. 638.): niſi etiam feminis delata ſit ſucceſſio [u]; quo caſu idem ordo ſuccedendi obtinet, qui in maſculis.

Nimirum, ſuccedunt liberi *ex juſtis nuptiis* nati, ſoli *maſculi*, ac inter eos *primogenitus*, ejusque deſcendentes maſculi; iisque exſtinctis ſecundo ex femina genitus, cum eadem ſexus, & ætatis prærogativa, &c.

n. 1. Quæri ſolet, *ſi exſtinctis omnium linearum maſculis jus feminarum incipit, cui feminæ regnum debeatur; an ei, quæ noviſſimo regi proxima fuit, an ei, quæ primo acquirenti?*

n. 2. Equidem *alii* eam præferri, ajunt, quæ primo acquirenti proxima fuit, cum ſuis deſcendentibus; *alii* eam, quæ proxima fuit ultimo poſſeſſori. *Alii* diſtinguunt inter filias ultimi poſſeſſoris, & reliquas feminas: *Illas* propter jus actuale, quod pater in eas transmittit, feminis omnibus priorum linearum præferendas eſſe; at ſi filia non ſit, inter *reliquas* ejusdem familiæ feminas eam præferri debere, ajunt, quæ primo acquirenti proxima fuit.

n. 3. *Secunda* opinio uſu gentium magis obtinet, cujus rationes in commentario exponemus [x]. Atque hoc principio nititur Sanctio pragmatica circa ſucceſſionem Auſtriacam publicata.

§. DCLVIII. Hic ſuccedendi ordo etiam obtinet in regnis bello quæſitis [y]: neque enim plus juris habet imperans in populum devictum, quem populus victor ſuo imperio junxit, quam in hunc ipſum.

§. DCLIX. Cæterum, ordo hic pactis primorum diſponentium varie mutari poteſt. Hinc 1. ita deferri poteſt imperium, ut omnes liberi ſimul ſuccedant, etiam feminæ; eoque regnum ſit dividuum [z]: 2. ut gradu proximior ſuccedat; quæ ſucceſſio Grotio dicitur hæreditaria [a]: 3. ut ætate potior ſuccedat, ut in majoratu [b]: 4. ut feminæ prioris lineæ præferantur maſculis poſterioris lineæ; quæ ſucceſſio Grotio dicitur linealis cognatica. [c]

§. DCLX.

(*r*) Grot. L. 2. c. 7, §. 14, & 18, (*s*) Grot. L. 2, c. 7, §. 30, ſeq. Diſſ. proœm. VI. §. 42, n. 4. (*t*) Grot. L. 2, c. 7, §. 22. (*u*) Grot. L. 2, c. 7, §. 22. (*x*) Vid. Comment. ad Grot. L. 2, c. 7, §. 3. propoſ. 17. (*y*) Diſſert. Grot. L. 2, c. 7, §. 25. Conf. Diſſ. proœm. VI. §. 41. (*z*) Grot. L. 2, c. 7, §. 14. (*a*) Grot. ib. §. 17. vid. Diſſ. proœm. VI. §. 40, & 42. (*b*) d. §. 42, n. 5. (*c*) Grot. L. 2, c. 7, §. 22. Diſſ. proœm. VI. §. 41.

Digitized by Google

§. DCLX. Quæritur, quis in dubia ſucceſſione judex ſit? an populus, an rex, an vero jure belli res decidi debeat? Reſp. inter contendentes non niſi jus belli obtinet. [d]

§. DCLXI. Denique notandum eſt, forma ſucceſſionis vi, vel dolo mutata, jus ſuccedendi ſemel quæſitum legitimis ſucceſſoribus auferri non poſſe; neque longi temporis poſſeſſionem uſurpatoribus jus aliquod tribuere.

§. DCLXII. Hactenus egimus de ſucceſſione in *Imperio*, adeoque in regnis, & principatibus: at quia princeps *privata* quoque *bona* habet, quæritur, quomodo in his ſuccedatur? Reſp. eodem modo, ut in hæreditate privata.

Inſignem utilitatem hæc res habet, quando alius eſt ſucceſſor in principatu, alius hæres defuncti: acriter enim diſputari ſolet, quidnam ad hæreditatem allodialem pertineat, quid vero ſucceſſor ſibi reſervare poſſit.

§. DCLXIII. Dicimus igitur, ad hæredem allodialem omnia pertinere, quæ ad defunctum jure privato pertinuere, non ut ad principem. [e]

Hinc jam conſtat, hæredem allodialem non poſſe petere 1. ea, quæ in ipſius principatus uſum impenſa ſunt; quia ex reditibus publicis impenſa videntur, adeoque ex debito. [f]

§. DCLXIV. Nec 2. ærarium, i. e. quicquid ex collectis, tributis, acciſis, vectigalibus, &c. colligitur [g]; nam hujus ſaltem curam habuit defunctus [h]: quod ergo defuncti non fuit, nec ad hæredem tranſit. [i]

§. DCLXV. Neque 3. ſumtus funebres; idque octo rationibus probat B. PARENS. [k]

§. DCLXVI. Neque 4. ea, quæ ex deſtinatione prædeceſſorum Principatui propria facta ſunt: uti [a] provinciæ noviter acquiſitæ, & territorio pactis familiæ incorporatæ [l]: [b] pretioſa, quæ numquam diviſa fuere cum hæredibus allodialibus [m]: [c] equi (vulgo *der Marſtall*), aulæa (*die Tapeten*), cimeliarchium, numiſmata, (*Medaillen-Cammer*), Bibliotheca, &c. niſi privata pecunia, & ad privatos uſus hæc comparata ſint [n]: [d] tormenta, omniſque apparatus bellicus arcium, urbiumque (*Geſchütz und Munition in denen Veſtungen und Städten*) [o]: [e] mulctæ, quæ mortuo principe dictatæ fuerunt. [p]

CAPUT IV.

De Proceſſu naturali inter Privatos.

§. DCLXVII. JURE naturali regula perpetua hæc eſt: *conceſſo jure, conceſſam etiam videri facultatem jus illud defendendi contra injurias aliorum.*

Inſtitutis civitatibus ſinguli cives jus vi

(*d*) Grot. L. 2, c. 7, §. 27. B. Par. Diſp. de teſt. princ. tit. 2, §. fin. (*e*) Cocceji Conſil. 7, diſp. 1, n. 10, diſq. 7. n. 20. (*f*) Cocceji Conſil. 7, diſq. 6, n. 2, & ſeq. n. 18, ſeq. diſq. 7, n. 21, ſeq. idque exemplis demonſtrat. n. 52, ſeq. (*g*) Ibid. n. 12, 13, diſq. 6, n. 4, n. 11, ſeq. (*h*) dict. diſq. 6, n. 15, ſeq. (*i*) Ibid. n. 27, ſeq. (*k*) In part. I. conſil. 7, diſq. 7. (*l*) Dict. diſq. 7, n. 5, ſeq. n. 41, ſeq. (*m*) n. 15, ſeq. n. 39. (*n*) Ibid. n. 31, ſeq. (*o*) Ibid. n. 35, ſeq. n. 46, (*p*) Dict. conſil. 7, diſq. 8.

Digitized by Google

vi privata ſe defendendi, in civitatem tranſtulerunt: adeo ut nemini jus ſit vi agendi, ſed ſoli civitati arbitrium competat; id enim ex civium pacto neceſſario ſequitur. Subditi igitur non niſi in *judicio* lites ſuas dirimere poſſunt.

§. DCLXVIII. *Judicium* eſt cauſæ controverſæ apud judicem diſceptatio. [q]

§. DCLXIX. Perſonæ, quæ conſtituunt judicium, ſunt 1. judex, 2. actor, 3. reus: accedunt 4. ob utilitatem eorum, qui ipſi ſe defendere non poſſunt, vel nolunt, Procuratores, & Advocati.

§ DCLXX. JUDEX eſt, qui cauſam controverſam publica auctoritate decidit [r]: & non tantum *habilis*, ſed & *competens* eſſe debet.

§. DCLXXI. Competens autem eſt judex, i. e. perſona, res, & cauſa, judicis jurisdictioni ſubjecta eſt 1. ratione *domicilii*: quod conſtituitur vel per nativitatem, vel per habitationem certo in loco, animo perpetuo ibi conſiſtendi inſtitutam. In hoc foro reus ex omnibus cauſis conveniri poteſt.

2. Ratione *rei ſitæ*: ubi tantum actiones reales, non perſonales, inſtituuntur.

3. Ratione *contractus*, & *quaſi contractus*, quando nimirum reus ex ſuo promiſſo, vel quia cum jactura alterius locupletior factus eſt, convenitur.

4. Ratione *delicti*, vel *quaſi delicti*, &c. ſi reus intra fines illius jurisdictionis deliquit, vel quaſi deliquit, i. e. dolo, vel culpa jus alterius læſit. In hoc foro conveniri poſſunt omnes delinquentes, etiam Principes extranei, apanagiati, & extranei: immo legati, clerici, abſentes, &c.

5. Ex *prorogatione jurisdictionis*: ſi is, qui jurisdictioni judicis non ſubeſt, ſponte ſe, ſuamque cauſam, ejus arbitrio ſubmittit.

Non vero judex ſit competens 6. propter connexitatem cauſæ; vel 7. quia perſona eſt miſerabilis, aut 8. in dignitate conſtituta, &c. [s]

§. DCLXXII. ACTOR dicitur is, qui jus ſuum in judicio perſequitur. [t]

REUS eſt, contra quem actio intentatur; adeoque qui jus alienum penes ſe habet, vel jus alterius læſit. [u]

Aliquando reus, cui viciſſim aliquid ab actore debetur, huic *reconveniendo* litem movere ſolet. [x]

§. DCLXXIII. PROCURATORES ſunt, qui proceſſum vi mandati inſtituunt, & dicuntur domini litis [y]: ſi ab univerſitate conſtituuntur, dicuntur *ſyndici* [z]; ſi a tutore, vel curatore, *actores* vocari ſolent. [a]

ADVOCATI dicuntur, qui pro aliis poſtulant, i. e. qui alterius jura in judicio defendunt, & litigantibus patrocinium præſtant. [b]

§ DCLXXIV. Cum vero judicia cum effectu exerceri non poſſint, niſi partes ſua argumenta judici exponant, & pleniſſima cauſæ cognitio præcedat, ſponte ſequitur, id ſine ordine fieri non poſſe.

§. DCLXXV.

(q) C. 1, X. de judic. (r) Lauterb. Comp. pag. 98. (s) Lauterb. Compend. pag. 100. ſeq. Tot. tit. D. de jurisdictione. (t) Lauterb. Compend. pag. 96, ſeq. (u) Lauterb. Compend. pag. 98. (x) Lauterb. pag. 25, in fin. & DD. ab eo allegati pag. 176, in fin. Struv. tit. de compenſat. §. 32, ibique Mullerus. (y) Tot. tit. D. de procurat. (z) Tot. tit. D. quod cujusque univerſitat. nom. (a) §. fin. Inſt. de curator. B. Par. Hypomn. Inſt. eod. tit. § 8. (b) Tot. tit. D. de poſtulando.

Digitized by Google

§. DCLXXV. Alius autem eſt ordo in cauſis *civilibus*, alius in cauſis *criminalibus*.

Regula autem generalis in utroque proceſſu eſt, *quod judex omnia ea permittere debeat, quæ ad defenſionem juris tum actoris, tum rei, ſunt neceſſaria.*

§. DCLXXVI. PROCESSUS CIVILIS tribus partibus abſolvitur: 1. iis, quæ præcedunt judicium: 2. iis, quæ fiunt in judicio a litis conteſtatione uſque ad ſententiam: 3. iis, quæ ſequuntur judicium.

§. DCLXXVII. *Primo* igitur, antequam inchoëtur judicium, *actor* adit judicem, eique ACTIONEM proponit, ſive verbis, ſive ſcriptis: atque hæc propoſitio vocatur *libellus*. [c]

n. 1. ACTIO autem in genere definitur *facultas perſequendi jus noſtrum in judicio.*

n. 2. Cum autem jus aliquod noſtrum eſſe poſſit *vel* ex ſtatu hominum, *vel* ex dominio, vel ex obligatione perſonæ; PRIMA & generalis actionum diviſio hæc eſt, quod ſint *vel* præjudiciales, *vel* reales, *vel* perſonales.

n. 3. PRAEJUDICIALES ſunt, quæ pro defendendo *ſtatu hominum* naturali, nimirum *libertatis*, *familiæ*, vel *civitatis* dantur: de quibus ſupra egimus [d].

n. 4. REALES jure naturæ ſunt, quibus quis ait, rem ſuam eſſe, indeque agit contra poſſidentem ut reſtituat [e]: quæ actiones jure Romano *vindicationes* dicuntur [f], ſeu *petitiones*. [g]

Not. Præter *dominium* (cujus ſpecies eſt *hæreditas*) alia *jura in re* natura cognita non ſunt: adeoque *actiones reales*, quæ præterea jure Romano dari ſolent, (ut actio confeſſoria, negatoria, Serviana, & quaſi-Serviana, hypothecaria, ac rei vindicationes utiles, &c.) ſunt inventum juris civilis.

n. 5. PERSONALES actiones ſunt, quibus ex obligatione perſonæ creditor tantum agit contra perſonam debitoris, ut aliquid vel faciat, vel præſtet. [h]

II. Actiones dividuntur in *univerſales*, quo pertinet hæreditatis petitio [i]: vel *particulares*, ut reliquæ.

III. In *rei perſecutorias*, quibus perſequimur id, quod e patrimonio nobis abeſt; vel *pœnales*, quibus ad pœnam agimus: quid autem ſit pœna, ſupra expoſuimus. [k]

IV. In *tranſitorias ad hæredes*: quo pertinent omnes actiones etiam pœnales, niſi jus perſonæ defuncti cohæreat: & in *hæredes non tranſitorias*, de quibus ſupra egimus. [l]

V. Aliæ ſunt actiones, quæ ex *pacto noſtro* oriuntur: aliæ, quæ eſt *pacto tertii*; quo referri debent actiones de peculio, quod juſſu, tributoria, exercitoria, inſtitoria, &c. [m]

VI. Aliæ actiones ſunt *ſimplices*, aliæ *duplices* [n]. In *prioribus*, alius eſt actor, alius eſt reus: in *poſterioribus*, uterque actor eſt, & uterque reus; quo pertinent actiones familiæ erciſcundæ [o],

com-

(*c*) Tot. tit. D. de edend. ibique Lauterb. (*d*) §. 113, 129. 145, 161. (*e*) §. 1, 2, & 3, Inſt. de act. L. 25, D. de oblig. & act. Conf. ſupr. §. 250, & 347. (*f*) Tot. tit. D. de rei vindicat. (*g*) L. 28, D. de obligat. & act. (*h*) pr. Inſt. de act. L. 25, D. de obligat. & act. (*i*) L. 1, D. de rei vindic. Lauterb. Comp. pag. 624. (*k*) L. 35, D. de obligat. & act. Lauterb. Comp. pag. 623. (*l*) Conf. §. 1, Inſt. de act. & Lauterb. Compend. pag. 623. (*m*) Tot. tit. Inſt. quod cum eo, qui in al. poteſt. (*n*) Lauterb. Compend. pag. 623. (*o*) L. 44, §. 4, de famil. erciſc.

Digitized by Google

communi dividundo [p], & finium regundorum [q]; item interdictum uti poſſidetis. [r]

VII. Aliæ ſunt *directæ*, aliæ *contrariæ*: *illæ* dantur creditori ex promiſſo, *hæ* debitori, qui impenſas, &c. fecit [s]. Alio ſenſu dividuntur in *directas*, & *utiles*: illæ ex verbis legis, hæ ex ratione legis oriuntur. [t]

VIII. Aliæ, quibus *ſolidum* conſequimur, aliæ, quibus *minus*; ut in actione tributoria, de peculio, de in rem verſo, exercitoria, inſtitoria, &c. omnibuſque illis actionibus, quæ per compenſationem, vel deductionem impenſarum, &c. minuuntur. [u]

IX. Aliæ ſunt *ordinariæ*, aliæ *extraordinariæ*, quæ JCtis Romanis interdictorum nomine veniunt, quibus non jus vindicamus, ſed factum poſſeſſionis. [x]

X. Dantur quoque actiones *mixtæ*, tum ex actionibus *realibus*, & *perſonalibus* [y]; tum ex actionibus ex *delicto*, & rei *perſecutoriis* [z]: ideo autem *mixtæ* dicuntur, quia cum jure naturæ diſtinctæ ſint præſtationes, ex jure in re, & ex obligatione perſonæ, item ex delicto, & rei perſecutione, ideo ſeparatis actionibus hæ præſtationes peti deberent. Jus Romanum compendii cauſa conſtituit, ut utraque præſtatio una actione peti poſſit.

XI. Præterea jure Romano ob utilitatem publicam quædam diviſiones actionum introductæ ſunt. Nimirum, 1. quod aliæ dicantur *civiles*, aliæ *Prætoriæ* [a]: 2. quod aliæ dicantur *bonæ fidei*, aliæ *ſtricti juris*, aliæ *arbitrariæ* [b]: 3. quod aliæ ſint in *ſimplum*, aliæ in *duplum*, &c. [c]: 4. quod quædam ſint *perpetuæ*, quædam *temporariæ* [d]: 5. quod aliæ ſint *noxales*, aliæ *non noxales* [e]: 6. quod quædam ſint *in rem ſcriptæ*; quæ licet ſua natura perſonales ſint, rem tamen ſequuntur [f]: ut actio quod metus cauſſa [g], actio aquæ, & aquæ pluviæ arcendæ [h], actio ad exhibendum [i], noxales actiones [k], & quædam interdicta. [l]

§. DCLXXVIII. Reus reſpondet, & vel differt litem, vel litem conteſtatur. *Differt*, opponendo exceptiones dilatorias, & litis ingreſſum impedientes [m]. *Litem conteſtatur* ſi affirmat (affirmare autem etiam videtur qui opponit exceptiones peremtorias, & litis finitæ [n]), vel negat litem.

§. DCLXXIX. Judicium igitur demum conſtituitur per *litis conteſtationem*, quæ eſt judicii ſuſcepti utrimque facta profeſſio [o]. Et 1. eſt vel *affirmativa*, ſi reus affirmat actoris intentionem; vel *negativa*, ſi eam negat: 2. vel *generalis*; ſi reus in genere negat narrata prout narrantur; vel *ſpecialis*, ſi ad ſingula actoris capita reſpondet. [p]

§. DCLXXX.

(*p*) L. 2, §. 1, D. commun. divid. (*q*) L. 10, D. fin. reg. (*r*) L. 1, §. 1, L. 2, pr. & §. 3, D. §. 1, fin. Inſt. de interdict. (*s*) B Parent. Hypomn. Inſt. tit. de obligat. §. 8. Lauterb. Compend. pag. 622. (*t*) Ibid. (*u*) §. 36. Inſt. de act. (*x*) Rubr. de interdict. ſeu extraord. act. Conf. Lauterb. Compend. pag. 524. (*y*) Lauterb. Compend. pag. 621. (*z*) Ibid. pag 625. (*a*) Ibid. pag 621. (*b*) Ibid. p. 625, Grot. l. 2, c. 1, F. §. 11. (*c*) Lauterb. d. pag. 625. (*d*) Ibid. pag. 626. (*e*) Tot. tit. D. de noxal. act. (*f*) Struv. Exerc XLVI. § 63. (*g*) L. 1, L. 9, §. 8, D. quod met. cauſſ. (*h*) L. 12, D. de aqua, & aqu. pluv. arc. (*i*) L. 5. pr. §. ſeq. D. ad exhib. (*k*) L. 11, 12, 13, 28, D. de noxal. act. L. 27, §. fin. D. de rei vindicat. (*l*) L. 1, §. 3, D. de interdict. (*m*) De quibus vide Lauterb. Comp. p 609, & 611. (*n*) Ibid. pag. 612. (*o*) Ibid. pag. 95. (*p*) Ibid. pag. 96.

Digitized by Google

§. DCLXXX. Actor replicat, & *Reus* duplicat [q]: ſed & ulterius procedere partes poſſunt, ſi ad defenſionem juris id neceſſarium exiſtiment; at civitatum moribus vix ultra proceditur, niſi nova quædam in duplicis expoſita eſſe appareat.

§. DCLXXXI. Cum reus ſæpius intentionem actoris, actor vero exceptionem rei neget, neceſſario affirmanti injungi debet probatio: ſi enim duo de facto diſceptant, naturali ratione judex decidere nequit, niſi factum illud ab afferente certum reddatur.

n. 1. Probatio eſt actus, quo litigantes judici de facto controverſo, vel de re dubia fidem faciunt. [r]

§. DCLXXXII. Probatio fit *I.* per *teſtes* [s]: equidem certitudo omnimoda de factis, & rebus dubiis, ex dictis teſtium natura haberi nequit, utpote cum omnes errare poſſint; at moraliter pro certo haberi debet quod in vita civili pro certo haberi poteſt, & ſolet.

Quando igitur plures teſtes, de quorum integritate conſtat, circa idem factum conſentiunt, hunc conſenſum efficere vix poteſt niſi una veritas: atque hoc ſenſu in duorum, vel plurium ore veritatem conſiſtere, propitio jure aſſeri poteſt; quod & utriuſque fœderis ſacri auctoritas, & conſenſus gentium firmat. [t]

§. DCLXXXIII. *II.* Per *inſtrumenta*, i. e. per ſcripturas tales, quæ fidem facere poſſunt judici de re controverſa. [u]

§. DCLXXXII. *III.* Per *jusjurandum*: quod vel eſt *voluntarium*, quod pars parti defert vel in judicio, vel extra judicium; vel *neceſſarium*, quod judex defert actori, vel reo. [x]

Hic probandi modus naturali ratione nullam certitudinem infert; infinita enim exempla perjuriorum exſtant: adeoque aſſertio jurata non per ſe probat, ſed ex partium conſenſu, qui vel alterius conſcentiæ litis deciſionem committunt [y], vel adeundo judicem ejus arbitrio relinquunt, an, deficiente plena probatione, vel actori ſuppletorium, vel reo purgatorium juramentum deferre velit. [z]

Not. Præſtito juramento non amplius quæritur, an jurans verum juraverit? ſed an juratum ſit [a]? Adeo ut deferens nec prætextu perjurii litem reſuſcitare valeat [b]: etſi fiſcus pejerantem de perjurio reum facere poſſit. [c]

§. DCLXXXV. *IV.* Per *confeſſionem*: ſi ſcil. cauſa ſit civilis: in criminibus enim confeſſio ſola non ſufficit ad condemnationem [d]; immo nec ad torturam [e], ſed de corpore delicti conſtare debet [f]: confeſſione enim ſua nemo facere poteſt delictum, ubi delictum non eſt [g]; ſed præterea indiciis veſtita eſſe debet [h], maxime in delictis oc-

(*q*) Ibid. pag. 613. (*r*) L. 12, in fin. D. de probat. Lauterb. Compend. tit. de probat. (*s*) Tot. tit. D. de teſtib. ibique Lauterbach. (*t*) Quod uberius exponit B. Par. in Diſp. de probat. negat. c. 1, §. 5, ſeq. Conf. Jus meum controverſ. tit. de teſtib. qu. 1. (*u*) Tot. tit. D. de fid. inſtrum. & Lauterb. Compend. pag. 425. (*x*) Tot. tit. D. de jurejur. & Lauterb. Compend. pag. 176. (*y*) L. 26. §. fin. D. de jurejur. (*z*) d. L. 26, & L. fin. D. de jurejur. in lit. (*a*) L. 5, §. 2, L. 9, §. 1, L. 28, §. fin. L. 29, D. eod. (*b*) L. 21. D. de dol. mal. (*c*) Vid. Jus meum controverſ. tit. de jurejur. §. 52. (*d*) Carpz. Prax. crim. part. 3, qu. 126, n. 14. & part. 2, qu. 60. n. 8. & 9. (*e*) Carpz. part. 2, qu. 57, n. 77, part. 3, qu. 149, n. 14. (*f*) Carpz. part. 2, qu. 72, n. 52, part. 1, qu. 16, n. 1. (*g*) d. qu. 16, n. 1, 2. 3. (*h*) Carpz. part. 2, qu. 57, n. 77. d. qu. 60, n. 5.

Digitized by Google

occultis [i]. Hinc ſola confeſſio adulterii non ſufficit ad pœnam mortis decernendam, niſi vel uterque fateatur, vel aliunde probatum ſit: correo ergo fugiente, ad mortis pœnam contra confitentem procedi non poſſe, ajunt [k]. Pœna tamen extraordinaria ejuſmodi confitenti inferri poteſt. [l]

Omnium autem minime confeſſio illa præjudicium facit tertio: ſi proinde mater ſe adulteram fatetur, confeſſio ejus non nocet liberis [m], niſi alio modo adulterium probetur.

n. 1. Quæritur, an confeſſio vi, metuque extorta probet contra confitentem? Negatur, ſi vi, vel metu injuſto confeſſio illa elicitur; vis autem non injuſta, nec metus injuſtus legibus viſus fuit, ſi quis quæſtioni ſubjectus fatetur: poſitis, nimirum, terminis habilibus, de quibus late agunt rerum criminalium Doctores [n]. Quamquam negari nequeat, æquitati naturali magis convenire, reum, qui indiciis gravatus eſt, pœna mulctare extraordinaria. Nam 1. confeſſio, quæ per torturam elicitur, non eſt ſpontanea, ſed vi extorta, adeoque moralis certitudo nulla hic ſubeſt. Quod 2. ipſæ leges etiam invitæ agnoſcunt; quia requirunt ratificationem rei poſt aliquod tempus factam: & 3. ſi revocat, reiterare jubent quæſtionem; repetitione autem opus non eſſet, ſi confeſſio illa fidem faceret: ſed & 4. poſt tertiam revocationem reum abſolvunt, certiſſimo indicio, confeſſionem vi extortam crimen non probare. Sane, 5. in cauſis civilibus, etſi graviſſimis, & ubi de ſalute totius familiæ agitur, res dubiæ juramento rei purgatorio deciduntur; multo magis igitur id in criminibus dubiis obſervari deberet. Neque 6. credendum eſt, impunita manſura crimina: nam ſemper Deum vindicem habebunt. Immo 7. nulla proportio eſt in levioribus delictis inter pœnam lege ſtatutam, & quæſtionem: fur enim, adulter, &c. moribus noſtris morte non puniuntur, ſed rei ad operas publicas damnantur; durior igitur hoc caſu eſſet modus probandi ipſa pœna. Nec 8. negari poteſt, incertum admodum hunc eſſe probandi modum [o]: quotidiana experientia docet, multos innocentes, metu dolorum, ac infamiæ, crimen faſſos eſſe, quod nunquam commiſerunt; & e contrario plurimos reos quæſtionem ſuſtinuiſſe, & pœnam, utut nocentes, evaſiſſe [p]. Hinc 9. conſultius eſſe, puto, omnem eliminare torturam, & indiciis gravatos pœnis extraordinariis ſubjicere, vindictam vero juſto Dei judicio relinquere. Nam 10. ſatius eſſe, exiſtimo, decem abſolvere reos, quam unum condemnare innocentem. Hinc 11. ſunt, qui a tyrannis originem cepiſſe quæſtionem, ajunt, & nominatim eam Nimrodo tribuit POLIDORUS VERGILIUS [q]. Temporibus reipublicæ Romani non niſi ſervos quæſtioni ſubjiciebant [r]. Apud Arragones, & Britannos receptam non eſſe, conſtat. [s]

§. DCLXXXVI. *V.* Per *ſortem.* Variæ

(*i*) Carpz. p. 2, qu. 60, n. 6 *n.* 18. (*k*) Ib. qu, 72. *n.* 52. qu. 60, n. 6, ſeq. & n. 30. (*l*) Carpz. part. 2, qu. 60, n. 34, 35, 36. & qu. 81, n. 59. (*m*) Argum. L. 29, D. de probat. L. 1, §. 8, D. de agnoſc. & alend. liber. (*n*) Tot. tit. D. de quæſt. Carpz. Prax. crim. part. 3, qu. 127, ſeq. (*o*) Carpz. part. 3, qu. 117, *n.* 5, 6, 7. (*p*) Carpz. d. qu. 117, n. 5, & 7. (*q*) De rer. inventor. L. 2, c. 3, Add. Carpz. d. qu. 117, n. 3. (*r*) L. 12, D. de quæſt. tot. tit. D. eod. (*s*) Gomez. Tom. 3, reſol. c. 13, Thom. Schmid. de republ. Angl. c. 27.

Digitized by Google

riæ ſortis ſpecies ſunt, quibus juſtitiam cauſæ partes probare olim ſolebant. Nimirum, *I.* per ignem, *II.* per aquam, *III.* ad crucem, *IV.* per duellum, &c. De quibus ſcriptores inprimis medii ævi exempla ſuppeditant. [t]

§. DCLXXXVII. ad probationem per IGNEM pertinet ea, quæ fiebat *candente ferro.* Modum procedendi inveni in diplomate quodam antiquiſſimo ex Archivo Halberſtadienſi deſumto.

Actor in judicio provocabat ad judicium *candentis ferri*; & judex, quia aliter veritas haberi non potuit, id decernebat. Manui *ferrum candens* in eccleſia præſentibus partibus, judicibus, & ſacerdotibus, includebatur, & diligenter manus ejus conſignabatur. Tertio die judex, & partes, in eadem eccleſia convenerunt; manus detegebatur, & cum illæſa appareret, rei cauſa ceciderunt: judex ſuperior, ad quem rei provocarunt, cum inſpecta manu nullum ignis veſtigium inveniſſet, confirmavit priorem ſententiam. [u]

Aliquando is, qui jus ſuum probare nitebatur, *vomeres ignitos* nudis pedibus calcabat, & pro gravitate indiciorum ſuper novem, vel duodecim vomeribus nudo pede preſſis incedebat [x]. Exempla occurrunt apud CÆSARIUM [y], CRANTZIUM [z], GONZALEZ [a], &c.

Aliquando probaturus *carbones ardentes* in manibus tenebat: quo modo Montanus archi-præſul Toletanus ab adulterii indiciis ſe purgavit. [b]

§. DCLXXXVIII. Purgatio per AQUAM diverſis fiebat modis. [c]

De veneficio ſuſpecta ad profluentem devehitur aquam, & certo modo vinctâ, & ſupina in aquas conjicitur; ſi ſubmergitur, dimittitur, ſi ſupernatat, pro rea habetur. [d]

Alia eſt ratio purgandi per *aquam fervidam*, quando vel ore calidam hauriebant aquam [e]; vel ferventi aquæ manum, vel brachium immittebant [f]. Alios modos vide apud ZETSKE *Diſp. de purg. vul.*

Aliquando propinabatur ſuſpectis *aqua amara*, ſeu maledicta; quem purgandi modum ipſe divinus legiſlator approbavit. [g]

§. DCLXXXIX. Ad CRUCEM fiebat probatio, quando actor præſtito ad crucem juramento expectabat miraculum aliquod, quod de ejus aſſertione fidem faceret. Mentio hujus probationis fit in legibus Francorum [h]; ſolennitates præſcribuntur in legibus Friſonum [i]; & late hunc probandi modum deſcribunt GRETSCHERUS [k], LIN-

(t) Vid. Gonzalez ad Decret. L. 2, t. 19, c. 4, pag. 349, n. 11, & L. 4, t. 15, pag. 216, n. 11, Mader. de duello, pr. & pag. 7, 11, 44, 64, 86, 95. (u) De judicio candentis ferri vid. Gonzalez ad c. 3, X. de vulg. probat. n. 4, in fin. (x) Du Fresne Gloſſar. voc. vomeres (y) De miracul. L. 10, c. 35, (z) De Vandal. L. 8, c. 3. (a) Add. c. 3, n. 4. (b) Marian. Hiſp. L. 5, c. 6. (c) Vid. D. Zetzke Diſp. de purgatione vulgari, (d) Conf. Schrœter. Diſp. de lamiis. Ziegler. Not. ad Jus Canonic. pag. 913, Zetzke d. l. (e) Vid. *Lehn-Recht*, c. 46, n. 6. (f) Conf. *Sachſen-Spiegel* L. 13, Ranulph. L. 14, c. 1, Lindenbrog. in Leg. Longob. L. 1, §. 9, §. 29, 30. *Spath im deutſchen Advocaten*, Vol. I. pag. 288. (g) Numeror. cap. XV. in fin. (h) L. 4, c. 40, L. 3, c. 48, L. 4, in append. 2, c. 33. (i) L. 14, c. 1. (k) De Cruce, L. 2, c. 21.

LINDENBROGIUS [l], & GONZALEZ. [m]

§. DCXC. Merito incerti hi probandi modi a Deo ipſo quodammodo in caſu adulterii probati, legibus poſterioribus Chriſtianorum ſublati ſunt: neque negari poteſt, ſacerdotum artificio plerumque rem paractam videri; illi enim, examinata cauſa, facile ex circumſtantiis judicare de juſtitia cauſæ potuerunt. Sane, oblatio partis ad juramentum, & præterea provocatio ad violenta illa purgationis media, fiduciam bonæ cauſæ ſatis indigitabant, indeque ſacerdotes, vel ardorem ferri temperaſſe, vel alia arte ſuccurriſſe, admodum probabile eſt. Quoties autem fortunæ res relicta fuit, infinitam hominum multitudinem ſine culpa periiſſe, exemplo ſagarum combuſtarum apparet.

§. DCXCI. Species quoque ſortis eſt DUELLUM: quando nimirum actor, vel reus, juſtitiam cauſæ probaturus, ad duellum provocat. Quæri ſolet, an hic modus probandi ſit juris naturalis? Merito id negamus, ſi probatio alia ratione haberi poteſt: nam ideo civitates inſtitutæ ſunt, ne vi agere liceat; adeoque lites non niſi arbitrio judicis decidi debent.

n. 1. Quid ſi probatio deficiat, adeoque actor ex defectu probationis cauſa cadere neceſſario debet? Hoc caſu judicium divinum poſtulare, i. e. ad duellum provocare, non iniquum judicarunt gentes plurimæ.

Non autem promiſcue, & ob quamlibet cauſam ad duellum provocare potuere litigantes, ſed requirebatur 1. ut *cauſa* fuerit *graviſſima*; unde maxime in cauſis criminalibus locum habebat [n]: 2. ut cauſa fuerit ambigua, & plene probari teſtimonio hominum non potuerit; unde prius inquirebatur, an cauſa dubia eſſet [o]; ſed nec in cauſa dubia indiſtincte ad hoc probandi medium recurrere licebat, ſed judices examinabant, an accuſator ſit honeſtæ vitæ, & famæ, an indicia quædam contra accuſatum ſeſe prodant, &c. [p]: 3. ut uterque litigantium juraret; alter, ſe jure accuſare, alter, ſe injuria accuſari: atque omnibus his demum rite perpenſis, 4. duellum per ſententiam judicis decernebatur [q]. Hinc nemo procedere ad duellum potuit, niſi judicatum eſſet [r]; nec ullus judex decernere id potuit, niſi qui jus vitæ, & necis haberet [s]: unde in Gallia ſolus rex id ſibi reſervavit [t]. Tandem, & 5. Senatus, ſacerdotes, & populus, divinam opem implorabant, ut ſuam potentiam recomprobaret, &, quæ ſua eſſet juſtitia, innocenti adeſſet, victoriamque cœlitus concederet [u].

n. 2. Teſtatur id AVENTINUS [x], cujus verba hæc ſunt: *Majores noſtri magis Deo, quam ſibi, confiſi, plus divinæ juſtitiæ, ejuſque promiſſis, quam ſuo ingenio, aut ſapientiæ innitebantur, potius cœleſtibus decretis, quam ſuis opinionibus, ſtabant: officiis omnibus, atque*

(*l*) In Gloſſar. voc. crux. (*m*) Ad decret. L. 2, t. 19, c. 4, pag. 349, n. 11, & L. 4, t. 15, pag. 216, n. 11. (*n*) Aventin. L. 4, pag. 448. (*o*) Schedius de diis German. pag. 440. Aventin. d. pag. 448. Aligherius, de monarchia. L. 2, pag. 186. (*p*) Belliſar. de ſingul. certam. c. 3, 4, 8, & 12. (*q*) Mader. de duell. pag. 57, ibique Tholoſ. (*r*) Leg. Longobard. L. 3. tit. 23. (*s*) Mader. de duell. pag. 48. ubi exemplum refert. Add. pag. 69. (*t*) Belliſar. de ſingular. certam. cap. 5. (*u*) Aventin. d. pag. 248. (*x*) Libr. 4, p. m. 248.

que actis, Numen ſupremum intereſſe voluerunt, eaque demum rata haberi, cum divinum auſpicium addixiſſet; cuncta quaſi in theatro ſuper deſpectantium in conſpectu Dei O. M. geri ſtatuerunt. Et mox: *Proinde in cauſis ambiguis, maxime criminalibus, quæ nullo teſtimonio hominum probari poterant, ad cæleſtia beneficia, ad ſummam majeſtatem, quæ falli non poteſt, tamquam ad arbitrum honorarium, & judicem omnium confugiebant.*

n. 3. Sane, Philippus Galliæ rex ſpeciali Conſtitutione duella hæc permiſſurus quatuor requiſita poſuit: 1. ut de crimine agatur, deque eo conſtet: 2. ut mortis pœna in crimen ſit conſtituta: 3. ut alio modo ſufficienter probari non poſſit: 4. ut accuſatus per indicia, & veroſimiles præſumtiones, ſuſpectus habeatur. *y*

His igitur requiſitis poſitis nihil iniqui circa duella remanet, ſi a magiſtratu decernuntur. Nam 1. certum eſt, caſus quoſdam contingere, ubi jus actoris eſt fundatum, ſed plene probari nequit: nihil igitur hic obſtat, quo minus actor ad defenſionem naturalem ſui juris, i. e. ad duellum provocare poſſit. Sane, 2. negari nequit, jure naturæ actorem, deficiente judice, jus ſuum duello vindicare poſſe: deficit autem judex ſi rem ad ſtatum naturalem remittit, i. e. actorem vindicem ſui juris conſtituit. Et cum 3. Deus inter gentes litigantes ſit bellorum arbiter; nihil obſtare video, quo minus in cauſis privatorum quoque idem Deus arbiter conſtitui poſſit. Is enim cordium ſcrutator ſolus de veritate cauſæ, quæ humano modo probari nequit, decidere poteſt, & ſecundum juſtitiam ex natura perfectionis decidere debet. Hinc non tantum 4. a tot populis, etiam Chriſtianis, conſenſu Papæ, & ſacerdotum, judicia hæc approbata ſunt; ſed ſpecialiter 5. ea vocantur *judicia Dei z*. Veteres Bavari illa *Webæ Ding*, ſive *Wehma Dink*, i. e. judicia ſancta vocarunt *a*. Hinc & clericos quoque ita pugnaſſe, legimus. *b*

n. 4. Neque obſtant loca, ubi duella improbantur, tentationes divinæ vocantur *c*, impia conſuetudo *d*, crudele probationis genus *e*. Unde legibus publicis abrogata *f*, & jure canonico inprimis prohibita fuere. *g*

Nam 1. loquuntur de abuſu unius, vel alterius gentis, quæ indiſtincte etiam in cauſa non ambigua, vel leviori, vitam ſubditorum ferocitati accuſatoris exponere, fas eſſe exiſtimabat; hunc enim abuſum merito leges, & auctores damnant: at poſitis terminis modo expoſitis, nulla injuria ſupereſt. Unde 2. alii pii viri modum hunc probandi commendarunt; quin & legibus publicis eum probatum fuiſſe legimus. Inter Chriſtianos tamen, quibus charitas maxime commendatur, res dubia juramentis partium judi-

(*y*) Mader. de duell. p. 47. Belliſar. de ſingul. certam. Guido Pap. Deciſ. 617, uſque ad 624, 10, de Lygnano de duello Conf. Spelmann. in Archæolog. voc. campus. (*z*) L. Longob. L. 16, c. 2. Spelmann. voc judicium Dei. B. Par. Diſp. de jud feud. cap. 2, per tot. (*a*) Mader. p. 38, & p 81. (*b*) Mader. pag. 72. Gonzalez. ad Decret. L. 5, t. 35, pag. 535, n. 3. (*c*) De Agobardo Lugdunenſi præſule, vid. Mader. pag. 36, & pag. 90. (*d*) L. Longob. L. 2, t. 55. & L. 1, tit. 9, l. 13. (*e*) Vadian. de colleg. apud Goldaſt. tom. 3, p. 10. (*f*) Frideric. II. Conſtit. ſect. 2, tit. 32. (*g*) cap. 1, de purgat. vulg. Mader. de duell. pag. 43, & 48, B. Par. diſp. de jud. feud. c. 2, per tot.

Digitized by Google

judicium autem, an bene, an male ſ ratum ſit, Deo relictum eſt.

§. DCXCII. Finitur lis eorum, qui in civitatem coiverunt, *I. ſententia judicis*: Ratio naturalis hæc eſt, quod membra ſingula, quæ in civitatem coëunt, facultati jura ſibi naturali ratione conceſſa vi defendendi renuncient, ac ſe, ſuasque controverſias, civitatis judicio ſubmittant, i. e. promittant, ſe id pro jure accepturos, quod judex pronunciaverit.

Obligatio igitur parendi ſententiæ eſt ex conſenſu illo civium generali, adeoque ex compromiſſo: cui accedit compromiſſum ſpeciale, dum alter judicem adit, alter litem conteſtatur, adeoque coram judice cauſam diſceptant, & hoc ipſo judicis arbitrio ſpecialem hanc cauſam ſubmittunt. Unde ex ſententia judicis jure Romano ſpecialis *actio judicati* oritur.

n. 1. Poſt hanc ſententiam ergo conſenſu, & compromiſſo partium latam, omnis lis finitur, nec remedium aliquod prætcrea competit; neque enim quæri poteſt, an æque judicatum ſit, an non [h], quia partes id ipſum arbitrio judicis relinquunt, & in eum compromittendo ſpondent, ſe pro æquo id habiturum, quidquid judicaverit. Hinc bene JCti Romani docent, Prætorem jus dicere, etſi inique jus dicat: poſito enim pacto partium non amplius quæritur, quid judex judicaverit, ſed an judicaverit.

n. 2. At quia falli judices poſſunt, vel quod cauſa non ſatis explicata, vel quod per ignorantiam judicis, vel dolo ejus jus dictum ſit, civitates remedia quædam concedere ſolent, ne unius inſtantiæ alea fortunæ privatorum periclitentur. Huc pertinent Appellatio, Reviſio, Supplicatio, Leuteratio, Oberleuteratio, Reſtitutio in integrum, &c.

n. 3. Tribui autem his remediis ſolet vel effectus ſaltem *devolutivus*, uti in poſſeſſione ſummariiſſima, item in cauſis celerrimæ expeditionis, ut alimentis, &c: vel *Suſpenſivus* quoque, quo caſu tota cauſa ad judicem ad quem devolvitur, omniſque ſententiæ effectus ſuſpenditur.

n. 4. Sententia per remedia ſuſpenſa ſi confirmatur, retro valet a tempore primæ ſententiæ, & ex eo tempore pro judicato habetur. [i]

§. DCXCIII. *II.* Finitur lis etiam, *tranſactione*: quando nimirum partes controverſiam conventione decidunt, aliquo dato, aliquo retento. [k]

§. DCXCIV. *III.* Finitur lis privatorum (nam de arbitris inter ſummas poteſtates agemus *libro ſequente cap. IX.*) per *arbitrium*: ſi nimirum partes conſentiunt in certas perſonas, ut litem decidant [l]. Cum ergo horum judicio ſua voluntate ſe ſubmittant partes, ſecuto arbitrio lis finitur ex eorum conſenſu.

n. 1. Arbitri dicuntur ab arbitrando. Arbitrium autem exigi poteſt, *vel* ad æſtimationem, *vel* ad controverſias amicabiles conciliandas, *vel* ad controverſias decidendas: atque de his ſolis hoc loco agimus.

n. 2.

(*h*) Vid. Jus meum controverſ. tit. de condict. indeb. qu. 11. L. 25. D. de ſtat. hom. L 3. D. de agnoſc. & alend. liber. L. penult. D. de juſt. & jur. L. 4. C. de re judic. Lauterb. Compend. (*i*) Vid. Jus meum controverſ. tit. de re judic. qu. 7. (*k*) Vid. §. 429. (*l*) Lauterb. Compend. tot. tit. D. de arbitris.

n. 2. Arbitri conſtituuntur 1. conſenſu partium; & tunc leges compromiſſi inſpiciendæ ſunt: 2. volente arbitro.

n. 3. Compromittere in arbitrium poſſunt omnes, qui paciſci. Eligi arbitri poſſunt omnes, qui judicium habent. Si plures eliguntur, omnes adeſſe debent, majora tamen valent.

n. 4. *Objectum* ſunt omnes controverſiæ privatæ, etiam criminales, quoad jus paciſcentium privatorum: ſed & cauſæ poſſeſſionis.

n. 5. *Finis* eſt deciſio controverſiæ privatorum: procedendi modus eſt idem, qui in proceſſu privatorum. [m]

n. 6. *Effectus* eſt, ut partes teneantur ſtare arbitrio, etſi contra jura, nedum ſi inique pronunciatum ſit. Non ergo de juſtitia cauſæ tum amplius quæritur, nec remedia dantur [n]. Executio autem peti debet coram judice ordinario.

n. 7. Finitur arbitrium 1. morte arbitri, non alterutrius ex litigantibus (ſecus, ac jure Rom.); 2. die addito; 3. utriuſque conſenſu (etiam tacito), v. g. tranſactione, &c.; 4. acepto judicio; 5. electis aliis arbitris; 6. rei controverſæ interitu; 7. ſententia ſemel dicta. [o]

§. DCXCV. Denique, & *IV.* lis finitur *ſorte*: ſi lege publica intra terminos ſupra poſitos cauſæ deciſio fortunæ relinquitur.

(*m*) Grot. L. 3, c. 20, §. 47, n. 12. (*n*) ibid. §. 46. (*o*) de hac materia vid. Lauterb. Compend. tot. tit. D. de arbitris.

LIBER VII.

DE DEFENSIONE JURIUM

Naturali ratione hominibus quæſitorum

CONTRA EXTRANEOS.

Ubi de REPRESSALIIS, *ac* BELLO, *ejuſque Jure agitur.*

PROOEMIUM.

§. DCXCVI. DEMONSTRAVIMUS hactenus, quomodo jura, quæ cuique hominum naturali ratione quæſita ſunt, defendantur per JUDICIA. Cum vero judicia tantum in ſubditos valeant, merito quæritur, quænam ſit ratio defendendi jura illa contra extraneos?

Nos in genere dicimus, defenſionem illam expediri vel citra bellum per REPRESSALIAS, vel per BELLUM.

§. DCXCVII. *Primo* igitur agemus de jure repreſſaliarum, & rationem hujus juris naturalem explicabimus. *(Cap. I)*

§. DCXCVIII. *Secundo* vera Principia circa jus bellandi exponemus, & demonſtrabimus 1. juſtitiam bellorum, tum privatorum, tum publicorum. 2. Requiſita belli, inprimis vero clarigationis neceſſitatem, explicabimus. 3. Videbimus, quinam bellum gerere, & in quos geri poſſit. 4. Exponemus, quidnam in hoſtem liceat? an, & quatenus hoſtis hoſtem occidere, perſonam, vel res ejus capere, & has vaſtare poſſit? & quodnam jus victor in deditos, ac ſervos adquirat? *(Cap. II.)*

§. DCXCIX. *Tertio* examinabimus, quidnam juris ſit ratione eorum, qui ex hoſtium poteſtate elapſi poſtliminio redeunt. *(Cap. III.)*

§. DCC. *Quarto* agemus de belli ſociis, & quid in eos liceat? *(Cap. IV.)* *Quinto* exponemus, quid juris ſit circa medios. *(Cap. V.)* &

DCCI. *Sexto* ſequetur celebris materia de fide hoſti data; ubi 1. remiſſive de *pace*, ſpeciatim autem de *induciis*, *ſponſionibus*, *commeatu*, & *ſalva guardia* (ut vocari ſolet); 2. de fide hoſti *a privato* data; 3. de his, qui fidei hoſti datæ accedunt; & denique 4. de *Guaramis*, & *obſidibus* agemus. *(Cap. VI.)*

§. DCCII.

§. DCCII. *Septimo* explicabimus modos finiendi bellum, ſpeciatim per pacem. (*Cap. VII.*)

§. DCCIII. *Octavo* de conciliatoribus pacis agemus, nimirum, de legatis, & mediatoribus. (*Cap. VIII. & IX.*)

CAPUT I.

De vera Juris Repreſſaliarum origine, & ratione.

§. DCCIV. PRIMUS modus defendendi jura cuique hominum naturali jure quæſita, ſunt repreſſaliæ.

§. DCCV. REPRESSALIÆ dicuntur ab Italica voce *Preſa.* Vocari quoque ſolent *Litteræ marcæ*, ſeu *lettres de marque.*[p]

Sunt autem *repreſſaliæ*, quando civitas pro injuria ab alia civitate illata, quam reparare recuſat, hujus bona, aut ſubditos capit, donec ſatisfaciat.[q]

§. DCCVI. *Primo* igitur requiritur, ut *inter duas civitates* quæſtio ſit, ubi ſuperior non eſt, qui litem dirimat. Unde ſequitur, privatos propria auctoritate alienæ civitatis cives, aut res eorum pro ſuo, vel civitatis debito, capere non poſſe.

§. DCCVII. *Secundo* requiritur, *ut civitas*, cujus cives injuriam intulerunt, *implorata jus deneget*: quod ſit ſi vicinæ civitatis ſubditus noſtræ civitati, vel noſtræ civitatis ſubditis, ſive ex civili, ſive ex criminali cauſa obligatur, & civitas vicina implorata judicium denegat, vel plane non judicando, vel contra jus pronuntiando.[r]

His requiſitis poſitis propitio jure perſonæ, & res illius civitatis injuriam inferentis capiuntur, donec ſatisfactum ſit.

§. DCCVIII. Ratio hujus juris non ex jure aliquo Gentium voluntario oritur[s], ſed ex ipſo jure naturæ. Cum enim inter duas civitates litigantes ſuperior nemo ſit, qui litem dirimat, civitas læſa omnia media ad reparationem injuriæ neceſſaria adhibere licite poteſt: non autem aliud medium datur, præter repreſſalias, & bellum.

Quando igitur mediantibus repreſſaliis jus noſtrum plenarie conſequi poſſumus, merito præferri hoc medium debet; quia bellum, utpote modus reparandi violentior, nondum eſt medium neceſſarium reparandi juris.

§. DCCIX. Neque *obſtat*, jure naturali res, & perſonas ſubditorum non obligari pro injuria civitatis, nedum pro injuria concivium[t]. Reſp. obligantur omnino, ſi ipſa civitas injuriam infert, uti infert, ſi noſtris civibus jus denegat. Subditi enim coëuntes in civitatem omnia jura ſua arbitrio civitatis ſubmittunt; quidquid igitur civitas agit, cives pro jure habent, vel ſaltem habere debent, cum omni ſuo arbitrio renunciaverint, ac civitatis facta probare, quin ope, & opibus ſuis defendere teneantur: ſubditi igitur injuriam a civitate illatam probant, eam defendunt, eoque reparationi juris noſtri reſiſtunt. Atque ex hac ratione & bello conveniri, & repreſſaliæ in eos ſtatui poſſunt.

Si proinde cives alterius civitatis noſtræ civitati, vel noſtræ civitatis ſubditis, injuriam inferunt, & civitas ejus reparationem negat, reliqui cives non tenentur ob injuriam concivis, ſed ob

(p) Grot. L. 3, c. 2, §. 4. (q) d. c. 2, §. 2, 3, 4. (r) d. c. 2, §. 1, n. 1. (s) Diſſent. Grot. L. 3, c. 2, §. 1, & 2, §. 5, n. 2. (t) Grot. d. c. 2, §. 1. & 2.

ob injuriam civitatis, quæ jus denegat; quam injuriam, uti ante demonſtravimus, ſubditi defendunt, & defendere tenentur.

§. DCCX. Repreſſaliis tantum uti poſſunt ſummæ poteſtates contra alias civitates, quæ itidem ſuperiorem non habent. (*Vid.* §. 706.)

§. DCCXI. *Objectum* juris repreſſaliarum ſunt 1. incolæ ejus civitatis, quæ juris reparationem negat [u], etiam feminæ, infantes, ſenes, mercatores [x], &c.: quin & legati, qui non ad nos, ſed ad eos mittuntur, qui nobis medii ſunt [y]: 2. res ſive mobiles, ſive immobiles, corporales, & incorporales, civitati jus deneganti propriæ [z]: non 3. perſonæ, vel res advenarum, ſeu tranſeuntium. [a]

§. DCCXII. *Effectus* juris repreſſaliarum eſt, ut res, vel perſonæ captæ, cautionis loco ſint, donec injuria ab illa civitate reparetur, i. e. juſtitia læſis adminiſtretur. Si civitas cunctatur, vendi *res* captæ poſſunt, & reſiduum reſtitui civitati debet. Sed quid de *perſonis* captis ſtatuendum? quomodo illæ pro debitis civitatis obligantur? Reſp. ſi cauſa eſt civilis, operibus adhiberi poſſunt uſque ad quantitatem debiti; non vero fiunt ſervi, quia non juſto bello capti ſunt [b]. Si cauſa eſt criminalis, talio in captos ſtatui, & idem eis infligi malum poteſt, quod noſtris civibus illatum eſt [c]. Apud Athenienſes androlepſia tantum in homicidio permiſſa fuit. [d]

§. DCCXII. Finitur jus repreſſaliarum, 1. ſi civitas ſatisfactionem offert, & præſtat. Satisfacit autem, ſi in civilibus judicium conſtituit, cauſam cognoſcit, ac ſententiam exequitur; vel ſi in criminibus reum aut punit, aut dedit [e]: 2. ſi ex rebus captis creditori ſatisfactum, vel ſanguine capti crimen eſt expiatum: an 3. morte ejus, qui crimen commiſit? negatur, ſi civitas in mora fuit dedendi.

§. DCCXIV. Differunt *repreſſaliæ* a *bello*, quod *bellum* ſtatum pacis mutet: cum e contrario per *repreſſalias* pax ſalva maneat.

CAPUT II.

De Bello in genere, ejuſque definitione, ac diviſione.

§. DCCXV. BELLUM dicitur quaſi *duellum*, eaque voce intelligitur certatio per vim, quæ fit inter duos. [f]

§. DCCXVI. *Bellum* definitur facultas jus noſtrum *armis* proſequendi; eodem modo uti *actio* definitur, facultas perſequendi jus noſtrum in *judicio*.

§. DCCXVII. Dividitur bellum in *privatum*, vel *publicum*: *illud* eſt, quod privatus cum privato; *hoc*, quod ſummæ poteſtates inter ſe gerunt. [g]

§. DCCXVIII.

(u) Grot. L. 3. c. 2, §. 5, n. 2. (x) d. c. 2, §. 7, n. 3. (y) d. c. 2, §. 7, n. 3, (z) d. c. 2, §. 2. (a) d. c. 1, §. 7, n. 2. (b) Diſſent. Grot. d. c. 2, §. 3. (c) Diſſent. Grot. L. 3, c. 2, §. 6. (d) d. c. 2, §. 3, n. 1. (e) d. c. 2, §. 3, n. 3, & 4. L. 2, c. 21, §. 5. (f) Grot. L. 1, c. 1, §. 2. (g) Grot. d. c. 1, §. 2.

§. DCCXVIII. Alibi probavimus, naturali jure ſingulis jus non eſſe vi agendi, i. e. jus ſuum privata auctoritate vindicandi [h]; ſed ordinem naturæ poſtulare, ut id fiat vel per patresfamilias, vel inſtitutis civitatibus per civitatem ipſam. [i]

Aliud dicendum ſi judicia ceſſant, &. ſuperior non eſt, qui jura ſingulorum defendat [k]. Hoc enim caſu unuſquiſque *bello privato* jura ſua defendere poteſt: idque ex medii neceſſitate, quia alia ratione juribus a Creatore conceſſis uti nequit. Atque hoc bellum privatum hodie vocatur *jus neceſſariæ defenſionis.*

n. 1. Ceſſant autem judicia *vel* in totum, *vel* in tantum [l]; vel, quod idem eſt, aut *continue*, aut *momentanee.* In *totum* ceſſant, 1. ſi v. g. ſubditi naufragium paſſi in inſulam deſertam deferuntur [m]: 2. ſi ſubditi judicem non audiunt: 3. ſi judex aperte jus denegat [n]: 4. ſi probatio deficit [o]. *In tantum*, ſeu momentanee ceſſat, ſi exſpectari judex non poteſt ſine certo periculo, aut damno. [p]

n. 2. Neceſſaria hæc defenſio locum habet, *I.* ſi corpus impetitur in præſenti [q], etſi vis illa citra dolum, vel culpam inferatur, aut perſona aggreſſoris multis ſit utilis [r], aut aggreſſus fugere poſſit. [s]

Non ergo neceſſaria eſt defenſio, 1. ſi periculum non eſt præſens, ſed remotum, & nondum in aliquem actum externum deductum [t]; adeoque 2. ſolus metus futuræ injuriæ nullum jus dat [u]; ſed nec 3. locus eſt neceſſariæ defenſioni, ſi interpoſiti innocentes fugam impediunt: hos enim ideo occidere non licet. [x]

n. 3. *II.* Si periculum eſt mutilationis membri [y]; vel *III.* violationis pudicitiæ [z]: *IV.* ſi periculum imminet accipiendæ alapæ, aut mali ſimilis [a]: *V.* ſi de defenſione rerum noſtrarum agitur [b], etiam ſi ſit res minima [c]: *VI.* ſi lege publica ob defectum probationis duellum permittitur. [d]

n. 4. Jus neceſſariæ defenſionis obtinet contra omnes [e], excepto Principe. [f]

n. 5. Jure Romano, & moribus, hæc licentia merito reſtricta eſt, inprimis quoties de vita hominis agitur. Si proinde fugere aggreſſus tuto poteſt, ſi alio modo alicui jus ſalvum eſſe potuiſſet, propter exceſſum moderaminis inculpatæ tutelæ extra ordinem pœna infligi ſolet. [g]

§. DCCXIX. Bellum publicum eſt, quod auctoritate publica inter duas ſummas poteſtates geritur; de cujus juſtitia Sectione ſequenti agetur.

Dividitur 1. in *offenſivum*, quando is,

(*h*) Grot. diſſent. L. 2, c. 1, §. 6. (*i*) Vid. Diſſ. procem. XII. §. 609, ſeq. (*k*) Grot. L. 1, c. 3, §. 3, L. 2, c. 7, §. 2, n. 2. (*l*) d. c. 3, §. 2, L. 2, c. 7, §. 2, n. 2. (*m*) L. 1, d. c. 3, §. 2, (*n*) d. c. 3, §. 2. n. 1. (*o*) Grot. L. 2, c. 7, §. 2, n. 2. (*p*) Grot. L. 1, c. 3, §. 2, & §. 16, L. 2, c. 7, §. 2, n. 2. (*q*) Grot. L. 2, c. 1, §. 3. (*r*) d. c. 1, §. 8. (*s*) d. c. 1, §. 10, n. 3. (*t*) d. c. 1, §. 5. (*u*) Grot. L. 2, c. 5, n. 1, & 2. L. 2, c. 12, §. 5, n. 1, L. 2, c. 2, §. 13, n. 4, L. 2, c. 1, §. 17. L. 3, c. 20, §. 40, n. 3. L. 2, c. 20, §. 11, n. 5. (*x*) Grot. L. 2, c. 1, §. 4. (*y*) d. c. 1, §. 6. (*z*) d. c. 1, §. 10. (*a*) Ibid. (*b*) Grot. L. 2, c. 7, §. 2, n. 2, L. 2, c. 1, §. 1. (*c*) d. c. 1, §. 11. & 12. (*d*) Grot. L. 2, c. 7, §. 2, n. 2. add. L. 2, c. 1, §. 14, & 15. (*e*) Grot. L. 1, c. 3, §. 3. L. 2, c. 1, §. 8. (*f*) Diſſent. Grot. L. 1, c. 4, §. 2, L. 2, c. 1, §. 8, & 9. ubi id demum juri Gentium, & charitatis regulis tribuit. (*g*) Carpzov. Prax. crim. part. I. qu. 28, & 29.

Digitized by Google

is, qui læſus eſt, bellum lædenti infert; & *defenſivum*, quando is, qui læſus eſt, vim vi repellit: 2. in *rei perſecutorium*, & *pœnale*; *illud* eſt, quando perſequimur id, quod ex patrimonio populi abeſt [h]; *hoc*, quando pœnam perſequimur, i. e. quando reus, qui plus ſuo non habet, adeoque ex delicto ſuo locupletior factus non eſt, aliquid præſtare tenetur. [i]

Quidam negant, dari bella punitiva, quia exiſtimant, pœnam ſupponere ſuperiorem: at verius eſt, pœnam inter duas ſummas poteſtates etiam a pari infligi poſſe. Diximus enim, *pœnam* eſſe quoties reus nihil de ſuo debet: ſi proinde Princeps injuriam ſibi illatam, unde lædens non eſt factus locupletior, vindicat, adeoque tantundem mali lædenti infert, hæc vera *pœna* eſt; & bellum, quod ideo geritur, recte *punitivum* dicitur.

Grotius ait, bella punitiva non ſaltem geri poſſe propter injurias nobis, ſed &ob injurias aliis illatas, ſi nimirum in jus naturæ, & gentium, aliquid committitur, etſi id nos in ſpecie non tangat [k]: uti ſi 1. in humanam ſocietatem peccatur, etiam per indirectum, v. g. per Sodomiam, autocheiriam [l]; 2. ſi quis parentibus reſiſtit; 3. ſi quidam ſunt, qui humana veſcuntur carne, qui piraticam exercent, vel alias in naturam delinquunt [m], &c. Atque ex hoc quoque capite 4. ait, bellum geri poſſe in Atheos, qui principia, & notiones religionis univerſales negant; nimirum, Deum eſſe, eumque curare negotia humana [n], &c: non vero ſi quis unitatem Dei, hiſtoriam de creatione mundi, aliaque, quæ ſola fide hiſtorica nituntur, in dubium vocat, nedum ſi de articulo fidei dubitat [o]. In quibus omnibus multa notanda ſunt, quæ *Commentario* reſervamus.

Sectio I.

An Bella publica Jure naturæ licita ſint? Ubi de Requiſitis Belli publici agitur.

§. DCCXX. Bella *publica* licita, & juſta eſſe, ſi juris noſtri tuendi cauſa geruntur, extra omne dubium poſitum eſt.

Diximus enim in præcedentibus, cuique hominum naturali ratione jura quædam quæſita, eique propria eſſe. Ex medii neceſſitate igitur ſequitur, Creatorem, qui jura illa cuique conceſſit, facultatem quoque conceſſiſſe jura illa tuendi, omniaque ea agendi, ſine quibus juribus illis uti non poſſumus.

Diximus porro, jus illud tuendi ſe, ſuaque jura, in primævo hominum ſtatu patribus familiarum competiiſſe, adeoque ſolos patres familias, non ſingula familiæ membra, jus belli habuiſſe.

Diximus, hæc ipſa familiarum capita coëundo in civitates, juri ſuo bellandi renuntiaſſe, omneque ſuum arbitrium judicio totius civitatis ſubjeciſſe: adeoque inſtitutis civitatibus ſoli civitati jus belli competere; eamque ſolam jura tum civitatis, tum ſingulorum tueri & poſſe, & debere.

Dan-

(h) L. 35, pr. D. de oblig. & act. (i) L. 7. D. ſerv. exp. argum. d. L. 35. B. Par. Hyp. Inſt. tit. de act. §. 20, §. 18. Inſt. de act. (k) Grot. L. 2, c. 20, §. 40. (l) d. c. 20, §, 20, junct. §. 40, n. 1. (m) d. §. 40, n. 2, 3, 4. (n) d. c. 20, §. 44. ſeq. (o) d. c. 20, §. 47. ſeq.

Digitized by Google

Dantur ergo bella juſta; idque Grotius[p] ex veteri, & nova lege, ex conſenſu primæ eccleſiæ, & exemplis gentium probat, ubi ſimul dubia, quæ ab Anabaptiſtis moveri ſolent, reſolvit.

§. DCCXXI. Ut autem bellum publicum, & juſtum ſit, requiritur, *I. ut a ſumma utrinque poteſtate geratur.* Non ergo publicum bellum eſt, 1. quod a Principe, vel magiſtratu inferiore, in ſubditos rebelles; nec 2. quod ab inferiori magiſtratu, abſque mandato, contra extraneos geritur; neque 3. quod ſumma poteſtas contra piratas gerit.[q]

Quæ autem ſit ſumma poteſtas, late examinavimus libro præcedenti §. 619.

II. Ut juſta adſit belli cauſſa. Cum enim bellum ſit medium ad reparationem juris noſtri neceſſarium, & ex eo ſolo capite licitum; ſponte ſequitur, in bello juſto ſupponi, *jus noſtrum læſum eſſe*: alias enim fruſtra de reparatione quæritur.

Cum autem in genere *jus noſtrum* eſſe dicatur, quod vel *ex ſtatu hominum*, vel *in res*, vel *ex obligatione perſonæ* competit; facile apparet, toties eſſe *juſtam belli cauſam*, quoties jus ex his cauſis nobis quæſitum ab aliis læditur, & de ejus reparatione armis agitur.

Atque hæ cauſæ *juſtificæ* vocantur, ac bene diſtinguendæ ſunt a cauſis *ſuaſoriis*, quæ movere ad bellum ſolent; at juſtum bellum non efficiunt.

Si proinde *jus noſtrum* læſum non eſt, adeoque juſta belli cauſa deficit, bellum dicitur injuſtum, & latrocinium; cujus vindictam Deus tanquam bellorum arbiter, olim a nobis ſumturus eſt: etſi inter homines, qui de juſtitia cauſæ non judicant, judicem non habeamus.

§. DCCXXII. Juſtæ cauſæ belli non ſunt 1. metus vicinæ potentiæ[r]: 2. ſola utilitas[s]: 3. negatio matrimonii[t], niſi injuria conjuncta ſit: 4. neceſſitas mutandi ſedem[u]: 5. ſtupiditas[x]: 6. inventio incognitarum terrarum, & populorum aut impiorum, aut hebetioris ingenii[y]: 7. imperium orbis, quod Imperatori tribui ſolet[z]: 8. donatio Papæ, & Eccleſiæ Romanæ[a]: 9. vaticinia[b]: 10. imperfectiones gentium, v. g. avaritia, arrogantia, &c: 11. delicta in naturam humanam[c], vel 12. in humanam ſocietatem commiſſa[d] (quia ſocietas humana non exiſtit[e]): 13. neceſſitas[f]: 14. delicta in Deum commiſſa, ut irreverentia erga Deum, blaſphemia, atheiſmus[g], nedum hæreſis[h]: 15. violatio juris gentium voluntarii[i] (quale non datur[k]): 16. ſolus conatus lædendi, niſi in actum deductus ſit[l]: 17. ſi ſubditi vicini injuſſu Principis injuriam faciunt; in hos

(p) L. 2, c. 2, per tot. (q) Vid. Diſſert. procem. IX. §. 166. (r) Grot. L. 2, c. 22, §. 5. (s) d. c. 22, §. 6. (t) d. c. 22, §. 7. (u) Ibid. §. 8. (x) Ibid. §. 12. (y) d. c. 22, §. 9, & 10. (z) Ibid. §. 13. (a) Ibid. §. 14. (b) Ibid. §. 15. (c) Diſſent. Grot. L. 2, c. 20, §. 48. ſeq. (d) Diſſent. Grot. L. 2, c. 20, §. 3, §. 20, c. 21, §. 3, (e) Vid. Diſſert. procem. I. §. 18. ſeq. (f) Vid. ſupra §. 317. (g) Diſſent. Grot. L. 2, c. 20, §. 48 ſeq. (h) Vid. ſupra §. 514, & 550. (i) Diſſent. Grot. L. 3, c. 19, §. 11, & 12, L. 3, c. 6, §. 2, §. 7, n. 1, c. 7, §. 6, n. 1, 2. & §. 7. L. 3, c. 10, §. 1, (k) Vid. diſſert. procem. IV. §. 21, & Diſſert. IX. §. 66. (l) Grot. L. 2, c. 20, §. 39.

Digitized by Google

hos enim prædones ſolum jus neceſſariæ defenſionis locum habet: ſi cogniti ſunt, dedi debent. [m]

§ DCCXXIII. Quid ſi is, qui bellum gerit, cauſam dubiam credit? Reſp. tunc cauſa belli juſta non eſt, quia aſſerere non poteſt, jus ipſius læſum eſſe, neque de eo conſtat. Hinc merito Grotius ait, a tali bello abſtinendum eſſe, & ſuadet, ut vel arbitrio tertii, vel ſorti res committatur. [n]

Non autem ſufficit, ut bellum juſtum ſit, ſi quis perſuaſum ſibi habet, ſe jure agere; quia peritiores, & prudentiores conſulere debet. [o]

§. DCCXXIV. Hinc jam ſequitur, jure naturæ bellum utrinque juſtum non dari; alter enim neceſſario jure agit, alter injuria: idque verum eſt etiam quoad belli proceſſum.

At, ais, interim, & dum de jure controvertitur, utrumque omnia facere poſſe, quæ ad eruendam veritatem pertinent, adeoque utrumque jure agere? Reſp. inde non ſequitur, utrumque jure agere. Cum enim inter homines nemini judicium in bellum gerentes competat, adeoque durante bello de juſtitia cauſæ conſtare ex rei natura non poſſit, reſpectu hominum, & in foro ſoli, plane nulla quæſtio eſſe poteſt, quis jure agat, quis injuria: at in foro poli is, qui ſciens, cauſam eſſe vel injuſtam, vel dubiam, bellum movet, quidquid agit, injuria agit, adeo ut proceſſus quoque vitioſus ſit; & Deus, qui arbiter eſt bellorum, regulariter, & vi ſuæ perfectionis, non poteſt non victoriam decernere ei, qui juſtam defendit cauſam.

Idem ergo hic obtinet, quod in privatorum proceſſu contingit; durante enim lite non conſtat, quis jure, quis injuria agit: adeoque ſuſpenditur judicium de jure, & injuria agentium, donec cauſa per ſententiam judicis decidatur. [p]

Inſtas, ſi Deus eſt bellorum arbiter, ſi juſtitia bellorum ab eventu dependet, neceſſario ex perfectione divina ſequeretur, victoriam ſequi debere eum, qui juſtam cauſam fovet; quod tamen ſæpiſſime fallere, exempla docent: victoria igitur non ſemper eſt indicium juſtæ cauſæ. Reſp. 1. Regulariter eſt indicium juſtæ cauſæ [q]: at aliquando Deus jure dominii, quod ei in homines, eorumque bona, & jura competit, vel in pœnam, vel ex alia juſta cauſa, victoriam ei quoque eripit, cujus cauſa juſta eſt [r]. Hoc caſu verum eſt, victoriam non eſſe juſtæ cauſæ indicium; interim victo non fit injuria: Deus enim victoris, utut injuſti, ope utitur ad puniendum victum, qui etſi juſtam nunc habeat cauſam, ex alia forte cauſa reus eſt. At hic ipſe divinæ vindictæ miniſter injuriæ ſuæ pœnas non evitabit, ſed graviſſimas olim daturus eſt.

Sed & 2. ſæpius concurrit culpa ejus, cujus cauſa juſta eſt: forte quod non amore juſtitiæ, ſed ex animi rancore, & vindicta, jus ſuum perſequatur; quod debitam non adhibeat diligentiam; quod temere, & ob leviſſimam injuriam bellum ſuſcipiat; ſi propriis viribus nimis confidit, aut non ſub auſpiciis divinis bellum ſuſcipit. [s]

Reſp. 3. Bellum injuſtum aliquando fieri juſtum, v. g. ſi læſus ſatisfactionem,

(m) Grot. L. 2, c. 17, §. 20. (n) Grot. L. 2. c. 23. per tot. (o) d. c. 23, §. 2, 3, 4. (p) Vid. Differt. proœm. IX. §. 168. (q) B. Par. in Differt. de juſto præliorum exitu, quæ exſtat Vol. II, Differt. p. 789. uſque ad p. 818. (r) Vid. §. ſequ. (s) Dict. Diſſert. alleg. loc.

Digitized by Google

nem, quam lædens plenarie offert, acceptare nolit. [t]

Reſp. 4. In bello ipſo aliquando novæ ſubnaſcuntur belli cauſæ, quæ a parte ejus, qui hactenus jure egit, injuſtæ eſſe poſſunt: uti ſi jura, quæ inter hoſtes obtinent, lædit, & v. g. legatos ab altero miſſos violat. [u]

Egregia monita GROTII, ne bellum ſuſcipiatur, etiam ex juſta cauſa, & ut læſi præferant amicabilem compoſitionem, merito ſuo commendantur. [x]

§. DCCXXV. Notanter autem ad id, ut bellum *juſtum* dicatur, requiſivimus, ut *jus noſtrum* læſum ſit. Non ergo injuriam *alii* illatam vindicare noſtro jure poſſumus: fruſtra enim ageremus ad reparandam injuriam, quæ nobis illata non eſt.

Exc. 1. Si requirente eo, qui læſus eſt, cauſam ejus tamquam *ſocii* defendimus; ferre enim auxilium aliis, non tantum licitum, ſed & laudabile eſt: non enim ſuo jure tunc bellum gerunt ſocii, ſed jure alterius, cujus cauſæ accedunt tanquam inſtrumentum [y]. 2. Subditi injuriam Principi ſuo illatam non tantum defendere poſſunt, ſed & tenentur [z]: at hoc caſu non tam alienam, quam propriam injuriam vindicant. 3. Privati quoque extranei operam locare bellum gerentibus poſſunt; quo pertinent milites conductitii. [a]

§. DCCXXVI. Ad bellum juſtum *III.* requiritur, ut CLARIGATUM, vel INDICTUM ſit. Cum enim bellum juſtum non ſit, niſi quatenus ad reparationem juris noſtri eſt neceſſarium, non videri poteſt neceſſarium quamdiu reparatio non eſt petita. Præcedere igitur debet *clarigatio*.

§. DCCXXVII. *Clarigatio* eſt ſolennis, & publica rerum, aut cujusque juris clara voce facta repetitio [b]. Clarigatum autem quoque dicitur bellum quando *indictum* eſt: nam indictioni tacite ineſt conditio, niſi is, cui indicitur bellum reparare injuriam velit; quæ ipſa eſt clarigatio.

§. DCCXXVIII. Hinc apparet, quomodo differant *clarigatio* belli, & ejus *indictio*: per *clarigationem* enim jus noſtrum verbis repetimus; per *indictionem* autem inſinuamus bellum. Hinc etiam ritus, & formulæ clarigandi, & indicendi differunt [c]. Omni tamen *clarigationi* ineſt indictio eventualis, ſi ſcilicet clarigatus nolit reparare injuriam: uti e contrario omni *indictioni* ineſt conditio, niſi ſatisfecerit lædens.

§. DCCXXIX. *Clarigare*, & bellum indicere, poſſunt ſolæ ſummæ poteſtates, quarum jus læſum eſt. [d]

§. DCCXXX. *Clarigantur* non niſi ſummæ poteſtates, utpote cum quibus ſolis jus belli obtinet. Non ergo ſubditi rebelles, nec prædones [e], &c.

§. DCCXXXI. Non opus eſt, ut utrinque bellum indicatur [f]; ſed ſufficit ſi is, qui primus vim infert, illud declaret: alter enim, qui jure neceſſariæ defenſionis utitur, non opus habet indictione. [g]

§. DCCXXII. Bellum indictum Principi, eo ipſo ſubditis quoque indictum videtur, nec non ſociis [h]: adeoque devicto

(*t*) Grot. L. 3, c. 19, §. 17. (*u*) d. L. 3, c. 1, §. 3, L. 2, c. 1, §. 16. (*x*) L. 3, c. 24. per tot. (*y*) Vid. infr. §. 773. (*z*) Aliter Grot. L. 2, c. 25. §. 26. (*a*) Grot. L. 1, c. 5, §. 3. L. 3, c. 6, §. 9. L. 2, c. 25, §. fin. (*b*) Grot. L. 3, c. 3, §. 7, ibique Plin. L. 8. (*c*) Grot. L. 3, c. 3, §. 7, & 8. (*d*) Grot. d. c. 3, §. 1, & 2. (*e*) d. c. 3, §. 9, & 10. (*f*) d. c. 3, §. 6, n. 3, §. 7, n. 3. (*g*) d. c. 3, §. 6, n. 1. (*b*) d. c. 3, §. 9.

devicto principali non opus eſt nova indictione, ſi arma in ſocios moventur. [i]

§. DCCXXXIII. Sufficit ad indictionem ſi ad proximum præſidium factum eſt [k]. Si bellum non clarigatum, ſed indictum eſt, tempus aliquod exſpectari debet, intra quod ex natura negotii ſatisfactio offerri poteſt. [l]

§. DCCXXXIV. Ceſſat neceſſitas clarigandi, ſeu bellum indicendi, 1. in bello defenſivo: quia jure naturali vim vi repellere licet; ſed & fruſtra interrogaretur, num ſatisfacere velit qui actu vim mihi infert [m]: 2. Si reparatio petita, & negata eſt; hoc enim caſu quovis tempore jus noſtrum vindicare abſque indictione poſſumus: 3. ſi dominus rei ſuæ manum injicit, vel poſſeſſionem rei ſuæ recuperare vult [n]; is enim, qui rem meam vi occupat, eo ipſo declarat, ſe nolle eam reſtituere; ſed & evitare bellum poteſt rem cum omni cauſa reſtituendo: 4. ſi clarigatio tuto fieri non poteſt; uti ſi alter legatos admittere non ſolet: 5. ſi cum ſubditis rebellibus, vel cum prædonibus, armis diſceptatur: 6. jure talionis, ſi alter clarigare non ſolet.

SECTIO II.

Qui Bellum gerere poſſint, & in quos Bellum gerere liceat.

§. DCCXXXV. BELLUM gerunt illi, qui ſuperiorem non habent; adeoque *ſummæ poteſtates*, etiam infantes, furioſi, capti ab hoſte, inæquali fœdere alii populo juncti, Reges injuria ejecti: immo & uſurpatores, quamdiu poſſident imperium.

§. DCCXXXVI. Non ergo bellum gerere poſſunt 1. magiſtratus inferiores, niſi conſenſu ſummæ poteſtatis (ſufficit autem tacitus [o]): nec 2. ſinguli ſubditi [p]; niſi [*a*] bellum publice indictum, nec ſpeciali lege ſubditis arma in hoſtes gerere prohibitum ſit; aut [*b*] jure neceſſariæ defenſionis vim vi repellant [q]: nec 3. prædones, &c: nec 4. ſubditi rebelles.

§. DCCXXXVII. Aſſiſtere alii, & operam læſo locare licet, non habita religionis ratione; adeoque etiam atheo, hæretico, apoſtatæ, regi ejecto, uſurpatori, ſi jus civitatis ſuæ defendit, &c.

n. 1. An vero civitas media utrique partium permittere conſcriptionem militis in ſuo territorio poſſit? Affirmatur: milites enim illi jam deſinunt eſſe ſubditi, & fiunt ſubditi eorum, qui bellum gerunt.

n. 2. An civitas utrique litigantium integras cohortes pro pecunia concedere poſſit? Negatur: quia unus litigantium neceſſario injuria agit; injuriam autem civitas ſciens defendere nequit: præprimis cum hoc facto civi in concivem graſſandi licentia detur a ſuperiore.

§. DCCXXXVIII. Hinc inferri non poteſt bellum [a] *inferioribus magiſtratibus*: neque [b] *ſubditis alienis*; ſed ſi injuriam fecere, reparatio ab eorum magiſtratu poſtulari debet: nedum [c] *ſubditis propriis*; hi enim jure imperii coërceri debent: nec [d] *prædonibus* etſi præpotentibus; in hos enim arma non jure belli, ſed jure neceſſariæ defenſionis adhibentur. Denique [e] pœna ab eis ſumi nequit, qui injuriam committere nequeunt, ut reges infantes

(*i*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 3, §. 10. (*k*) d. c. 3, §. 7, n. 2. (*l*) d. c. 3, §. 13. (*m*) Grot. d. c. 3, §. 6, n. 1. Etſi jure Gentium in bello ſolenni aliud obtinere, putet §. 12. (*n*) d. c. 3, §. 6, n. 1. in fin. (*o*) Grot. L. 3, c. 18, §. 2. (*p*) L. 2, c. 17, §. 20, n. 1. L. 3, c. 18, §. 1. (*q*) L. 3, c. 18, §. 5.

Digitized by Google

tes, furioſi, &c. Si tamen locupletiores facti ſunt, id bello repeti poteſt.

Sectio III.

Quid liceat in Hoſtem?

§. DCCXXXIX. Præmittendum hic eſt, hoſtem ex judicio civitatis noſtræ cauſam bello dediſſe, eoque omnia injuria agere [r]. Si proinde hoſtis vim nobis infert, ſi cives noſtros occidit, ſanguinemque ſubditorum noſtrorum effundit, ſi res noſtras, liberos, uxores, &c. ſervituti ſubjicit, urbes, pagos, &c. deſtruit, totidem hæc crimina ſunt morte digna, quavisque pœna.

§. DCCXL. His ita ſuppoſitis certum, & naturali rationi conveniens eſt, in talem hoſtem omnia ſtatui poſſe, quæ ad reparationem injuriæ ſunt neceſſaria. Cum enim ſummum Numen cuique hominum jura quædam propria eſſe voluerit, ſimul eis conceſſit facultatem jura illa tuendi contra quoscumque, adeoque non tantum reſtitutionem damni, ſed & talionem, ſeu pœnam ob injuriam illatam exigendi.

§. DCCXLI. Si proinde hoſtis captus, & victus in noſtra conſtituitur poteſtate, omnia in hunc licent, quæ in hoſtem. Cum enim capti, ex quo in poteſtatem noſtram pervenerunt, cum effectu judicio civitatis noſtræ ſubjiciantur, nihil obſtat, quo minus in hos reos animadvertere, & talionem ipſis infligere, i. e. capite eos plectere, vel bonis eos privare, ac res eorum deſtruere in pœnam liceat. Sane, cum privatus etiam ex crimine teneatur, ſi conſilium dedit; multo magis tenentur ſubditi hoſtis, qui factum civitatis operis, & opibus defendunt.

Ex iis, quæ Grotius ſupra *l. 2. c. 17.* late tractavit, in aprico eſt, eum, qui opem fert delinquenti, qui conſilium ei dat, qui probat factum illicitum, &c. cauſam eſſe damni, eoque ad reparationem teneri. Idque jure Romano quoque ſtatutum eſſe, probavimus *ibidem*.

Atque hoc principio nititur omne jus, quod in captos competit. Grotius ait, *hoſtes acie victos reos fieri* [s]; & alibi, *victoriam victum nocentem facere* [t], *ac hoſtem mori meruiſſe* [u]. Apud Romanos duces hoſtium capti in eo loco necabantur, ubi mos erat ſupplicium ſumere de damnatis ob noxas capitales [x]. Germanos ſervos ſuos occidere ſolere *ut inimicos*, ait Tacitus [y]. Jus victoris explicat Cæſar Octavius, L. Antonium, qui ſe deditum venerat, alloquens: *ſi ad fœdera paciſcenda veniſſes, ſenſiſſes me & victorem, & injuria affectum: nunc cum te, & amicos, & exercitum arbitrio noſtro ſubmittis, demis mihi iram, demis & eam poteſtatem, quam in fœdere coactus eſſes concedere. Nam cum eo, quod vos dignum eſt pati, ſimul jam & alterum ſpectandum eſt, quid me facere par ſit; atque hoc præferam.* [z]

§. DCCXLII. His principiis poſitis Primo dicimus, hoſtem reparationi juris noſtri reſiſtentem *interfici* jure poſſe: adeoque non tantum *interfici* poteſt 1°. Princeps hoſtis, qui injuriam intulit [a]; ſed & 2°. ſubditi, ſive maſculi,

(r) L. 19, pr. D. de captiv. & poſtlim. (s) L. 1, c. 2, §. 7, n. 13. (t) L. 2, c. 22, §. 3, n. 2. (u) L. 3, c. 4, §. 15, n. 1. (x) Grot. L. 3. c. 11, §. 7, n. 2. (y) de morib. Germ.

(z) apud. Appianum, quem allegat Grot. l. 3, c. 20, §. 50, n. 1. (a) Cujus rei exempla vide apud Grot. L. 3, c. 11. §. 7, n. 2, & 3. ibique not.

Digitized by Google

ſculi, ſive feminæ, ſive ſenes, ſive juvenes, ſive militent actu, ſive aratores, & mercatores ſint [b]: quia non tantum ſequuntur, ac ſequi tenentur civitatis judicium, eoque injuriam probant, ac conſequenter ejusdem criminis rei ſunt; ſed & ſuis conſiliis, opibus, & operis injuriam illam defendunt, ac reparationi juris noſtri reſiſtunt, eamque impediunt.

n. 1. Quæritur, 3°. *an infantes quoque occidi poſſint?* Videtur affirmandum, quia ſunt pars civitatis, quæ injuriam fecit, & quæ rea eſt criminis. Accedit, quod pœna ſit intuitu parentum, calamitas autem in liberis. Atque hæc licentia jure Gentium probari videtur; cujus rei exempla referuntur a GROTIO [c]. At verius eſt, infantes bello captos occidi non poſſe. Nam 1. injuriam ipſi nec actu committunt, nec committere poſſunt, ob defectum judicii, & malitiæ. Multo minus 2. de iis aſſeri poteſt, quod factum civitatis probent, ac defendant; non enim probare poſſunt quod ignorant, & non intelligunt [d]. Unde 3. pugnat cum æquitate naturali, liberos injuriam parentum, vel civitatis, ſanguine ſuo luere teneri [e]. Idque exemplis, & auctoritatibus Gentium probat GROTIUS. [f]

Inſto: hac ratione infantes quoque nec capi, nec in ſervitutem redigi poſſe, quia id quoque pœnæ loco eſt; quæ in infantes natura ſtatui non poteſt. Reſp. Naturale eſt ut liberi ſequantur conditionem parentum; omnia enim jura ſua a patre habent. [g]

n. 2. 4°. Occidi quoque poſſunt illi, qui hoſti noſtræ civitatis aſſiſtunt, ejusque *ſocii* ſunt [h]; ſed & 5°. *medii*, qui hoſti noſtro, in extremis conſtituto, prætextu commerciorum aſſiſtunt, eoque reparationem injuriæ impediunt [i]; 6°. bello capti [k]; 7°. ſupplices [l], & deditì [m]; 8°. obſides, ſi fides data violatur [n]: non vero 9. extranei in hoſtili territorio commorantes [o]; niſi indirecte, & extra agentis propoſitum. [p]

n. 3. Hoc jus interficiendi non tantum intra modum damni dati, & pœnæ, obtinet, uti GROTIUS [q] ſtatuit, ſed in infinitum; cædes enim, & rapinæ ab hoſte commiſſæ, nec ſanguine, nec bonis hoſtium, expiari ſatis poſſunt. Non ergo fundatur hoc jus in jure talionis, aut, in pertinacia reſiſtendi [r]; nec ſaltem impunitas inde oritur, ſed verum jus. [s]

n. 4. Interfici autem hoſtis poteſt non tantum in ſuo territorio, ſed & in noſtro; nec non in ſolo ſocii [t]: non vero in loco medio. [u]

n. 5. Et cum omnia liceant in bello, quæ ad reparationem juris noſtri faciunt, etiam *veneno* hoſtem interficere licet, nec non veneno ſpicula inficere [x], ac *percuſſores* mittere [y]. Non vero aquas veneno corrumpere [z], (aliud dicendum ſi citra venenum corrumpun-

(*b*) Grot. L. 3, c. 4, §. 9. (*c*) L. 2, c. 4, §. 9. (*d*) Grot. L. 2, c. 11, §. 7, ibique not. (*e*) d. §. 7. L. 2, c. 21, §. 13, & 17. (*f*) L. 3, c. 11, §. 9. (g) Vid. infra. (*h*) Vid. Grot. L. 1, c. 5, §. 2. L. 2, c. 25, §. 4. (*i*) L. 3, c. 1, §. 5. (*k*) L. 3, c. 4, §. 10. (*l*) d. c. 4, §. 11, & §. 13. (*m*) d. c. 4. §. 12, & §. 13. (*n*) d. c. 4, §. 14. (*o*) d. c. 4, §. 7. (*p*) d. c. 4, §. 8. (*q*) Vid. Diſſert. procem. IX. §. 62. (*r*) Vid. Grot. L. 3, c. 4, §. 13. (*s*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 4, §. 5. (*t*) d. c. 4, §. 8. c. 6, §. 26, n. 2. (*u*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 4, §. 8. c. 6, §. 26, n. 2. (*x*) Grot. L. 3, c. 4, §. 15, & 16. ubi id jure Gentium, metu talionis, demum mutatum eſſe, ait (*y*) Grot. L. 3, c. 4, §. 18. Jure gentium vero id prohibitum eſſe, ait, ne pericula regum nimis augeantur. (*z*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 4, §. 16.

puntur [a]) nec captas *ſtuprare* [b], quia actui huic naturalis turpitudo ineſt.

§. DCCXLIII.. *n.* 1. SECUNDO res hoſtiles *capere* jure naturæ poſſumus, easque dominii jure nobis adquirimus [c] in infinitum, & ultra modum debiti, ac pœnæ [d]. Idque conſenſu Gentium probat GROTIUS. [e]

n. 2. Ratio naturalis hæc eſt, quia 1. reparatio aliter mihi fieri non poteſt, niſi media, quæ neganti reparationem inſerviunt, ei auferam. Sed & 2. dictum alibi eſt, hoſtem ex judicio noſtræ civitatis injuria agere, indeque mortem mereri: quem autem vita privare poſſumus, ei multo magis bona auferre licet [f]. Si ergo hoſtis, vel ejus res in poteſtatem noſtram veniunt, judicium noſtrum cum effectu valere incipit, adeoque res illius nobis jure belli cedunt.

Capere autem *in infinitum* licere, diximus, *tum* quia impoſſibile eſt ut juſta proportio inter damnum datum, impenſas, & id, quod intereſt, ac inter capionem rerum hoſtilium obſervari poſſit; *tum* quia ſinguli mori meruere: multo magis igitur bona, & jura eis auferri poſſunt.

n. 3. Capi res hoſtilis poteſt non tantum in territorio hoſtili, ſed etiam in territorio ſociorum, & ſi res in noſtro inveniatur. Non vero capi poteſt res in territorio medii, ſeu pacati [g]: ibi enim inſpicitur ſtatus, quo res fuit, ubi pervenit ad territorium pacatum; & in eo ſtatu defendi a magiſtratu loci, ac ſi lis ſuper talibus rebus oritur, ex jure gentium decidi debet. [h]

n. 4. Capere res hoſtis poſſunt omnes, qui bellum gerunt, vel ei aſſiſtunt; non ergo tantum Princeps, ſed & ſubditi, ſocii, milites, & alii, qui auctoritate eorum, qui bellum gerunt, capiunt: quo pertinent etiam *die Caapers.*

n. 5. Capi poſſunt res hoſtiles (*de perſonis vid. Tit. ſeq.*) mobiles, ſive immobiles; non res mediorum, quæ in terra, aut navi hoſtili inveniuntur [i]. Res autem mediorum dici non poſſunt res, quæ olim eorum fuerunt, & juſto bello eſſe deſierunt. [k]

Not. Si medius aliquis afferit, rem non hoſtilem, ſed ſuam eſſe, id probare tenetur. [l]

n. 6. Res capta cedit ei, cujus jure, ac nomine bellum geritur; adeoque populo [m]: non ergo capienti, nedum duci belli, niſi populo conſentiente [n]. Idque verum eſt, etſi 1. milites actu privato prædam agant [o]; 2. etſi ſuo ſumtu ſubditi, vel ſocii militent [p]; aut 3. res ſint minoris pretii. [q]

n. 7. Ut res hoſtilis acquiratur capienti requiritur, ut vere capta ſit: capta autem jure naturæ videtur [r], quando in noſtra poteſtate eſt: adeoque in rebus mobilibus ſi intra præſidia maritima, vel terreſtria deducta eſt [s]; in immobilibus, ſi territorium, vel ejus pars in cuſtodia noſtra conſtituitur: uti ſi arx, civitas, vel caſtellum

(*a*) d. c. 4, §. 17. (*b*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 4, §. 19. ubi jure Gentium Europæo id demum in vetitum iviſſe, ait. (*c*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 6, §. 2, & §. 8, &c. 13, per tot. (*d*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 6, §. 1, n. 2. (*e*) d. c. 6, §. 2. (*f*) Grot. L. 3, c. 19, § 3. (*g*) Grot. L. 3, c. 6, §. 26, n. 2. (*h*) d. §. 26. (*i*) d. c. 6, §. 5, & 6. (*k*) d. c 6, §. 7. (*l*) d. c. 6, §. 6. (*m*) d. c. 6, §. 9, & 10, §. 14, §. 21. (*n*) d. §.9. §. 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 24. (*o*) Diſſent Grot. L. 3, c. 6, §. 10. (*p*) §. 23, & 24. (*q*) d. §. 24, n. 7. (*r*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 6, §. 3, qui id juri gentium tribuit. (*s*) d. c. 6, §. 3.

Digitized by Google

lum occupatum eſt, quod ſecuritatem territorio occupato præbet; non ergo ſufficit, ſi exercitu inſeſſa ſit terra. [t]

§. DCCXLIV. Tertio, jure naturæ capere quoque licet perſonas hoſtiles; & ita capti fiunt ſervi [u]: cui enim vitam adimere, eum multo magis in ſervitutem redigere, i. e. dominio meo ſubjicere poſſum. [x]

Capi, eoque ſervi fieri, poſſunt omnes perſonæ hoſtiles, cujuscumque ætatis, & ſexus [y], etiam reges [z]. Capti autem acquiruntur populo. [a]

Effectus eſt, ut omnia in ſervum liceant [b]; adeo ut non tantum ad operas teneatur ſervus, uti Grotius putat, ſed jus vitæ, ac necis domino in eum competat [c]. Capta perſona etiam captæ cenſentur res, quas ſecum habet, & jura, quæ perſonæ cohærent. [d]

§. DCCXLV. Quæſtio admodum agitata eſt, an liberi ex ſervis nati ſervi ſint? Naturali jure id extra omne dubium eſſe, puto [e]: nam 1. ſupponimus, ancillam, ex qua partus naſcitur, in noſtro eſſe dominio, ita ut vita, res, jura, & actiones illius ancillæ in noſtra ſint poteſtate, atque arbitrio. 2. Supponimus, ſemen, quod in corpus ancillæ noſtræ immittitur, hoc ipſo fieri ventris, ſeu corporis, cui commiſſum eſt; adeoque partum naturali ratione veram partem, ac viſcerum eſſe portionem. [f]

Hinc jam 3. neceſſario ſequitur, illam partem ejusdem eſſe conditionis, cujus eſt totum; adeoque cum illud, ex quo partus naſcitur, totum ſit in dominio noſtro, non poſſumus non ex noſtra ancilla, cujus portio tum ſemen immiſſum, tum natus inde partus eſt, acquirere [g]. Neque 4. aliquid iniquitatis hic ſubeſſe, vel ex eo apparet, quod lege divina quoque permiſſum fuerit, ſervos deſumere ex ſervorum liberis [h]. Sane, ſervus Hebræus ſeptimo anno exibat gratis; ſed ſi peperit filios, & filias, mulier, & liberi ejus manebant in ejus dominio. [i]

Confirmantur hæc 5. conſenſu gentium. Martianus ait, jure gentium ſervos noſtros eſſe, qui ex ancillis noſtris naſcuntur [k]. Unde partum ex ancilla natum ad proprietarium ancillæ pertinere, dixit [l]. Servitio ſubjectum uterum, dixit Tacitus agens de Arminii ducis Germanorum uxore Segeſtis filia, quæ gravida in Romanorum poteſtatem venerat. [m]

Et cum 6. liberi ideo, quod conditionem parentum ſequantur, inſignia commoda habeant, ac in omnia parentum jura ſuccedant, adeoque jura, bona, dignitates, &c. eorum acquirant,

ex

(t) d. c 6, §. 4, §. 10, §. 11, § 12 (u) Grot. L. 3, c. 7, §. 1, n. 1, & 2, c. 14, per tot. (x) L. 2, c. 5, §. 27, n. 2. L. 3, c. 7, §. 1, n. 1. (y) L 3, c. 7, §. 1. (z) L. 3, c. 11, §. 7, n. 2. (a) d. c. §. 5, n. 4. (b) L. 3, c. 7, §. 3. (c) d. c. 7, §. 2. (d) d. c. 7, §. 3, & 4. (e) Quicquid diſſentiat Grot. L. 2, c. 5, §. 29. qui id juri gentium voluntario demum tribuit in bello ſolenni, L. 3, c. 7, §. 2, junct. §. 1, n. 2, & §. 3. (f) L. 1, §. 1. D. de ventr. inſpic. ibi: *partus antequam editur, mulieris portio eſt, vel viſcerum.* (g) B. Par. de jur ſemin. ſect. 1, §. 9, & §. 11. ubi id juri gentium tribuit. (h) *Servus, & Ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra: hos habebitis famulos, & hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum.* Levit. XXV. 44, ſeq. (i) Exod. XXI, 4. (k) L. 5, §. 1, D. de ſtat. hom. (l) §. 37. Inſt. de rer. diviſ. (m) Grot. L. 3, c. 7, §. 2.

Digitized by Google

ex eadem ratione quoque onera, quæ viſceribus illis cohærent, ferre tenentur. Idque 7. verum eſt, etſi pater liber ſit; non ob eam, quam GROTIUS [n] allegat, rationem, *quaſi ideo ex ancilla natus materna ſit conditionis, quia ſerviles concubitus nec lege, nec certa cuſtodia eſſent conſtricti, ita ut nulla ſufficiens præſumtio partum indicaret, &c*: ſed quia ſemen patris ſit portio corporis materni, adeoque conditionem ipſius matris ſequitur.

At 7. alia quæſtio eſt, *an jus vitæ, & necis, in liberos ſervorum dominis competat*. Equidem apud Romanos non diſtinguebatur inter ſervos bello captos, & ex captis natos: in utroſque ſævire pro lubitu licebat; & ratio videtur hæc fuiſſe, quod ſint pars univerſitatis, quæ peccavit, adeoque quod in eos ſæviatur non tamquam in infantes, ſed tamquam civitatis membra. Sed & porro allegari forte poſſet, natos eos eſſe ex eo, qui capitis reus eſt, adeoque ejuſdem eſſe conditionis, cujus eſt ipſe reus. Et licet ex ſervis nati numquam injuriam actu intulerint, videntur tamen ſequi judicium ſuæ civitatis, parentumque; eoque ipſo liberi quoque participes injuriæ eſſe videntur. At verius eſt, naturali rationi repugnare hanc licentiam. Nati ex ſervis numquam injuriam intulere domino, utpote cum tempore belli nondum nati fuerint; pœnæ autem univerſitatis ad vitam ſingulorum innocentium extendi non poſſunt. Sed nec liberos parentum delicta luere debere, alibi probavimus. [o]

§. DCCXLVI. Porro quæritur, *an fugere ſervus poſſit?* Affirmatur [p]: quia non niſi vi retinetur, ac ex ſuo, & civitatis ſuæ judicio injuria captus eſt; quod judicium effectum quoque juris habet, ſi ad ſuos revertitur jure poſtliminii [q]: quia autem judicio victoris jure in ſervitutem redactus aſſeritur, ideo jure dominii in eum animadvertere poteſt dominus, ſi recipitur. [r]

Alia quæſtio eſt, *an ſervus domino fugitivum perſequenti reſiſtere poſſit?* Negat GROTIUS [s]: nam ait, [a] jure gentium in bello publico ſolenni etiam ex injuſta cauſa jus aliquod externum in ſervum competere; [b] inane autem fore illud jus dato ſervo reſiſtendi facultate; [c] ſi ſervus domino reſiſtere poſſet, etiam ſubditum magiſtratui reſiſtere poſſe; quod tamen [d] neque licitum, neque pium eſſe, putat; indeque [e] concludit, ſervum ſalva conſcientia reſiſtere domino jus illud externum exercenti non poſſe. Equidem cum negemus, dari bellum ſolenne publicum, unde capienti jus aliquod externum competat, omnes inde formatæ concluſiones ceſſant. Nos fugere ſervum, & domino vindicanti reſiſtere poſſe, aſſerimus. Cum enim hic ſervus injuria ſe captum ex ſuo, & judicio ſuæ civitatis aſſerat, cum non niſi vi alterius imperio, adeoque invitus ſubſit, cum videat, vitam, & corpus a capientis arbitrio dependere; omnia ea licita ei erunt, quæ ad conſequendam libertatem, ex ejus judicio injuria ſibi ablatam, pertinent: atque hactenus ſuo jure utitur, & ſi ad priſtinos Lares revertitur, judicium ejus cum effectu obtinet. At cum capiens e contrario aſſerat, captum injuria vim ei, ejusque civitati intuliſſe, adeo-

(n) d. c. 7, §. 5, n. 2. (o) Conf. ſupra §. 551. (p) Grot. L. 3, c. 7, §. 6. (q) d. c. 7. §. 6.

(r) d. c. 7, §. 6. (s) d. c. 7. §. 7. & L. 2, c. 22, §. 11.

adeoque jure captum, ſimulque criminis reum eſſe; ideo ſervum fugientem perſequi, & in receptum jure ſuo vitæ, & necis uti poteſt. Semper autem ſupponimus juſtitiam cauſæ; nam qui ſcit injuria captum eſſe, aut ſaltem dubitat de cauſæ ſuæ juſtitia, nullum jus in captum ex juſtitia interna acquirit.

Hinc eſt, quod ſervi non niſi cruciatus metu a fuga deterreantur, quia ſciunt, nullum miſericordiæ locum eſſe.

§. DCCXLVII. Servitutes inter Chriſtianos abrogatæ ſunt; adeo ut nec res, quas ſecum habent capti, victori cedant [t], ſed ſolæ operæ debeantur. [u]

Hinc moribus hodiernis 1. capti jura ſua non recipiunt poſtliminio, ſed ipſo jure. 2. Lytron pro captis jure exigi poteſt; eaque redemtio laudabilis admodum eſt [x], jure Romano quoque probata [y]. 3. Lytron illud a civitate debet præſtari [z]. 4. Jus exigendi Lytron cedi etiam alii poteſt [a]. Sed & 5. idem Lytron pluribus deberi [b]; nec 6. Lytron promiſſum ob læſionem enormem reſcindi poteſt, etſi dolus interveniat [c]. 7. Pretium hoc conventum, & ante mortem non ſolutum, debetur ab hæredibus; modo captus libertatem actu obtinuerit. [d]

n. 1. Captus ſub fide dimiſſus fidem datam præſtare debet. Hinc 1. ſi dimiſſus quis eſt ea lege, ne contra dimittentem militet, id præſtare tenetur. Neque allegari poteſt, quod videatur diſponere de jure civitatis, cui renunciare nequit; nam ſine ea lege liber non eſſet, adeoque militare non poſſet. 2. Si pecuniam promiſſam domi accipere non poteſt, redire tenetur [e]. 3. Qui dimiſſus eſt ſub pacto ut faceret dimitti alterum, redire tenetur ſi alter non dimittitur. [f]

n. 2. Not. 1. Redemtus poteſt ex capite delicti, vel debiti, adeoque ex nova cauſa arreſtari. 2. Si captus certo tempore non redimitur, nec neceſſaria ei ſubminiſtrantur, poteſt ad caſtra hoſtis tranſire [g]. 3. Qui obſes datur, ut alterum captivum redimat, eo mortuo liberatur. [h]

§. DCCXLVIII. Non autem capti ſaltem ſervi fiunt, ſed etiam DEDITI, i. e. qui hoſti ſe dedunt, vel ei a civitate deduntur. Nam per hanc deditionem victi ſponte permittunt quod vis ereptura eſſet. [i]

n. 1. Dedere ſe poſſunt omnes, qui hoſtium nomine veniunt: adeoque 1. univerſa civitas, quæ bellum gerit: 2. pars illius civitatis: 3. ſinguli.

n. 2. PRIMO igitur tota civitas ſe alterius dominio ſubjicere poteſt. Formula hujusmodi deditionis exſtat apud LIVIUM [k], ubi Collatini populum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina, humanaque in populi Romani poteſtatem transferunt. Atque per hanc deditionem bellum finiri, infra §. 752. videbimus. Jura autem, quæ victores in talem populum conſequuntur, examinabimus infra.

n. 3. SECUNDO, pars quoque illius populi ſe dedere hoſti poteſt, ſi nec ſe ipſam defendere, neo auxilium a reliqua civitatis parte ſperare poteſt. Neque

(*t*) L. 3, c. 7, §. 28. (*u*) L. 3, c. 9, §. 10, n. 1. (*x*) L. 3, c. 21, §. 23, & 25. c. 14, §. fin. c. 7, §. 6, 8. (*y*) d. c. 21, §. 24. (*z*) Ibid. §. 30. (*a*) d. §. 25, c. 7, §. 9. c. 14, §. 9. c. 20, §. 23. (*b*) L. 3, c. 21, §. 26. (*c*) L. 3, c. 21, §. 27. (*d*) Ibid. §. 29. (*e*) Ibid. §. 30. ibique TESMAR. (*f*) d. c. 21, §. 30. (*g*) Ibid. & Burger. c. 1, obſ. 30, 31, 32, 33. (*h*) L. 3, c. 20, §. 56. (*i*) Grot. L. 3, c. 7, §. 4. c. 9, §. 4, n. 1. (*k*) L. 1, c. 27.

Neque ei objici poteſt, *membro jus non eſſe a ſocietate recedendi*; nam æque periturum eſſet: immo aliquando ſpes adhuc ſupereſt gratiæ obtinendæ, quæ penitus evaneſcit ſi pars illa populi pertinaciter reſiſtat. Hoc autem caſu bellum nondum finitum cenſetur.

n. 4. TERTIO, privati quoque in ultima neceſſitate conſtituti dedere ſe poſſunt hoſti, ſive milites ſint, ſive pagani: id enim unicum eſt medium conſervandæ vitæ. Neque civitatis intereſt, cum ſupponamus ita ſe dedentes æque perituros eſſe, & præterea ſpes ſit, deditos aliquando reverſuros eſſe.

n. 5. Quæri ſolet, *an victor teneatur recipere eos, qui deditionem offerunt?* Reſp. ſi deditio offertur non conditionata, dubium non eſt, quin victor eos recipere teneatur; jus enim vitæ, & necis, in tales deditos ſalvum manet victori. At ſi conditiones ſibi ſtipulari volunt deditionem offerentes, v. g. *vitam ſalvam fore*, *&c.* negamus, victorem has conditiones acceptare teneri [l]. Cum enim victor afferat, hoſtem, ad incitas nunc redactum, injuria egiſſe, adeoque criminis reum, eoque ſupplicio dignum eſſe; facile apparet, hos reos pœnæ debitæ ſeſe eximere non poſſe.

Romani nullam deditionem conditionatam admiſerunt poſtquam aries murum percuſſit [m]. Et inter Chriſtianos quoque aliquando deditio conditionata rejici ſolet; quando, nimirum, obſeſſi aſcenſis jam muris deditionem offerunt: generoſi tamen animi indicium eſſe, deditos recipere, GROTIUS ait [n]; indeque clementiam adverſus eos admodum commendat. [o]

n. 6. Hujusmodi dediti non ſaltem in fidem, ſed & in ſervitutem recepti videntur; quod exemplo Judæorum probatur. [p]

n. 7. Quæritur, *an ſubditi etiam inviti dedi poſſint hoſti?* Reſp. regulariter id fieri non poſſe, quia civitas defendere membra ſuæ civitatis tenetur, non autem perdere. Exc. 1. ſi civitas aliter ſalva eſſe non poſſit, niſi deditione quorumdam civium, quos hoſtis poſtulat [q]: 2. ſi is, cujus deditio petitur, crimen in hoſtem commiſit; uti ſi legatos ejus pulſavit [r], vel injuſſu civitatis bellum geſſit. [s]

n. 8. Inſignis quoque exceptio eſt, 3. ſi cives noſtri in poteſtate hoſtium conſtituti quædam promiſerunt, quæ ad rempublicam pertinent, & ea lege dimiſſi ſunt ut ratihabitionem civitatis procurent, (quod in ſponſionibus ſæpius contigiſſe, alibi vidimus): ratihabitione denegata dedi ſponſores hoſti debent. Sane, in bello Romanorum cum Samnitibus geſto Poſthumius dux belli, omnesque Quæſtores, ac Tribuni militum, nudi, & vincti, adeoque tamquam ſervi, dediti ſunt. [t]

Not. Si hoſtis non recipit deditos (uti nec M. Clodius a Corſis [u], nec Hoſtilius Mancinus a Numantinis [x], nec Poſthumius a Samnitibus [y], recepti fuere), quæſitum inter JCtos Romanos fuit, *an deſinant eſſe cives?* *Alii* affirmarunt, quia civitas eum, quem ſemel dedi juſſit, civitate pepuliſſe videtur, ſicut faceret cum aqua, & igne interdiceret [z]. Atque eam ſenten-

(*l*) Grot. L. 3, c. 4, §. 11. (*m*) Grot. L. 3, c. 11, §. 14, n. 2. (*n*) d. §. 14. (*o*) L. 3, c. 20, §. 50, n. 5. (*p*) Grot. L. 2, c. 13, §. 4, n. 3. (*q*) Grot. L. 2, c. 25, §. 3. (*r*) L. 17, de Legat. (*s*) Grot. L. 1, c. 3, §. 5, n. 4. ſeq. (*t*) Liv. L. 9. c. 10. (*u*) Valer. Max. L. 6, c. 3, n. 6. (*x*) L. 17, in fin. D. de legat. (*y*) Liv. L. 9, c. 5. (*z*) d. L. 17, in fin. de legat.

tentiam defendit M. Scævola [a]. Rectius *alii* negant; quia deditio eſt actus inter duos, adeoque non eſt perfectus niſi accedat acceptatio hoſtis. Ea deficiente non poteſt allegari, eum unquam in poteſtate hoſtis fuiſſe; adeoque ſervus non fuit: eamque ſententiam defendit CICERO [b]. Sane, pro Hoſtilio Mancino decretum legimus, ut eſſet civis, quia Præturam poſtea geſſit [c]. Accedit, quod deditus non in ſuam civitatem peccaverit, ſed in hoſtem: ſi proinde hic juri ſuo renunciat non acceptando deditum, ei jura civitatis, in quam non peccavit, integra manent.

n. 9. Quæ hactenus dicta ſunt, ad eos pertinent, qui ſine conditione ſeſe dederunt: ſi ſub conditione hoſtis ſe dedit, illa ſervari debet. [d]

§. DCCXLIX. *Quarto vaſtari* quoque res hoſtiles jure naturæ poſſunt: quem enim occidere jure licet, ejus res capere, & devaſtare permiſſum erit; idque in infinitum. [e]

Neque præciſe opus eſt, ut illæ devaſtationes minuant hoſtium vires, vel alio modo ad reparationem juris noſtri faciant [f]; cum enim hoſtis noſtro judicio pro criminis reo habeatur, in pœnam omnia jura ei auferri poſſunt, adeoque & vita, & bona, & quidquid ejus inſervit voluptati.

Excipe, ſi devaſtatio illa impietatem in Deum inferret: uti ſi hoſtis res Deo conſecratas, & quæ hoſti quoque ſacræ ſunt, vaſtet. [g]

Hinc ergo apparet, ſegetes, arbores fructiferas æque, ac voluptatis cauſa poſitas, fodinas metallorum, prætoria, &c. igne conſumi abſque injuria poſſe. [h]

Equidem generoſi animi eſt, nihil odio in hoſtem agere, adeoque ea tantum adhibere contra hoſtem media, quæ ad juris noſtri reparationem tendunt [i], i. e. quæ hoſtium vires minuunt: idque Chriſtianos præcipue decet. Quod inprimis ex rationibus politicis tum fieri intereſt, ſi victor territorium ſibi vult ſervare [k]: atque hæc ratio eſt, cur Deus animalia ruri inſervientia, & arbores fructiferas vaſtari vetuerit.

Inter Chriſtianas gentes milites, qui privata auctoritate devaſtant, *Marodiers* vocantur, & abſque forma proceſſus ſuſpendi ſolent: idque apud Romanos quoque obtinuit. [l]

§. DCCL. QUINTO quæritur; an mendacio in hoſtem uti licet? GROTIUS [m] etſi in genere affirmet, mendacium illicitum eſſe, in hoſtem tamen eo uti licere concedit: niſi 1. juramentum mendacio accedat [n], vel 2. aliquid promiſſum ſit [o]. Nos in genere mendacium dicere licitum eſſe, alibi probavimus, modo jus alterius non lædatur: hoſti autem mentiri licet, etſi jus ejus lædatur, quia hoſti quocum-

(*a*) Grot. L. 2, c. 21, § 4, n. 7. Add. L. 4, de captiv. & poſtlim. rev. ibique Gothofred. (*b*) In orat. pro Cæc. in fin. (*c*) d. L. 17. Gell. L. 7, c. 8. (*d*) Grot. L. 2, c. 5, §. 31, c. 15. §. 7. L. 3, c. 20, §. 49, & 51. c. 22, §. 11. (*e*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 5, §. 1. & c. 12, per tot. ubi ait, jure vaſtare ſaltem licere intra modum debiti, & pœnæ: idque jure gentium voluntario demum mutatum eſſe in bello publico ſolenni. (*f*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 12, §. 4, 5. (*g*) L. 3, c. 5, § 2, n. 4. (*h*) d. c. 12, §. 2. (*i*) L. 3, c. 12, §. 1, n. 2. (*k*) L. 3. c. 5, §. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. (*l*) L. 2, c. 20, §. 17, n. 2. (*m*) L. 3, c. 1, §. 6, ſeq. & §. 17. (*n*) d. L. §. 18, 19. (*o*) d. §. 18. & 19.

cumque modo noceri poteſt, adeoque etiam falſo ſermone utendo p; niſi ſimul fides ei data ſit.

Idem de dolo dicendum; dolo enim ex eadem ratione hoſtem vincere poſſum. q

---

SECTIO IV.

De Imperio jure Belli quæſito.

§. DCCLI. HACTENUS examinavimus, quid liceat in hoſtes ſingulos, & in res ſingulorum: ſupereſt ut videamus, quid juris ſit circa ipſum *Imperium*, ſi illud per ultimam victoriam, vel per deditionem, quæſitum eſt victori.

§. DCCLII. *Primo* igitur certum eſt, IMPERIUM quoque per ultimam victoriam, aut deditionem, adquiri populo victori: per eam enim omnia jura, publica, & privata in victorem tranſeunt. r

Equidem quidam exiſtimant, in regnis bello quæſitis victis tantum auferri jura publica, i. e. jus imperii; jura privatorum autem ſalva eſſe, quia hoſtes eſſe deſinant: indeque univerſum quidem ſervire, ſingulos vero liberos manere. *Vid. B. Par. Autonom. jur. gent. c.* 13. §. 5. & §. 8.

Magis autem nobis arridet ſententia Grotii, qui deſinere hoc caſu civitatem, ait, & populum victum nunc incipere magnam eſſe familiam. *L.* 3. *c.* 8. §. 2.

Sane, victorem pleniſſimum jus in vitam populi victi, ejusque bona, & jura acquirere, rationibus naturæ probavimus ſupra §. 739; adeoque a mero arbitrio victoris dependet, an tot criminum reos ultimo ſupplicio afficere velit. Arioviſtus ait, *ubi omnia ei, qui armis plus poteſt, dedita ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctare eos velit, ipſius jus, atque arbitrium eſt.* Apud *Cæſar. de bell. gall. L.* 1. *c.* 36.

Idque confirmatur moribus gentium. Polybius *in excerptis legat. c.* 142. de Romanis tradit. *Qui ſe dedunt in Romanorum arbitrium, dedunt primo regionem, quæ eorum fuit, & urbes in ea, cum his vero* VIROS, ET FOEMINAS *exiſtentes in regione, & urbibus* OMNES; *ſimiliter fluvios, portus, ſacra, monumenta in univerſum:* UT ROMANI OMNIUM ESSENT DOMINI; DEDENTES VERO SE NULLIUS AMPLIUS. Scipio Syphace victo, & capto, Maſiniſſæ nuptias cum Sophoniſba Syphacis uxore contractas exprobrat, addendo: *Syphax populi Romani auſpiciis victus, captusque eſt; itaque* IPSE, CONJUX, *regnum, ager, oppida*, HOMINES, QUI INCOLUNT, *quidquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani eſt. Liv. l.* 30. *c.* 14. Apud Senecam in Troadibus Pyrrhus ait: *Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.* Vid. *Grot. l.* 3. *c.* 10. §. 1. *n.* 2.

Xenophon *l.* 3. Cyropæd. ait: *Lex eſt inter homines perpetua, & juris gentium, quando urbs belligerantium capta fuerit, victoribus quævis, corpora quoque, & pecuniam in victorum poteſtatem concedere. Plato l.* 1. *Leg.*

Ariſtoteles *Polit.* 1. *c.* 4. pactum conventum quoddam eſſe, ait, in quod omnes conſentiunt, quod quæ bello ſuperantur, victorum poteſtati permittantur.

Menippus regis Antiochi ad Romanos legatus inter tria fœderis genera refert

(p) d. l. §. 17. (q) d. l. §. 20. (r) Grot. L. 3, c. 8, per tot.

ſert unum, quo bello victis dicerentur leges, quo in genere quid victum habere, quo mulctari illum velles, victoris eſſe arbitrium. *Liv. l.* 24. *c.* 57. *Diod. Sic. Exc. Leg. IV.*

JCti Romani jure gentium (quod cum jure humano originem cepit) captos Servos fieri, ajunt, *L.* 1. *per pract. l.* 7. *per A. R. D.* poſita autem ſervitute ponitur quoque jus vitæ, & necis. *Vid.* §. 2. *Inſt. His, qui ſui, &c.*

Alorcus Sagunti deditionem ſuaſurus, cum omnia ait, victoris ſint, hæc (ſcil. dedirionis conditiones) patienda cenſeo potius, quam trucidari corpora, rapi, ttahique ante ora veſtra conjuges, ac liberos, belli jure ſinatis. *Liv. l.* 21. *c.* 13.

In deditione populi Collatini victores percontabantur a victis, *Deditisne vos, populumque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina, humanaque omnia in meam, populique Romani ditionem?* Liv. l. 1. c. 37.

De Græcis idem tradit Thucydides *Lib. V. p. m.* 333. (*pag.* 405. *ed. H. Steph.* 1588.) *De hominibus ita naturæ neceſſitate comparatum, ut haud dubie quisque ſemper ei dominetur, quem ſuperaverit. Qam legem neque tulimus ipſi, neque novam primi omnium uſurpamus, ſed quæ jam recepta erat ſuſcipimus, uſurpamusque; relictuni etiam perpetuam futuram: ac pro comperto habentes, vos quoque, ac cæteros, ſi eadem, qua nos, facultate præditi eſſetis, idem eſſe facturos.*

Teleboes a Thebanis victi divina, humanaque omnia, urbem, & liberos, in arbitrium Thebanorum dedunt, apud *Plaut. Amphitr. N.* 102. *ſeq.*

Annibal in oratione ad milites, ſpem prædæ facturus, ait: *Quidquid Romani tot triumphis partum, congeſtumque poſſident, id omne* VESTRUM CUM IPSIS DOMINIS *futurum eſt.* Liv. *l.* 21. *c.* 43.

Cyrus in colloquio cum Armeniæ rege bello victo, *præclare eſſe*, ait, *ita pugnare, ne quis ſervus fiat; at ſi quis bello victus, vel alio quodam modo in ſervitutem redactus dominorum poteſtati ſe eximere moliatur, id injuria fieri:* certiſſimo indicio, populum bello victum in ſervitutem detrudi. *Xenoph. Cyrop.* 3. *p m.* 69.

Hinc varia exempla exſtant, ubi populi bello victi ſublata omni juris communitate perſonalem ſervitutem ſubierunt. *Grot. l.* 2. *c.* 9. §. 6. Ita enim Argivi vendiderunt Micenæos, *Pauſan.* 2. 113. & 17. 448. Philippus Olynthios, *Juſtin.* 8. 3. Alexander Thebanos, *Gell. N. A.* 10. 3. Lydis victis arma, & equi ademti, juſſique cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. *Juſt. l.* 1. *c.* 6. Conf. *Grot. l.* 2. *c.* 9. §. 6.

Atque tale imperium Grotius vocat herile, quo ipſo civitatem deſinere, ait, & magnam fieri familiam, *l.* 3. *c.* 8. §. 2.

Neque regeri poteſt, pauciſſimos cives illorum criminum reos eſſe; adeoque in ſenes, mercatores, ruſticos, aliosque, qui actu non militant, jus illud belli obtinere non videri. Nam omnia membra civitatis judicium univerſitatis ſequuntur, factum ejus approbant, vel approbare tenentur, ſed & opibus, vel conſilio ſaltem, injuriam illam defendunt, eoque omnino delinquunt. Conf. *l.* 19. §. *fin. Capt. & part.* Sane, inter privatos jure receptum eſt, ut is, qui opem fert delinquenti, qui conſilium ei dat, qui laudat, vel approbat factum illicitum, æque criminis reus ſit, quia cauſa eſt da-

mni,

Digitized by Google

mini, & injuriæ. *Vid l.* 2. *c.* 17. Multo magis igitur in cives civitatis hoſtilis, qui tot malorum cauſa ſunt, animadvertere licebit.

Cæterum, ab arbitrio victoris dependet, an regno victo autonomiam reſtituere, an illud in provinciæ formam redigere, an alienare, an alii in feudum dare velit. Prout enim victor de re ſua diſponit, ita jus eſt. *Grot. l.* 3. *c.* 8. §. 1. *n.* 3. & §. 2. *n.* 1. & *l.* 3. *c.* 15, *per tot.* Xenophon laudat Ageſilaum, qui quaſcunque civitates in ſuam redigebat poteſtatem, has immunes habebat ab his, quæ ſervi dominis præſtant, ea tantum imperabat, in quibus liberi homines rectoribus parent, *apud Grot. l.* 3. *c.* 8. §. 2.

Denique victor, qui imperium occupat, acquirit quoque 1°. acceſſiones, & quicquid ad jura illius populi pertinet. (*Vid. Grot. l.* 3. *c.* 8 §. 1. *ibique not.*): 2°. dignitatem, & privilegia illi imperio cohærentia. Atque ex hoc capite Imperium Romanum translatum eſt ad reges Germaniæ. *Vid. ſupr. l.* 2. *c.* 9. §. 11.

§. DCCLIII. Hinc ſequitur SECUNDO, in populum victorem tranſire quoque ACTIONES, quæ populo victo, vel in eum, dantur.

Si proinde civitas bello ſubacta mutuo dedit 1000. alii civitati, victor exigere hoc mutuum poteſt, & civitas, quæ debet, ſolvendo liberatur. Sed & victor remittere debitoribus poteſt id, quod debent: uti Alexander Thebarum victor Theſſalos obligatione centum Talentorum liberavit [s]; quod factum imitatus eſt Cæſar, donato Dyrrachinis ære alieno, quod eis, qui a Cæſare victi erant, debebant [t]

E contrario ſi populus victus alii civitati debet, victor, qui in omne jus ſuccedit, etiam debita civitatis ſolvere tenetur. Cum enim victor in patrimonium populi, i. e. territorium, (cui æs alienum inhæret [u]) ejusque reditus, & jura ſuccedat, illud tranſit cum onere, & commodo.

§. DCCLIV. Effectus *imperii* bello quæſiti eſt, ut populus victor pro lubitu de eo diſponere, adeoque delere imperium, vel in provinciæ formam illud redigere, vel bene meritis id concedere poſſit [x]. Adeoque hactenus regnum jure vocari poteſt *Patrimoniale.*

n. 1. Notanter diximus, diſpoſitionem hanc competere *populo victori*; non vero *regi* bellum gerenti [y]: hic enim bellum gerit non ſuo jure, ſed jure, & nomine populi; adeoque quidquid adquirit, adquirit populo. Rex inſtrumentum ſaltem eſt, cujus actio referri debet ad cauſam, i. e. populum.

Idque verum eſt, etſi rex ſuis ſumtibus bellum gerat [z]; non enim quæritur, cujus pecunia, ſed cujus jure bellum geratur. Rex enim numquam bellum gerit ſuo jure, ſed ſemper jure populi.

Ex his ſatis apparet, regem in tale imperium bello quæſitum non plus juris habere, ac in populum victorem; indeque eum abſque conſenſu populi victoris 1. alienare tale regnum non poſſe, nec pro parte [a], 2. nec regi victo tutorem dare [b], 3. nec dividere tale regnum inter mares, & feminas [c], 4. nec adoptivos, ac ſpurios ad ſucceſ-

(s) Grot. L. 3, c. 8, §. 4. (t) d c. 8, §. fin. (u) Surr. §. 346. (x) L. 3, c. 8, §. 1, n. 1, §. 4, & §. fin. Ita Romani regnum Bythyniæ Attalo dederunt. (y) Diſſent. Grot. L. 1, c. 3, §. 11, n. 1, & §. 12. L. 3, c. 8, §. 1, n. 3, & §. 2, n. 1. (z) Diſſent. Grot. L. 3. c 8, § 2, n. 1. L. 1, c. 3, §. 12, n. 3. (a) Diſſent. Grot. L. 1, c. 3, §. 12, n. 3, ſeq. L. 3, c. 20, §. 5. (b) Diſſent. Grot. L. 1, c. 3, §. 15. (c) Diſſent. Grot. L. 2, c. 7, §. 12.

ſucceſſionem admittere [d], nec 5. exhæredare ſuos liberos [e], nec 6. regno tali ſe abdicare [f], nec 7. judicare de ſucceſſione futura [g], poſſe. Præterea 8. verum non eſt, regem unum liberorum ad ſucceſſionem vocare poſſe, & tunc reliquis teneri præſtare æſtimationem [h]; 9 ſucceſſorem teneri ex promiſſis anteceſſoris etiam in actis non regiis [i]; 10. regem captivum pacem poſſe de tali regno facere [k], &c. *Vid. Not. ad Grot. l.* 1. *c.* 3. §. 12.

n. 2. At populus victor omnia, quæ prioribus ſeptem numeris continentur, peragere poteſt. Præterea liberum populo eſt, unum liberorum regiorum ad ſucceſſionem vocare; nec reliqui æſtimationem petere poſſunt.

§. DCCLV. Si populus vel tacite, vel expreſſe regi ſuum jus in populum victum committit, verum eſt, regem actus illos exercere poſſe: at tunc non ſuo jure, nec jure patrimonii ſui exercet, ſed jure populi victoris.

§. DCCLVI. Definit imperium bello quæſitum 1. ſi populus priſtina jura recipit, ſive durante bello, adeoque jure poſtliminii; ſive finito bello, ſi vel propria virtute, vel ope aliorum jugum excutiunt: 2. ſi populi victoris jus deſinit, i. e. ſi ipſe alieno arbitrio ſubjicitur [l]: 3. ſi ſub certa lege deditio facta eſt, & victor leges deditionis violat.

Non vero finitur 4. morte regis: nec 5. exſtincta familia victrice, quia jus populi victoris ſubſiſtit: hinc exſtinctis Carolingis Henricus Auceps jura Imperii acriter vindicavit contra Duces Bavariæ, & terræ Rhenenſis, qui finita familia victrice jus imperii exſtinctum eſſe cauſabantur: nec 5. ſi populus victor imperium alienat, vel ſi in victos ſævit, leges eorum fundamentales evertit, &c. quia victori omnia in victos licent.

CAPUT III.

De captis, ac receptis, & reverſis Poſtliminio.

§. DCCLVII. Diximus, res, & perſonas hoſtis, ſi capiuntur, fieri capientium; adeoque capienti acquiri dominium tum in res, tum in perſonas hoſtis.

Hoc autem dominium conditionem continet, niſi res, vel perſona ad priſtinos Lares revertatur [m]: exiſtente enim hac conditione omnia in priſtinum ſtatum reſtituuntur, & perſona priſtina recipit jura; res autem priſtino reſtituitur domino, idque *jure poſtliminii.* [n]

Poſtliminium dicitur a *poſt*, & *limen*; & nihil aliud eſt, quam jus quo id, quod bello captum eſt, a priſtino domino recipitur, eoque in priſtinum ſtatum reſtituitur. [o]

§. DCCLVIII. *Cauſa* hujus juris poſtliminii non eſt jus gentium voluntarium [p]; ſed illud ex ipſa ratione naturali fluit. In bello enim, ubi communis

(*d*) Diſſent. Grot. L. 2, c. 7, §. 3, & 12. (*e*) Diſſent. Grot. L. 2, c. 7, §. 25. (*f*) Diſſent. Grot. L. 2, c. 7, §. 26. (*g*) Diſſent. Grot. L. 2, c. 7, §. 27. junct. L. 2, c. 14, §. 10. (*h*) Diſſent. Grot. L. 2, c. 7, §. 13. (*i*) Diſſent. Grot. L. 2, c. 14, §. 11, 12. L. 3, c. 20, §. 6. (*k*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 20, §. 6. (*l*) Grot. l. 2, c. 9, §. 3, ſeq. (*m*) Grot. L. 3, c. 16, §. 1. & c. 9, §. 6. (*n*) Grot. L. 3. c. 9. & c. 16. (*o*) L. 19, pr. D. de captiv. (*p*) Diſſent. Grot. L. 3, c. 9, §. 1.

munis judex non eſt, qui cauſa cognita inter duas ſummas poteſtates bellum gerentes litem decidat, *unaquæque pars* ſibi jus aſſerit, alteri negat [q]. *Subditi*, & *ſocii*, ſequuntur cujusque partis judicium, quod obtinet, & exercetur in iis, quæ ſunt, vel fiunt, intra cujusque, vel ſociorum fines [r]. *Reliquæ gentes omnes*, ccu mediæ, judicium ſuſpendunt, utriusque factum pro jure habent, & ſequuntur poſſeſſionem. [s]

n. 1. Ex his principiis ſequitur, res noſtras, civesque noſtros ab hoſte captos, adquiri capientibus quamdiu res, vel perſona, in eorum poteſtate eſt [t]: ex judicio enim hoſtis (quod cum effectu in captis valet) nos injuria agimus, cujus reparationem ex eis, quæ capit, ſibi deberi exiſtimat [u]; adeoque hactenus dominium noſtrum deſiit.

Si vero capta, & amiſſa recipiuntur, & res, vel perſonæ intra fines noſtræ civitatis revertuntur, priſtini rerum receptarum domini, civesque reverſi, omnia priſtina jura recipiunt: jam enim prævalet judicium noſtræ civitatis, quæ hoſtem injuria cepiſſe, aſſerit [x]. Atque hoc *jus poſtliminii* vocatur. [y]

§. DCCLIX. Ut igitur poſtliminio locus ſit, requiritur 1°. ut *hoſtes invicem* ſint, quorum res, vel perſonæ recipiuntur, vel revertuntur. Inter fœderatos igitur, & liberos, etſi *extranei* ſint, numquam poſtliminium obtinet. *Etenim* (quæ ſunt verba PROCULI) *quid inter nos* (& fœderatos illos, ac liberos) *poſtliminio opus eſt, cum & illi apud nos libertatem ſuam, & dominium rerum ſuarum, æque, ac apud ſe retineant, & eadem apud ſe contingant.*

Aliud autem obtinet in illis *exteris, cum quibus neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa habemus. Hi enim hoſtes quidem non ſunt; at ea, quæ ex noſtris ad eos perveniunt, capiunt, & liber homo noſter ab eis captus ſervus fit, & eorum: idemque eſt, ſi ab illis ad nos aliquid perveniat.* Hoc igitur caſu poſtliminium datum eſt [z]. Tales autem exteri ſunt, v. g. Algerienſes, Fezzenſes, &c. qui piraticam in omnes promiſcue exercent, & olim Germani. [a]

n. 1. 2°. Requiritur, ut *bellum* ſit *publicum*, i. e. ut inter duas ſummas poteſtates geratur [b]. Hinc poſtliminium non obtinet in captis bello civili [c], vel a prædonibus [d], ſed illis omnia ipſo jure reſtituuntur.

n 2. 3°. Requiritur, ut res, vel perſona *bello* capta ſit: ſi enim durante *pace* capitur, injuria eſt, adeoque poſtliminio opus non eſt. Excipe 1. ſi illi, qui in pace ad alios pervenerunt, & bellum ſubito exarſiſſet, apud eos, qui nunc hoſtes ſunt, deprehenduntur, & ſervi efficiuntur. hi enim etſi in pace capti ſint, poſtliminio revertuntur [e]. 2. Si cum gente quadam nec amicitiam, nec fœdus amicitiæ cauſa con-

(*q*) B. Par. in Diſſ. de poſtlim. in pac. ſect. 1, §. 2, & 3. Vid. L. 19, pr. de captiv. (*r*) Dict. Diſſ. ſect. 1, §. 4. (*s*) Vid. Diſſ. proœm. IX. §. 168. (*t*) L. 5, §. 7, L. 7. pr. L. 51. D. de adquir. rer. domin. L. 1, §. 2. D. de adquir. poſſeſſ. (*u*) L. 19, pr. D. de captiv. (*x*) Ibid. (*y*) L. 7, pr. D. de adquir. rer. domin. L. 19, pr. D. de captiv. (*z*) L. 5, §. 2, D. de capt. & poſtlim. reverſ. (*a*) Cæſ. de bell. Gall. VI. 23. Grot. L. 2, c. 15, §. 15. (*b*) Grot. L. 3, c. 9. §. 4. (*c*) d. c. 9, §. 16, 17. L. 21, D. de capt. & poſtlim. reverſ. (*d*) L. 5, L. 1, §. 2, D. de capt. & poſtlim. reverſ. (*e*) L. 12, pr. D. de capt. & poſtlim. reverſ.

Digitized by Google

contractum habemus, i. e. ſi liber quidam populus latrocinia promiſcue exercet, cives noſtros, qui ad eos perveniunt, ſervos facit, res noſtras rapit, cum tali populo pax nobis eſt; bellum enim indictum ipſi publice non eſt, adeoque hoſtis non eſt: *l.* 24. *ff. capt. & poſtl.* at nihilominus poſtliminium obtinet.

Hinc conſtat, *transfugas* non gaudere jure poſtliminii, quia capti non ſunt *bello*, ſed ultro in hoſtium caſtra migrarunt. [f]

n. 3. 4°. Requiritur, ut res capta *in hoſtis poteſtate, & cuſtodia ſit conſtituta*: quod fit ſi intra fines, & præſidia hoſtis, ejusque ſociorum, eſt perducta. [g]

n. 4. 5°. Requiritur, ut res captæ *receptæ*, vel perſonæ *reverſæ* ſint: quod factum cenſetur, ſi intra fines noſtri imperii [h], & intra præſidia noſtra eſſe cœperunt [i] (ibi enim primum nomine publico tuti eſſe incipiunt [k]); vel ſi ad ſocios [l] (non ſi ad medios [m]) veniunt, modo perſonæ animum habeant revertendi: ſecus ergo ſi domicilium mutarunt, & pace facta (qua cautum erat, ut redire poſſint) apud hoſtes manere malint. [n]

n. 5. Non vero 6°. requiritur, ut *ex injuſta cauſa* captæ, & jure receptæ ſint res, vel perſonæ [o]: nam ex judicio noſtræ civitatis, quod intra fines noſtros valet, noſtra ſemper ab hoſte injuria capta eſſe, adeoque jure recipi, aſſeritur. Quis ergo judicabit, an jure, an injuria, capta, & recepta ſit? Judicium hoc morali ratione effectum habere nequit; adeoque Deo id relinquendum eſt.

§. DCCLX. Poſtliminio recipiuntur 1. RES. Equidem de rebus *immobilibus* omnes conſentiunt [p]; adeo ut jura quoque rebus ſoli cohærentia, veluti ſervitutes, immo & priſtinæ qualitates reſtituantur, & res illæ receptæ iterum fiant ſacræ, ſanctæ, & religioſæ [q]. Non tantum autem agri, ſed & civitates, inſulæ, territoria, &c. poſtliminium habent. [r]

n. 1. De rebus *mobilibus* contrariam GROTIUS [s] ſtatuit regulam: has enim jure gentium cedere occupanti, ait; & eas ſaltem excipit, quæ in bello uſum habent. [t]

At verius eſt, res mobiles quoque naturali jure priſtino domino jure poſtliminii reſtitui: 1. quia tota ratio naturalis poſtliminii in eo conſiſtit, quod ex judicio civitatis noſtræ res injuria ab hoſte capta ſit; ſi proinde res ad noſtros limites redit, cum effectu judicium civitatis noſtræ valet, indeque res priſtino ſuo domino, cui injuria ablata fuit, reſtitui debet. *Naturali æquitate introductum eſt, ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum jus ſuum reciperet* [u]. Hæc autem ratio 2. æque in rebus mobilibus, ac immobilibus obtinet. Atque

hinc

(f) L. 19, §. 5, §. 8, D. de capt. & poſtlim. reverſ. ibique Gothofred. Grot. L. 3, c. 20. §. 12. (g) L. 19, §. 3. L. 5, §. 1, de capt. & poſtl. reverſ. (h) L. 19, pr. & §. 3, D. eod. (i) L. 5, §. 1. L. fin. D. eod. (k) L. 19, §. 3, D. eod. (l) L. 5, §. 1. L. 19, §. 3, D. eod. Diſſent. Grot. L. 3, c. 9, §. 2, 3, 4. (m) Grot. L. 3, c. 9, §. 2. ſeq. (n) D. L. 20, pr. D. de capt. & poſtlim. reverſ. (o) Diſſent. Grot. L. 3, c. 16, §. 1. ubi jure gentium demum voluntario introductum eſſe, ait, ut etiam res jure captæ poſtliminio recipiantur. (p) Grot. L. 3, c. 9, §. 13. (q) Grot. L. 8, §. 13. L. 36. ff. de religioſ. (r) Grot. L. 3, c. 9, §. 14. (s) d. c. 9, §. 4. (t) Grot. L. 3, c. 9, §. 14. (u) L. 1, pr. D. de capt. & poſtl. rev.

hinc 3. moribus res mobiles receptas priſtinis reſtitutas fuiſſe dominis, exemplis probavit B. Parens. Idem quoque traditur 4. in jurisprudentia Romana; quod in Commentario plenius probavimus. [x]

n. 2. Inter Res quoque referuntur ſervi, & ancillæ [y]. Hi igitur quoque recipiuntur poſtliminio, & priſtino reſtitui debent domino, etſi ab hoſte manumiſſi [z], a mediis [a], vel civibus [b] noſtris redemti, vel transfugæ [c] ſint: at recepti non videntur, niſi actu in noſtram poteſtatem revertantur. [d]

§. DCCLXI. Porro & 2. poſtliminio revertuntur Personæ liberæ ab hoſte captæ [e], cujuſcumque ætatis, & ſexus, ſive vi receptæ, ſive dolo profugerint, ſive ab hoſtibus dimiſſæ ſint [f]; quin etſi per alienationem ad medios jure commercii pervenerint: quia medius rem captam ab hoſte adquirit cum ſua qualitate, & conditione. [g]

§. DCCLXII. Hæ perſonæ poſtliminio reverſæ omnia priſtina jura recipiunt [h]: adeoque 1. res domi relictas, mobiles, & immobiles, etiam quæ apud medios habuerunt; 2. res ab hoſte captas, ſi poſtea ad fines noſtros, vel ſociorum noſtrorum, perveniunt; 3. omnia jura civilia, patriam poteſtatem, teſtamenti factionem, &c; 4. omnes actiones eis, & in eos, reſtituuntur: non vero 5. ea, quæ facti ſunt, recipiunt; atque hæc ratio eſt, cur poſſeſſionem non recuperent [i], etſi dominio forte utantur [k]: adeo ut reverſi non continuent uſucapionem, ſed novam inchoent [l]; niſi per alium poſſideant. [m]

§. DCCLXIII. Quid vero de rebus, & juribus dicendum, quæ habuerunt apud populos pacatos? Reſp. ea quoque recipiunt, & hactenus quoque omnia jura eis, & in eos reſtituuntur [n]; niſi pendente captivitate res victori traditæ, debita ei ſoluta, vel a victore remiſſa ſint. [o]

§. DCCLXIV. Quæritur, an etiam matrimonium redintegretur? Quod omnino affirmamus, quia omnia priſtina jura recipit, nec ulla ratio dari poteſt, cur non jura quoque in uxorem reciperet: idque jure Romano quoque obtinet.

Neque obſtat *L.* 14. §. 1. *D. de capt. & poſtlim. reverſ.* ibi: *non enim ut pater filium, ita uxorem maritus poſtliminio recipere poteſt, ſed conſenſu demum redintegratur matrimonium.* Conf. *L.* 8. *D. eod.*

Reſp. non aſſeritur, *uxorem a marito non recipi poſtliminio*, ſed *eam non recipi* NB. *uti paterfamilias recipit filium*: pater enim recipit filium *etiam invitum*; maritus autem recipit uxorem non niſi volentem. Si igitur uxor non vult recipere maritum, certum eſt, non redintegrari matrimonium, quia uxor divortium facit; atque hinc ſi nulla probabili cauſa interveniente divertit, pœnas diſſidii dat. [p]

Nec

(*x*) D. l. 19, D. & argum. l. 10, l. 12, C. de poſtlim. reverſ. (*y*) Grot. l. 3, c. 9, §. 12. (*z*) d. §. 11, n. 1. (*a*) Ibid. (*b*) d. §. 11. n. 3. (*c*) d. §. 11, n. 2. (*d*) d. §. 11, n. 1. (*e*) Grot. l. 3, c. 9, §. 5. (*f*) d. c. 9, §. 5. (*g*) d. c. 9, §. 7. (*h*) Grot. l. 3, c. 9, § 6. (*i*) l 12. §. 2, de capt. & poſtlim. reverſ. l. 23, §. 1, D. de adquir. poſſeſſ. l. 11, de uſurpat. & uſucap. (*k*) L. 23, §. 1, D. ex quib. cauſ. majo. (*l*) d. l. 19, l. 15, D. de uſurp. & uſucap. l. 44, §. fin. D. eod. (*m*) d. l. 12 (*n*) Grot. d. c. 9, §. 6, 7. (*o*) Vid. infr. (*p*) L. 8. D. de capt. & poſtlim. reverſ.

Nec porro *obſtat*, captivitate matrimonium dirimi [q], indeque uxorem non eſſe in matrimonio, etſi uxor velit [r]? Reſp. Dirimitur matrimonium quamdiu ſervus eſt (cujus rei rationem alibi expoſuimus [*]), adeoque matrimonium in ſuſpenſo eſt; ſi captus redit, redintegratur matrimonium, niſi alter alteri divortium mittat: ſi non redit, vidua a tempore captivitatis fuiſſe videtur. Hinc uxor exſpectare hunc eventum tenetur, adeo ut ſi de vita capti mariti conſtat, uxor plane non ad ſecunda vota convolare, & ſi dubium ſit, mortuus ſit, an non, elapſo demum quinquennio alii nubere poſſit: atque hactenus uxor jura nuptarum retinere dicitur [s]; ſi his neglectis ad ſecunda vota properet, pœnas diſſidii dare tenetur. [t]

n. 1. Non autem perſonæ ſaltem ſingulæ jus poſtliminii habent, ſed integri quoque populi, vel pars populi: ſi nimirum durante bello vel propria virtute, vel ope ſociorum, ſeſe poteſtati hoſtis eximunt [u], etſi forte civitas diruta, & cives ſub corona venditi ſint [x]. Non enim corpus periiſſe videtur, quod reſtitui ope ſociorum poteſt, & actu reſtituitur.

n. 2. Aliud dicendum ſi populus vere victus, adeoque *bellum finitum* eſt, ita ut nec princeps, nec populus, nec focii amplius reſiſtant; tunc enim populus vere interiit, ſpecies civitatis mutatur, & corporis ratio tollitur [y]. Hic igitur populus numquam poſtliminio recipit priſtina jura, utpote ſemel exſtincta: ſed tanquam ſervus contumax, & ſubditus rebellis, coërceri poteſt. [z]

n. 3. Idque adeo verum eſt, ut populus talis ſi facto ipſo ſe eximit, & vi libertatem recuperat, novus populus eſſe incipiat [a]: qualis quoque eſt ſi victor ipſe libertatem populo poſt aliquod tempus ex gratia reſtituit, ut in Thebanis factum legimus [b]. Si illi, qui olim ſocii fuere populi ſubjugati, poſtea bello cum victore orto, eundum populum in ſuam redigunt poteſtatem, hic populus non recipit priſtina jura, ſed novo victori cedit. [c]

§. DCCLXV. Hinc jam facile deciditur quæſtio, *an Rex, cui imperium vi hoſtili ereptum eſt, ſi poſtea illud recipit, poſtliminio imperium recipiat?* Sane, *ſi bellum nondum finitum eſt*, ut ſi rex ejectus apud vicinos, & fœderatos, auxilia quærit, certum eſt, eum recipere imperium jure poſtliminii; ſive propria virtute populi, ſive ope ſociorum populus poteſtati hoſtium eximatur [d]. Sane, ſociis populus ille non adquiritur, quia jure regis ejecti bellum gerunt, adeoque ei adquirunt. At *bello ſemel finito*, i. e. ſi vel rex captus eſt, nec ſocii amplius ejus cauſam defendunt: vel ſi rex pace facta juri ſuo renunciat, jus regis ſemel exſtinctum numquam reviviſcit. Et licet forte caſu aliquo populus ille ſeſe recipiat in libertatem, non tamen recidit in priſtinam cauſam, ſed novus fit

(q) L. 1, D. de divort. L. 56, D. ſolut. matrim. (r) L 12, §. 4. D. de capt. & poſtlim. reverſ. (*) Vid. Grot. illuſtr. Tom. IV. p. 146. *b. edit.* (s) L. 6, D. de divort. (t) d. l. 6, l. 8, ff. capt. (u) Grot. l. 3, c. 9, §. 9, §. 10, *n.* 3, §. 13, n. 1, cap. 16, §. 4. (x) Diſſent. Grot. l. 3, c. 9, §. 9, d. c. 16, §. 4. (y) Grot. L. 2, c. 9, §. 3, ſeq. (z) d. c. 9, §. 14. & c. 22, §. 11. in fin. (a) Grot. l. 2, c. 4, §. 11, & 14. (b) Grot. l. 3, c. 9, §. 9. (c) d. c. 9, §. 12. (d) d. c. 9, §. 12, c. 16, §. 4.

ſit populus: & ſi ſe priſtino regi ſubmittit, nova eſt electio. [e]

§. DCCLXVI. Populus poſtliminio reſtitutus omnia jura publica recipit; eique credita, & debita reſtituuntur. Atque ex hoc capite Thebani a Caſſandro reſtituti debitum a Theſſalis exigebant: at hi merito oppoſuerunt, Thebanos non jure poſtliminii reſtitui, ſed ex nova gratia victoris, indeque jura antiqua interiiſſe; præprimis cum victor debitum illud jure belli quæſitum Theſſalis remiſerit, adeoque ex hoc quoque capite debitum exſtinctum fuerit.

§. DCCLXVII. Sed & ſinguli, populo reſtituto, priſtina jura recipiunt, adeoque & illi ex debitis convenire, & conveniri poſſunt: niſi hoſtis jure prædæ debita illa exegerit, adeoque jus creditoribus abſtulerit. Exempla, vide apud *Matth. de Afflict. dec. Neap.* 150. *n.* 32. 34. *Decius Conſ.* 25. *Pet. de Anch. Conſ.* 64. *Bald. Conſ.* 228.

§. DCCLXVIII. Gravis quæſtio eſt, quidnam juris ſit circa actus a victore medio tempore occupationis geſtos. Reſp. idem hic obtinet, quod in tyranno (*Vid. Grot. illuſtr. l.* 1. *c.* 4. §. 15. *pag.* 364.): nimirum, omnes actus ſub auſpicio uſurpatoris geſti nulli ſunt, quia is ex judicio civitatis, quod ea recuperata prævalet, injuria occupavit, *ibid.*

Exc. 1. ſi civium aliquis locupletior ex tali actu vitioſo factus eſt injuria concivis: exempla vide apud *Matth. de Affl. Dec.* 149. *Grot. l.* 3. *c.* 19. §. 4. *Hyppol. ſingul.* 306. & *Conſ.* 12. *n.* 20.

Exc. 2. Si actus illi pars ſunt adminiſtrationis, uti ſi partes coram judice ordinario litigant, hi actus judiciales non reſcinduntur. *Matth. de Affl. Dec.* 77. *Urſill. in addit. ad Matth. de Affl. Dec.* 62. *n.* 1. Niſi hi quoque actus edicto nulli declarati fuerint, uti factum a Ferdinando, fugato Carolo VIII. rege Galliæ. *Matth. de Affl. Dec.* 55. Atque hac ratione nituntur exempla ab hoc allegata *Dec.* 70. *Dec.* 55. *Dec.* 50. Add. *Urſill. ad Deciſ.* 77. *n.* 3. *Capyc. Dec.* 179. Conf. *Grot. illuſtr. L.* 3. *c.* 9. §. 9.

§. DCCLXIX. Ceſſat autem poſtliminium, 1. ſi non bello publico inter duas ſummas poteſtates diſceptatur, ſed res, aut perſona a prædone, vel in bello civili capitur. [f]

2. Si res antequam in præſidia hoſtis deducatur, recipitur; quia numquam capta fuit. [g]

3. Si injuria hoſti imputari nequit: uti [a] ſi civis noſtra voluntate hoſti deditur: [b] ſi, cum pace ei conceſſa fuerit libertas redeundi, domicilium apud hoſtes elegerit: *l.* 20. *ff. captiv.* [c] ſi civis ad hoſtem transfugit. [h]

4. Si quis poſtliminii jura non contra hoſtem, ſed contra concivem allegat [i], uti ſi civis debitor vi coactus ſolvit uſurpatori id, quod concivi debet. Quod multo magis verum eſt ſi utiliter concivis negotium geſſit: uti ſi quis pro liberando debito, quod uſurpator injuria exigit, rem ſuam concivi vendiderit, hanc enim ab emtore jure poſtliminii repetere nequit. Idem dicendum ſi fidejuſſor ſolvit, qui, ut civis ab injuſto carcere liberetur, fidem interpoſuit. [k]

5.

(*e*) Conf. Comment. ad Grot. d. c. 9. §. 11. (*f*) §. 759, n. 1. (*g*) § 759. n. 3. (*h*) Grot. L. 3, c. 10, §. 10, n. 1, ubi male id juri Romano tribuit. (*i*) Vid. §. 7, 66, ſeq. (*k*) Exempla exſtant apud MATTH. DE AFFLICT. Dec. & HYPPOLIT. in Singul. 306, & in Conſil. 12. n. 20. URSELLIN. ad MATTH. DE AFFLICT. Dec. 149. n. 1. ſeq. ibique DD. Vid. ſupra §. 768.

5. Si via ordinaria juris aliquid contra captum ſtatutum eſt. [l]

6. Si populus victus, & in poteſtatem victoris per ultimam victoriam redactus eſt, vel ſe dedit; is enim, licet poſtea vel vi, vel gratia victoris, priſtinam libertatem recipiat, non tamen jure poſtliminii gaudet, ſed novum populum conſtituit. [m]

7. In pace poſtliminium ceſſat, ſi in pactis dictum eſt, *ne res, & perſonæ bello captæ poſtliminio redeant*: vel, *ſi clauſula amneſtiæ, aut ut omnia in ſtatu, quo nunc ſunt, maneant*, adjecta eſt. [n]

8. In illis, quæ facti ſunt; ut in poſſeſſione [o]: hinc non niſi reſciſſa uſucapione per actionem reſciſſoriam poſſeſſio amiſſa reſtituitur. [p]

§. DCCLXX. Jure Romano poſtliminium præterea ceſſabat 1. in navibus, quæ in bello uſum non habebant [q]; 2. in armis, veſtibus, equis, &c. [r]; 3. filio tranfuga recepto nec patria poteſtas domino reſtituebatur. [s]

4. Ante Legem Corneliam bello capti plane excludebantur a jure poſtliminii. Succenſebant enim Romani ſuis militibus, quod non mortem potius optaſſent, quam captivitatem: hinc negligere hos captos, nec in pace eorum mentionem facere ſolebant. Immo adeo ignominioſum ſervorum nomen Romanis viſum fuit, ut finxerint, cives, & milites numquam captos, adeoque numquam ſervos fuiſſe. [t]

Si enim in captivitate *moriebatur* captus, ſtatim in momento captivitatis mortuus fingebatur [t]; adeo ut liberis hæreditas retro delata videatur [u], & ea, quæ liberi ex bonis illis adquiſiverunt, & quæ interim acceſſerunt hæreditati, non in hæreditate patris fuiſſe, ſed propria liberorum eſſe cenſerentur [x]: ſed & quidquid pater captus diſpoſuit, ſive inter vivos, ſive per ultimam voluntatem, ipſo jure nullum fuit [y]; adeo ut nec vi teſtamenti in captivitate facti, codicilli poſtea cum liber eſſet confecti ſubtili jure ſubſiſterent [z]. Denique liberi retro ſui fuiſſe videbantur [a]: & illi, qui durante captivitate ei nati ſunt, ſi revertebantur, pro ſpuriis habebantur. [b]

Si *revertebantur* capti, fingebatur, eos numquam ſervos fuiſſe [c], ſed ſemper in civitate manſiſſe [d]: adeoque actione directa omnia priſtina jura recipiebant, i. e. vindicabant res ſuas ab aliis poſſeſſas; actione mutui condicebant debita, &c. Et ſi ab aliis uſucapta res fuit, actione reſciſſoria eam repetebant [e]: liberi ſemper in poteſtate fuiſſe cenſebantur [f], & matrimonium redintegrabatur. [g]

Apparet ergo, per legem Corneliam omnia jura captorum in ſuſpenſo, & in incerto fuiſſe [h]: incertum enim fuit, an matrimonium ſubſiſteret, an non

(*l*) Capyc. Dec. Neap. 179, ibique late DD. (*m*) Grot. d. c. 9, §. 9. & 12. Vid. ſupr. §. 765, ſeq. (*n*) Vid. ſupr. §. 759, n. 5. (*o*) L. 12, §. 1, 2, D. de capt. & poſtlim. reverſ. l. 19, D. ex quib. cauſ. major. (*p*) l. 18, C. de poſtlim. (*q*) l. 2, D. de capt. & poſtlim. (*r*) d. l. 2, §. 2, & §. 8, (*s*) l. 19, §. 7, D. eod. Grot. l. 3, c. 9, §. 10, n. 1. (*t*) l. 18, l. 22, §. 2, D. de capt. & poſtlim. reverſ. l. 1, C. de poſtlim. (*u*) l. 12, §. 1, D. de capt. & poſtlim. reverſ. (*x*) d. l. 12, §. 1, D. eod. (*y*) d. l. 12, §. 5, D. eod. (*z*) d. l. 12. §. 5, D. eod. (*a*) d. l. 12, §. 1, D. eod. (*b*) l. 25, D. de captiv. & poſtlim. reverſ. L. 1. C. de poſtlim. (*c*) l. 5, §. 1, D. de capt. & poſtlim. reverſ. l. 12, §. 5, 6, D. eod. (*d*) l. 16, D. eod. d. l. 22, §. 2, & 3, D. eod. (*e*) l. 18, C. de poſtlim. L. fin. C. ex quib. cauſ. (*f*) d. l. 12, §. 1, D. (*g*) Vid. ſupr.

Digitized by Google

non *i*? an liberi ſint in patria poteſtate, an ſui? [k] &c. Omnia enim dependebant ab eventu, an moriatur captus, an revertatur. [l]

Cæterum, captis curator conſtituebatur, qui bona eorum tueretur [m] (non vero in judicio ageret [n]).

§. DCCLXXI. At 5. etiam poſt legem Corneliam ceſſabat poſtliminium in actibus, quos capti ut ſervi geſſerunt; cum enim lex illa fingat, captos nunquam ſervos fuiſſe, neceſſario ſequitur, actus intermedios pro non actis habitos fuiſſe: hinc nulla eorum valebat diſpoſitio; quod demum a Leone mutatum eſt. *Nov. Leon.* 140. Vid. *Comment. ad Grot. l.* 3. *c.* 9. §. 1.

§. DCCLXXII. Quæritur, *an hodie juris poſtliminii uſus aliquis ſuperſit?*

Quod omnino affirmandum eſt, adeo ut non tantum capti, & reverſi omnia priſtina jura ipſo jure recipiant, nec opus ſit fictione legis Corneliæ; ſed & diſpoſitiones captorum, omneſque actus durante captivitate geſti valeant [o], &c.

Idque verum eſt, etſi cum aliis gentibus, apud quas capti ſervi fiunt, bellum geratur. [p]

In rebus hodie quoque obtinet jus poſtliminii. Cum enim jure gentium res noſtræ, quæ ab hoſtibus noſtris capiuntur, ſtatim fiant capientium [q], eo ipſo amittimus dominium priſtinum [r]; ſed tantum quamdiu ſunt in poteſtate hoſtis. Si proinde recipitur res, quam injuria nobis ablatam eſſe aſſerimus, jure poſtliminii eam recipimus; adeoque non cedit capienti; niſi legibus civitatis aliud ſtatutum ſit.

CAPUT IV.

De Sociis Belli.

§. DCCLXXIII. EXAMINAVIMUS in præcedentibus, quinam jus belli habeant, & quid illis in bello liceat: quia vero in pleriſque bellis alii ſunt, qui bellum gerentibus aſſiſtunt, de his *ſociis belli* jam agemus.

SOCII BELLI fiunt duplici modo: 1. ſi utraque pars læſa eſt, & læſi ſocietatem ineunt de mutuis injuriis communibus viribus vindicandis: 2. ſi duo paciſcuntur, quod alter alteri contra vim, & injuriam aliorum aſſiſtere, & auxilia ſibi invicem mittere velint.

PRIORI caſu duplex bellum eſt, quia quiſque propriam injuriam vindicat. Hinc duplex indictio belli requiritur: ſi tranſigunt de bello, duplex pax eſt, etſi uno inſtrumento comprehenſa: unuſquiſque ſibi capit, & capiendo adquirit: quiſque ſuis ſumtibus agit, &c. niſi lege fœderis aliud dictum ſit.

De his ſociis belli hic non agimus, quia ſinguli ſunt principales, & ſuo jure agunt, ſuamque injuriam vindicant, etſi communibus armis.

POSTE-

(*b*) L. 22, §. 2, l. 12, §. 1, D. de capt. & poſtlim. reverſ. (*i*) l. 12, §. 4, D. eod. (*k*) d. l. 12; §. 2, l. 6, in fin. D. de tutel. l. 3, C. de poſtlim. (*l*) d. l. 12, §. 1. (*m*) l. 33, pr. D. de procurat. l. 15, D. ex quib. cauſ. mai. l. 3. C. de poſtlim. (*n*) d. l. 15, pr. (*o*) B. Par. in Diſſ. de poſtlim. in pac. ſect. 2, §. 9, & 12. (*p*) Aliter B. Parens dict Sect. 2, §. 9. (*q*) l. 5, §. 7, l. 7, pr. D. de adquir. rer. domin. l. 51, §. 1, D. eod. l. 1, §. 2, D. de adquir. poſſeſſ. (*r*) l. 19, pr. D. de capt. & poſtlim. reverſ.

Posteriori caſu ſocius ſaltem eſt inſtrumentum cauſæ principalis, & non ſuo jure, nec ſuo nomine agit, ſed alterius cauſæ accedit. Hinc unum ſaltem bellum eſt. Cujus rei inſignes jure naturæ ſunt effectus: nam 1. ſocius clarigare, ſeu indicere bellum non tenetur [r]: 2. non ſuis, ſed ejus ſumtibus bellum gerit, cujus cauſam defendit [t]: 3. quidquid capit, non ſibi, ſed cauſæ principali adquirit [u]: 4. captum quoque cenſetur, quod ad præſidia ſocii pervenit [x]: 5 poſtliminio reverſum videtur, quod ad limen ſocii revertitur [y]: 6. principalis victus nondum cenſetur, etſi ejus vires deſtructæ ſint, quamdiu ſocius adhuc defendit [z]: 7. ſi bellum pace finitur, una tantum pax eſt, etſi in ea ſocii mentio facta ſit [a]: 8. pax cum principali contracta prodeſt quoque ſociis, etſi horum mentio facta non fuerit [b]; nam de tota cauſa, cui ſocii acceſſerunt, tranſactum eſt. Hinc 9. ſi hoſtis ex illa cauſa contra ſocium aliquid machinatur, pacem cum principali contractam rumpere dicitur [c]: non vero 10. rumpitur pax, ſi ſocius contra illam pacem aliquid agit: ſed nova in hunc belli cauſa eſt. [d]

§. DCCLXXIV. Societas igitur bellica definitur pactum inter duas ſummas poteſtates initum, quo alter alteri auxilia promittit contra eos, qui vim eis inferre volunt.

§. DCCLXXV. *Cauſa ſocietatis bellicæ* ex ratione naturali fluit: natura enim omnia licita ſunt, ſine quibus jus a Creatore nobis conceſſum ſalvum eſſe non poteſt; hinc neceſſario ſequitur, nos etiam aliorum ope uti poſſe, ſi vires noſtræ non ſufficiant. Neque 2. hoſti fit injuria: non a *læſo*, cui lædens præſcribere nequit, quibus defendendi mediis uti debeat, cum omnia in hoſten liceant: nec a *ſocio*, quia hic defendit jus a Deo alii conceſſum, adeoque inſtrumentum eſt juſtæ alterius cauſæ.

Juſtitia ejuſmodi ſocietatum exemplo omnium gentium probatur. Sane, nihil magis charitati Chriſtianæ conveniens eſt, quam aſſiſtere illis, qui vi injuſta opprimuntur. [e]

§. DCCLXXVI. Ex prædictis autem conſtat, aſſiſtere alii tantum licere, ſi juſtam læſus bellandi cauſam habet [f], vel ſocius auxilia promittens juſtam judicat. Unde ſociis prius, quam bellum ſuſcipitur, judicium de juſtitia cauſæ permitti ſolet; quod Grotius exemplis probat. [g]

n. 1. Hinc 1. ſocietates bellicas, eo initas animo, ut in quodvis bellum nullo diſcrimine promittantur auxilia, illicitas eſſe, merito Grotius ait, & auctoritatibus probat.

n. 2. Sed & 2. utrique partium bellum gerentium auxilia mittere nulla ratione licet; cum enim utrimque juſta belli cauſa eſſe nequeat, neceſſario injuriam unius partis defenderet is, qui utrique auxilia promittit: neque ullo prætextu ſeſe tueri poſſunt qui vitam

(*r*) L. 3, c. 3, §. 9, c. 9, §. 2, n. 1, l. 1, c. 5, §. 1, §. 10, ſeq. B. Par. in Diſſ. de clarigat. §. 10, ſeq. (*t*) Grot. l. 3, c. 6, §. 23, & §. 24, n. 2. (*u*) d. §. 23. (*x*) l. 3, c. 9, §. 2. Vid. ſupr. §. 743, n. 7. (*y*) d. c. 9, §. 2. (*z*) d. c. 9, §. 9, 12. (*a*) Grot. l. 3, c. 20, §. 33. (*b*) Ibid. (*c*) Ibid. (*d*) d. c. 20, §. 29. (*e*) Grot. l. 1, c. 5. §. 2, n. 2, & §. 7. l. 2, c. 25, §. 4, 5, 6, 9, 10, Teſmar. ad Grot. pag. 12, litt. l. & pag. 632, poſ. 15. Gothofred. ad l. 4, D. de leg. Aquil. (*f*) l. 3, c. 1, §. 3. l. 2, c. 25, §. 4. (*g*) l. 2, c. 25, §. 4. (*h*) l. 2, c. 25, §. 1, §. 9.

Digitized by Google

vitam concivium diverſis partibus militantium, invicem committunt. Merito igitur Grotius improbat in Ætolis, quod utrique parti militaverint, & utrimque prædas egerint. [i]

§. DCCLXXVII. Conſtituitur *ſocietas bellica* utriuſque conſenſu [k]: adeoque nemo injuriam alii illatam vindicare poteſt, niſi ejus conſenſu [l]; quia neſcitur, num læſus diſſimulare injuriam, quam ſe, ſuaque, belli periculo exponere malit: ſed & ſuſpecta ſunt talia officia, & varia exempla ſociorum a ſociis oppreſſorum exſtant. [m]

Excipe, ſi abſens, qui jus ſuum defendere nequit, bello petatur: abſentis enim negotium gerere, & juſtum, & laudabile eſt.

§. DCCLXXVIII. Conſtituunt *ſocietatem bellicam* qui bellum gerere, & fœdus contrahere poſſunt; adeoque ſolæ ſummæ poteſtates. [n]

§. DCCLXXIX. *Objectum ſocietatis bellicæ* ſunt auxilia, quæ contrahentes ſibi invicem promittunt in caſum exiſtentis, vel jam inchoati belli: unde differt ab aliis fœderibus, quæ de aliis juribus publicis contrahuntur, & de quibus ſupra egimus. [o]

§. DCCLXXX. Effectus ſocietatis bellicæ alius eſt *intuitu Principalis*, alius *intuitu ſocii*, alius *intuitu hoſtis*.

Parti enim *principali* jus ex pacto hoc competit alterum compellendi, ut ſtet legibus ſocietatis [p], adeoque auxilia promiſſa præſtet; adeo ut ſi id recuſet, juſta in eum belli cauſa ſit.

§. DCCLXXXI. Quæritur, *an præſtari auxilia poſſint novis ſociis contra veteres fœderatos, qui in fœdere caverant, ut utriuſque populi ſocii ab utroque populo tuti ſint?* Merito hanc quæſtionem affirmat Grotius, quia fœdus illud non impedit quo minus ſocii aſſumi poſſint. Hinc fœdus ruptum dici nequit. [q]

Cauſa hæc diſceptata fuit inter Athenienſes, & Peloponnenſes: ex his enim Corinthii Corcyrenſibus bellum intulerunt, hi ab Athenienſibus auxilia petierunt, & obtinuerunt. Corinthii id fœderi, quod Athenienſes cum Peloponnenſibus, adeoque & cum Corinthiis pepigerant, contrariari dixere: Corcyrenſes id negabant, quia juxta fœdus illud Athenienſibus novos ſocios adſciſcere liceret, &c. Atque hanc ſententiam ſequuti Athenienſes Corcyrenſibus auxilia miſerunt [r]: unde Justinus male eos perjurii reos facit [s]. Quidquid ſit, hæc prima cauſa fuit belli Peloponneſiaci, quod Athenienſes pro Corcyrenſibus contra fœderatos dimicaſſent. [t]

Eadem quæſtio agitata fuit inter Romanos, & Carthaginenſes: hi enim Romanis fœderati Saguntinis ſociis Romanorum bellum intulerunt; Romani defenſionem ſociorum ſuſceperunt, & quidem jure, quia fœdus illud non prohibebat novos adſciſcere ſocios [u]. Tutius tamen eſt, fœdere ſibi reſervare jus auxilia alii mittendi, quod a Pyrrho, & Philippo factum, legimus. [x]

At

(i) Grot. l. 3, c. 20, §. 31. (*k*) Grot. l. 2, c. 5, §. 17, n. 1, & §. 25, in fin. (*l*) Diſſent Grot. qui ait, quemlibet & ſuæ, & alienæ injuriæ eſſe vindicem. (*m*) Grot. l. 1, c 3, §. 21, n. 10. (*n*) d. c. 3, § 6, n. 1, l. 2, c. 15, §. 3, n. 1. (*o*) Grot. l. 2, c. 15. (*p*) l. 1, c. 3, §. 21, n. 5, l. 2, c, 25, §. 4. l. 2, c. 1, §. 8. (*q*) Grot. l. 2, c. 16, §. 13. c. 25, §. 4. (*r*) Thucyd. l. 1, c. 35, p. m. 14, 15, & ſeq. (*s*) Apud. Grot. l. 2, c, 16, §. 13, n. 3. (*t*) Thucyd. d. l. 1, p. m. 25, (*u*) Liv. l. 21, c. 19 Polyb. l. 3, c. 29 Grot. l. 2, c. 16, §. 13, n. 1. (*x*) Ibid. n. 2. 3.

At alia quæſtio eſt, *an ob auxilia miſſa bellum mittentibus indici potuerit?* quod omnino affirmamus. At belli hujus cauſa non oritur ex violatione fœderis, ſed quia ſocii reparationem juris auxilia mittendo impediverunt.

§. DCCLXXXII. Porro quæritur, *ſi plures bellum gerunt, utri potius opem ferre debeat qui utrique ſocius eſt?* GROTIUS tres caſus ponit: *vel enim is, cui auxilium promiſſum eſt, cum extraneo, qui mihi fœderatus eſt, bellum gerit;* quo caſu aſſiſtendum ei eſſe, ait, qui injuria petitur, etſi forte fœdere ſit poſterior: *vel bellum ei eſt cum tali, qui & ipſi, & mihi fœderatus, adeoque utrique ſocius eſt;* tunc itidem auxilia ei deberi, ait, qui juſtam cauſam habet; ſi utrimque cauſa injuſta ſit, utraque parte abſtinendum eſſe: *vel plures, qui mihi fœderati ſunt, ſeparata bella contra extraneum, qui mihi fœderatus non eſt, gerunt;* hoc caſu utrique mittenda eſſe auxilia, tradit, modo utrique mitti poſſint. [y]

B. PARENS ſtatuit, eum, qui cum pluribus ſocietatem bellicam contraxit, operam promiſſam præſtare debere antiquiori [z]: niſi 1. utrique præſtari poſſit; ut ſi militem, vel pecuniam promiſit; vel 2. prior ſociorum cauſam notorie injuſtam defendat. [a]

Ego diſtinguendum puto, an illi, qui ſocii mihi ſunt, *cum extraneis* bella gerant, an *inter ſe.* PRIORI caſu cuique ſociorum promiſſa auxilia præſtari debent, ſive cauſam juſtam, ſive injuſtam judicet is, qui auxilia ſtipulatus eſt; nam indeterminate promiſit, nec judex eſt hujus cauſæ: ſi vero talia auxilia promiſſa ſint, quæ uni ſaltem præſtari poſſint, ſoli tenetur antiquiori, reliquis ad id, quod intereſt. POSTERIORI caſu ſoli antiquiori tenetur; adeo ut noviori ſocio neque milite, neque pecunia aſſiſtere poſſit [b]. Ratio in aprico eſt; quia antiquiori ſocio jus ex fœdere quæſitum, eique defenſio præſtanda eſt: non autem defendit qui adverſario ejus auxilia præſtat, ejuſque vires auget. Sed & rationi repugnat, cives invicem committere, vel ſi alteri pecuniam mittit, ſua pecunia proprios oppugnare ſubditos.

An ergo poſterius pactum omni effectu caret? Affirmatur, quatenus in præjudicium antiquioris ſocii contractum eſt: huic enim jus anteriore pacto quæſitum auferre nequit; at quia promiſit alteri ſociorum quod in ejus poteſtate non fuit, ideo puniri, & bello adigi poteſt, ut reparet omne damnum occaſione hujus promiſſi datum.

Quæritur, *an auxilia in genere promiſſa præſtari etiam debeant, ſi contra conſortes ejuſdem religionis bellum geratur?* Negabant id Helveti apud THUANUM *L. 2. p. m. 36.* Angli e contrario fœdus cum Gallo initum etiam contra ſuæ religionis ſocios valere, declararunt [c]. Quod verius omnino eſt. Niſi bellum geratur exſtirpandæ religionis cauſa, idque tempore fœderis diſſimulatum ſit; quam rationem allegarunt Helveti apud THUANUM *d. l.*

Ex

(*y*) Grot. l. 2, c. 15, §. 13, & c. 25, §. 4. (*z*) Cocceji Comment. ad Grot. l. 2, c. 15, §. 13.

(*a*) B. Par. Hypomn. jur. feud tit. 6, §. 32. (*b*) Ibid. §. 36. (*c*) Camden. part. 2, f. 263.

Digitized by Google

Ex his apparet, quam caute in fœderibus pangendis procedere debeant illi, qui ad latus principis ſunt.

Dictum autem ſupra eſt, ſocium nudum eſſe inſtrumentum cauſæ principalis; ejusque effectum inter alios hunc eſſe, ut ſocius quidquid capit, cauſæ principali adquirat: adeo ut ſi Principali victo, & in poteſtate hoſtis conſtituto, ſocius recuperet provincias, hæ priſtino domino jure poſtliminii reſtitui debeant [d]; ſecus ſi bello finito, & finita ſocietate, olim ſocius alio bello provincias recuperat: tunc enim ſibi adquirit, nec ei, qui olim ſocius fuit, eas reſtituere tenetur. [e]

Præterea effectus eſt, quod ſocius ſuis ſumtibus bellum gerere non teneatur [f]: varie autem ſumtus determinari ſolent. [g]

§. DCCLXXXIII. *Intuitu ſocii* effectus eſt, ut hic teneatur auxilia, quæ promiſit, præſtare; & ſi indeterminate promiſit, ea mittere tenetur, etſi juſtam cauſam non ſubeſſe arbitretur. [h]

Exc. 1. ſi per ſocium non ſtat, quo minus præſtet: 2. ſi ipſe auxiliis illis indiget [i]: 3. ſi duobus promiſit, nec utrique præſtari poſſint, ſoli antiquiori debentur; poſterior autem ad id, quod intereſt, agere poteſt. Addit GROTIUS (ſed ſine ulla ratione) 4. ſi nulla ſit ſpes boni exitus. [k]

§. DCCLXXXIV. *Intuitu hoſtis* effectus eſt, ut huic omnia in auxilia liceant, quæ in ipſum hoſtem [l]. Hinc occidi, capi, ac res ſociorum devaſtari poſſunt; capti ſervi fiunt, poſtliminii jus in iis locum habet, &c. Præterea hoſtis ipſe propter auxilia hæc præſtita bello petere ſocium, & ad reparationem damni, vel ad pœnam agere poteſt [m], nec nova indictione opus eſt; quod exemplo Manlii apparet. [n]

Cæterum, ex præcedentibus repetendum eſt, ſocium eſſe inſtrumentum cauſæ principalis; adeoque pace cum Principali inita ſocio bellum propter præſtita auxilia inferri non poſſe, etſi de ſociis in pace nihil dictum ſit. [o]

§. DCCLXXXV. Finitur ſocietas bellica 1. mutuo conſenſu; 2. finito bello, vel per pacem, vel per ultimam victoriam [p]; 3. ſi alter ſocietatis leges non implet, & ipſe recedere vult. [q]

Quando fœdus renovatum cenſeatur, GROTIUS explicat. [r]

CAPUT V.

De his, qui in Bello Medii ſunt.

§. DCCLXXXVI. IN bello unaquæque pars ſibi jus aſſerit, adverſario negat [s]: atque hæc mutua aſſertio, cum judex ſuperior non ſit, armis diſceptatur.

Vicini populi vel accedunt alterutrius

(d) Vid. Grot. L. 3, c. 9, §. 9, & 12. (e) Ibid. (f) Grot. L. 2, c. 16, §. 12, n. 3. (g) Ibid. L. 3, c. 6, §. 23, 24. (h) Diſſent. Grot. L. 2, c. 5, §. 4, c. 15, §. 3. Conf. L. 3, c. 11. §. 6, §. 13. (i) L. 2. c. 16, §. 27, n. 1. (k) L. 2, c. 25, §. 4. (l) Grot. L. 3, c. 1, §. 3, §. 5. L. 2, c. 17. §. 6. (m) Grot. L. 3, c. 3, §. 10. (n) Diſſent. Grot. L. 3, c. 20, §. 33. c. 3, §. 10. B. Par. Diſſert. de juſt. bell. §. 10. in Vol. I. Diſſ. p. 201. (o) Vid. ſupr. §. 773. (p) L. 3, c. 3, §. 9, §. 12. (q) L. 2, c. 3, §. 15, L. 3, c. 19, §. 19, n. 4. (r) L. 2, c. 15, §. 14. (s) Coceii Diſſ. de amneſt. ſect 1, §. 3.

trius judicio, ejuſque partis cauſam defendunt, illique ſocii dicuntur, & æque ſunt hoſtes [t]; vel neutrius partis judicium ſequuntur, indeque MEDII dicuntur, & vulgo neutrales, quia neutri partium addicti ſunt.

Hi ergo *medii* nihil decidunt, ſed judicium ſuſpendunt; quidquid utrimque in bello fit pro jure habent, nihilque, quod ab utraque parte geritur, pro injuria. [u]

Cum vero periculoſa admodum res ſit medium ſedere inter duos bellantes [x], atque ita ſe gerere, ut utrique partium, finitimis inprimis ſatisfiat, hinc operæ pretium erit, jura, & officia tum mediorum in bello, tum bellantium in medios, paucis explicare.

§. DCCLXXXVII. Præmittendum autem eſt, 1. in cujuſque populi arbitrio naturaliter eſſe, medium ſe gerere inter utramque partem; & ſummam injuriam eſſe, ſi bellum gerentes neceſſitatem imponere alicui vellent, ut pro alterutra parte ſe declaret, eoque medius eſſe deſinat: 2. ſæpius contingere, ut certæ provinciæ uni bellum gerentium propriæ, pacto a jure belli eximantur, & mediæ declarentur; quod paſſim factum legimus. Atque in his terris tunc idem jus obtinet, quod in aliis pacatorum terris.

§. DCCLXXXVIII. OFFICIUM MEDIORUM erga bellum gerentes in quatuor præcipue regulis conſiſtit, *I. quod uni præ altero favere non debeant.* Non ergo pacatus tranſitum uni denegare poteſt, quem alteri conceſſit; non poteſt impedire alterum, ne ſe in portum recipiat, quem alteri permiſit: quia uni parti magis faveret, quam alteri. [y]

II. Quod pacatus utrique bellum gerentium pleniſſimam ſecuritatem in ſuo territorio præſtare debeat. Sane illi, qui bellum invicem gerunt, & in territorio pacati conveniunt, ejus imperio, & judicio ſubſunt. Si proinde alter jure hoſtis agere vellet, injuria fieret pacato, qui alterum defendere jure imperii debet. Atque ex hac ratione navis, quæ hoſtem perſequentem metuens ſe in portum pacatum recepit, ibi tuta eſſe debet, & pacatus receptam tueri tenetur. [z]

Neque eſt quod alter queri poſſit, cum ea ſecuritas cuique hominum præſtari etiam jure naturæ debeat, & utrique æquo modo præſtetur. Hinc medius tranſitum innoxium utrique permittere, commeatum præbere, commercia cum utriſque habere poteſt. [a]

III. Quod pacati ſequantur præſentem poſſeſſionem [b]: ex quo principio difficillimæ quædam quæſtiones decidi debent.

Diximus, medios inter duas partes bellum gerentes nullum ſibi judicium de juſtitia cauſæ arrogare poſſe, niſi cauſam, & partes alterutrius ſequi, eoque hoſtes ipſi devenire velint.

Cum igitur utriusque factum pro jure habeant, ſuſpendendo ſcilicet judicium; dubium videtur, cum quonam agere debeant, ſi cauſa, & neceſſitas civitatis requirit, ut cum alterutro agant? Alibi diſtinximus inter *poſſeſſionem*, ſeu *adminiſtrationem*, & inter *jus* imperii:

(t) Vid. cap. præc. (u) Dict. Diſſ. de amneſt. ſect. 1, §. 4. B. Par. Vol. I. Diſſert. p. 117. Grot. L. 3, c. 9, §. 4, n. 2. (x) Liv. XXVII. 21. (y) Grot. L. 2, c. 15, §. 5. (z) Exemplum vide apud Burnet. *Hiſtoire de ſon Temps.* (a) Grot. L. 3, c. 17, §. 2, & 3. B. Par. in Diſſ. de jur. bell. in amic. §. 21. (b) Conf. B. Par. Exerc. ad Grot. II. §. 171. ſeq. quæ exſtat in Vol. II. Diſp. p. 1436.

imperii: vicini, & medii ſequuntur *poſſeſſionem*, quia cum judicandi facultas circa *jus* eis non competat, naturali ratione factum poſſeſſionis reſpiciunt, & cum eo, qui civitatem adminiſtrat, agunt; fruſtra enim cum altero agerent, qui non poſſidet, adeoque rem, de qua agitur, per rei naturam præſtare non poteſt. Si proinde [a] poſſeſſor, qui vi forte imperium occupavit, a gente pacata id, quod civitati vi occupatæ debet, exigit, debitum ei ſolvi & poteſt, & debet. [b] Poſſeſſor talis id, quod a gente pacata debetur, civitati vi occupatæ acceptum ferre poteſt; nec ſucceſſor ejecto poſſeſſore condicere illud debitum poterit, quia ſemel exſtinctum eſt debitum voluntate præſentis poſſeſſoris, quem medii ſequuntur. Exemplum Thebanorum, qui reſtituti a Caſſandro petierunt debitum a Theſſalis, quod Alexander M. Thebanorum victor his remiſit, alibi [c] examinavimus. [c] Captus, & poſtliminio reverſus, recipit omnia priſtina jura, etiam quæ apud pacatos habuit; quia in præſenti ſtatu liber eſt: niſi debitum victori ante jam ſolutum, vel alio modo exſtinctum ſit [d]. [d] Si gens pacata civem noſtrum ab hoſte captum emit, isque poſtea ad priſtinos Lares revertitur, civis jure poſtliminii gaudet; adeoque vindicari a pacato nequit, quia etſi tamquam ſervus intra fines pacatos venerit, conditio tamen huic ſervo juncta fuit, *quamdiu non reverſus fuerit poſtliminio*: exiſtente igitur illa conditione deſinit eſſe ſervus, quem pacatus cum ea qualitate emit, adeoque in præſenti ſtatu liber eſt. [e]

IV. Quod perſonæ, & res eorum, qui bellum gerunt, ſi intra fines pacatos inveniuntur, eam retineant conditionem, & qualitatem, quam habent eo momento, quo intra fines veniunt. Cum enim pacati de jure cognoſcere non poſſint, factum ſaltem præſentis poſſeſſionis ſequuntur.

Hinc [a] is, qui ab hoſte captus, & ad pacatum deductus eſt, non habetur pro ſervo ſi nondum intra fines hoſtiles pervenit, quia non eſt in hoſtium poteſtate, ſed manet liber; ea enim ejus qualitas, & conditio fuit, cum fines pacatos intraret. E contrario [b] captus, qui ab hoſte aufugit, & ad fines pacatorum pervenit, ſervus manet; quia ſervus non eſſe deſinit, niſi ad fines ſuæ civitatis pervenerit: intrat ergo territorium pacatorum tamquam ſervus, & qua talis domino vindicanti reſtitui debet. [f]

§. DCCLXXXIX. Officium bellum gerentium erga medios in eo conſiſtit, quod nihil in eos occaſione, vel prætextu belli ſtatui poſſit, quo jus eorum lædatur, vel turbetur.

Hinc *I.* res, & perſonas pacatorum in territorio hoſtis inventas capere, vel has occidere [g], neuter poteſt. *II.* Neuter prohibere, vel turbare poteſt commercia pacati cum altero hoſtium: idque verum eſt, etſi hoſtium vires inde augeantur; uti ſi ferrum, arma, frumenta, aliaque, quæ in bello uſum habent

(c) Vid. Grot. L. 3, c. 8, §. 4, n. 2, c. 9, §. 9, n. 1. Quintil. Inſtit. orat. L. 5, c. 10, p. m. 236. Ærod. Rer. judicat. L. 2, 3, c. 2. 3. B. Par. Diſſ. de jur. victor. §. 33. (d) Grot. L. 3, c. 9. §. 6. (e) d. §. 6, n. 2. (f) dict. Diſſ. ſect. 2. §. 4. ſect. 3, §. 7. Conf. ejuſd. Diſſ. de juſtitia bellor. quæ continetur in Vol. I. pag. 201. (g) Diſſent. Grot. L. 3, 6. §. 26. ubi jure gentium demum id prohibitum eſſe, ait.

Digitized by Google

habent, afferuntur [h]. At impedire pacatum poſſumus, ſi v. gr. in urbem obſeſſam frumenta, arma, &c. inferre velit; idque jure neceſſariæ defenſionis, nec commercium impeditur. [i]

III. Arces, & civitates pacatorum occupare bellum gerentes non poſſunt, nec juris ſui defendendi cauſa, niſi hoſtis loca illa occupaturus eſſet. [k]

Hinc *IV.* ſi milites alterutrius bellum gerentium occaſione belli damnum dederunt pacato, ipſi id reparare tenentur. [l]

§. DCCXC. Regula ergo firma mariet, *medios lædi a bellum gerentibus non poſſe.* Exc. 1. ſi medii eſſe deſinunt, i. e. ſi plus favent uni parti, quam alteri [m]: [a] denegando uni, quod alteri permiſerunt [n]: [b] mittendo auxilia alteri bellum gerentium; non ſi privati, i. e. ſubditi pacatorum alterutri partium militent. [o]

Exc. 2. ſi hoſti jus aliquod, v. gr. præſidii, in caſtro pacati competit [p]; tunc propugnaculum occupari poteſt, ſi inde hoſtis reſiſtat. [q]

Exc. 3. ſi hoſtis meus occupare urbem mediam intendit, prævenire eum jure neceſſariæ defenſionis, & occupare fortalitia pacati licet [r]: ſub lege tamen reſtituendi rem, vel ejus pretium, ceſſante neceſſitate. [s]

C A P U T VI.

De Fide Hoſti data.

§. DCCXCI. DICTUM eſt, *omnia in hoſtem licere*: at regula hæc exceptionem patitur, *niſi fides ei, ut hoſti, data ſit*; tunc enim fides data ſervari neceſſario hoſti debet.

Agemus autem 1°. de obligatione in genere, quæ ex fide hoſti data oritur [t], *Sect. I.* 2°. de fide hoſti data a ſumma poteſtate [u]; ubi de pace, de induciis, de commeatu, & de redemtione captivorum agetur, *Sect. II.* 3°. de fide hoſti data ab inferioribus poteſtatibus; ubi de ſponſionibus [x], *Sect. III*: 4°. de fide hoſti data a privatis [y], *Sect. IV*: 5°. de his, qui fidei ab hoſte datæ accedunt; ubi de guarantis, & obſidibus: 6°. de fide tacita. [z]

S E C T I O I.

De Fide Hoſti data in genere, indeque ſequenti Obligatione.

§. DCCXCII. CELEBRIS quæſtio eſt, an hoſti fides data ſervanda ſit? GROTIUS in genere ait, jure naturæ fidem vi, ac metu extortam ſervan-

(*h*) Grot. L. 3, c. 17, §. 3, ſeq. §. 14, ſeq. B. Par. Diſſ. de jure belli in amic. §. 5. uſque ad §. 20. (*i*) B. Par. dict. Diſſ. §. 16, 17. Vid. infr. §. fin. (*k*) De quo vid. B. Par. Diſſ. de jure belli in amicos. (*l*) Grot. L. 2, c. 17, §. 20, n. 1. (*m*) Vid. ſupr. §. 788. (*n*) Grot. L. 3, c. 17, §. 2, 3. (*o*) dict. Diſſ. §. 46, 47, 48, 49. (*p*) Grot. L. 3, c. 6, §. 26. (*q*) B. Par. Diſſ. de jur. bell. in amic. §. 50, 51. (*r*) Ibid. §. 3, 8, ſeq. Grot. L. 3, c. 17, §. 1. (*s*) d. c. 17, §. 1. d. Diſſ. §. 41. (*t*) Grot. L. 3, c. 20. (*u*) Grot. L. 3. c. 21. (*x*) Grot. L. 3, c. 22. (*y*) Grot. L. 3, c. 23. (*z*) Grot. L. 3, c. 24.

Digitized by Google

ſervandam eſſe cuique hoſti [a]. Rationem addit 1. quia promittens fidem dat ut hoſti [b]; & hactenus efficacem eſſe obligationem, ait [c]. Probat id 2. ex ſocietate humani generis, quæ ex communione rationis, & ſermonis oritur [d]: 3. ex conſenſu gentium, quæ jura quoque cum hoſte manere [e], commercia cum ipſis eſſe [f], eosque diligendos [g], ac beneficia ipſis exhibenda eſſe [h], communi ore ſtatuunt.

Si tamen metus injuſtus eſt (uti ſi hoſtis ex injuſta cauſa bellum gerit), hoſtem 4. injuria agere, ait [i]; indeque jure naturali teneri ad alterum in integrum reſtituendum [k], i. e. ad liberandum promiſſorem [l], vel ſi fidem alter implevit, ad reſtituendum: ſi nolit reſtituere, bello ad id adigi poſſe. [m]

Addit, 5. gentes poſtquam bello publico certas ſolemnitates tribuerunt, eisque ſolemnitatibus effectus quosdam peculiares adſcripſerunt, ſimul conſtituiſſe, ut is, qui metu injuſto aliquid promiſit, non ad reſtitutionem agere, nedum ea negata bello jus ſuum repetere poſſit [n]. Rationem hujus conſtitutionis gentium 6. hanc reddit, quia ni id placuiſſet, ut promiſſa ex cauſa metus injuſte illati firma eſſent, bellis talibus, quæ valde frequentia ſunt, nec modus, nec finis potuiſſet imponi; quod tamen intereſſe, ait, humani generis [o]: modo ipſum jus gentium metum illatum non improbet; uti ſi metu ſtupri promittat. [p]

Cum vero 7. hoc jus gentium ex hypotheſi Grotii non verum jus tribuat, ſed ſaltem impunitatem, & effectus dominii externos; inde concludit, hoſtem ſalva pietate ita promiſſum exigere non poſſe, quin & ſolutum reſtituere teneri [q]: at hanc obligationem non ad forum ſoli, ſed ad forum poli pertinere. [r]

Denique Grotius ait, etiam eum, qui ex juſta cauſa promittit, duplici caſu liberari non implendo fidem; 1. ſi conditio deficit: 2. ſi cum alio debito compenſat. [s]

§. DCCXCIII. Ratio Grotii, quod ideo fides hoſti data valeat, quia *ut hoſti* datur, vera eſt: qui enim hoſti, qua hoſti, aliquid promittit, i. e. ſua voluntate jus in eum transfert, quoad hunc actum definit eſſe hoſtis, & ita diſpoſuere partes, ne quoad hunc actum jus belli inter eos obtineret.

Neque allegari poteſt, fidem illam vi, metuque, adeoque injuria eſſe extortam: nam inter duas ſummas poteſtates, quarum utraque juſtitiam cauſæ ſibi aſſerit, non poteſt de injuria quæſtio eſſe, cum judicem non habeant, qui de injuria cognoſcat, & decidat. Hoſtis igitur, qui adverſaril potentiam metuens pacem init, jura quædam cedit, &c. injuriam allegare nequit; quia alter jure ſe petere aſſerit:

(a) L. 2. c. 11, §. 7, n. 2. c. 17, §. 19. L. 3. c. 19, §. 1, §. 6, n. 1. (b) d. c. 11, §. 2, n. 2. (c) d. c. 11, §. 7. n. 2. (d) L. 2, c. 19, §. 1, & §. 6, n. 1. Conf. L. 2, c. 17, §. 19. c. 11, §. 7, n. 1. (e) Grot. L. 3, c. 19, §. 1. (f) L. 3, c. 21, §. 1. (g) L. 1, c. 2, §. 8, n. 9, & 11. (h) L. 2. c. 20, §. 10, n. 2. (i) L. 2, c. 11, §. 7, n. 2. L. 3, c. 19, §. 11, n. 2. (k) L. 2. c. 17, §. 18. (l) d. c. 11, §. 7, n. 2. L. 3. c. 19, §. 4. (m) L. 3, c. 23, §. 2. (n) L. 3, c. 19, §. 11. L. 3. c. 23, §. 2. (o) d. c. 19, §. 11. Conf. L. 2, c. 11, §. 7, n. 2. & c. 17, §. 19. (p) d. c. 19, §. 2. (q) d. c. 19, §. 11, n. 1. (r) Vid. ſupr. (s) d. c. 19, §. 14. ſeq.

Digitized by Google

rit: quod is, qui jura ceſſit, affirmare videtur. Sane, ſi vim transactionibus hoſtium opponere liceret, perpetua forent bella, & nullus litium inter ſummas poteſtates futurus eſſet finis: quæ ſententia communi gentium conſenſu confirmatur.

n. 1. Hinc apparet, fidem ſervandam eſſe hoſti, etſi injuſtam cauſam defendat quia de juſtitia cauſæ per rei naturam inter homines, qui ſuperiorem non habent, conſtare nequit: adeoque res vel judicio divino relinquenda, vel per transactionem utriusque conſenſu decidenda eſt. Admitti igitur non poteſt figmentum GROTII, quaſi jure gentium demum in bello ſolemni ſtatutum ſit, ut etiam is, qui non ex juſta cauſa bellum gerit, promiſſa hoſti ſervare debeat.

n. 2. Sed & porro notandum eſt, non ideo hoſti fidem ſervari debere, *quod ſocietas humani generis etiam cum hoſte maneat* [t]; nam talem ſocietatem non agnoſcimus: adeoque etſi nulla ſocietas cum hoſte ſit, certum tamen eſt, jus in eum transferri voluntate adverſarii poſſe.

n. 3. Recte igitur Grotius aſſerit, hoſtem, qui aliquid promiſit, agere non poſſe, ut is, cui promiſit, ſe liberet a promiſſione [u]: nam nec contra prædonem talis actio datur, nedum contra hoſtem, qui nec ad id, quod intereſt, tenetur.

n. 4. Neque obſtat, quod jure Romano aſſeratur, *nihil conſenſui tam contrarium eſſe, quam vim, & metum* [x]. Reſp. 1. regulam in contrarium refert PAULUS [y], & diſerte tradit, *coactam voluntatem etiam eſſe voluntatem*; additurque ratio, *quia etſi, ſi liberum fuiſſet, noluiſſem, tamen coactus volui.* Excepere autem JCti negotia bonæ fidei; nam ſpeciatim de his loquitur allegatus textus: quia eſſentia horum negotiorum non in ſolo conſenſu, ſed & in bona fide conſiſtit, cum qua violentia pugnat. Hæc igitur exceptio, uti ipſa diſtinctio in contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, ex jure civili eſt. Reſp. 2. JCti Romani loquuntur de vi injuſta; hæc tollit conſenſum in negotiis bonæ fidei: non autem eſt vis injuſta, quæ ab hoſte infertur, & per pacem componitur.

n. 5. Denique non *obſtat*, quod omnia in hoſtem liceant: quod interfici, capi, &c. poſſit; quod bona ipſi auferre liceat, &c: multo magis igitur videtur permiſſum auferre ei jus, quod ex pacto noſtro hoſti quæſitum eſt. Nam bene reſpondet Grotius, fidem ei datam eſſe ut hoſti; adeoque quoad hunc actum juri belli renunciatum eſſe. [z]

n. 6. Servanda autem non tantum eſt fides data de finiendo bello, ſed & quævis alia, etiam quæ durante bello datur: eadem enim ſubſiſtit ratio, quia hoſti, ut hoſti, fides datur.

§. DCCXCIV. Quæritur, an promiſſio hoſti ſervari debeat, ſi dolo elicita ſit? Reſp. ſervari omnino debet, quia conſenſus adeſt: at ſi inde deceptus, & jus alterius læſum eſt, nova hic ſubnaſcetur belli cauſa.

n. 1. Hinc jam apparet ratio, cur promiſſio Gabaonitis facta, ab ipſo ſummo Numine valida declarata fuerit. Nam 1. dolus ſua natura, & per ſe non impedit conſenſum. Sane, in caſu Gabaonitarum in re, & ſubſtantia negotii erratum non fuit: illi enim vitæ ſecuritatem poſcebant; hanc pro- mit-

(t) Grot. L. 3. c. 19, §. 12. (u) d. c. 19, §. 4, 5. (x) L. 116, D. de reg. jur. (y) L. 24, §. 4. quod met. cauſ. (z) Grot. L. 3. c. 19, §. 3.

mittebant Iſraëlitæ: adeoque ſaltem in qualitate populi erratum eſt; qualis error negotium non vitiat. Negotium hoc 2. eo magis ſubſiſtebat, quia Iſraëlitæ dubitaverunt de qualitate, & tamen in genere, & absque ulla conditione, fidem dederunt. Accedit, 3. quod hic non fuerit dolus malus, quo jus alterius læſum fuit: Gabaonitæ enim ſimulabant, ut vitam ſalvam haberent; quo caſu ex ſententia JCtorum Romanorum nec actio de dolo locum habet [a]. Adeoque 4. ſolis Iſraelitis hic ſuccenſeri debet, quod temere nimis fidem dederint, cum interrogando Numen facile de rei veritate certiorari potuiſſent. Accedit, 5. quod ipſe Deus modum præſcripſerit Iſraelitis, quo cum hoſte agere deberent: nimirum, ut ſi pacem hoſtis quæreret, eam non denegarent. Denique, & 6. comperto dolo ratihabuere Iſraëlitæ pactum, fidemque datam renovarunt, adeoque ex hac quoque ratione pleniſſime obligabantur [b]. Cæterum, propter calliditatem pœnas ab ipſis ſumſerunt, dum eos perpetuis deſtinaverunt ſervitiis.

n. 2. Neque *obſtat*, Deum prohibuiſſe, ne fœdus cum damnatis populis ineant; adeoque nullam fuiſſe talem promiſſionem. *Reſp.* hæc prohibitio ſaltem publicata fuit Iſraëlitis, ne fidem darent, & in eorum favorem, ne per hujusmodi fœderatos ad idololatriam incitarentur: ſi proinde ſuo favori renunciant, & contra illam prohibitionem divinam fidem dant, in Deum peccant; at negotium ipſum non redditur nullum. Jus enim Gabaonitis ex fide illa quæſitum auferre eis non potuerunt, utpote quibus a Deo non erat prohibitum, ne ſecuritati ſuæ proſpicerent.

Ponamus, Principem ſubditis ſuis legem ſub graviſſima pœna publicaſſe, ne cum vicina gente commercium ineant; ſubditi poſthabita hac lege cum vicinis contrahunt, & merces pro certo pretio accipiunt: hoc negotium cum vicinis geſtum conſiſtit, adeo ut his, pretium petentibus, auxilium præſtare magiſtratus teneatur; at ſubditi puniri poſſunt, quod lege prohibente contraxerint.

n. 3. Aliud exemplum ſuppeditant JCti Romani. Deus prohibuit ſcortationem; adeoque factum hoc illicitum eſt: ſi vero ſcortum contra prohibitionem legis uſum corporis ſui alii præbet pro certa mercede, promiſſio valet, & meretrix agere ad mercedem poteſt [c]. Addunt rationem, quod meretrix turpiter faciat, quod ſit meretrix, ſed non turpiter accipiat, cum ſit meretrix: merces enim hæc debetur ex utriusque conſenſu.

§. DCCXCV. Fides hoſti datur vel tacite, vel expreſſe. *Expreſſe* datur verbis; ſub verbis autem continentur etiam ea, quæ ex fine agentium, & ex medii neceſſitate ſequuntur: adeoque ſi promittentes ad certum finem fidem dederunt, ſimul omnia ea promiſſa videntur, ſine quibus finis ille obtineri nequit. Hinc qui paciſcitur colloquium, illud promittit innoxium [d]; qui ſe in fidem dat civitati, hoc ipſo promittit, ſe nihil in eam moliturum [e]: ſic qui certo loco ſolvere promiſit, hoc ipſo obtinet libertatem eundi, vel redeundi [f].

Tacite fides data videtur per ſigna inter homines ad declarandam voluntatem

(a) L. 1. D. de dol. mal. (b) Joſ. IV. v. 11. (c) L. 4. §. 3. D. de condict. ob turp. vel injuſt. cauſ. (d) c. 24. §. 3. 4. (e) c. 23. §. 2. (f) L. 3. c. 19. §. 15.

tatem recepra. Si proinde hoſtis vela candida exponit, eoque animum colloquendi exponit, lædi non poſſunt qui colloquii cauſa mittuntur. Alia exempla pactorum tacitorum propoſuimus ſupra. [g]

n. 1. Si pactum dubium eſt, varias regulas interpretationis GROTIUS tradit [h]; ſed regulas has tamquam vagas, & nulla ratione fundatas, rejecimus ſupra.

Si *verba* dubia ſunt, *I.* regula generalis eſt, *quod is ſenſus verborum valeat, quem promittens ſcit alterum intelligere.* Hinc fallaciam commiſere Romani, qui Carthaginem liberam fore promiſerunt, & *urbem* deſtruxerunt, cauſati, per Carthaginem civium multitudinem intelligi [i]: ſcivere enim, Carthaginenſes *urbem* quoque intellexiſſe.

II. Si verba vere dubia ſunt, ea interpretationem recipere debent *ex communi uſu*: verba enim valent uſu uti numi. Hinc vitam pactus libertatem petere nequit [k]. Qui deditionem promiſit non veniente auxilio, liberatur ſi auxilium venit, etſi id non ſufficiat [l]. Qui pactus eſt, ſe rediturum, non liberatur ſi clam redit [m]. Dedita urbe etiam præſidium deditum cenſetur, indeque dimitti a civitate nequit [n]: captus, & ſua fide (*ſur ſa parole*) dimiſſus, redire non tantum tenetur, ſed & nihil agere poteſt quo hoſti noceatur; hinc ſi hoſtis prædatum it (*s'il va en parti*), non poteſt ita dimiſſus latebras indicare ſuæ civitati.

Si uſus ille loquendi dubius eſt, & alter ſe aliter ſenſiſſe ait, nihil actum eſt, ac bello res decidi debet.

Quando ex *factis* appareat voluntas paciſcentium, & quænam regulæ interpretandi ibi obtineant, ſupra [o] explicavimus.

§. DCCXCVI. Effectus fidei hoſti datæ eſt, 1. ut promittens obligetur ad fidem hoſti datam implendam. Neque quæri amplius poteſt, an jure, an injuria bellum geratur, quia hanc ipſam injuriam promittentes in hoc actu remittere cenſentur [p]. Adeoque injuria agit qui prætextu vis, ac metus injuſti, fidem hoſti datam non implet, vel pacis articulos rumpit. Si proinde *privatus* eſt qui fidem hoſti datam infringit, adigi a ſuo magiſtratu debet ad implendum: ſi *ſumma poteſtas*, nova hæc cauſa eſt belli; & tunc mirari non debemus, Deum arbitrum, & judicem bellorum, ob ſupervenientes ejuſmodi in bello injurias ei, qui ab initio juſtam cauſam habuit, ſæpius eripere victoriam.

§. DCCXCVII. Fides hoſti data præſtari non debet, 1. ſi deficit conditio, ſub qua hoſti fides data eſt [q]: 2. ſi poſt fidem datam nova ſuboritur belli cauſa; uti ſi hoſtis legatos meos, vel inducias pactas violavit; tunc enim jure belli jura hoſti quæſita auferri poſſunt jure prædæ: non vero 3. ſi promittens compenſare vult debitum cum alio debito, quod is, cui promittitur, ante fidem datam debuit [r]; hoc enim jam belli jure exſtinctum erat.

S 2.

(*g*) L. 5, c. 2. (*h*) L. 3. c. 19, §. 11. c. 22, §. 10, 11, 13. (*i*) Grot. L. 2. c. 16, §. 15. add. ſupr. (*k*) L. 3. cap. 19, § 12. (*l*) Diſſent. Grot. d. c. 19, §. 14. (*m*) d. c. 19, §. 13.

(*n*) Diſſent. Grot. L. 3. c. 22. §. 13. (*o*) L. 5. c. 2. (*p*) L. 3. c. 19, §. 3, 6. (*q*) d. c. 19, §. 14. (*r*) d. §. 14. ſeq.

SECTIO II.
De fide hoſti data ab ipſa ſumma Poteſtate.

§. DCCXCVIII. CUM bellum non niſi a ſumma poteſtate geratur, facile apparet, neminem circa belli negotia fidem hoſti dare poſſe, niſi ipſam ſummam poteſtatem.

§. DCCXCIX. *Pacem* igitur ſola ſumma poteſtas inire poteſt, quia definiendo bello agitur, de quo nemo tranſigere poteſt, niſi is, ad quem negotium belli pertinet. De hac pace infra §. 851. *ſeq.* ex profeſſo agemus.

§. DCCC. *Inducias* facere, & *commeatum* dare, itidem ſummæ poteſtati proprium eſt. Sed cum hæc facultas etiam Ducibus, quibus adminiſtratio belli committitur, conceſſa videatur, hæc jura ad Sectionem ſequentem remittimus.

§. DCCCI. Summam poteſtatem ex fide hoſti data obligari, nec exceptionem vis, metusque, immo nec doli, ei opponi poſſe, in præcedentibus vidimus. *Vid.* §. 793. & 794.

SECTIO III.
De fide hoſti data a Ducibus belli.

§. DCCCII. DIXIMUS, ſummam poteſtatem aliquando aliis concedere facultatem paciſcendi cum hoſte, eique fidem dandi. Factum hoc videtur quoties adminiſtrationem belli Duci committit. Cum enim in genere hæc adminiſtratio Duci committitur, omnia quoque ea commiſſa cenſentur, quæ ad belli adminiſtrationem pertinent [s]; adeo ut Princeps ex tacito hoc mandato obligetur. [t]

§. DCCCIII. Notanter diximus, Duces fidem dare poſſe de negotiis, quæ ad *adminiſtrationem belli* pertinent. Non ergo tranſigere poſſunt de belli cauſis, & conſequentibus [u]. Unde ſatis apparet, *ſponſiones* Ducum non obligare civitatem, ſeu Principem.

§. DCCCIV. *Sponſiones* dicuntur, quando Duces belli pacis conditiones cum hoſte ineunt, & promittunt, civitatem conſenſuram. [x]

§. DCCCV. Exempla ejusmodi ſponſionum varia occurrunt in hiſtoria Romana. Omnium celeberrima eſt *ſponſio Caudina*, quæ cum Samnitibus inita eſt. Poſthumius conſul dolo Samnitum ad furculas Caudinas allectus, nec evadere, nec retro viam repetere potuit; ſpe evadendi peremta, & perditis rebus, victusque neceſſitate, pacem petebat. Pacis conditiones Samnites Duce Pontio has præſcripſere: 1. ut ſinguli ſub jugum mitterentur, 2. agro Samnitum diſcederent Romani, 3. coloniæ abducerentur, 4. ſuis legibus uterque populus æquo fœdere viveret. Poſthumius conſul ſignavit has conditiones: eoque poteſtati victorum ſeſe ſubjecere conſules, legati, quæſtores, & tribuni militum, nomenque ſuum dederunt & primi conſules, &c. deinde reliqui ſub jugum miſſi, exercitusque dimiſſus eſt [y]. Romani indignati pacem ignominioſam, noluerunt eam ratam habere, ſed decreverunt, ut ſponſores dederentur hoſti veſte detracta, & vincti: quod cum per Feciales fieret, noluit Pontius deditionem accipere, cauſatus, populum Romanum, ſi ſponſionis

(s) Grot. L. 3. c. 22, §. 2, 4. ſeq. (t) d. c. 22, §. 2, 3. (u) d. c. 22, §. 7. (x) Vid. L. 5. D. de pact. (y) Liv. L. 9. c. 2. 3, 4, 5, 6.

ſionis ad furculas Caudinas factæ pœniteret, legiones intra ſaltum reſtituere debere [z]. Concludit LIVIUS, *ſponſores forſitan & publica, ſua certe fide liberatos ab Caudio in caſtra Romana involatos rediiſſe.* [a]

n. 1. *M. Clodius* cum *Corſis* turpem pacem iniit, ideo a Senatu Corſis deditus, at non acceptus eſt. Reverſum Senatus tamquam læſæ majeſtatis reum in cuſtodia publica necari juſſit; & addit VALERIUS MAXIMUS [b], eum Senatus animadverſionem meruiſſe.

n. 2. *Jugurtha Aulum Romanorum Ducem* ſpe pactionis perpulit ut in abditas regiones ſeſe veluti cedentem inſequeretur, tandem variis uſus artibus de improviſo exercitu ſuo caſtra Auli circumvenit. Jugurtha etſi Aulum cum exercitu fame, ferroque clauſum teneret, tamen pacem cum eo iniit, ut incolumis quisque ſub jugum mitteretur, & diebus decem Numidia decederet: at Senatus decrevit, ſuo, atque populi injuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri; indeque bellum redintegravit ſalvo exercitu. [c]

n. 3. *Mancinus* victus noctu relictis caſtris diſcedere conatus fuerat: Numantini cum id ſenſiſſent, caſtra ſtatim ceperunt, & fugientes adorti poſtremos trucidarunt, totumque agmen circumvenerunt, inque loca difficilia, & fugæ interclusa compulerunt. Unde eum vi ſe evadere poſſe Mancinus deſperaſſet, miſſoque præcone pacem, ac fœdus popoſciſſet, per Tiberium Gracchum partim perſuadendo iis, partim oblatas conditiones accipiendo fœdus iniit, ac 20000. civium haud dubie ſervavit. Romani totam illam pacificationem ut indignam, & Romanis dedecus afferentem culpati ſunt, turpitudinem facti Mancino imputantes.

Quidam opinabantur, exemplo Poſthumii, omnes, qui fœdus pepigerint, ut quæſtores, & tribuni militum, nudos hoſti dedendos eſſe, ut perjurium in eos, & conventorum violatio derivetur [d]: at ſolus Conſul nudus, & vinctus Numantinis decreto Senatus deditus fuit, reliquis ignovit [e]: Alii ſuccenſebant Scipioni, quod Mancinum non ſervaſſet, neque effeciſſet, ut fœdus cum Numantinis factum ratum haberetur. [f]

n. 4. Cum Henricus XII. infeliciter contra Anglos in Morinis pugnaſſet, & Helvetii, auro Anglorum incitati, Divionem oppidum Heduorum obſiderent, præfectus præſidii Tremolius pacem cum Helvetiis, quibuscumque voluere conditionibus, inivit, inprimis ut Gallia omni transalpina in poſterum Galli abſtinerent, & Helvetiis 400000. aureorum pro impenſa ſuſceptæ expeditionis exſolverent. Etſi vero ſaluti totius Galliæ hoc pacto conſultum fuerit, tamen rex eas conditiones, tamquam ſummæ iniquitatis plenas, improbavit, atque rejecit. [g]

§. DCCCVI. Quæritur, *an civitas ex tali ſponſione Ducis obligetur, & an pacis conditiones implere teneatur?* Merito id negamus [h], quia pax, & fœdus, injuſſu civitatis contrahi nequit: Duci enim belli ſola adminiſtratio belli commiſſa eſt; non autem adminiſtrat

(z) Liv. d. L. 9. c. 7, 8, 9, 10, 11. (a) Liv. d. c. 11. in fin. (b) L. 6. c. 3. n. 6. (c) Salluſt. Bell. Jugurth. c. 38. p. m. 78. (d) Plut. Tiber. Grach. p. m. 171. Gell. l. 7. c. 18. Flor. L. 2. c. 18. (e) Plut. d. l. (f) Plut. d. l. (g) Maſſon. L. 4. Annal. p. m. 531. Guicciard. Hiſt Gall. L. 12. (h) Grot. L. 2. c. 15. §. 16. n. 1. L. 3. c. 22. §. 7.

Digitized by Google

ſtrat, qui pace finem bello imponit. Idque Conſules Samnitibus diſerte declaraverunt [i]; quod Poſthumius poſtea in Senatu rationibus illuſtravit [k]; & Senatus Romanus ea ratione contra Numantinos uſus eſt [l]: ſed & ex eadem ratione Senatus ſponſionem Numantinam ratam habere noluit. [m]

Neque *obſtat*, fœdus verum hic ſubeſſe. Sane, Claudius, aliique exiſtimarunt, pacem Caudinam non fuiſſe ſponſionem, ſed fœdus: at recte contrarium probat LIVIUS [n], quia expreſſe dixerat, ſe injuſſu populi fœdus contrahere non poſſe; idque ex differentia ſponſionum, & fœderum illuſtrat: ſponſorem enim 1. promittere ſaltem, ait, ſecuturum conſenſum, & ratihabitionem populi Romani; fœdus autem non opus habere tali ſponſore: 2. quia imprecatio fœderibus in perjuros addi ſolet; quæ hic adjecta non fuit: 3. quia omnes ſponſores nominatim expreſſi fuere; cum in fœdere duorum ſaltem Fecialium nomen exprimi ſoleat. [o]

Si populus vel tacite, vel expreſſe ratihabuerit ſponſionem, is tenetur ex ſuo conſenſu. [p]

n. 1. Sed anne Romani totum exercitum, ſub fide hujus ſponſionis dimiſſum, in priſtinum ſtatum, & locum reſtituere debuiſſent? Acriter hoc diſceptatum fuit inter Samnites, & Romanos, immo inter Romanos ipſos: Nam Tribuni plebis negabant, exſolvi religione populum deditione ſponſorum, niſi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuiſſent, reſtituerentur [q], &c. Sane, pro affirmativa videbatur militare, quod negotium Romanorum utiliter ex ſponſione geſtum, ac inde locupletiores facti ſint; quia per ſponſionem Caudinam [r] æque, ac per ſponſionem Numidiam ſalvum habuere exercitum [s]. Per ſponſionem Numantinam 20000. civium ſalvi fuere [t]; & per Tremolii ſponſionem totius Galliæ ſaluti conſultum fuit. [u]. Hinc Samnitum Dux perfidiæ accuſavit Romanos, ac reſtitutionem exercitus in eumdem ſtatum efflagitavit.

Ex quibus concludendum videtur, ex æquitate naturali populum Romanum obligatum fuiſſe quatenus locupletior factus eſt, adeoque & ad reſtituendum exercitum, quem ſine illa ſponſione ſalvum non habuiſſet. [x]

Verum, plane hic non eſt negotiorum geſtio, nec intuitu Ducis, nec intuitu Samnitum. Dux enim belli mandatum expreſſum habebat ad bellum gerendum, non ad illud finiendum, nedum ad illud finiendum modo adeo ignominioſo: tantum igitur abeſt ut Dux pro negotiorum geſtore haberi poſſit, ut potius ex mandato male impleto obligatus fuerit Romanis. Sed nec Samnites eo nomine contra Romanos agere potuerunt, quia non Romanorum, ſed ſuum negotium geſſere, in propria ſua commoda laborarunt, & pacis conditiones ſibi glorioſas, Romanis vero ignominioſas extorſerunt. Neque aſſeri poteſt, Romanos

(i) Liv. L. 9, c. 8, pr. (k) Ibid. c. 8, 9. (l) Ibid. c. 10. (m) Salluſt. Bell. Jugurth. c 38, p. m. 78. (n) Liv. 9. c. 8, 9. (o) Liv. d. l. (p) L. 2, c. 15, §. 16, n. 1, & §. 17, n. 1. L. 3, c. 22, §. 7. (q) Liv. L. 9, c. 8, in fin. (r) d. c. 8, & 9. (s) Salluſt. Bell. Jugurth. c. 38, p. 78. (t) Plut. in Grach. (u) Maſſon. Annal. Franc. L. 4. (x) Grot. L. 2. c. 15. §. 16. n. 2.

Digitized by Google

nos locupletiores factos eſſe : nam exercitus jam eorum fuit, adeoque jus ſuum integrum ſervarunt, non autem novum jus quæſivere. Conſervarunt igitur exercitum per imprudentiam Samnitum, hoſtium Romanorum, qui cum Romam legatos mittere, de pace cum ſenatu agere, interim vero exercitum obſeſſum retinere potuerint, ultro eum dimiſere, contenti 600. obſidibus, quos cautionis loco ſibi reſervarunt. [y]

Non ergo perfidi fuere Romani (quod injuria Samnites ipſis imputarunt) ; nam Senatus nullam fidem dedit [z], dimiſſum ab hoſte exercitum jure ſuo recepit, & tamquam hoſtis ex imprudentia hoſtium lucratus eſt. Omnis igitur, & ſolus regreſſus Samnitibus competebat tum in obſides, qui cautionis loco in eorum poteſtate remanſerunt, tum in ſponſores, qui jus alienum ſpoponderunt [a] ; & ideo, quia fidem ſuam liberare non poterant, Samnitibus publico decreto dediti ſunt. Ipſe Poſthumius tribunorum opinionem oppugnans ait : *quod deditione noſtra negant exſolvi religione populum, id iſtos magis ne dedantur, quam quia ita ſe res habeat, dicere* [b]. Si ipſe exercitus reditum promiſiſſet, inde obligatus fuiſſet. [c]

n. 3. Quis ergo eſt effectus hujus ſponſionis? Reſp. *ſponſores* implere tenentur id, quod promiſere ; i. e. efficere, ut populus Romanus ratihabeat pacis conditiones a Duce initas : idque Tiberium Gracchum procuraſſe in prima ſponſione cum Numantinis inita, legimus. [d]

Si civitas ſponſionem ratihabere nolit, tenentur ſponſores ad id, quod intereſt promiſſum impletum non eſſe : atque hinc dedi ſolent ſponſores, qui fidem hoſti dedere [e]. Ipſe Poſthumius conſilium hoc dedit Senatui : *nec quicquam ex ea ſponſione præterquam corpora noſtra debentur Samnitibus ; dedamur per Feciales nudi, vinctique ; exſolvamus religione populum, ſi qua obligavimus, ne quid divini, humanique obſtet, quo minus juſtum, piumque de integro ineatur bellum.* Et mox : *Samnitibus*, ait, *ſponſores nos ſumus ; rei ſatis locupletes in id, quod noſtrum eſt, in id, quod præſtare poſſumus, corpora, & animos ; in hæc ſæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant* [f]. Atque ideo Poſthumius, & omnes, qui fœderi intervenerunt, ut Quæſtores, & Tribuni militum, dediti per fecialem Samnitibus, at non recepti ſunt [g]. Similiter in ſponſione Numantina prudentiores opinati ſunt, cum Mancino omnes, qui interfuerunt paci, dedi hoſti debere : at populus favore Gracchi ſolum Mancinum dedendum judicavit ; quod apud Senatum quoque obtinuit. [h]

In ſponſione Corſica itidem ſolus Conſul deditus eſt [i]. Atque hac ratione fidem publicam, & privatam liberatam fuiſſe, Romani crediderunt. [k]

Quæri ſolet, *an ſponſores ita dediti occidi poſſint?* Affirmatur : nam jam ante capti, & in poteſtate hoſtis fuere, ac nunc ex deditione ſuæ civitatis ejusdem hoſtis poteſtati ſubjiciuntur : omnia igitur in eos tamquam hoſtes licent ; eo magis autem in ſponſores, quia fidem hoſti dederunt, quam implere non poſſunt.

Si

(*y*) Liv. L. 9, c. 9. (*z*) Ibid. (*a*) Vid. §. ſeq. (*b*) Liv. L. 9, c. 9. (*c*) Grot. L. 2, c. 15, §. 16. n. 3. (*d*) Plutarch. in Tib. Gracch. p. m. 171., (*e*) L. 2, c. 15, §. 16, n. 1. (*f*) Liv. d. c. 9. (*g*) Liv. l. c. (*h*) Plut. in Tib. Gracch. p. m. 171. (*i*) Val. Max. L. 6, c. 3, n. 6. (*k*) Liv. L. 9, c. 8, & 11. in fin.

Si ſponſores ab hoſte non recipiuntur; uti Corſi non recepere M. Clodium, nec Numantini Mancinum, nec Samnites Poſthumium, reliquosque ſponſores, porro quæritur, an cives maneant? Diſceptatum id fuit inter JCtos Romanos; & alibi probavimus, eos civitatem non amiſiſſe.

Obiter hic notandum eſt, ipſam civitatem in tales ſponſores ob negligentiam animadvertere poſſe: ita enim in ſponſione Corſica M. Clodius, cum receptus non eſſet a Corſis, tamquam læſæ majeſtatis reus in cuſtodia publica necatus fuit. [l]

n. 4. Denique effectus ſponſionum inſignis eſt intuitu *obſidum*: hi enim, deficiente ratihabitione civitatis, manent hoſtes, in quos omnia licent.

§. DCCCVII. Hactenus egimus de pactis Ducum, quæ de finiendo bello agunt, & quæ non valent, niſi civitas approbet, vel conſentiat: at alia pacta ſunt, quæ ad adminiſtrationem belli pertinent; atque huc referuntur *induciæ*, & *commeatus*.

INDUCIÆ ſunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abſtinendum eſt. [m]

Induciarum nomen non eſt ab *inde uti jam*, nec ab *endoitu*, ſed quod ab *inde*, i. e. a certo tempore, *otium* ſit. [n]

Induciæ ſunt vel *univerſales*, ubi omnis vis ubique inter bellantes ſuſpenditur; vel *particulares*, ubi vis ſaltem ſuſpenditur quoad certos actus. [o]

Fieri plerumque induciæ ſolent in breve tempus: poſſunt tamen contrahi in plures annos; & exempla contractarum in 100. annos induciarum paſſim exſtant. [p]

§. DCCCVIII. Inducias contrahere non tantum poſſunt ſummæ poteſtates bellum invicem gerentes; ſed & Duces belli, quatenus pars eſt adminiſtrationis belli ipſis commiſſi. [q]

Hæ induciæ cum effectu incipiunt ex momento, quo partes conſenſere [r]; ſubditi autem inde non obligantur, niſi ex publicationis tempore. Si quid interim poſt pactas inducias occupatum eſt, reſtitui id debet, at induciæ non ſunt violatæ [s]. Dies autem hic intelliguntur naturales, i. e. ſpatium 24. horarum. [t]

§. DCCCIX. Objectum induciarum ſunt actus bellici, utpote qui per hanc conventionem vel generaliter, vel quoad quosdam actus ſuſpenduntur. [u]

§. DCCCX. Effectus eſt, ut paciſcentes durantibus induciis omnem vim, omnesque actus hoſtiles, ſuſpendere debeant, tum in perſonas, tum in res hoſtium [x], etſi bellum maneat.

Hinc 1. ire, & redire in terras hoſtiles [y], 2. interius recedere cum exercitu [z], 3. auxilia, & commeatum adducere [a], 4. mœnia reficere [b], 5. derelicta ab hoſte (non vero relicta ſaltem) occupare [c] licet.

E contrario durantibus induciis non licet 1. transfugas recipere [d], 2. hoſtium præſidiis corruptis loca eorum occupare [e], 3. nec ab hoſte capta poſtliminio recipere. [f]

Not. Quædam ſunt illicita ob ſpecialem conventionis naturam: quos caſus in *commentario* examinavimus. [g]

§. DCCCXI.

(*l*) Val. Max. L. 6, c. 3, n. 6. (*m*) Grot. L. 3, c. 21, §. 1. (*n*) Grot. d. c. 21, §. 2, (*o*) Grot. L 3, c. 21. §. 10. (*p*) d. c. 21, §. 1, n. 3, 4. (*q*) d. c. 21, §. 7. (*r*) d. c. 21, §. 5. (*s*) d. §. 5. (*t*) d. c. 21, §. 4. (*u*) d. c. 21, §. 1.

(*x*) d. c. 21, §. 6, n. 1. (*y*) d. c. 21, §. 6, n. 3. (*z*) d. c. 21. §. 7. (*a*) Ibid. (*b*) d. c. 21, §. 7. (*c*) d. c. 21, §. 8, n. 2. (*d*) Ibid. n. 1. (*e*) d. c. 21, §. 6, n. 1. (*f*) Ibid. n. 2. (*g*) d. c. 21, §. 10.

Digitized by Google

§. DCCCXI. Finiuntur induciæ *I.* finito tempore adjecto, quod vel continuum eſt, vel cum deſignatione termini [h]. *Continuum* tempus dicitur, ſi *centum dierum* induciæ contrahuntur, non deſignato termino, nec a quo, nec ad quem: tempus *cum deſignatione termini* eſt, ſi v. g. *usque ad Calendas Martias* induciæ pactæ ſunt.

Priori caſu computari debet tempus de momento in momentum, ita ut induciæ incipiant ea hora, eoque momento, quo contractæ ſunt, & deſinant elapſo centies ſpatio 24. horarum, eadem hora, eodemque momento.

Poſteriori caſu quæri ſolet, an terminus ad quem quoque ſub induciis contineatur? i. e. an Calendæ Martii, ad quas usque induciæ conceſſæ ſunt, tutos reddant hoſtes? quod merito negamus. [i]

Si vero terminus certus deſignatus eſt, *a quo* incipere debeat, certum eſt, eum diem intra menſuram temporis contineri. [k]

Not. Finitis iduciis nova indictione belli opus non eſt, quia bellum ſuſpenſum ſaltem, non finitum fuit; adeo ut perſonæ, quæ durantibus induciis ad nos pervenerunt, & vi majori impediuntur quo minus ante finitas inducias recederent [l], tamquam hoſtes capi poſſint.

n. I. *II.* Finiuntur induciæ ſi hoſtis, cum quo induciæ pactæ ſunt, induciis contrarium aliquid fecerit; quod exemplo Braſidæ probat GROTIUS [m]: niſi pœna in caſum violationis adjecta fuerit, & ea ſolvatur. [n]

n. 2. Non vero 3. finiuntur induciæ, ſi privati aliquid pacto contrarium agunt: niſi paciſcens approbet. Approbare autem videtur ſi nocentes nec punit, nec dedit [o]: quod itidem exemplis probat GROTIUS. [p]

§. DCCCXII. Fidem quoque hoſti dare poſſunt belli duces concedendo *litteras commeatus*, vulgo *Paſſeports.* [q]

Vox *commeatus* eſt a *cum*, & *meare*; quod ſignificat ultro, citroque ire: unde *commeare* Germanis *ausgehen*, *auswandern*, [r]; & ſumitur *vel* pro litteris dimiſſoriis (*Abſchied*), *vel* pro alimonia exercitus (*Proviant*), *vel* pro ſecuritate, & fide publica in itineribus. [s]

Atque hoc ultimo ſenſu hic accipitur vox *commeatus*. Unde ſynonyma ſunt, fides publica, ſecuritas, litteræ de conductu, ſalvus conductus, litteræ ſalvi paſſus, litteræ tuti itineris, certificatio (*ein Paß*) litteræ immunitatis, epiſtola aſſertoria, &c. [t]

§. DCCCXIII. Litteræ igitur commeatus ſunt, quibus extra inducias (nam pactis induciis commeatus neceſſario continetur [u]) hoſtis hoſti facultatem concedit eundi, & publicam ſecuritatem promittit. Inepte ergo ad litteras commeatus refertur ſignum impunitatis Caino a Deo impreſſum. [x]

§. DCCCXIV. Cauſa hujus juris eſt conſenſus utriusque partis, qui in eo

(*h*) d. c. 21, §. 4. (*i*) Diſſent. Grot. L. 3. c. 21, §. 4, n. 2. (*k*) Diſſent. Grot. ibid, n. 3. (*l*) d. c. 21. §. 9. (*m*) d. c. 21, §. 8, n. 1. §. 11. (*n*) d. c. 21, §. 12. (*o*) d. c. 21, §. 13. (*p*) L. 2, c. 15, §. 17, n. 4. (*q*) Strauch. Diſſ. acad. V. c. 1, th. 4. Textor. Diſſ. de litt. commeat. Guid. Papæ Deciſ. 418. n. 5. Memoires de Guiſe, Tom. I. L. 3, p. 282. & 286. (*r*) Fabr. Theſaur. voc. *meo.* Varias ſignificationes vide apud Textor. d. l. n. 12. (*s*) Textor. d. l. (*t*) Textor. d. l. (*u*) Grot. L. 3, c. 21. §. 6, n. 3. (*x*) Diſſent. Textor d. c. 21, §. 6. Nicol. de Lyra in Gloſſ. ad Geneſ. c. 4.

Digitized by Google

eo conſiſtit, quod alter fidem dat, alter accipit: adeoque obligatio hic non demum oritur ex jure gentium voluntario, ſed ex ipſo jure naturæ.[y]

§. DCCCXV. Conceduntur hæ litteræ ab hoſte, qui ſummam poteſtatem habet, vel cui conceſſa eſt belli adminiſtratio generalis; aliquando etiam ab inferioribus poteſtatibus, ad certum actum, qui ſub mandato eorum continetur, ut in obſidione, &c.

Dantur 1. *perſonis* inprimis hoſtilibus; etiam pari dignitate, & ſuperiori[z]: immo ipſi ſummæ quoque poteſtati. Legatis hoſtis non dantur neceſſario, quia ipſo jure naturæ tuti ſunt, ſed ex ſuperfluo. Militibus in genere datæ, etiam Ducibus, & mari militantibus, conceſſæ videntur[a].

2. Rebus mobilibus (nam immobilibus dantur ſalvæ guardiæ[b]), ut nimirum tuto per terras alterius, inprimis hoſtiles, transvehi poſſint.

§. DCCCXVI. Perſonæ autem conceſſa ſecuritas etiam pertinet ad ejus *famulos*, etſi nihil de iis dictum ſit[c]; item res, quas quis in itinere ſecum ferre ſolet[d] (non ad familiam, i. e. uxores, & liberos[e], neque ad comites, niſi nominati in litteris ſint[f]).

§. DCCCXVII. Si in genere *comitibus* commeatus conceſſus eſt, quæritur, 1. an valeat etſi nomen comitum, eorumque conditio non fuerit expreſſa? quod merito affirmamus[g]. Unde cavillatorie Laurentius Medicæus ſecuritatem capitaneo cuidam, & ejus comiti datam violavit, ſub prætextu, quod nomen comitis, & quod ille comes ſit ſubditus Papæ, & hoſti a ſecretis, non fuerit expreſſum. 2. An proſit etiam eis, qui poſt conceſſas litteras in itinere comites fiunt? Affirmatur[h]. An 3. etiam Judæi, & hæretici voce comitum veniant? Affirmatur[i]. An prodeſt criminis reis, ut transfugis, proditoribus? Negatur[k]; niſi hoſtis ſciens tales eſſe commeatum dederit.[l]

§. DCCCXVIII. *n.* 1. Facultate eundi conceſſa etiam reditus conceſſus videtur[m]; ſecus ſi tantum facultas abeundi permiſſa fuit.[n]

n. 2. Is, qui impetravit commeatum, non obſtante commeatu, ex debito apud hoſtes poſtea contracto, vel ex delicto ibi commiſſo, conveniri poteſt.[o]

n. 3. An is, qui falſis litteris commeatus uſus, & iis productis ab hoſte dimiſſus eſt, poſtea vindicari tamquam jure belli captus poſſit? In nupero bello nova publica retulerunt, Ducem Marlboroughium (qui commeatu fratri conceſſo uſus, atque hac falſa ratione ab hoſte dimiſſus fuit) jure belli a Gallis vindicatum fuiſſe. SCHOEPFERUS[p] negat, id jure fieri potuiſſe: 1. quia hoſtem occidere, nedum dolo

(y) Diſſent. Textor d. diſſ. §. 5. 6. (z) Grot. L. 3 c. 21, §. 15. (a) Ibid. (b) Vid. infr. (c) Grot. L. 3. c. 21, §. 17. Burger. Obſerv. 87. c. 1. (d) Grot. d. c. 21, §. 18. Menoch. de arbitrar. judic. quæſtion. L. 2. c. 336. n. 35. (e) Grot. d. c. 21, §. 17. Textor d. c. 3. n. 20. (f) Grot. d. c. 21, §. 18. (g) Textor d. l. n. 17. (h) Diſſent. Textor d. l. n. 19. (i) Wikefort. d. l. p. 311. & p. 168. Menoch. d. l. n. 35. (k) Grot. L. 3. c. 21, §. 19. (l) Textor Diſſ. cit. c. 3, §. 18. (m) Grot. L. 3. 21, §. 16. Textor d. c. 3, n. 22. Burger. d. tract. obſerv. 87. cent. 1. (n) Textor d. l. n. 7. Krichov. Conſil. var. 9. n. 19. (o) Textor d. c. 6, n. 4. (p) Diſſ. an commeatu falſo uti liceat contra hoſtem?

Digitized by Google

lo in eum uti licet: 2. quia captus quoque dolo ſe liberare, eoque ad ſuos redire potuiſſet. Equidem jure belli ejus deditio poſtulari non potuit; ſed ſi hoſtis ejus notitiam habuiſſet, retineri potuiſſet, quia alius pro alio commeare nequit. [q]

§. DCCCXIX. Effectus litterarum commeatus eſt, ut perſonæ ſecuritas inde pleniſſima competat eundi, & redeundi, & ut res tuto ad locum deſtinatum transvehi poſſint [r]. Sanctæ igitur, atque inviolabiles ſunt ejusmodi litteræ; adeo ut ſi *hoſtis* ipſe eas violat, hinc nova ſuboriatur belli cauſa, ac jure talionis idem in hoſtes ſtatui poſſit: ſi ſubditi ſecuritatem conceſſam turbant, morte puniri ſolent [t].

§. DCCCXX. An is, qui litteras commeatus hoſti dedit damnum huic a ſubditis datum reſarcire tenetur? Affirmat TEXTOR [u]; ejusque rei exempla recenſet WIKEFORT [x]: at idem obtinere hoc caſu puto, quod in prædonibus, qui abſque juſſu publico excurſiones in vicina territoria faciunt.

§. DCCCXXI. Finitur commeatus 1. elapſo tempore litteris expreſſo [y]; hinc is, qui ſemel venit, & rediit, fide earumdem litterarum denuo venire, & revenire nequit [z]. Quomodo autem computari tempus debeat, vidimus alibi. [a]

2. Si tempus adjectum non eſt, tantum tempus conceſſum videtur, intra quod negotium, propter quod venit, commode expedire poteſt. Unde abitu conceſſo, tutus intelligendus uſque dum eo pervenerit, ubi tuto ſit [b]. Solo abitu conceſſo redire non poteſt [c]. 3. Finito negotio, ob quod ſecuritatem accepit [d]. 4. Pœnitentia, & revocatione concedentis, ſi res integra eſt, & alteri rite denuncietur [e]. 5. Renunciatione ejus, cui conceſſa eſt ſecuritas [f]. 6. Si is, cui commeatus conceſſus eſt, verba, & conditiones commeatus transgreditur [g]; uti ſi extra viam publicam, ſi in ea ſola ſecuritas data eſt, inveniatur [h]. 7. Mortuo eo, cui ſecuritas data eſt [i]. 8. Non morte concedentis, quia vi imperii datæ ſunt litteræ; ex quibus actibus etiam ſucceſſor obligatur. [k]

§. DCCCXXII. Fides quoque & a Principe, & a Duce belli dari poteſt per *ſalvam guardiam*: quæ datur pro rerum immobilium ſecuritate [l], ne nimirum terræ noſtræ, & quæ ibi continentur, ab hoſte lædantur, aut violentur [m]. Si vero a vi majore, v. g. per prædones, non obſtante ſalva guardia vis inferatur, ideo concedens non tenetur.

SE-

(*q*) Grot. d. c. 21. §. 6, n. 2. (*r*) Grot. d. c. 21, §. 16. (*t*) Alberic. Gentil. de jur. bell. L. 2. c. 14. Berger. Obſerv. jurid. cent. 1. obſ. 80. ſeq. Grot. L. 3. c. 21, §. 14. Exemplis id probat WIKEFORT l'Ambaſſad. pag. 168. & 312. *Conf. Memoires du Duc de Guiſe*, tom. I. pag. 177. Textor d. l. c. 5, n. 20, ſeq. (*u*) d. c. 6, n. 27. (*x*) d. l. pag. 309. & 292. (*y*) Grot. L. 3. c. 21. (*z*) d. c 21, §. 16, n. 2. (*a*) Grot. L. 3, c. 24, §. 4, n. 1.

(*b*) c. 21, §. 16, n. 1. (*c*) §. 16, n. 2. (*d*) d. c. 6, n. 8. ibique Dd (*e*) Textor c. 6, n. 2. (*f*) d. c. 6, n. 3. (*g*) d. c. 6, n. 6. (*h*) Exempl. vid. apud Wikefort pag 310. (*i*) d. c. 6, §. 10. (*k*) Vid. Textor d. c. 6, n. 10. Grot. L. 3, c 21, n. 20, 21. (*l*) Textor c. 6, n. 15. (*m*) Burger. Obſ. 79. cent. 1. Memoir. de Guiſe, L. 1. p. m. 323. & L. 2, p. 91.

Digitized by Google

Sectio IV.

De fide hoſti a Privatis data.

§. DCCCXXIII. Duo hic quæri poſſunt: 1. an ſubditi, qui non ſunt in poteſtate hoſtium, paciſci cum hoſte de rebus, & juribus ſuis privatis (nam de re publica pactum nullum eſt [n]) poſſint, & an pacta talia valeant? 2. An capti quædam promittere hoſti poſſint; & an promittentes inde obligentur?

§. DCCCXXIV. Quod *primam* quæſtionem attinet, certum eſt, ſubditum noſtrum, ſi fidem dedit hoſti, inde teneri. Sane, cum pacta cum prædone inita obligationem producant, nedum pacta cum hoſte inita [o]; adeo ut ſi jusjurandum tali pacto acceſſerit, jurans illud abſque perjurii nota violare non poſſit. [p]

§. DCCCXXV. At alia quæſtio eſt, an hoſtis poſſit implorare officium magiſtratus, in cujus poteſtate eſt promittens, ut eum compellat promiſſionem implere? Reſp. tantum abeſt, ut magiſtratus promittentem compellere teneatur ad implendum, ut potius debitum illud belli, & prædæ, jure exigere, ac fiſco ſuo addicere poſſit. Cum enim omnia in hoſtem liceant, etiam jura eis ex pactis ſubditorum noſtrorum quæſita, auferre licet. [q]

Si lege prohibitum eſt, ne paciſci cum hoſte liceat, valet pactum, quia lex illa hoſtem non obligat; ſed puniri poteſt ſubditus, qui lege prohibente contraxit. [r]

§. DCCCXXVI. *Altera* quæſtio itidem affirmanda eſt; & pleniſſima obligatio inter contrahentes inde oritur [s]: ſubditus enim, qui in hoſtis poteſtate conſtitutus eſt, deſinit eſſe ſubditus [t], ſervus fit, & alieno domino tum quoad vitam, tum quoad bona ſubjicitur. Si proinde dominus ille ſub certa lege juri ſuo renunciat, & capto vitam, vel libertatem ſub certis conditionibus permittit, captus, qui leges illas acceptat, ex ſuo conſenſu obligatur; & fidem datam eo magis implere tenetur, quia vitam, ac libertatem, quæ in arbitrio victoris ipſo jure naturæ ſunt, redimit, adeoque ſummam utilitatem ex tali pacto capit.

§. DCCCXXVII. Hinc valet 1. pactum capti de redeundo in carcerem [u]; 2. ne in certum locum redeat [x]; 3. de non fugiendo [y]; 4. de non militando adverſus eum, qui ipſum in poteſtate habet [z]. Quæ gentium exemplis Grotius confirmat.

§. DCCCXXVIII. Neque *obſtat*, *I.* quod ſubditi ſemel fidem ſuæ civitati dederint, eamque ſanguine, & bonis defendere teneantur; adeoque hoſti nihil promittere poſſint, quod fidei illi repugnat. Videtur igitur illicitum pactum de redeundo in carcerem, de non militando contra hoſtem [a] &c. Grotius varie reſpondet; 1. pacta, quæ majus malum, aut certius evitant, magis utilia, etiam publico, cenſeri debere; talia autem

(n) Grot. L. 3, c. 23, §. 5, n. 1. (o) d. c. 23, §. 1, 2. (p) d. c. 23, §. 2. (q) Diſſent. Grot. L. 3, c. 23. (r) d. c. 23, §. 5, n. 4. (s) d. c. 23, §. 1. (t) L. 4. D. de capt. & poſtlim. reverſ. (u) Grot. L. 3, c. 23, §. 6. (x) d. c. 23, §. 7. (y) d. c. 23, §. 8. (z) d. c. 23, §. 7. (a) d. c. 23, §. 5, n. 1, & §. 7, & c. 19. §. 7.

tem pacta eſſe, quæ cum hoſte fiunt pro conſervanda vita, ac libertate: 2. ſubditos per fidem civitati datam poteſtatem ipſam ſui, & ſuarum rerum non abdicaſſe: 3. ſolam utilitatem publicam ſine auctoritate legis non efficere poſſe, ut quod factum eſt, etſi contra officium factum eſſe detur, irritum ſit: 4. legem non poſſe adimere poteſtatem talia paciſcendi, quia a ratione, & natura aliena eſſet; leges autem vim obligandi demum habere, ſi latæ ſunt ad humanum modum, alias pro legibus non haberi: 5. generales leges ſemper continere exceptionem ſummæ neceſſitatis. At 6. verior ratio eſt, quod ſubditus ille in hoſtis poteſtate conſtitutus deſinat eſſe ſubditus, quamdiu in hoſtis poteſtate eſt: non autem deſinit eſſe in hoſtis poteſtate qui fidem dedit de redeundo: qui vitam, & libertatem recepit ſub certa lege, & ſub ea lege dimiſſus eſt.

Neque ita reverſus poſtliminio jura recipit, quia non jure belli, invito hoſte, revertitur, ſed conſenſu hoſtis, & ſub certa lege capto maxime utili: neque deterior ſit patriæ conditio, cui is, qui captus eſt, niſi liberetur, jam periiſſe cenſendus eſt. [b]

§. DCCCXXIX. Diximus, adeo valida ejuſmodi pacta cenſeri, ut captus, & dimiſſus, ſi fidem datam implere nolit, a magiſtratu ſuo compelli debeat ut eam impleat; quod Grotius exemplis probat [c].

Neque *obſtat*, *II.* quod ejuſmodi pacta vi, & metu extorta conſenſum impediant, adeoque obligationem non producant. Reſp. 1. vis, & metus numquam tollunt conſenſum; inprimis 2. ſi metus juſtus eſt, qualis eſt is, qui ab hoſte infertur.

§. DCCCXXX. Cæterum, ſponte ſua ſequitur, pacta talia etiamſi a minoribus inita ſint, valere, quia inter hoſtes jus gentium obtinet [d]. Non autem valent ſi erratum eſt in corpore, vel ſubſtantia negotii [e], &c. nec ſi privati de re publica paciſcuntur. [f]

§. DCCCXXXI. De interpretationum regulis ſupra egimus [g]; ex quibus Grotius concludit [h], 1. vitam pactum non etiam ad libertatem jus habere [i]: 2. rediiſſe ad hoſtem non dici, qui clam rediit ut ſtatim exiret [k]: 3. deditione promiſſa ſub conditione ſi auxilia non venerint, intelligi debere talia, quæ periculum ceſſare faciant [l]: 4. ſi dictum eſt, certo loco ſolvi, non poſſe differri ſolutionem, etſi locus poſtea dominum mutaverit. [m]

Sectio V.

De his, qui fidei hoſti datæ accedunt; ubi de Guarantis, & de Obſidibus.

§. DCCCXXXII. Uti inter privatos ad ſecuritatem promiſſionis, & pactorum, cautiones quædam adhiberi poſſunt; ita & in pactis, quæ inter hoſtes ineuntur.

Cautio autem illa conſiſtit *vel* in aſſertione quadam religioſa, ſeu jurejurando, *vel* in datione rei, quod ſit per pignora, *vel* in interventione perſonæ extraneæ. Perſonæ autem accedere poſſunt vel tanquam principales, vel

(b) Grot. L. 3. c. 23. §. 7. n. 2 (c) d. c 23. §. 5. n. 3, 4. (d) d. c. 23. §. 3. (e) d. c. 23. §. 4. (f) d. c. 23. §. 5. n. 1. (g) Vid. ſupra §. 508. & ſeq. (h) d. c. 23. §. 11. ſeq. (i) d. c. 23. §. 12. (k) d. c. 23. §. 13. (l) d. c. 23. §. 14. (m) d. c. 23. §. 15.

Digitized by Google

vel tanquam acceſſio: tanquam principales accedunt *correi*; tanquam acceſſiones, *fidejuſſores*, *mandatores*, *obſides*, & *guarantæ*.

De omnibus actum eſt in præcedentibus (*vide ſupra* §. 464. *ſeq.*): exceptis *obſidibus*, & *guarantis*; de quibus nunc plenius agemus.

§. DCCCXXXIII. *Guarantiæ*, ſeu *Varantiæ*, vox Germanica eſt, a verbo *Wehr*, i. e. ſecuritas; unde *die Gewehr leiſten* eſt ſecuram poſſeſſionem præſtare: *eine Wehre* dicitur locus, qui tutum aliquem reddit. Hinc voces *Gewehr*, i. e. ſclopeta, &c. & *wehren*, ſe defendere, &c. ortæ ſunt. [n]

§. DCCCXXXIV. *Guarantæ* ſunt perſonæ publicæ, quæ pro ſecuritate pacis inter alios contractæ interveniunt, & promittunt, quod in caſum violatæ pacis vindicare armis injuriam velint [o]. Non ergo guarantæ ſunt qui mediatoris officium ſuſcepere, etſi pacem ſubſcripſerint [p], niſi in ſpecie guarantiam quoque receperint.

§. DCCCXXXV. Guarantæ ſaltem eſſe poſſunt ſummæ poteſtates; quia cum bello ſe violatam fidem vindicaturos promittunt, jus belli habere neceſſario debent. [q]

§. DCCCXXXVI. Guarantia promittitur regulariter contra eum, qui pacem rumpit [r]: contra extraneos igitur paci illi contrarium aliquid facientes non tenentur ut guarantæ [s], niſi id promiſſum ſit.

§. DCCCXXXVII. Objectum guarantiæ eſt pax contracta, ejuſque acceſſiones, i. e. pacta in continenti adjecta, quæ articulis ſecretis continentur: ſecus ſi ex intervallo adjectæ ſint conditiones; tunc enim in ſpecie quoque guarantia promitti debet. [t]

Guarantia ergo non ad aliam pacem extendi debet, nec poteſt [u], niſi prior pax rupta alia deinde pace iterum coaluerit [x]: modo non novi articuli inſerti ſint; ad hos enim evincendos guarantæ non tenentur [y]. Sed nec ad novos ſocios jus guarantiæ propagatur. [z]

§. DCCCXXXVIII. Effectus eſt, ut guarantæ ſecuritatem præſtare debeant: adeoque 1. officia inter partes litigantes interponere [a], 2. ſi alter ſatisfacere nolit, armis læſum defendere tenentur [b]; adeo ut ſi non aſſiſtant, ad omne id, quod intereſt, teneantur, & in eos juſta belli cauſa ſit. [c]

Guaranta non poteſt defendere læſum niſi requiſitus [d]; & clarigatio præcedere debet. [e]

Quæri ſolet, *an illi, qui jure guarantiæ læſis aſſiſtunt, juſtam belli cauſam præbeant alteri?* Equidem ſi alter negat, ſe pacem violaſſe, vel adverſarium prius a pace receſſiſſe docet, adeoque injuria guarantiam aut poſtulari, aut præſtari, &c. omnino hic juſta belli cauſa eſt, adeoque omnia in guarantam, tanquam in ſocium hoſtis licent [f]: judex enim inter duas ſummas poteſtates non eſt.

§. DCCCXXXIX. Cum guarantia ſit inſtar advocatiæ armatæ, iisdem, ac illa, fere modis tollitur; quos modos

(n) Aliter B. Par. Diſſ. de guarant. ſect. 1. §. 5. (o) dict. Diſſ. ſect. 4. §. 1. (p) dict. Diſſ. ſect. 4. §. 13, 14, 15. (q) dict. Diſſ. ſect. 5. §. 1. (r) dict. Diſſ. ſect. 4. §. 11. (s) d. §. 11. (t) dict. ſect. 5. §. 2. (u) dict. ſect. 5. §. 3. (x) ſect 5. §. 4. (y) ſect. 5. §. 5,6. (z) ſect. 5. §. 7. (a) ſect. 5. §. 8. 9. (b) d. §. 9. (c) ſect. 5. §. 12. 13. (d) ſect. 5. §. 12. (e) d. ſect. 5. §. 11. (f) Aliter B. Par. in dict. Diſſ. ſect. 4. §. 10.

dos compendio exhibet B. PARENS [g], & late MAGERUS. [h]

Quær. an finiatur morte? Negatur. Cum enim guarantia promittatur a rege, adeoque a perſona publica, hæc numquam moritur, indeque ad ſucceſſores quoque tranſit. *Vid. ſupr. l.* 2. *c.* 15. §. 15.

§. DCCCXL. Qu. an guarantia ab uſurpatore promiſſa obliget legitimum regem? Negat B. PARENS [i], niſi a rege reſtituto approbetur: quamdiu autem uſurpator poſſidet imperium, illudque adminiſtrat, is omnino inde obligatur. *Vid ſupra l.* 1. *c.* 4. §. *fin.*

Cæterum, guaranta interpretari pacem, ſi dubia eſt, nequit.

§. DCCCXLI. OBSIDES ſunt, qui pro fide hoſti data poteſtati ejus ita traduntur, ut ſi dator obſidis a fide recedat, hoſti jus ſit in corpus, & vitam ejus [k]; unde *obſides* dicuntur quaſi *obſides.* [l]

Differunt a *pignore*, quod in rebus conſtituitur: obſides autem tantum dari poſſunt homines. Differunt a *deditis*, quod hi ſtatim pro hoſtibus habeantur, adeoque ſtatim, ac recepti ſunt, ſervi fiant, i. e. jus vitæ, & necis in eos competat.

§. DCCCXLII. Dantur obſides, vel ſua voluntate, vel etiam inviti, auctoritate, & juſſu civitatis [m]: illo caſu intervenire eos, ait GROTIUS, tanquam æque principales; hoc vero caſu tanquam acceſſorios [n]. Quod merito negamus; nam utroque caſu ſunt acceſſiones alterius obligationis.

§. DCCCXLIII. Cauſa obſidii eſt a jure naturæ. *Primo* enim certum eſt, civem *ſua voluntate* ſe obſidem pro republica dare poſſe (quidquid diſſentiat Grotius [o]). Cum enim ſubditi pro obtinenda ſalute civitatis vitam, & opes impendere teneantur, nihil obſtat, quo minus vitam cautionis loco obligare poſſint; & regula, *quod nemo ſit dominus membrorum ſuorum*, exceptionem patitur, quoties de defenſione patriæ, & ſalute reipublicæ agitur.

§. DCCCXLIV. At alia quæſtio eſt, an civitas *invitum civem* obſidem hoſti dare poſſit? Grotius id itidem negat [p], addita ratione, quia privati jus in vitam, quod ipſi non habent, in civitatem transferre non potuerunt? Sed verius eſt, obſidem talem etiam invitum a civitate dari poſſe: nam cum illi, qui in civitatem coëunt, promittant, ſe communi ope civitatem etiam cum diſpendio vitæ defenſuros, inde ſequitur, ad obtinendam pacem, & pro ejus ſecuritate, ſingulos cives cautionis loco, etiam invitos, tradi poſſe. Neque allegari poteſt, unum præ altero ad defenſionem patriæ non teneri? Nam cum omnes cives pro cautione eſſe non poſſint, neceſſario ſequitur, arbitrium civitatis eſſe, uti de ſalute publica conſulere, ita & obſides ex civibus eligere; quia alias exitum res habere non poſſet. Si omnium civium conditio par eſt, Grotius ſuadet, ut ſorti res committatur. [q]

§. DCCCXLV. Dari obſides poſſunt ſubditi civitatis [r], etiam pueri, &

(g) dict. ſect. 5. §. 16. (h) De advocatia armata cap. 16. per tot. (i) dict. ſect. 5. §. 15. (k) Hering. de fidejuſſor. c. 10. n. 282. Hillig. in Donell. L. 15. c. 48. litt. B. in fin. Arum. de jur. publ. v. 1. diſc. 28. n. 105.

(l) Feſt. voc. obſes. (m) L. 3. c. 4. §. 14. c. 20. §. 52. (n) d. c. 20. §. fin. Conf. L. 5. c. 23. §. 16.] c 20. §. 52. (o) L. 3. c. 11. §. 18. c. 4. §. 14. (p) Ibid. (q) L. 3. c. 20. §. 52. (r) Ibid.

Digitized by Google

& feminæ [r]; non vero qui vaſalli tantum ſunt, nec tranſeuntes. [t]

§. DCCCXLVI. Dare obſides poteſt 1. ſola civitas, ſeu ſumma poteſtas; quia extra eam nemo jus in vitam, & libertatem civium habet: 2. inferior poteſtas intra fines adminiſtrationis; uti dux belli pro ſecuritate colloquii, induciarum, &c.

At quæritur, *an dux belli pro ſecuritate ſponſionis obſides dare poſſit?* Videtur negandum, quia pacem promittere nequit, adeoque extra fines adminiſtrationis agit. Reſp. ſupponimus, ducem, ejuſque exercitum victum, adeoque vere in poteſtate hoſtium eſſe; at per ſponſionem pacis dimitti exercitum, eoque ſalvum ſervari. Hoc poſito omnino pars adminiſtrationis eſt, omnia facere, ſine quibus ſervari exercitus nequit: non poteſt autem ſervari, niſi ſponſione facta, & obſidibus datis.

Sed & eo minus injuria fit obſidibus, quia æque jam in poteſtate hoſtium, adeoque æque capti, ac ſervi ſunt; per hoc medium autem ſpes libertatis, & ſalutis ipſis permittitur. [u]

Ita Poſthumius in ſponſione Caudina 600. equites obſides dedit, qui capite luerent ſi pacto non ſtaretur. [x]

§. DCCCXLVII. Obſides inſtar captivorum habentur [y]. Hinc teſtamenta facere non poſſunt, niſi permittente civitate [z]: & fiſcus eorum bona, ſi tamquam obſides moriuntur, occupat [a]. Quod in Gallia tunc demum locum habet, ſi cognati non adſunt. [b]

§. DCCCXLVIII. Quæritur, *An occidi poſſint obſides, ſi fides ab eo, qui dedit obſides, violatur?* Negat GROTIUS [c], quia nemo eſt vitæ ſuæ arbiter; unde concludit, non poſſe tale jus in civitatem, & a civitate in hoſtem transferri [d]: & moratiores gentes abſtinuiſſe, ait, a cæde obſidum [e]; jure gentium autem aliud introductum eſſe in bello publico ſolemni: id autem jus externum eſſe, quod impunitatem ſaltem, non verum jus producat. Nos ſtatuimus, occidi poſſe: cum enim eo momento, quo is, qui obſides dedit, fidem datam violat, hoſtis fiat, & jus belli cum eo obtineat; neceſſario ſequitur, omnes, qui judicium hoſtis ſequuntur, vel ſequi debent, hoſtes eſſe, & in hos omnia, tamquam in hoſtem, licere: obſes autem eſt ſubditus hoſti, ejus partes ſequitur, & judicium illius defendere tenetur; adeoque jure pro hoſte haberi poteſt: & cum is, qui fato in hoſtili territorio invenitur, ingruente bello ſervus fit, & qua talis occidi poteſt; multo magis in obſidem omnia licita erunt. Sane, cum Volſci fidem Romanis datam fefellerunt, hi trecentos obſides ſecuri percuſſerunt [f]; & a Theſſalis occiſos olim 250. obſides, refert Grotius [g]. E contrario Samnites a 600. equitibus obſidio datis manus abſtinuerunt, etſi fides a ducibus, qui dedere obſides, liberata non fuerit. [h]

Sed & præterea occidi obſides poſſunt, 1. ſi obſides contra fidem datam aufugiunt; Tarentinorum obſides fugientes retracti, ac virgis cæſi de Tarpe-

(s) Grot. L. 3. c. 4. §. 14. (t) Grot. L. 2. c. 20, §. 52. (u) Liv. L. 9, c. 4. (x) Ibid. c. 5. (y) L. 31. D. de jur. fiſc. (z) L. 11. D. de his, qui teſtam. fac. poſſ. (a) d. L. 31. junct. l. 36. Religioſ. (b) Vid. Gothofred. ad d. L. 31. & d. L. 11. (c) L. 3, c. 11. §. 18. (d) Grot. d. §. 18. & L. 2, c. 21. §. 11, n. 2. L. 3, c. 20, §. fin. (e) d. c. 11. §. 18. (f) Dion. Halic. L. 6. (g) L. 3, c. 4, §. 14. (h) Liv. L. 2, c. 15.

Tarpejo monte dejecti ſunt [i]; poſtquam Clœlia per fugam ſe ſubripuit obſidio, Romani eam reddentes a Porſenna obtinuerunt ut vita ejus ſalva eſſet [k]: 2. ſi ſcelus committunt; tunc enim ut criminis rei vi fundatæ in territorio jurisdictionis puniri poſſunt. [l]

§. DCCCXLIX. Quæritur, an fugere obſides poſſint? Negatur; quia civitatis ſuæ voluntate dediti ſunt, adeoque non injuria ſunt apud hoſtem [m]: adeo ut nec recipi a ſua civitate poſſint, ſed recepti remittendi ſint exemplo Clœliæ [n]. Sane, Samnites Romanos increpabant, quod obſides Porſennæ datos furto ſubduxerint. [o]

§. DCCCL. Finitur obſidium 1. ſublata obligatione principali, uti ſi mortuus eſt is, pro quo obſes datus eſt [p]: vel negotio finito, adeo ut in unam cauſam datus in aliam retineri non poſſit [q]; non quia odioſa eſt interpretatio, uti putat Grotius, ſed quia deficit conſenſus. Quod adeo verum eſt, ut ſi nova ſuperveniat belli cauſa, non retineri poſſit tanquam obſes, ſed uti alius, qui fato in hoſtis territorio repentine oriente bello invenitur [r]. 2. Finitur obſidium morte obſidis; niſi dictum ſit, ut tunc alius ſubſtituatur: 3. renunciatione ejus, qui obſides accepit; ita Porſenna Clœliæ libertatem conceſſit, donata ſimul parte obſidum, quos ipſa legeret [s]: non 4. mortuo rege, qui obſidem dedit, ſi fœdus eſt reale [t]: nec 5. fuga obſidum; adeo ut nec poſtliminium hoc caſu obtineat: neque 6. obſes tenetur ex alterius obſidis delicto. [u]

CAPUT VII.

De modis finendi Bellum.

§. DCCCLI. Uti inter privatos lites finiuntur *vel* per ſententiam, *vel* per tranſactionem; ita lites publicæ quoque duobus modis finiuntur: 1. per ultimam victoriam, vel, quæ inſtar ultimæ victoriæ eſt, per deditionem non conditionatam: 2. per tranſactionem.

§. DCCCLII. Finitur igitur bellum *I.* per ultimam victoriam: i. e. quando populus vi armorum ita in poteſtatem noſtram redigitur, ut nulla amplius reſiſtendi facultas ſuperſit.

§. DCCCLIII. Si proinde ſocii cauſam devicti populi adhuc defendunt, nondum finitum eſt bellum; nedum ſi pars ſaltem populi ſubjugata eſt; atque hinc ſi ope ſociorum civitas talis reſtituitur, jure poſtliminii omnia priſtina jura recipit.

§. DCCCLIV. De jure, quod victori in populum devictum acquiritur, latius egimus ſupra §. 741.

§. DCCCLV. Inſtar ultimæ victoriæ *II.* eſt *deditio non conditionata*, quando quis ſe, ſuaque jura, arbitrio victoris ſubjicit. Nam per talem deditionem victi ſponte permittunt quod vis

(*i*) Liv. L. 35. Schœnborn. Pol. L. 6, c. 39. (*k*) Liv. L. 2, c. 13. (*l*) Grot. L. 3, c. 20, §. 52. (*m*) d. c. 20, §. 54 (*n*) Liv. L. 2. c. 13. Grot. L. 3, c. 11, §. 18. n. 3, & c. 20, §. 54. (*o*) Liv. L. 9, c. 11. (*p*) Grot. L. 3, c. 20, §. 56. (*q*) d. c. 20, §. 55. (*r*) d. c. 20, §. 53. (*s*) Liv. L. 2, c. 13. (*t*) Grot, L. 3, c. 20, §. 57. (*u*) d. c. 20, §. 58.

vis ereptura eſſet [x]. Adeoque ſi *tota civitas* ſe hoſti dedit, finitur bellum; adeo ut nec ſocii amplius deditorum cauſam defendere poſſint. Secus ſi pars populi ſe victoris arbitrio ſubjicit; tunc enim bellum durat, quamdiu reliqua pars civitatis, ejuſque ſocii, reſiſtunt. De *deditis* late egimus §. 748.

§. DCCCLVI. Bellum finitur *III.* per *tranſactionem*, nimirum, per pacem: *IV. ſorte*; cujus ſpecies *V.* eſt *duellum*, & *VI.* arbitrium. De ſingulis nunc agemus.

§. DCCCLVII. *Pax* a pactione dicitur [y], quia bellum gerentes paciſcuntur de controverſia publica.

§. DCCCLVIII. Definitur *pax*, pactum inter duas ſummas poteſtates initum de finiendo bello.

§. DCCCLIX. *Pacem* contrahere poſſunt ſolæ ſummæ poteſtates [z]; adeoque populus in ſtatu populari, rex in ſtatu regio, &c: idque verum eſt etſi rex ille ſit infans, furioſus, captivus [a], regno ejectus [b], vel uſurpator. [c]

§. DCCCLX. Non ergo *pax* contrahitur cum prædone [d], nec cum ſubditis rebellibus [e], nec cum ducibus belli, nec cum gubernatoribus provinciarum. [f]

§. DCCCLXI. Objectum *pacis* ſunt controverſiæ de republica inter ſummas poteſtates armis diſceptatæ.

§. DCCCLXII. An rex per *pacem* imperium, vel ejus partem alienare, vel etiam bona, aut reditus coronæ alii cedere poſſit, alibi, cum de alienatione imperiorum egimus, explicavimus. [g]

§. DCCCLXIII. Hoc ſaltem hic obſervamus, 1. res, & jura privata ſubditorum [h], ſive jure naturæ, ſive jure civili eis quæſita, pace eis auferri poſſe [i] ſi publica utilitas id requirat (quo principio nituntur ſeculariſationes in Inſtrumento Pacis admiſſæ); quia aliter pax obtineri non potuit: privatis tamen ex publico damnum reſarciri debet [k]; cujus exempla itidem in Inſtrumento Pacis occurrunt.

2. Principem ſubditis ſuis non teneri ad reparandum damnum, quod durante bello privatis datum eſt; quia ab hoſte, adeoque caſu, damnum datum eſt. [l]

3. Re per pacem hoſti promiſſa etiam venire fructus, ſed tantum a die conceſſionis; non vero ſi ante pacem vel percepti, vel debiti fuerint. [m]

4. Regionum nomina per pacem alteri relicta accipienda eſſe ex uſu præſentis imperii [n]. Male igitur Galliarum rex ceſſo Landgraviatu Alſatiæ, quod nudum nomen judicis eſt, occupavit imperium Alſatiæ [o]: male quoque ceſſo ſolo trium epiſcopatuum territorio, diœceſin quoque ſibi arrogavit. [p]

§. DCCCLXIV. Effectus *pacis* contractæ eſt, ut omnis vis tollatur; adeo ut ſi poſt ſtipulatam pacem ab ignorantibus aliquid captum, vel occupatum ſit, vi pacis id reſtitui debeat. [q]

At maxime diſceptari ſolet, *an injuriæ, & damna, ante bellum data, per*

(x) Grot. L. 3, c. 7, §. 4. c. 9. §. 4, n. 1. (y) L. 1, §. 1. D. de pact. ibique Gothoft. (z) Grot. L. 3, c. 20. §. 2. ſeq. (a) Diſſent. Grot. d. c. 20, §. 3. (b) d. c. 20, §. 3. n. 2. (c) Vid. ſupr. L. 6, c. 3, §. 648. (d) d. c. 20, §. 2. (e) d. c. 20, §. 3. (f) Grot. L. 3, c. 22 (g) Conf L. 3, c. 20, §. 5, 10. (h) d. c. 20, §. 7. 8 (i) d. c. 20, §. 9. (k) d. c. 20, §. 7, n. 2. (l) d. c. 20, §. 8. (m) d. c. 20, §. 23, (n) Ibid. (o) B. Par. Jur. publ. c. 5, §. 41. (p) B. Par. c. li. §. 43. (q) L. 3, c. 20, §. 20.

per pacem remiſſa ſint? Nos quatuor caſus diſtinguimus: *vel* enim paci adjicitur clauſula, *quod omnia reſtitui debeant in ſtatum, quo fuere ante bellum* [r]: *vel* pactum eſt, *ut omnia maneant in ſtatu, quo nunc ſunt* [s]: *vel* plane *nihil dictum eſt de damnis, injuriis, & debitis* [t]: *vel* paci *clauſula generalis amneſtiæ* adjicitur. [u]

§. DCCCLXV. *Primo* caſu, *ſi pactum eſt, ut reſtituatur cuique quod ante bellum inchoatum habuit*, reſtitui debet res cum fructibus, jura rei, & perſonæ cohærentia, adeoque & debita ante bellum, nec non damna durante bello data. In tali autem reſtitutione reſpicitur ultima, quæ ante bellum fuit, poſſeſſio. [x]

Aliquando certus reſtitutionis terminus exprimi ſolet: ita in Pace Oſnabrugenſi terminus reſtitutionis decretorius in Palatinatu fuit dies 1. Janu ar. anni 1618; & in reliquis Germaniæ provinciis dies 1. Januar. anni 1624.

Not. Hoc pacto non continentur civitates ſui juris, quæ ſponte ſe alteri belligerantium ſubjecere [y]; hæ enim non reſtituuntur, niſi id ſpeciatim pactum ſit.

§. DCCCLXVI. *Secundo* caſu, *ſi pactum eſt, ut ſervet quiſque quod bello cepit*, victoris manet quidquid ille cepit, i. e. quidquid in illius poteſtate, & cuſtodia eſt; quod bene explicat GROTIUS. [z]

Idem Grotius exiſtimat, in dubio tale pactum præſumi; quia facilius eſt, & nullam inducit mutationem [a]: quod in ſequenti caſu plenius examinabimus.

§. DCCCLXVII, *Tertio* caſu, *ſi pace plane nihil dictum eſt de injuriis, & damnis ante bellum, vel durante bello datis*, recte GROTIUS aſſerit, eorum nomine nullam eſſe actionem. Cum enim pace omnis vis, adeoque omne jus exigendi ſublatum ſit, idem eſt, ac ſi expreſſe cautum ſit, omnia in ſtatu, quo nunc ſunt, manere debere [b], ſalvo jure poſtliminii. [c]

§. DCCCLXVIII. *Quarto* caſu itidem omnes injuriæ, & damna data remiſſa cenſentur: remittit enim injuriam *qui ſe eam oblitirum promittit*; adeoque hactenus quoque omnia in ſtatu, quo nunc ſunt, manent. [d]

§. DCCCLXIX. Difficilior quæſtio eſt, quid de debitis vel ante bellum inchoatum, vel durante bello contractis, judicandum: an, nimirum, illa quoque pace contracta remiſſa cenſeantur?

In debitis *ante* inchoatum bellum contractis Grotius [e] diſtinguit, 1. an debitum ſit *civile*, an *pœnale*: 2. an privatis debeatur, an civitati. *In civilibus* debitis, ſi privatis debetur, redintegrari actionem, ait; in debitis regiis condonata cenſeri: niſi verba, aut conjecturæ non improbabiles adſint, quæ condonationem, etiam civilium debitorum, inferunt. In *pœnalibus* tunc quoque remiſſum debitum cenſeri, ait, ſi jus ad pœnam populis competit; quia inde nova belli cauſa orire-tur: quod per pacem cavere voluere partes; non ſi inter privatos verſatur.

n. 1. Equidem *civilia* debita redintegrari, verum eſt, ſive civitas hoſtilis debeat civitati, ſive civitas privato, ſive privati inter ſe. Nam 1. pace ſaltem

(r) Ibid. §. 11, n. 1, (s) Ibid. (t) d. c. 20, §. 15. (u) d. c. 20, §. 40. (x) d. c. 20, §. 13. (y) Ibid. §. 14. (z) d. c. 20, §. 12, n. 2, §. 15. (a) d. §. 12, n. 1. (b) d. c. 20, §. 15.

(c) Vid. ſupra cap. 3, §. 770. (d) Conf. B. Par. Diſſ. de poſtliminio in pace, & de amneſtia (e) L. 3, c. 20, §. 16, 17, 18, 19.

ſaltem tranſactum eſt de injuria, propter quam bellum geſtum eſt, eaque ſola remiſſa eſt; quod autem nobis debitum fuit, non eſt injuria, ſed jure, & utriuſque conſenſu debitum. 2. Jus exigendi nobis quæſitum fuit ante bellum; hoc jus non deſinit noſtrum eſſe exiſtente bello, utpote quo non jus tollitur, ſed juris executio. *f*

Excipe ſi id, quod ante bellum ſive civitati hoſtili, ſive privatis debitum fuit, occupatum, & jure prædæ fiſco regio addictum eſt: tunc enim, uti de omni injuria, ita de hac quoque pace tranſactum videtur. Secus ergo ſi hoſtis, ignorans debitum, illud actu non occupavit; nam hoſtis occupatione tantum adquirit, quatenus tenet.

n. 2. Quoad *debita pœnalia* certum eſt, ſalvam eſſe actionem non obſtante pace, ſi *privatis* pœna debetur: nam hic quoque valet ratio, quod debita illa non ſint belli jure quæſita, ſed bello tantum exigi vetita. Adeoque ſi civis hoſtium ante cœptum bellum in noſtro territorio adulterium commiſit, vel homicidium perpetravit, finito bello ideo conveniri, & puniri poteſt. Si *ipſa civitas* pœnam debet, uti ſi hoſtis, cum quo pax inita eſt, extra præſentis belli cauſam, olim cives noſtros violavit, eos occidit, vel res eorum rapuit, necdum ſatisfecit; quæritur, an adhuc ſatisfactio peti poſſit? Merito id affirmamus. Tot enim ſunt actiones, quot debita; & qui ex una cauſa bellum gerit, ac de ea tranſigit, ideo reliquis debendi cauſis non renunciat; hæc enim belli cauſa neque fuit diſceptata, ideoque nec pace ſopita videri poteſt; adeoque ſalvum jus, ſalvaque actio manet exigendi pœnam ab ipſa civitate, ſi illa reos vel dedere, vel punire nolit.

Neque *obſtat*, quod hac ratione pax non ſatis pax videatur, ſi veteres ad bellum cauſas relinquat. Reſp. 1. hæc ratio æque ad cauſas civiles pertinet; nam ſi hoſtis antiqua debita ſolvere recuſat, itidem pax veteres ad bellum cauſas relinqueret. Reſp. 2. pax ſatis pax manet, quoad cauſam, quæ in lite fuit, & jam ſopita eſt: & ſi pax relinquit veteres ad bellum cauſas, id ex injuria alterius civitatis oritur, quæ dum jus mihi non tribuit, cauſam dat bello.

Quæritur, *an debita durante bello contracta remiſſa cenſeantur, ſi in pace nihil de illis dictum eſt?* Equidem ſi debitum *ex pœna* oritur, omnino remiſſum cenſetur. Cum enim hæ injuriæ occaſione belli illatæ ſint, ſive a privatis, ſive a civitate hoſtili, de his injuriis pace tranſactum videtur. Si debitum eſt *civile*, non cenſetur condonatum: quia id, quod hoſti qua hoſti promittitur, exigi etiam ſtante lite poteſt, nedum ea finita.

Quæritur, *an pax cum populo inita, ejecto poſtea rege, ſubſiſtat?* Affirmatur; vicini enim ſequuntur poſſeſſionem: adeoque cum uſurpatore quoque eædem pacis conditiones obſervari debent. At pax cum uſurpatore inita non obligat regem ejectum, & poſtea reſtitutum, niſi quatenus civitas locupletior facta eſt.

§. DCCCLXX. Cæterum, quatenus pacta publica ſucceſſores obligent, late explicavimus ſupra §. 409. *n.* 5. *ſeq.*

§. DCCCLXXI. Frequens quæſtio eſt, *quando pax rupta cenſeatur g?* In genere dicendum eſt, rumpi pacem quoties aliquid ei contrarium admittitur, i. e. quoties paciſcentes id, quod pace promiſſum eſt, non implent, ſive aliquid contra

(*f*) L. 3, c. 20, §. 16. (*g*) d. c. 20, §. 27. ſeq. *Samuelis de Coccii Introd. ad Grot.*

tra eam faciendo, ſive omittendo. [h]

§. DCCCLXXII. Non ergo rumpitur pax 1. ſi nova injuria poſt pacem contractam vel ipſi paciſcenti, vel ejus ſubditis [i], vel prioribus ſociis infertur [k]. Etſi enim facultas vi agendi per pacem ſublata ſit, id tamen intelligitur ſaltem de vi, quæ ex præcedenti cauſa inferri poſſet. De hac ſola cauſa tranſactum, & ne ex illa cauſa in poſterum vis inferatur, cautum eſt. Si proinde vis infertur ex nova cauſa, nihil fit contra pacem, quæ de nova hac cauſa non loquitur.

§. DCCCLXXIII. Neque 2. rumpitur pax ſi ſocius paciſcentis [l], vel ejus ſubditi [m], aliquid paci contrarium admittunt: *priori* enim caſu ſolius ſocii cauſa eſt, & ille ſolus pacem rumpere dicitur [n]: *poſteriori* caſu vel dedere violatores pacis [o], vel judicium in eos dare, paciſcens tenetur [p]. Si id recuſat, approbat factum ſubditorum, adeoque rumpit pacem [q]: modo poſſit judicium dare, i. e. modo ei innoteſcant prædones. [r]

§. DCCCLXXIV. Porro non rumpitur pax 3. ſi ſubditi ejus cum quo pax contracta eſt, contra alterum militant [s]. Nec 4. ſi contra leges amicitiæ peccatur [t]. Non ergo violat fœdus amicitiæ qui exſules, vel cives migrantes recipit, ſecus ſi integros cœtus ſuſcipiat. [u]

Nec 5. ſi injuria infertur perſonæ conjunctæ ipſi, quocum pax inita eſt: niſi aperte ad ejus ſugillationem illata ſit. [x]

§. DCCCLXXV. Finitur bellum *IV.* SORTE: ſi bellum gerentes rem ſorti committunt; quod tunc demum licitum eſt, ſi media defenſionis deficiunt, & populus, ac agnati (ſi de alienatione imperii, vel partis agitur) conſentiunt. [y]

§. DCCCLXXVI. Species ſortis *V.* eſt CERTAMEN SINGULARE: quando, nimirum, certo pugnantium numero eventus belli committitur. Quod non niſi poſitis iiſdem limitibus licitum eſt. [z]

Varia exempla, ubi vel ipſi principes, vel duces belli, vel certus numerus, certarunt, & in certamine illo finem bello poſuerunt, refert GROTIUS [a]. His adde exemplum Thimoclis Athenienſium, & Melanthi Thebanorum ducis, qui pro orta inter hos, & illos, de Celænis, vel Melænis, lite pugnarunt. [b] *

Eſſe-

(h) d. c. 20, §. 34. L. 2, c. 15, §. 15. (i) d. c. 20, §. 32. (k) d. c. 20. §. 33. (l) d. c. 20, §. 29. (m) d. c. 20, §. 30. (n) d. c. 20, §. 29. (o) L. 2, c. 15, §. 16, n. 4, L. 1, c. 3, §. 1. §. 21, n. 4. (p) L. 2, c. 21, §. 4, n. 3, §. 6. L. 3, c. 20, §. 41. (q) d. c. 20, §. 30. (r) d. c. 20, §. 30, §. 32, n. 2. junct. L. 2, c. 21, §. 2. ſeq. (s) d. c. 20, §. 31. (t) d. c. 20, §. 40. (u) d. c. 20, §. 41, n. 2. L. 2, c. 5, §. 24. (x) d c. 20, §. 40, n. 2, §. 33, n. 2. (y) d. c. 20, §. 42, L. 2, c. 23, §. 9. (z) L. 3, c. 20, §. 43. 44. L. 2, c. 23, §. 10. (a) L. 3, c. 10, §. 43. L. 2, c. 33, §. 10. (b) Poliæn. L. 1, pag. 25. Frontin. L. 2, c. 5. Phot. in Biblioth. pag. 449. Suid. voc. Thimocles. Athenæus ſe exempla plurima ex antiqua hiſtoria collegiſſe, ait L. 4, c. 13.

NOTA EDITORIS.

* *Thimocles* nullus fuit Athenienſium dux, nec *Melanthus* Thebanorum: & apud Suidam unus quidem, & alter occurrit *Timocles* Athenienſis, ſed uterque Poëta Comicus. Res autem, de qua ſermo eſt, ſic ſe habet. *Thymoetes* Athenarum rex provocatus ad certamen ſingulare a Xantho Bœotorum rege, componendæ litis cauſa Athenienſes inter, & Bœotos, cum id formidaret, regnoque ſe ceſſurum polliceretur ei, qui cum adverſario dimicaret, *Melanthus* Meſſenius pugnandi conditionem accepit, Xanthumque dolo interfecit. *Conf.* PHOTII *Biblioth. n. CLXXXVI. in Cononis narrat.* 39. SUIDAS *voce* ἀπατούρια. POLYÆNUS *L. I. c.* 19. FRONTINUS *L. II. c.* 5. *(D.)*

Digitized by Google

Effectus eſt, ut pacta certaminis ſervari, & victori ea, quæ in caſum victoriæ promiſſa ſunt, præſtari debeant: modo de victoria certo conſtet; uti ſi hoſtis vel occiſus, vel captus, vel fugatus eſt. In dubio res manet in eo loco, quo ante prælium fuit, & aut bellum continuandum; aut ad novas pactiones veniendum eſt. Exempla diſceptatæ victoriæ refert GROTIUS. [c]

§. DCCCLXXVII. Porro *VI.* ſpecies quoque ſortis eſt ARBITRIUM. De his arbitris egimus ſupra. *Arbitri* ſunt certæ perſonæ volentes a litigantibus electæ, ut de belli cauſa decidant.

n. 1. Arbitros ad finiendum bellum eligere poſſunt ſolæ ſummæ poteſtates, quibus jus belli competit.

n. 2. Eligi poſſunt omnes, qui paciſci poſſunt, etiam privati. Requiritur autem non tantum utriuſque, ſed & arbitri conſenſus.

n. 3. Finis arbitrii eſt, ut bellum finiatur. Hinc apparet, male huc referri deditionem puram; aliud enim eſt dominio alieno ſe ſubjicere, aliud, arbitrum ad decidendam litem eligere: priori modo finitur bellum; poſteriori modo agitur de finiendo bello.

n. 4. Effectus arbitrii intuitu paciſcentium eſt, 1. ut ſtante arbitrio nihil innovare poſſint: 2. ut ſtare teneantur arbitrio eorum, quos elegerunt (nam quod a laudo provocare liceat, id juris civilis eſt [d]), etſi male arbitratum ſit; nam ita partes convenere, ut id bene judicatum videatur, quod arbiter arbitraturus eſt.

Si is, contra quem arbitrium fertur, nolit ſatisfacere judicatis, nova injuria eſt, novaque cauſa belli; adeoque & prior, & nova injuria bello vindicari poteſt.

n. 5. Effectus intuitu arbitrorum eſt, ut teneantur decidere cauſam juxta leges arbitrii. Si proinde tota cauſa arbitrio judicum relicta eſt, etiam de acceſſoriis, nimirum, de uſuris, impenſis, & expenſis, judicare poſſunt: non vero de ſola poſſeſſione, niſi de ea ſola lis fuerit. [e]

n. 6. Ab arbitris differunt *arbitratores*, ſeu mediatores, qui allatis in medium honeſtatis rationibus perſuadendo interveniunt[f]; de quibus infra agemus.

n. 7. Finitur *arbitrium* 1. morte arbitri; quia perſonæ induſtria eſt electa: 2. morte paciſcentium: quia pactum eſt perſonale, niſi hæredes conſentiant: 3. ſi arbiter arbitratus eſt: 4. unius renunciatione re integra; quo caſu jus belli ſuccedit.

CAPUT VIII.

De Legatis, eorumque Jure.

§. DCCCLXXVIII. INTER hoſtes fidem dari poſſe, & datam ſervandam eſſe, vidimus. Vix autem hæc fides interponi poteſt, niſi adhibitis legatis, inprimis ubi de pace concilianda, i. e. de bello finiendo agitur. Jura igitur legatorum paullo curatius examinanda ſunt.

§. DCCCLXXIX.

(c) d. c. 20, §. 46. (d) d. c. 20, §. 46. (e) d. c. 20, §. 46, 47, 48. (f) d. c. 23, §. 46.

Digitized by Google

§. DCCCLXXIX. Legati *alii* ſunt, qui belli tempore mittuntur ad hoſtem; *alii*, qui tempore pacis mittuntur ad amicos.

Sectio I.

De Legatis, qui ad Hoſtem mittuntur.

§. DCCCLXXX. Supra dictum eſt, hoſtem ab hoſte jure belli occidi, capi, ac res ejus pro lubitu auferri poſſe.

Jure naturæ autem excipiuntur *legati*, i. e. illi, qui mittuntur ad hoſtem negotii alicujus gerendi cauſa. Cum enim 1. jura quædam etiam inter hoſtes communia ſint, quæ hoſtis hoſti quoque tribuere debet, ex medii neceſſitate ſequitur, legatos, qui horum jurium cauſa mittuntur, ſecuros eſſe debere; quia jura illa cum effectu obtinere non poſſent, ſi omne commercium cum hoſte ſublatum eſſet. 2. Hoſtis, qui legatus ad hoſtem mittitur, non animo lædendi ad eum accedit; adeoque quoad hunc actum miſſionis legatus non eſt hoſtis: hinc nec hoſtis jure haberi poteſt. 3. Sine legatis bellum finiri, i. e. ſatisfactio obtineri nequit: omnis enim juſtitia belli in eo coſiſtit, quod vi compellere hoſtem poſſim ut jus meum mihi tribuat: qua ratione vero hoſtis jus meum mihi tribuere, i. e. reparationem injuriæ offerre poteſt, niſi admittatur legatus ſatisfactionem illam offerens? Adeoque ratione naturali talis legatus apud hoſtem tutus eſſe debet: quod late expoſuit B. Parens in *Diſſ. de legato ſancto non impuni.* g

n. 1. Privilegium igitur *legatorum* jure naturali tantum in legatis ab *hoſte* miſſis obtinet (nam in pace miſſi jure communi omnium hominum tuti ſunt, uti mox demonſtrabimus): hæ enim perſonæ hoſtium exemtæ ſunt naturali ratione omni vi, quæ alias in hoſtem licet; & in his ſolis privilegium illud, ne violari poſſint, neceſſarium eſt.

Idque apud omnes gentes, etiam maxime barbaras, ita obſervatur: & legati *ſancti* paſſim vocantur. *b*

n. 2. Grotius hoc privilegium legatorum non ex *jure naturæ* oriri, ait, ſed ex *jure gentium* voluntario *i*: jure enim naturali quemvis in alieno territorio exiſtentem ejus loci quidem imperio ſubjici, ſtatuit; at gentibus placuiſſe, ait, ut mos ille communis exceptionem pateretur in legatis, qui ſicut fictione quadam habentur pro perſonis mittentium, ita ſimili fictione conſtituuntur quaſi extra territorium: atque hanc rationem eſſe, cur civili jure populi, apud quem vivunt, non teneantur. Quam ſententiam in ipſo commentario refutabimus.

§. DCCCLXXXI. Quæritur autem, *in quonam conſiſtat illud privilegium legatorum?* Grotius ait, ex voluntate gentium id dijudicari debere, quia hoc jus non ut jus naturæ ex certis rationibus oritur *k*; indeque recurrendum eſſe, ait, tum ad judicia ſapientum,

(*g*) c. 1, §. 9. (*b*) d. Diſſ. c. 1, §. 10. Grot. L. 2, c. 18, §. 1, §. 6. Teſmar. ad d. c. 18, §. 1, litt. a. L. 17, D. de legation. App. Pun. 29, *violare legatos nefarium facinus* vocat; & Tacit. Annal. L. 2, *violationem omnis humani juris.* Add. Cic. in Verr. I, 33. Joſeph. L. 15, c. 8. L. 7, D. de vi publ. (*i*) L. 2, c. 18, §. 4, n. 5. (*k*) L. 2, c. 18, §. 4, n. 2, ſeq.

Digitized by Google

ſpientum, tum ad conjecturas [l]: placuiſſe autem gentibus, ut legati per fictionem juris extra territorium conſtituantur, indeque imperio loci, ubi degunt, non ſubſint [m]; idque exemplis gentium probat [n], & ſolum caſum neceſſariæ defenſionis eximit [o]: ſi alia neceſſitas adſit, facultatem detinendi, interrogandi, &c. legatum, concedit. [p]

n. 1. Diximus, legatorum ſanctitatem ex ipſo jure naturæ ortum habere: non ergo ex voluntate gentium dijudicari debent eorum privilegia, & immunitates; neque verum eſt, quod GROTIUS fingit, *eos per fictionem juris extra territorium conſtitui*: omnium minime autem admitti poteſt, *quod imperio loci, ubi degunt, non ſubſint.* Tota ſanctitatis ratio in eo conſiſtit, quod licet hoſtes ſint, tamen hoſtium loco haberi, adeoque jura hoſtis in eos exerceri, non poſſint.

n. 2. At hæc ſanctimonia non impedit, quo minus imperio loci, ubi degunt, ſubſint, & jus in eos ſtatui poſſit, ſi in alieno territorio vel delinquunt, vel contrahunt. De *delictis* id indubium eſt: nam 1. tota ratio ſecuritatis, quæ naturali ratione legato hoſtium competit, in eo conſiſtit, ne pro hoſte haberi, & quà talis lædi poſſit. Hæc ratio 2. ſalva manet, etſi ex delicto ſuo conveniatur; quia 3. privilegium illud non impedit, quo minus jus in eum ſtatui debeat. Nam 4. in alieno deliquit territorio, cujus imperium fundatum eſt in omnes, qui in illo territorio degunt. 5. Summa iniquitas foret, ſi legatus contra vim, & inſidias ejus, ad quem mittitur, tutus eſſet: hic autem vindicare vim, & injuriam ſibi a legato illatam non poſſet. Sane, 6. Deus ens illud perfectiſſimum, & auctor hujus privilegii, nunquam impunitatem concedit delinquendi. Idque confirmant exempla legatorum a Tarquinio miſſorum, qui proditionem Romæ concitaverunt: hi enim deprehenſi, & ſcripta eorum ablata fuere, conſultatumque fuit, an hoſtium loco haberi debeant; & ait LIVIUS [q]: *quamquam viſi ſunt commiſiſſe ut hoſtium loco eſſent, tamen jus gentium valuit*; i. e. etſi jure naturæ occidi potuerint tamquam hoſtes, tamen privilegium juris gentium ipſis, utut immeritis, indultum fuiſſe. Quod prudentiæ conſilium fuit, non neceſſitatis.

n. 3. Equidem GROTIUS in contrarium affert exemplum Bomilcaris, qui cum Jugurtha fide publica Romam venit; at quia occiderat Maſſivam Jugurthæ nepotem, quæſitum fuit, an reus fieri potuerit Romæ? SALLUSTIUS ait [r], *eum potuiſſe reum fieri magis ex æquo, & bono, quam ex jure gentium.* At 1. hic plane non de legato agitur; ſed 2. de delinquente, qui fide publica Romam venerat. Hic igitur 3. ex æquo, & bono, ſi nimirum pactum non interceſſiſſet, reus fieri potuit: at quia 4. pacto publico ſecuritas data fuit, jure gentium, i. e. jure naturæ, quod pacta ſervare jubet, ad judicium rapi non potuit. [s]

n. 4. Sed & porro hoc privilegium ex-

(l) Grot. d. l. (m) d. §. 4, n. 5. (n) d. §. 4, n. 3. (o) d. §. 4, n. 7. (p) d. §. 4, n. 6. (q) L. 2, §. 4, in fin. (r) in Jugurth. c. 35. (s) Aliter rem explicat B. Par. in Diſſ. de legat. ſanct. c. 3, §. 3, 4.

extendi non poteſt ad *contractus*; nec ulla ratio dari poteſt, cur legatus compelli non poſſit ad implendam fidem datam. Nam 1. legatus jure naturæ tenetur ſtare promiſſis; adeoque injuria ei non fit, ſi remediis juris ad id compellitur: & cum 2. ob delicta puniri poſſit, multo magis ad implendam fidem compelli poteſt. Sane, 3. ratio ſecuritatis, & cauſa privilegii ſalva manet, etſi ex contractu ſuo legatus conveniatur; ſecuritas enim illa conceditur hoſti, ne jure belli violetur, non vero ne jus contra eum ſtatuatur. Sane, Principis imperium in territorio fundatum pertinet ad omnes, qui in territorio illo degunt; illudque tamdiu ſubſiſtit, donec exemtio naturalis probetur, quæ in legato non eſt. Idque pluribus rationibus demonſtravit B. Par. in *Diſſ. de legat. ſanct. non impuni.* t

§. DCCCLXXXII. Mittunt legatos, qui jus belli habent, adeoque ſolæ ſummæ poteſtates: quales etiam ſunt quando cognati de eodem imperio decertant [u]: vel qui inæquali fœdere juncti [x]; & illi, qui certo reſpectu ſaltem ſubditi ſunt. y

Non ergo 1. provinciæ mediatæ, aut civitates municipales [z]; nedum 2. ſubditi in bello civili [a]; nec 3. prædones: niſi mittendi facultas data ſit. [b]

§. DCCCLXXXIII. Miſſus admitti neceſſario debet, quia, uti dictum eſt, jura quoque cum hoſte ſunt, quæ abſque legatis expediri non poſſunt: immo bellum finiri, & ſatisfactio offerri nequit, niſi ſecuritate legatis conceſſa.

Excipe, ſi juſta ſit rejiciendi cauſa; quæ vel eſſe poteſt a parte ejus, qui mittitur, vel a parte ejus, qui mittit, vel a parte negotii, ob quod mittitur: quæ late explicat Grotius. [c]

§. DCCCLXXXIV. Mitti poſſunt omnes, quos mittens capaces judicat, etiam athei, & eujuſque conditionis, ac religionis.

§. DCCCLXXXV. Effectus hujus privilegii legatorum eſt, 1. ut tamquam hoſtes violari non poſſint: 2. ut hæc ſecuritas ad comites, vaſa, ac res eorum pertineat [d]: 3. ut violatio legatorum novam belli cauſam præbeat, ac priori addat [e]: 4. ut privati legatum violantes ideo puniri, vel hoſti dedi debeant [f]. Quæ omnia [g] magis vera ſunt, ſi ſemel admiſſi fuere.

§. DCCCLXXXVI. Non autem privilegio hoc gaudent 1. legati, qui non ad hoſtem mittuntur, ſed ad alios, etſi medios; adeoque hi ſi in hoſtili, vel ſociorum hoſtilium territorio deprehenduntur, hoſtium loco haberi poſſunt [h]. 2. Jure talionis in eos ſtatui poteſt quod hoſtis in noſtros legatos ſtatuit [i]. 3. Neque impunitatem hoc privilegium dare legatis, modo dictum eſt. [k]

§. DCCCLXXXVII. Quæritur, *an legatorum domus aſylum præbere poſſit eo confugientibus*: quod merito negamus, inprimis ſi criminis rei ſint. Ratio in aprico eſt, quia ſecuritas legatis datur, ne tamquam hoſtes violari poſſint; non autem violantur ſi ſubditi, crimi-

(t) c. 2, §. 12. (u) L. 2, c. 18, §. 2, n. 3. (x) d. §. 2, n. 2. (y) d. §. 2, n. 2. (z) d. c. 18, §. 2, n. 1. (a) d. c. 18, §. 2, n. 3. (b) d. c. 18, §. 2, n. 3, in fin. (c) d. c. 18, §. 3, 5. (d) L. 2, c. 18, §. 8. (e) d. c. 18, §. 11. (f) L. 17. D. de legation. (g) d. c. 18, §. 6. (h) Grot. L. 2, c. 18, §. 5. (i) Diſſent. Grot. L. 2, c. 18, §. 7. (k) Vid. Grot. L. 2, c. 18, §. 4, 9, 10.

Digitized by Google

criminis rei, ex eorum domo extrahuntur: ipſi potius legati injuriam faciunt crimina in alieno territorio protegendo, & approbando *l*. Accedit, quod ipſi legati puniri ob crimen poſſint, nedum igitur ſubditi noſtri ad eos confugientes.

§. DCCCLXXXVIII. Finitur hæc ſecuritas Legatorum, ſi negotium finitum eſt, & legatus dimiſſus intra fines ſui territorii ſeſe recepit.

Sectio II.

De Legatis, qui ad Amicos mittuntur.

§. DCCCLXXXIX. Explicavimus rationem, cur *legati ad hoſtem miſſi* jure naturæ tuti ſint, nec hoſtium loco haberi poſſint. Hoc autem privilegio opus non habent *legati tempore pacis miſſi*: hi enim cum hoſtes non ſint, jure communi hominum tuti ſunt. Sane, quilibet Princeps intra fines ſui territorii publicam ſecuritatem præſtare debet omnibus, qui in ejus territorio degunt, ſive ad tempus ibi ſint, ſive in perpetuum: adeoque & legatis. *m*

§. DCCCXC. Hæc igitur ſecuritas non eſt privilegium legatis proprium; ſed omnibus hominibus, & cuique privato commune. Unde conſtat, minus dubii circa hos legatos eſſe, quod tum ex delictis, tum ex contractibus conveniri poſſint. Quod Grotius jure naturæ verum, jure gentium autem mutatum eſſe, ait: at eo ipſo refellitur, quia jus gentium non agnoſcimus.

§. DCCCXCI. Cum vero moribus varia privilegia, ac inſignes præeminentiæ legatis, etiam tempore pacis miſſis, tribui ſoleant, quæritur, an naturalis quædam ratio hic ſubſit?

Antequam me ad deciſionem hujus quæſtionis accingam, præmittendum eſt, legatos eſſe vel *Ambaſciadores*, vel legatos, tum ordinarios, tum extraordinarios, vel *reſidentes*, vel *agentes*.

n. 1. Hæc legatorum nomina uſu curiarum certum ordinem deſignant, cui præeminentiæ quædam cohærent, & quæ ex ipſo nomine, & charactere ſequuntur, ac plerumque legibus cæremonialibus cujuſque aulæ definitæ ſunt.

n. 2. His principiis poſitis certum eſt, Principem, qui legatum cum certo charactere miſſum admittit, eo ipſo quoque omnia privilegia, & præeminentias ei tribuere debere, quæ ex uſu curiæ admittentis huic legatorum ordini tribui ſolent. Qui enim vult antecedens, vult etiam conſequens.

n. 3. Verum, ad has præeminentias non pertinet 1. immunitas a pœnis, ſi delinquit, 2. jus aſyli, intuitu delinquentium, 3. facultas provocandi ad mittentem in contractibus: at 4. communiter juriſdictio in comitatum legatis concedi ſolet. *n*

§. DCCCXCII. Alia autem quæſtio eſt, *an princeps admittere teneatur legatum cum certo charactere?* Negatur: nam tota ratio neceſſitatis, quæ in bello obtinet, hic ceſſat; res inter amicos æque per ſimplices mandatarios expediri poſſunt. Si quis aliorum Principum legatos recipit, injuria videtur fieri ei, cujus legati ſine juſta cauſa non recipiuntur: juſtas autem cauſas ſuppeditat Grotius. *o*

Hinc

(*l*) d. c. 18, §. 8, n. 2. (*m*) Grot. L. 2, c. 18, §. 5. (*n*) Grot. L. 2, c. 18, §. 8, n. 2. (*o*) L. 2, c. 18, §. 3.

Digitized by Google

Hinc noſtro ſeculo legatus ad Bremenſes a rege Boruſſiæ miſſus recipi debuit, etiam ab invitis, etſi cæterum civis eſſet Bremenſis, & immobilia ibidem poſſideret (at quoad hæc ſubditus civitatis manſit).

§. DCCCXCIII. Finitur legatio 1. morte legati: familia vero utitur adhuc privilegio, donec intra fines territorii mittentis revertatur; niſi ſtatim declaret animum in loco commorandi, ibique domicilium conſtituendi.

Quæſitum memini, *an hoc poſteriori caſu mittens poſſit exigere, ut familia ob defraudationes a defuncto, ejuſque uxore, & liberis commiſſas, poteſtati mittentis tradatur, & ad ejus forum remittatur.* Equidem mittens id jure prætendebat, 1. quia eo tempore, ubi delictum commiſſum eſt: defunctus, ejuſque familia ſub juriſdictione mittentis fuit, adeoque jus de delictis familiæ cognoſcendi ſemel ei quæſitum erat, quod nec morte delinquentis, nec renunciatione fori ab hæredibus facta tollitur. 2. Familia rationes reddere negotii a defuncto geſti, & reliqua præſtare tenetur, inprimis ſi defraudationis complex ſit; quamdiu igitur id factum non eſt, mittentis jus in legati familiam, quod vivo legato habuit, exſtinctum dici nequit.

2. Finitur officium legati, ſi a mittente revocatur, & ad fines ſuæ civitatis pervenit.

3. Morte mittentis, vel ejus, ad quem mittitur: utroque caſu novum mandatum exhiberi ſolet.

C A P U T IX.

De Mediatoribus.

§. DCCCXCIV. Cum homines ad pacem nati ſint, nihil laudabilius eſt, quam pararium ſe præbere in bello, ſeu pacis mediatorem. p

Mediator ergo eſt, qui tranſigendis litibus inter duas ſummas poteſtates ortis, ex utriuſque partis placito volens intercedit. q

Intervenire autem mediatores poſſunt, & ante bellum inchoatum, & durante bello.

§. DCCCXCV. Conſtituere mediatores poſſunt ſolæ ſummæ poteſtates; quia de pace concilianda agitur, quam illi demum, qui jus belli habent, contrahere poſſunt.

§. DCCCXCVI. Conſtitui autem mediatores poſſunt Principes, privati r, uſurpatores s, feminæ t, etiam a Chriſtiana religione alieni: ſed & unius partis ſubditus ab utraque mediator eligi poteſt x. Si duo Principes litigantes per ſuos miniſtros pacem conciliant, hi proprie non ſunt mediatores. y

Plerumque Principes eligi ſolent mediatores, quorum intereſt, publicam ſecuritatem a neutro litigantium turbari, & quorum potentia metuenda eſt iis, qui juſtas pacis conditiones reſpuunt z. Unde ſæpius videmus, media-

(p) B. Par. Diſſ. de offic. mediat. §. 3. (q) d. Diſſ. §. 6, 7, 8, 9. (r) d. Diſſ. §. 12, ſeq. §. 18, ſeq. (s) Vid. ſupr. §. (t) d. Diſſ. §. 6,

(x) d. Diſſ. §. 12. (y) Ibid. §. 12, 13, 15. (z) d. Diſſ. §. 20.

Digitized by Google

mediatores in unius litigantium partes tranſiiſſe. [a]

Si plures ſunt mediatores, etiam id valet, quod unus conſenſu utriuſque partis agit. [b]

§. DCCCXCVII. Objectum mediationis ſunt omnes lites inter duas ſummas poteſtates ortæ.

§. DCCCXCVIII. Officium mediatoris eſt, ut medius debeat eſſe inter utramque partem, i. e. a ſtudio partium remotus [c]. Unde nec in favorem alterius vel ſollicitare, vel machinari aliquid poteſt [d]. Atque hæc ratio eſt, cur gratis mediatio intercedere debeat [e]. Expenſas tamen mediator repetere poteſt. [f]

Cæterum, officium mediatorum præcipue in eo conſiſtit, 1. ut præliminaria congreſſus inter partes eorum conſenſu præparent, adeoque diem, & locum congreſſus ſtatuant: 2. ceremoniale inſtruant, illudque ſuo nomine publicent [h]. 3. Mandata eis exhibentur, eorumque ſtudio lites circa mandata ortæ conciliantur. 4. Gravamina cujuſque partis mediatori exhibentur, qui exhibita partibus communicat [i]. 5. Ordo tractandi a conſenſu partium dependet; neque enim ad duplicas reſtricta eſt procedendi facultas [k]. 6. Si quid injuſti interim committitur mediatores ſua opera, monendo, hortando, &c. agere debent ut reparetur. 7. Mediatores pacis formulam delineant, & ei vel addunt aliquid, vel detrahunt, donec formula ab utraque parte probetur. 8. Denique in eorum præſentia, ac iis dirigentibus, partes ſubſcribunt pacis formulam; & 9. plerumque ut teſtes ipſi ſubſcribunt.

§. DCCCXCIX. Quæri ſolet, an mediator guarantiam præſtare teneatur? Merito id negatur, etſi pacem ſubſcripſerit, niſi id in ſpecie cautum ſit. [l]

§. DCCCC. Porro quæritur, *an pax invito, vel inſcio mediatore concludi poſſit?* Affirmatur, quia partes de ſuo jure diſponunt: at injurioſum id videtur mediatoribus. Unde cum eis neglectis Hiſpanus, & Imperator clam pacem contraxiſſent, Angli publice de hac injuria queſti ſunt.

§. DCCCCI. Denique quæritur, *an guarantæ interpretari pacem poſſint?* Negatur [m], quia ſi pax dubia eſt, non niſi armis res decidi poteſt.

§. DCCCCII. Finitur mediatio 1. finito negotio, adeoque ſi vel rupti ſunt tractatus, vel pax ſequuta, & ſubſcripta eſt [n]; 2. unius litigantium revocatione [o]; 3. renunciatione mediatoris [p]; 4. morte mediatoris [q], niſi partes in ſucceſſorem volentem conſentiant; 5. ſi alterius cauſæ accedit mediator. [r]

Al

(a) d. Diſſ. §. 11. (b) d. Diſſ. §. 57. (c) Ibid. §. 10, 11. (d) Ibid. §. 53. (e) Ibid. §. 52. (f) Ibid. §. 58. (h) d. Diſſ. §. 33, 35, 38. (i) d. Diſſ. §. 42. (k) d. Diſſ. § 43. (l) B. Par. Diſſ. de guarant. §. 14, 15, d. Diſſ. de offic. mediat. §. 56. (m) d. Diſſ. de offic. mediat. §. 54, 55. (n) Diſſ de offic mediat. §. 59. (o) Ibid. §. 60. (p) Ibid § 8, 9 (q) Ibid. § 61, ſeq (r) Ibid § 10, 11.

Digitized by Google

Ad Diſſ. Procem. XII.

Seu Novum Syſtema &c. pag. 305. §. 12.

INDEX omnium titulorum, qui in Pandectis juris Romani inveniuntur, quatenus hoc libro ex principiis Juris Naturæ explicantur.

Not. *Tituli ſigno * notati omiſſi ſunt in hoc ſyſtemate, quia ex ſolo jure Romano ortum habent.*

A

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Abigeis.	XLVII.	14.	532.
Acceptilatione.	XLVI.	4.	350.
Accuſationibus, & Inſcriptionibus.	XLVIII.	2.	519. §. 520. ſeq.
Actione rerum amotarum.	XXV.	2.	523. n. 9.
Actionibus emti venditi.	XIX.	1.	446.
Adimendis legatis.	XXXIV.	4.	*
Ademtione libertatis.	XL.	6.	130.
Ad exhibendum.	X.	4.	159. n. 3. §. 250.
Adimendis, vel transferendis legatis, vel fidei commiſſis.	XXXIV.	4.	*
Ad legem Aquiliam.	IX.	2.	526.
Ad legem Corneliam de falſis, & SCto. Liboniano.	XLVIII.	10.	521. n. 7.
Ad legem Cornel. de ſicariis, & veneficiis.	XLVIII.	8.	521. n. 6.
Ad legem Falcidiam.	XXXV.	2.	*
Ad legem Flaviam de plagiariis.	XLVIII.	15.	521. n. 11.
Ad legem Juliam de adulteriis coërcendis.	XLVIII.	5.	521. n. 2. & §. 141.
Ad legem Juliam de annona.	XLVIII.	12.	529.
Ad legem Juliam de ambitu.	XLVIII.	14.	121. n. 12.
Ad legem Juliam majeſtatis.	XLVIII.	4.	521. n. 1.
Ad legem Juliam peculatus, & de ſacrilegiis, & de reſiduis.	XLVIII.	13.	521. n. 12.
Ad legem Juliam repetundarum.	XLVIII.	11.	521. n. 12.
Ad legem Juliam de vi privata.	XLVIII.	7.	521. n. 9.
Ad legem Juliam de vi publica.	XLVIII.	6.	521. n. 8.
Ad legem Pompejam de parricidiis.	XLVIII.	9.	521. n. 6.
Adminiſtratione, & periculo tutorum, & curatorum; qui geſſerint, vel non: & de agentibus, vel conveniendis uno, vel pluribus.	XXVI.	7.	183. ſeq. c 4.
Adminiſtratione rerum ad civitates pertinentium.	L.	8.	c. 4. §. 199. ſq. 16. §. 611.
Ad municipalem de Incolis.	L.	1.	199. §. 611. c. 4.
Adoptionibus, & emancipationibus, & aliis modis, quibus poteſtas ſolvitur.	I.	7.	155.
Acquirendo rerum dominio.	XLI.	1.	42. ſeq.

De

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Acquirendâ, vel omittenda hæreditate.	XXIX.	2.	78. & 572.
Acquirenda, vel omittenda poſſeſſione.	XLI.	2.	588.
Ad SC. Tertyllianum, & Orphitianum.	XXXVIII.	17.	284. §. 286.
Ad SC Trebellianum.	XXXVI.	1.	*
Ad SC. Turpillianum: & de abolitione criminum.	XLVIII.	16.	561. n. 11.
Ad SC. Vellejanum.	XVI.	1.	*
Adſignandis libertis.	XXXVIII.	4	*
Ædilitio edicto, & redhibitione, & quanti minoris.	XXI.	1.	446. n. 5.
Æſtimatoria.	XIX.	3.	463. n. 2.
Agnoſcendis, & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.	XXV.	3.	145. 149. n. 11. 165. (& 166.
Albo ſcribendo.	L.	3.	*
Aleatoribus.	XI.	5.	424.
Alienatione judicii mutandi cauſa facta.	IV.	7.	248.
Alimentis, vel cibariis legatis.	XXXIV.	1.	*
Annuis legatis, & fidei commiſſis.	XXXIII.	1.	*
An per alium appellationum cauſæ reddi poſſint.	XLIX.	9.	*
Appellationibus, & relationibus.	XLIX.	1.	*
Appellationibus recipiendis, vel non.	XLIX.	5.	*
Apud eum, a quo appelletur, aliam cauſam agere compellendum.	XLIX.	12.	*
Aqua quotidiana, & æſtiva.	XLIII.	20.	600.
Aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.	XXXIX.	3.	600.
A quibus appellare non licet.	XLIX.	2.	*
Arboribus cædendis.	XLIII.	27.	600.
Arborum furtim cæſarum.	XLVII.	7.	524.
Auctoritate, & conſenſu tutorum, & curatorum.	XXVI.	8.	183. ſeq.
Auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veſte, vel veſtimentis, & ſtatuis legatis.	XXXIV.	2.	*

B

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Bonis damnatorum.	XLVIII.	20.	554. §. 561. n. 9.
Bonis eorum, qui ante ſententiam, vel mortem ſibi conſciverunt, vel accuſatorem corruperunt.	XLVIII.	21.	554. §. 61. n 9.
Bonis libertorum.	XXXVIII..	2.	136.
Bonorum poſſeſſione contra tabulas.	XXXVII.	4.	*
Bonorum poſſeſſione ex teſtment o militis.	XXXVII.	13.	*
Bonorum poſſeſſione furioſo, infanti, muto, ſurdo, cæco competente.	XXXVII.	3.	*
Bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas.	XXXVII.	11.	*
Bonorum poſſeſſionibus.	XXXVII.	1.	*

C

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Cadaveribus punitorum.	XLVIII.	24.	*
Calumniatoribus.	III.	6.	515.

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Capite minutis.	IV.	5.	114.
Captivis: & de poſtliminio; & de redemtis ab hoſtibus.	XLIX.	15.	739. ſeq. §. 751. ſeq.
Carboniano edicto.	XXXVII.	10.	*
Caſtrenſi peculio.	XLIX.	17.	159. n. 6.
Cenſibus.	L.	15.	*
Ceſſione bonorum.	XLII.	3.	364.
Cloacis.	XLIII.	23.	600.
Collatione.	XXXVII.	6.	283. n. 6.
Collegiis, & corporibus.	XLVII.	22.	518.
Colluſione detegenda.	XL.	16.	*
Commodati, vel contra.	XIII.	6.	442.
Communi dividundo.	X.	3.	291.
Communia prædiorum tam urbanorum, quam ruſticorum.	VIII.	4.	302.
Compenſationibus.	XVI.	3.	346.
Concubinis.	XXV.	7.	141. & 173.
Concuſſione.	XLVII.	13.	531.
Condictione cauſa data cauſa non ſecuta.	XII.	4.	570.
Condictione ex lege.	XIII.	2.	570.
Condictione furtiva.	XIII.	1.	524. §. 570.
Condictione indebiti.	XII.	6.	570.
Condictione ob turpem, vel injuſtam cauſam	XII.	5.	570.
Condictione ſine cauſa.	XII.	7.	570.
Condictione triticiaria.	XIII.	3.	570.
Conditionibus, & demonſtrationibus: & cauſis, & modis eorum, quæ in teſtamentis ſcribuntur.	XXXV.	1.	499.
Conditionibus inſtitutionum.	XXVIII.	7.	*
Confeſſis.	XLII.	2.	685.
Confirmando tutore, vel curatore.	XXVI.	3.	183. ſeq.
Conjungendis cum emancipato liberis ejus.	XXXVII.	8.	*
Conſtituta pecunia.	XIII.	5.	434 §. 437. n. 5.
Conſtitutionibus principum.	I.	4.	*
Contrahenda emtione: & de pactis inter emtorem, & venditorem compoſitis: & quæ res venire non poſſunt.	XVIII.	1.	446.
Contraria tutelæ, & utili actione.	XXVII.	4.	183. ſeq. c. 4.
Curatore bonis dando.	XLII.	8.	c. 4. §. 196.
Curatore furioſo, & aliis extra minores dandis.	XXVII.	10.	c. 4. §. 196.
Cuſtodia, & exhibitione.	XLVIII.	3.	*

D.

De Damno infecto: & de ſuggrundiis, & protectionibus.	XXXIX.	2.	514.
Decretis ab ordine faciendis.	L.	9.	*
Decurionibus, & filiis eorum.	L.	2.	*
Depoſiti, vel contra.	XVI.	3.	440.
Diſtractione pignorum, vel hypothecarum	XX.	5.	306. 444. & 485.
Diverſis regulis juris antiqui.	L.	17.	*

De

Digitized by Google

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Diverſis temporalibus præſcriptionibus: & acceſſionibus poſſeſſionum.	XLIV.	3.	297.
Diviſione rerum, & qualitate.	I.	8.	213. ſeq.
Divortiis, & repudiis.	XXIV.	2.	180.
Doli mali, & metus exceptione.	XLIV.	4.	380.
Dolo malo.	IV.	3.	380.
Donationibus.	XXXIX.	5.	269. 431.
Donationibus inter virum, & uxorem.	XXIV.	1.	*
Dote prælegata.	XXXIII.	4.	*
Dotis collatione.	XXXVII.	7.	283, n. 6.
Duobus reis conſtituendis.	XLV.	2.	484.
E			
De Edendo.	II.	13.	677.
Effractoribus, & expilatoribus.	XLVII.	18.	524, n. 9, §. 536.
Eo, per quem factum erit quo minus in judicio quis ſiſtat.	II.	10.	*
Eo, qui pro tutore, prove curatore negotia geſſit.	XXVII.	5.	295.
Eo, quod certo loco dari oportet.	XIII.	4.	394.
Eum, qui appellaverit in provincia defendi.	XLIX.	11.	*
Evictionibus & duplæ ſtipulatione.	XXI.	2.	446. §. 577.
Exceptionibus, præſcriptionibus, & præjudiciis.	XLIV.	1.	678. ſeq.
Exceptione rei judicatæ.	XLIV.	2.	577.
Exceptione rei venditæ, & traditæ.	XXI.	3.	446, n. 4.
Excuſationibus.	XXVII.	1.	192.
Exercitoria actione.	XIV.	1.	415.
Expilatæ hereditatis.	XLVII.	19.	524, n. 9, & §. 537.
Ex quibus cauſis majores viginti quinque annis in integrum reſtituantur.	IV.	6.	*
Ex quibus cauſis pignus, vel hypotheca tacite contrahitur.	XX.	2.	306. ſeq. & 444.
Extraordinariis cognitionibus: & ſi judex litem ſuam feciſſe dicetur.	L.	13.	579.
Extraordinariis criminibus.	XLVII.	11.	528.
F			
De Familiæ erciſcundæ.	X.	2.	281. 291. n. 6. & §. 537.
Feriis, & dilationibus, & diverſis temporibus.	II.	12.	*
Fideicommiſſaria hereditatis petitione.	V.	6.	*
Fideicommiſſariis libertatibus.	XL.	5.	*
Fide inſtrumentorum, & amiſſione eorum.	XX.	4.	683.
Fidejuſſoribus, & mandatoribus.	XLVI.	1.	489.
Fidejuſſoribus, & nominatoribus, & heredibus tutorum, & curatorum.	XXVII.	7.	*
Finium regundorum.	X.	1.	575.
Fluminibus: ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat, quo pejus navigetur.	XLIII.	12.	222, 223. & 588.

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Fonte.	XLIII.	22.	*
Fugitivis.	XI.	4.	*
Fundo dotali.	XXIII.	5.	*
Furibus balneariis.	XLVII.	17.	524.
Furtis.	XLVII.	2.	524.
Furti adverſus nautas, caupones, ſtabularios.	XLVII.	5.	524.

G.

De Glande legenda.	XLIII.	28.	*
Gradibus, & adfinibus, & nominibus eorum.	XXXVIII.	10.	176.

H.

De Heredibus inſtituendis.	XXVIII.	5.	*
Hereditatis petitione.	V.	3.	391.
Hereditate, vel actione vendita.	XVIII.	4.	446. n. 3.
His, quæ in teſtamento delentur, inducuntur, vel inſcribuntur.	XXVIII.	4.	*
His, quæ pœnæ cauſa relinquuntur.	XXXIV.	6.	*
His, quæ pro non ſcriptis habentur.	XXXIV.	8.	*
His, quæ ut indignis auferuntur.	XXXIV.	9.	*
His, qui effuderunt, vel dejecerunt.	IX.	3.	580. & 581.
His, qui notantur infamia.	III.	2.	561. n. 9.
His, qui ſui, vel alieni juris ſunt.	I.	6.	119.
Homine libero exhibendo.	XLIII.	29.	160. pr. & n. 4. §. 602.

I.

De Impenſis in res dotales factis.	XXV.	1.	374.
Incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.	XLVII.	9.	524. n. 9.
In diem addictione.	XVIII.	2.	446. n. 11.
In integrum reſtitutionibus.	IV.	1.	*
Injuriis, & famoſis libellis.	XLVII.	10.	587.
Injuſto, rupto, irrito facto teſtamento.	XXVIII.	3.	*
In jus vocando.	II.	4.	*
In jus vocati ut eant, aut ſatis, vel cautum dent.	II.	6.	*
In litem jurando.	XII.	3.	*
Inofficioſo teſtamento.	V.	2.	*
In quibus cauſis pignus, vel hypotheca tacite contrahitur.	XX.	2.	*
In rem verſo.	XV.	3.	577.
Inſpiciendo ventre, cuſtodiendoque partu.	XXV.	4.	145.
Inſtitoria actione.	XIV.	3.	415.
Inſtructo, vel inſtrumento legato.	XXXIII.	7.	*
Interdictis, & relegatis, & deportatis.	XLVIII.	22.	561. n. 9.
Interdictis, ſive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.	XLIII.	1.	600.
Interrogationibus in jure faciendis, & interrogatoriis actionibus.	XI.	1.	577. n. 11.

De

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Itinere, actuque privato.	XLIII.	19.	600.
Judicatum ſolvi.	XLVI.	7.	*
Judiciis, & ubi quis agere, vel conveniri debeat.	V.	1.	611. ſeq. 657. ſeq. & (§. 679.
Jure aureorum annulorum.	XL.	10.	*
Jure codicillorum.	XXIX.	7.	*
Jure deliberandi.	XXVIII.	8.	*
Jure dotium.	XXIII.	3.	182. §. 314.
Jure fiſci.	XLIX.	14.	*
Jure immunitatis.	L.	6.	636.
Jurejurando: ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive judiciali.	XII.	2.	466. ſeq.
Jure patronatus.	XXXVII.	14.	136.
Juris, & facti ignorantia.	XXII.	6.	364.
Jurisdictione.	II.	1.	671.
Juſtitia, & jure.	I.	1.	c. 34. 5. & 6.

L.

De Legationibus.	L.	7.	*
Legatis, & fideicommiſſis I.	XXX.	1.	*
Legatis, & fideicommiſſis II.	XXXI.	1.	*
Legatis, & fideicommiſſis III.	XXXII.	1.	*
Legatis præſtand. contra tabulas bonorum poſſeſſione petita.	XXXVII.	5.	*
Lege Cornelia de falſis, & de SCto Liboniano.	XLVIII.	10.	521. n. 7.
Lege commiſſoria.	XVIII.	3.	446. n. 11.
Lege Fabia de plagiariis.	XLVIII.	15.	521. n. 11.
Lege Julia repetundarum.	XLVIII.	11.	521. n. 12.
Lege Julia de annona.	XLVIII.	12.	521. n. 12.
Lege Julia ambitus.	XLVIII.	14.	521. n. 12.
Lege Pompeja de parricidiis.	XLVIII.	9.	521. n. 6.
Lege Rhodia de jactu.	XIV.	2.	577. n. 4.
Legibus, Senatusque conſultis, & longa conſuetudine.	I.	3.	*
Legitimis tutoribus.	XXVI.	4.	186. ſeq.
Libellis dimiſſoriis, qui apoſtoli vocantur.	XLIX.	6.	*
Liberali cauſa.	XL.	12.	*
Liberatione legata.	XXXIV.	3.	*
Liberis, & poſthumis heredibus inſtituendis, vel exheredandis.	XXVIII.	2.	*
Liberis exhibendis, item ducendis.	XLIII.	30.	160.
Libero homine exhibendo.	XLIII.	29.	202.
Libertis univerſitatum.	XXXVIII.	3.	*
Litigioſis.	XLIV.	6.	251.
Locati conducti.	XIX.	2.	447.
Loco publico fruendo.	XLIII.	9.	216. ſeq.
Locis, & itineribus publicis.	XLIII.	7.	602. n. 7.

M.

De Magiſtratibus conveniendis.	XXVII.	8.	188. 190.
Mandati, vel contra.	XVII.	1.	452.

De

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Manumiſſis teſtamento.	XL.	4	*
Manumiſſis vindicta.	XL.	2.	*
Manumiſſionibus.	XL.	1.	136.
Manumiſſionibus, quæ ſervis ad univerſitatem pertinentibus imponuntur.	XL.	3.	136.
Migrando.	XLIII.	32.	600.
Militari teſtamento.	XXIX.	1.	*
Minoribus viginti quinque annis.	IV.	4.	441. n. 6.
Mortis cauſa donationibus, & capionibus.	XXXIX.	6.	*
Mortuo inferendo, & ſepulchro ædificando.	XI.	8.	333.
Muneribus, & honoribus	L.	4.	* 202. ſeq. & §. 636.

N.

De Natalibus reſtituendis.	XL.	11.	*
Nautæ, caupones, ſtabularii, ut recepta reſtituant.	IV.	9.	577. n. 12. & §. 583.
Nautico fœnore.	XXII.	2.	372.
Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur.	XL.	15.	*
Negotiis geſtis.	III.	5.	568.
Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priori æſtate fluxit.	XLIII.	13.	600.
Ne quid in loco ſacro fiat.	XLIII.	6.	233.
Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat.	II.	7.	*
Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit.	XLIII.	4.	600.
Nihil innovari appellatione interpoſita.	XLIX.	7.	*
Novationibus, & delegationibus.	XLVI.	2.	351.
Novi operis nunciatione.	XXXIX.	1.	574. n. 2.
Noxalibus actionibus.	IX.	4.	161. n. 7. §. 585.
Nundinis.	L.	11.	*

O.

De Obligationibus, & actionibus.	XLIV.	7.	328. ſeq.
Obſequiis parentibus, & patronis præſtandis.	XXXVII.	15.	155. n. 4.
Officio adſeſſorum.	I.	22.	*
Officio conſulis.	I.	10.	*
Officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio.	I.	21.	*
Officio juridici.	I.	20.	*
Officio præfecti Auguſtalis.	I.	17.	*
Officio præfecti prætorio.	I.	11.	*
Officio præfecti vigilum.	I.	15.	*
Officio præfecti urbi.	I.	12.	*
Officio præſidis.	I.	18.	*
Officio prætorum.	I.	14.	*
Officio proconſulis, & legati.	I.	16.	*
Officio procuratoris Cæſaris l. rational.	I.	19.	*
Officio quæſtoris.	I.	13.	*
Operis libertorum.	XXXVIII.	1.	*

De

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Operis novi nunciatione.	XXXIX.	1.	514. n. 2.
Operis ſervorum.	VII.	7.	125.
Operibus publicis.	L.	10.	*
Optione, vel electione legata.	XXXIII.	5.	*
Origine juris, & omnium magiſtratuum, & ſucceſſione prudentum.	I.	2.	*
P.			
De Pactis.	II.	14.	399. ſeq.
Pactis dotalibus.	XXIII.	4.	432.
Peculio.	XV.	1.	415. & 159. n. 6.
Peculio legato.	XXXIII.	8.	*
Pecunia conſtituta.	XIII.	5.	435.4. 438. n. 6.
Penu legata.	XXXIII.	9.	*
Periculo & commodo rei venditæ.	XVIII.	6.	392. & 447. n. 9.
Petitione hereditatis.	V.	3.	289. ſeq
Pignoratitia actione, vel contra.	XIII.	7.	444. 483. & 306.
Pignoribus, & hypothecis; & qualiter ea contrahantur; & de pactis eorum.	XX.	1.	306. ſeq.
Pœnis.	XLVIII.	19.	539.
Pollicitationibus.	L.	12.	414.
Popularibus actionibus.	XLVII.	23.	520.
Poſſeſſoria hereditatis petitione.	V.	5.	*
Poſtulando.	III.	1.	673.
Præſcriptis verbis, & in factum actionibus.	XIX.	5.	463.
Prætoriis ſtipulationibus.	XLVI.	5.	*
Prævaricatione.	XLVII.	15.	533.
Precario.	XLIII.	26.	353. n. 6.
Privatis delictis.	XLVII.	1.	512. ſeq. & 522 ſeq.
Probationibus, & præſumtionibus.	XXII.	3.	681.
Procuratoribus, & defenſoribus.	III.	3.	673.
Pro derelicto.	XLI.	7.	*
Pro donato.	XLI.	6.	*
Pro dote.	XLI.	9.	*
Pro emtore.	XLI.	4.	*
Pro herede, vel pro poſſeſſore.	XLI.	5.	*
Pro legato.	XLI.	8.	*
Pro ſocio.	XVII.	2.	455.
Pro ſuo.	XLI.	10.	*
Proxeneticis.	L.	14.	403. n. 12.
Publiciana in rem actione.	VI.	2.	315.
Publicis judiciis.	XLVIII.	1.	512. & 520 ſeq.
Publicanis.	XXXIX.	4.	582.
Q.			
Quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur.	XLII.	8.	316.
Quæ res pignori, vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt.	XX.	3.	306 444 483.
De Quæſtionibus.	XLVIII.	18.	483. 685.
Quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur,	XLIX.	8.	*

Oooo Quan-

Digitized by Google

	Lib.	Tit.	Paragr.
Quando appellandum ſit, & intra quæ tempora.	XLIX.	4.	*
Quando de peculio actio annalis eſt.	XV.	2.	*
Quando dies legatorum, vel fideicommiſſorum cedat.	XXXVI.	2.	*
Quando ex facto tutoris, vel curatoris, minores agere, vel conveniri poſſunt.	XXVI.	9.	194.
Quando dies uſusfructus legati cedat.	VII.	3.	*
Quarum rerum actio non datur.	XLIV.	5.	*
Quemadmodum ſervitutes amittuntur.	VIII.	6.	202. §. 275. n. 1.
Quibus ad libertatem proclamare non licet.	XL.	13.	*
Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.	XLII.	4.	*
Quibus modis pignus, vel hypotheca ſolvitur.	XX.	6.	306.
Quibus modis uſusfructus, vel uſus amittitur.	VII.	4.	302. 275. n. II.
Quibus non competit bonorum poſſeſſio.	XXXVIII.	13.	*
Quibus rebus ad eundem judicem eatur.	XI.	2.	
Qui, & a quibus manumiſſi liberi non fiunt, & ad legem Æliam Sentiam.	XL.	9.	*
Qui petant tutores, vel curatores, & ubi petantur.	XXVI.	6.	181. ſeq.
Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur, & de his, qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.	XX.	4.	*
Qui ſatisdare cogantur, vel jurato promittant, vel ſuæ promiſſioni committantur.	II.	8.	*
Qui ſine manumiſſione ad libertatem perveniunt.	XL.	8.	*
Qui teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant.	XXVIII.	1.	293.*
Quis, & a quo appelletur.	XLIX.	3.	*
Quis ordo in poſſeſſionibus ſervetur.	XXXVIII.	15.	*
Quod cujuſcunque univerſitatis nomine, vel contra eam agatur	III.	4.	673.
Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicatur.	XIV.	5.	133. §. 160. n. 8. §. 415.
Quod falſo tutore auctore geſtum eſſe dicatur.	XXVII.	6.	195.
Quod juſſu.	XV.	4.	415
Quod legatorum.	XLIII.	3.	*
Quod metus cauſa geſtum erit.	IV.	2.	418.
Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.	II.	2.	206
Quod vi, aut clam.	XLIII.	24.	600 ſeq.
Quorum bonorum.	XLIII.	2.	*

R.

Ratam rem haberi, & de ratihabitione.	XLVI.	8.	*
De Rebus auctoritate judicis poſſidendis, vel vendendis.	XLII.	5.	*
Rebus creditis ſi certum petatur, & de condictione.	XII.	1.	431.

De

	Lib.	Tit.	Paragr.
De rebus dubiis.	XXXIV.	5.	*
Rebus eorum, qui ſub tutela, vel cura ſunt, ſine decreto non alienandis, vel ſupponendis.	XXVII.	9.	*
Receptatoribus.	XLVII.	16.	534.
Receptis, qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant.	IV	8.	694.
Regula Catoniana.	XXXIV.	7.	*
Rei vindicatione.	VI.	1.	247. ſeq.
Re judicata, & de effectu ſententiarum, & de interlocutionibus.	XLII.	1.	577. n. 10.
Re militari.	XLIX.	16.	*
Religioſis, & ſumtibus funerum, & ut funus ducere liceat.	XI.	7.	233.
Remiſſionibus.	XLIII.	25.	*
Rem pupilli, vel adoleſcentis, ſalvam fore.	XLVI.	6.	*
Requirendis, vel abſentibus damnandis.	XLVIII.	17.	157.
Rerum amotarum.	XXV.	2.	524. n. 9.
Rerum permutatione.	XIX.	4.	463.
Reſcindenda venditione: & quando liceat ab emtione diſcedere.	XVIII.	5.	446.
Ripa munienda.	XLIII.	15.	600.
Ritu nuptiarum.	XXIII.	2.	171. ſeq.
Rivis.	XLIII.	21.	600.

S.

	Lib.	Tit.	Paragr.
De Salviano interdicto.	XLIII.	33.	600.
Senatoribus.	I.	9.	*
Senatusconſulto Macedoniano.	XIV.	6.	441. n. 6.
Senatusconſulto Silaniano, & Claudiano, quorum teſtamenta ne aperiantur.	XXIX.	5.	*
Sententiam paſſis, & reſtitutis.	XLVIII.	23.	*
Separationibus.	XLII.	6.	292.
Sepulchro violato.	XLVII.	12.	233. & 530.
Servis exportandis, vel ſi ita mancipium venierit ut manumittatur, vel contra.	XVIII.	7.	*
Servitute legata.	XXXIII.	3.	*
Servitutibus.	VIII.	1.	302. ſeq.
Servitutibus prædiorum ruſticorum.	VIII.	3.	304.
Servitutibus urbanorum prædiorum.	VIII.	2.	304.
Servo corrupto.	XI.	3.	526 in fin.
Si a parente quis manumiſſus ſit.	XXXVII.	12.	*
Si ager vectigalis, i. e. emphyteuticarius petatur.	VI.	3.	305. & 312.
Si certum petatur de rebus creditis, & de condictione.	XII.	1.	441.
Si cui plus, quam per legem Falcidiam licuerit, legatum eſſe dicatur.	XXXV.	3.	*
Si ex noxali cauſa agatur, quemadmodum caveatur.	II.	9.	*
Si familia furtum feciſſe dicitur.	XLVII.	6.	524 n 9.
Si ingenuus eſſe dicetur.	XL.	14.	*

Digitized by Google

	Lib.	Tit.	Paragr.
Si is qui teſtamento liber eſſe juſſus erit, poſt mortem domini ante aditam hereditatem ſurripuiſſe, aut corrupiſſe quid dicatur.	XLVII.	4.	*
Si menſor falſum modum dixerit.	XI.	6.	404. n. 2. §. 579
Si mulier ventris nomine calumniæ cauſa in poſſeſſione eſſe dicatur.	XXV.	6.	145. n 3.
Si pars hereditatis petatur.	V.	4.	290.
Si pendente appellatione mors intervenerit.	XLIX.	13.	*
Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.	IX.	1.	585.
Si quid in fraudem patroni factum ſit.	XXXVIII.	5.	*
Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coegerit.	XXIX.	6.	*
Si quis cautionibus in judicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperaverit.	II.	11.	*
Si quis in jus vocatus non iverit; ſive quis eum vocaverit, quem ex edicto non debuerit.	II.	5.	*
Si quis jus dicenti non obtemperaverit.	II.	3.	*
Si quis omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato, vel alio modo poſſideat hereditatem.	XXIX.	4.	*
Si ſervitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.	VIII.	5.	302.
Si tabulæ teſtamenti extabunt.	XXXVII.	2.	*
Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, unde liberi.	XXXVIII.	6.	*
Si tutor, vel curator magiſtratus creatus appellaverit.	XLIX.	10.	*
Si ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa eadem poſſeſſio dolo malo ad alium tranſlata eſſe dicatur.	XXV.	5.	145.
Si uſusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.	VII.	6.	305.
De Solutionibus, & liberationibus.	XLVI.	3.	349.
Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.	XXIV.	3.	182.
Sponſalibus.	XXIII.	1.	171. ſeq.
Statu hominum.	I.	5.	*
Statu liberis.	XL.	7.	*
Stellionatus.	XLVII.	20.	538.
Stipulationibus prætoriis.	XLVI.	5.	*
Stipulatione ſervorum.	XLV.	3.	*
Succeſſorio edicto.	XXXVIII.	9.	*
Suis, & legitimis heredibus.	XXXVIII.	16.	281. §. 606.
Supellectile legata.	XXXIII.	10.	*
Superficiebus.	XLIII.	18.	305. 312.
Suſpectis tutoribus, & curatoribus.	XXVI.	10.	198.

T

De Tabulis exhibendis.	XLIII.	5.	*
Termino moto.	XLVII.	21.	538.
Teſtamenta quemadmodum aperiantur, inſpiciantur, & deſcribantur.	XXIX.	3.	

De

	Lib.	Tit.	Parag.
De Teſtamentaria tutela.	XXVI.	2.	197.
Teſtamento militis.	XXIX.	1.	*
Teſtibus.	XXII.	5.	682.
Tigno juncto.	XLVII.	3.	524. n. 9.
Transactionibus.	II.	15.	410.
Tributoria actione.	XIV.	4.	415.
Tritico, vino, vel oleo legato.	XXXIII.	6.	*
Tutelæ, & rationibus diſtrahendis, & utili curationis cauſa actione.	XXVII.	3.	194.
Tutelis.	XXVI.	1.	183. ſeq.
Tutoribus, & curatoribus datis, & his, qui jus dandi habent; & qui, & in quibus cauſis ſpecialiter dari poſſunt.	XXVI.	5.	188. ſeq.
V.			
De Vacatione, & excuſatione munerum.	L.	5.	636.
Ubi pupillus educari, vel morari debeat; & de alimentis ei præſtandis.	XXVII.	2.	194.
Ventre in poſſeſſionem mittendo, & curatore ejus.	XXXVII.	9.	145.
Verborum obligationibus.	XLV.	1.	461.
Verborum ſignificatione.	L.	16.	*
Veteranis.	XLIX.	18.	*
Veteranorum, & militum ſucceſſione.	XXXVIII.	12.	*
Via publica, & ſi quid in ea factum eſſe dicatur.	XLIII.	10.	600.
Vi bonorum raptorum, & de turba.	XLVII.	8.	123. §. 125. n. 9.
Vi, & de vi armata.	XLIII.	16.	521. n. 8.
Unde cognati.	XXXVIII.	8.	*
Unde legitimi.	XXXVIII.	7.	*
Unde liberi.	XXXVIII.	6.	*
Unde vir, & uxor.	XXXVIII.	11.	*
Uſu, & habitatione.	VII.	8.	305.
Uſu, & uſufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum, vel fidei commiſſum datis.	XXXIII.	2.	*
Uſofructu adcreſcendo.	VII.	2.	*
Uſufructuarius quemadmodum caveat.	VII.	9.	*
Uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, vel minuuntur.	VII.	5.	533.
Uſuris, & fructibus, & cauſis, & omnibus acceſſionibus, & mora.	XXII.	1.	366. ſeq. §. 369.
Uſurpationibus, & uſucapionibus.	XLI.	3.	397. ſeq §. 301.
Ut ex legibus, Senatuſque conſultis poſſeſſio detur.	XXXVIII.	14.	*
Ut in flumine publico navigare liceat.	XLIII.	14.	221. §. 600.
Ut in poſſeſſionem, legatorum, vel fideicommiſſorum ſervandorum cauſa, eſſe liceat.	XXXVI.	4.	*
Uti poſſidetis.	XLIII.	17.	600.
Ut legatorum, vel fideicommiſſorum ſervandorum cauſa caveatur.	XXXVI.	3.	*
Utrubi.	XLIII.	31.	600.
Vulgari, & pupillari ſubſtitutione.	XXVIII.	6.	*

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum, verborum, & notabilium, quæ in Introductione ad Grotium illuſtratum continentur.

Prior numerus *Diſſertationem*, poſterior *Paragraphum* denotat.

ABDICATIO imperii nulla eſt ſi fit abſque conſenſu populi, *XII.* §. 638. non nocet liberis in ſucceſſione lineali, §. 638.
Abigeatus eſt delictum, *XII.* §. 523.
ABRAHAM non peccavit immolando Iſaacum, *I.* §. 60.
Acceptatio: Per traditionem, altero non acceptente, non transfertur dominium, *XII.* §. 323. Vide *Alienatio.*
Acceptilatio eſt modus tollendæ obligationis, *XII.* §. 350. quo ſenſu dicatur juris gentium, *ibid.* ejus definitio, *ibid.* requirit verba, *ibid.* inutilis valet in vim pacti, *ibid.* obligatio per eam civiliter ſolvitur, non naturaliter, *ibid.*
Acceſſio eſt modus acquirendi dominium naturalis, *XII.* §. 277. ejus ratio, *ibid. n.* 1. requiſita, *ibid. n.* 2. vera principia hujus acquiſitionis, *ibid. n.* 6. *ſeq.* Quomodo differat a ſpecificatione, *ibid. n.* 4. eſt quoque modus amittendi dominium, §. 326. Male refertur inter modos acquirendi civiles, *VI.* §. 51. *n.* 4.
Acceſſio. Vide, *id*, *quod intereſt.*
Acquiſitio. Vide, *Dominium.*
ACTIO: definitur, *XII* §. 677. Actiones in genere ſunt vel *præjudiciales*, vel *reales*, vel *perſonales*, §. 677. actionum perſonalium diviſiones, *ibid.*
De actionibus *præjudicialibus*, *XII.* §. 112. quomodo differant a realibus, & perſonalibus. §. 316. §. 113. & §. 347. Notatur Grotius, §. 113. de actionibus *præjudicialibus* quæ ex ſtatu familiæ competunt, §. 145.
Actiones *reales* ſunt rei vindicatio, *XII.* §. 250. & *hæreditatis petitio*, §. 291. Reliquæ actionum *realium* ſpecies ſunt ex jure Romano, §. 293. *ſeq.* §. 306. *ſeq.* §. 310. *ſeq.*
De actionibus *perſonalibus*, *XII.* §. 345. *ſeq.* inhærent patrimonio, §. 346. ejus rei effectus inſignes, *ibid.* Quomodo differant ab actionibus realibus, & præjudicialibus, §. 347.
Actio æſtimatoria oritur ex contractu innominato, *XII.* §. 463. contractus æſtimatorius quid ſit, §. 463 *n.* 2. cur proprium nomen acceperit, *ibid. n.* 3. an dominium in hoc contractu transferatur, *ibid. n.* 4.
De *actione æſtimatoria* quanti minoris, *XII.* §. 446. *n.* 5.
Actiones contrariæ ſunt ex quaſi contractu, *XII.* §. 577. earum origo, §. 677. *n.* 1.
Actio de eo, *quod certo loco*, &c. fundatur in jure naturali, *XII.* §. 349.
Actio familiæ erciſcundæ quid, & unde ſit, *XII.* §. 291. eſt mixta, *ibid.*
Actio Pauliana eſt perſonalis, etiam jure Digeſtorum, *XII.* §. 316.
Actio de præſcriptis verbis, &c. Vide *Præſcriptis verbis actio.*
Actio publiciana eſt mere civilis, *XII.* §. 315.
Actio redhibitoria quid ſit, *XII.* §. 446. *n.* 5.
Actio reſciſſoria eſt perſonalis, etiam jure Digeſtorum, *XII.* §. 316.
Actio de ſuperficie eſt perſonalis, *XII.* §. 316. cur jure Romano realis facta ſit, *ibid.*
Actio Serviana aque, *ac quaſi Serviana*, eſt per-

perſonalis, *XII.* §. 306. cur jure Romano realis facta ſit, *ibid.*
Actiones extraordinariæ quænam ſint, *XII.* §. 588. eo pertinent interdicta, *ibid.*
Actio quomodo inſtituatur, *XII.* §. 677.
Actor: quis dicatur: *XII.* §. 672. probare tenetur fundamentum actionis. *XII.* §. 681.
Actor Tutoris; *vel Curatoris* quis dicatur, *XII.* §. 673.
Adam: nullum ei jus ſpeciale a Deo datum eſt. Vid. *Jus Adamiticum.*
Additio in diem quid ſit, *XII* §. 446. n. 11.
Adeſpota ſunt res nullius, *XII.* §. 227. & cedunt occupanti, §. 263.
Aditio hæreditatis eſt quaſi contractus, *XII.* §. 572. Vide *Hæreditas.*
Adoptio quid ſit, *XII.* §. 155. Eſt modus acquirendæ patriæ poteſtatis, *ibid.* ejus requiſita, *ibid.* effectus, *ibid.* per eam tollitur ſtatus familiæ, §. 146.
Advocatus: ejus officium, *XII.* §. 673.
Adulterium eſt crimen atrociſſimum, *XII.* §. 521. jure naturali vetitum, §. 173. n. 4. *I.* §. 72. Apud pleraſque gentes pœna mortis in illud ſtatuitur, *XII.* §. 531. An jus interficiendi adulterum lege marito conceſſum culpa careat, *IX.* §. 47. Quo ſenſu adulterium committatis, qui alienam uxorem aſpicit, *ibid.*
Ædificium: Ædificia collocare, quo ſenſu dicatur eſſe juris gentium, *IV.* §. 40. cedunt ſolo, *XII.* §. 277. n. 14. ratio hujus acquiſitionis naturalis, *ibid.* an ſint communia, *VI.* §. 51. n. 6. tignum cedit ædificio, *XII.* §. 277. n. 14.
Ædilitium edictum: ejus ratio naturalis explicatur, *XII.* §. 584.
Aër eſt res communis, *XII.* §. 217. ejus proprietas occupari nequit, ſed ſolus uſus, §. 262. n. 3. ejus rei effectus, *ibid.*
Æqualitas. An ſit fundamentum contractuum. Vide *Contractus.*
Affinitas: quinam gradus prohibiti ſint inter affines, *XII.* §. 176. n. 5. 9. 10. Vide *Gradus.* Quid ſit ſecundum genus affinitatis, *ibid.* n. 22.
Ager: Agri ſunt vel arcifinii, vel limitati, *XII.* §. 273. 274. 275. Effectus hujus differentiæ naturalis, *ibid.*
Agnati. His jura quædam competunt ex ſtatu familiæ, *XII.* §. 170. Quinam gradus inter eos circa nuptias prohibeantur. Vid. *Gradus.*
Aggratiatio tollit pœnam, *XII.* §. 350. §. 561. non jus tertii, *ibid.*
Alapa: periculum accipiendæ alapæ eſt juſta defenſionis neceſſariæ cauſa, *III.* §. 44. *IX.* §. 47. quid lege Evangelii ſtatutum, *III.* §. 44. §. 46. *IX.* §. 47.
Alienatio eſt modus acquirendi dominii derivativus, *VI.* §. 31. *ſeq.* Ea ſit vel lege, vel facto hominis, §. 32. *Lege* ſit alienatio vel ex lege naturæ, §. 32. *ſeq.* (idque vel per expletionem juris, vel per ſucceſſionem, §. 38. & 39.) vel jure gentium, §. 32. §. 47. *ſeq.* vel jure Civili, §. 32. §. 49. *ſeq.* *Facto* hominis ſit alienatio ſi dominus rem ſuam in alium transfert, §. 32. Qui alienare poſſint, §. 33. quæ res alienari poſſint, §. 34. Species alienationis ſunt infeudatio, pignoris datio, & diſpoſitio teſtamentaria, §. 35. An per ſolam alienationem, non accedente traditione, transferatur dominium, §. 78. *VII.* §. 18. §. 28. §. 58. n. 8. *XII.* §. 634. Alienatio requirit traditionem ad eum effectum ut dominium transferatur. *XII.* §. 323. Vide *Traditio.* De alienatione imperii, vide *Imperium.*
Alimenta liberis debentur natura, *XII.* §. 167. etiam ex inceſtu, & concubina natis, §. 167. non ſpuriis, *ibid.* nec parentibus, §. 159. n. 11. An ratio ſucceſſionis naturalis inter aſcendentes, & deſcendentes, conſiſtat in neceſſitate alendi? *VI.* §. 39. n. 6. 7. 8. 9.
Alluvio non eſt modus acquirendi civilis, *VI.* §. 50. *ſeq.* §. 82. Eſt modus acquirendi naturalis, *XII* §. 273. ejus ratio naturalis, *ibid.* Obtinet non tantum inter prædia privata, *ibid.* n. 2. ſed etiam inter duo imperia, *ibid.* n. 1. hinc fines imperii mutantur per alluvionem, §. 275. n. 10. Quando ceſſet jus alluvionis, §. 273. n. 7.
Alveus: derelictio alvei an ſit modus acquirendi dominii civilis, *VI.* §. 50. *ſeq.* §. 82. eſt modus acquirendi naturalis, *XII.* §. 275. ejus ratio naturalis, *ibid.* Quando videatur derelictus, §. 275. n. 1. non videtur derelictus ſi ſaltem inundatur, *ibid.* n. 11. ſolvitur antinumia juris Romani, *ibid.* Per alvei derelictionem mutatur dominium, §. 326. & imperii fines, §. 275. n. 10. Quibus modis ceſſet hæc acquiſitio, §. 275. n. 11.
Alveus marinus eſt communis, ſeu nullius, *XII.* §. 220. occupari non poteſt quatenus ad uſum maris pertinet, §. 221. n. 3. §. 262.
Alveus fluminis publici eſt communis, *XII.* §. 224.

§. 224. §. 262. §. 275. n. 6. Ejus effectus in incrementis fluvialibus, *ibid.*

Angeli: cum his jura quædam hominibus ſunt communia, *I.* §. 72. Exiſtentia angelorum rationibus probatur, *ibid.*

Anima caret materia, *XII.* §. 29. eſt immortalis, §. 30.

Animus: ſolo animo dominium non acquiritur, *XII.* §. 254. nec poſſeſſio, §. 597. Vide *Traditio.*

Animal: quo ſenſu jus naturæ ad animalia pertinere dicatur, *IV.* §. 39. & 42. Vide *Bruta.*

Ἀνδροληψία eſt ſpecies belli minus pleni apud Athenienſes, *IX.* §. 34. Vide *pignoratio.*

Apanagium: Principes apanagiati teſtari non poſſunt, niſi adhibitis ſolennibus, *XII.* §. 296. n. 7.

Aqua profluens eſt res communis, ſeu nullius: nec occupari poteſt, niſi quoad uſum, *XII.* §. 218. 219. & 222. *junct.* §. 262. An communis manſerit poſt rerum diviſionem, *VI.* §. 17. n. 3.

Arbiter. Arbitrium. Arbitrium eſt modus finiendi lites, *XII.* §. 694. Quinam conſtituere arbitros poſſint, *ibid.* Objectum arbitrii, *ibid.* Effectus, *ibid.* quibus modis finitur, *ibid.*

Arbitrio quoque finitur bellum, *IX.* §. 127. *XII.* §. 856. & 877. Qui cauſam committere arbitrio poſſint, §. 856. & 877. Requiritur conſenſus arbitri, *ibid.* effectus hujus arbitrii, *ibid.* n. 4. & 5. de quo pronunciare debent, *IX.* §. 127. Differunt ab arbitratoribus, *XII.* §. 856. n. 6. De modo finiendi, *ibid.* n. 7.

Arbor cedit fundo, *XII.* §. 277. n. 17. ratio ejus naturalis, *ibid.*

Arma: Jus armorum pertinet ad regalia, *XII.* §. 631. Ejus ſpecies, *ibid.* Quibus armis in hoſtem uti liceat? Vide *hoſtis, bellum.* Cur poſtliminio non recipiantur. Vide *Poſtliminium.*

Arrogatio ſubjectionem infert ex conſenſu, *V.* §. 11. an pertineat ad acquiſitiones originarias, §. 15.

Aſcendentes non ſuccedunt deſcendentibus, nedum agnatis, *XII.* §. 285. Vide *Succeſſio.*

Aſylum non dat impunitatem criminibus, *XII.* §. 561. n. 11.

Atheus. Atheiſmus. An Atheus obligetur juri naturæ ob intrinſecam bonitatem, *I.* §. 9. 41. 42. *ſeq.* refutatur hæc ſententia, §. 42. An *athei* puniri poſſint a Magiſtratu, *XII.* §. 81. An gens aliam gentem punire ob profeſſionem Atheiſmi poſſit? *VII.* §. 83. *XII.* §. 84. 719.

An *atheus* viri boni nomen mereatur, *XII.* §. 70.

Auguſta teſtari tenetur juxta ſolennitates lege loci receptas, *XII.* §. 296. n. 7.

Autocheiria jure naturæ illicita eſt, *I.* §. 72. *X.* §. 8. *lit.* v. *XII.* §. 95. & 521.

Auxilium ferre oppreſſis licet, *IX.* §. 59. 157. Vide *Fœdus. Socius.*

Auxilium videtur veniſſe ſi in conſpectu eſt, *IX.* §. 157. Modo tale ſit ut periculum ceſſare faciat, *ibid.*

B.

Balearicum bellum, *IX.* §. 166. n. 7.

Barbaroſſa: bellum, quod Car. V. cum eo geſſit, fuit publicum, *IX.* §. 166. n. 7.

Blaſphemia jure naturæ prohibetur, *XII.* §. 90.

Bellum. Etymologia vocis, *XII.* §. 715. ejus definitio, *IX.* §. 16. *XII.* §. 716. An bellare juſtum ſit, *IX.* §. 19. *IV.* §. 38. *I.* §. 72. *XII.* §. 696. Requiſita belli juſti, *X.* §. 17. Requiritur 1°. juſta cauſa: juſtæ cauſæ exponuntur, *IX.* §. 62. 67. injuſtæ, §. 62. n. 8. §. 67. (Vide *Cauſa belli.*) an pars læſa tantum agere poſſit ad debiti, ac pœnæ reparationem, *IV.* §. 20. n. 1. *IX.* §. 61. 62. 2°. ut indictum ſit, vel clarigatum, (Vid. *Indictio. Clarigatio*), *XII.* §. 730. 726.

Bellum a Grotio dividitur 1°. in plenum, & minus plenum, *IX.* §. 19. 20 & 29. (Vid. *Repreſſalia*) 2°. in publicum, privatum, & mixtum, *IX.* §. 19.

Bellum publicum 3°. ex doctrina Grotii eſt vel ſolenne, vel minus ſolenne, *IX.* §. 23. 30. & 63.

Bellum publicum *minus ſolenne* deſcribitur, *IX.* §. 23. 70. Omnia requiſita juris naturalis ibi obtinent, §. 70. 72. 76. Ejus rei effectus, §. 73. *ſeq.* Refellitur hæc deſcriptio, §. 168. *ſeq.*

Bellum publicum *jure gentium ſolenne* deſcribitur, *IX.* §. 23. 63. *IV.* §. 20. n. 3. in quibus a jure naturæ recedat, *IX.* §. 63. Ad requiſita belli publici Grotius refert 1°. ut utrinque a ſumma poteſtate geratur, & 2°. ut indictum ſit, §. 63. n. 4. *ſeq.* Rationem hujus inventi affert, *IV.* §. 20. n. 1. & 2. *IX.* §. 63. n. 1. 6. Quid in hoc bello liceat, §. 54. Interficere licet hoſtem, §. 77. capere res, & perſonas hoſtiles,

§. 54. 87. 94. Vaſtare res ejus, §. 54. 84. Immo imperium ei eripere, §. 101. Vis inferri poteſt non tantum ſubditis hoſtis, ſed & ſociis ejus, §. 55 etiam innocentibus per indirectum, §. 56. & his, qui hoſtibus neceſſaria ſubminiſtrant, §. 57. An mentiri hoſti licet, §. 58. Qui bellum publicum gerere poſſint, §. 63. *n.* 4. An ſubditi abſque mandato principis, *ibid.* Quid ſi ſuis impenſis militent, §. 4. *ſeq.* De modis finiendi bellum, §. 120. *ſeq.*

Ex tali *bello* non oritur jus internum, ſed externum, *IX.* §. 64. *IV.* §. 20. *n.* 3. Nimirum, dominium externum, *IX.* §. 65. (ubi de effectibus hujus dominii agitur,) & impunitas, *ibid.* cujus effectus recenſentur, *ibid.* Actus, quibus jus gentium effectus illos peculiares, & externos tribuit, recenſentur, §. 66. 67. 68. Quomodo gentes inde obligentur, *IV.* §. 21. Dogma de bello publico minus ſolenni examinatur, *IX.* §. 168. ubi occaſio hujus figmenti exponitur vera ſententia de *bello publico* explicatur, *XII.* §. 719. ejus diviſiones, *ibid.* Licita ſunt bella, §. 721. Requiſita belli publici, *ibid.* & §. 726. & 730. juſta requiritur cauſa, §. 721. (Vid. *Cauſa belli*). An propter injuriam aliis illatam bellum geri poteſt, §. 719. an propter delictum in humanam naturam commiſſum, *ibid.* an propter atheiſmum, aut contra hæreticos, *ibid.* *VII.* §. 83. *ſeq.* Victoria in bello eſt inſtar ſententiæ, *XII.* §. 724. Qui bellum gerere poſſint, §. 735. Bellum non gerunt ſubditi in Principem, *ibid.* nec magiſtratus, §. 736. Nec ſubditi, *ibid.* An alius pro alio bellum gerere poſſit, §. 737. (Vide *Socius*). Contra quos bellum geratur, §. 738. Quid in bello liceat, §. 739. 740. *ſeq.* (Vid. *Hoſtis*). Imperium quoque bello acquiri poteſt, §. 751. i. e. omnia jura publica, & privata, §. 753. Effectus imperii bello quæſiti, §. 754. an tale regnum ſit patrimoniale? & an alienari poſſit, §. 765. 629. 754. De modis finiendi bellum, §. 852 *ſeq.*

Bellum privatum quando ſit, *IX.* §. 19. 21. *XII* §. 717. Eſt ipſa neceſſaria defenſio, *IX.* §. 40. quæ jure naturæ licita eſt, §. 41. 167. quando ſcilicet judicia ceſſant, *ibid.* Idque non contrariatur legibus Moſis, nec legi Evangelii, §. 44. In quibus cauſis locum habeat, §. 47. *XII.* §. 717. A quo, & contra quos bellum hoc geri poſſit, *IX.* §. 45. *XII.* §. 717. an ſi damnum ſaltem metuitur, §. 717. an ob periculum recipiendæ alapæ, *ibid.* an ob defenſionem pudicitiæ, vel rerum noſtrarum, *ibid.* Nunquam obtinet contra principem, *IX.* §. 46. vel ſuperiores *ibid* *XII.* §. 718. *n.* 5. De exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, *XII.* §. 718. *n.* 5. Monita circa bellum privatum, *IX.* §. 47. & 165. *Bellum publicum* 4°. eſt vel *rei perſecutorium*, vel *punitivum.* Quid ſit bellum punitivum, *IX.* §. 19. 26. *VII.* §. 83. 84.

Bellum mixtum quid ſit, *IX.* §. 24. Caſus, ubi bellum mixtum eſt, recenſentur, §. 166. ubi notatur Grotius.

Bellum civile non eſt bellum mixtum, *IX.* §. 166. exempla bellorum civilium, *ibid.* *n.* 3. Bello civili captus non fit ſervus, nec poſtliminio opus habet. Vide *Servus.* *Poſtliminium.*

Bellum piraticum, quod cum prædonibus, & piratis geritur, non eſt mixtum, *IX.* §. 166. *n.* 2. Exempla ejuſmodi bellorum, *ibid.* & *n.* 7.

Blaſphemia crimen eſt jure naturæ prohibitum, *XII.* §. 90.

BONA. Grotius in ſucceſſione collateralium diſtinguit inter bona avita, & noviter quæſita, *VI.* §. 39. *n.* 10. *ſeq.*

Bona privata fiunt publica ex deſtinatione patrisſamilias, *XII.* §. 666. Bona publica quæ, §. 623. De ſucceſſione in bona principis privata, §. 661. 663. *ſeq.*

BONITAS INTRINSECA an inſit juri naturæ? Grotius affirmat, *I.* §. 9. 41. 42. *ſeq.* indeque concludit, Atheum quoque obligari juri naturæ, *ibid.* Examinatur hæc ſententia, §. 31. 32. 36. 41. 42. *ſeq.* §. 58. *ſeq.* dubia removentur, §. 59. *ſeq.* cur ſcholaſtici dogma hoc invenerint, §. 62. non infert atheiſmum, *ibid.*

Brachium cedit ſtatuæ: ratio naturalis affertur, *XII.* §. 277. *n.* 19.

Bruta ratione carent, *XII.* §. 64. 78. adeoque non ſunt capacia juris, *IV.* §. 39. 42. quo ſenſu jura naturalia ad ea pertinere dicantur? Vid. *Jus naturæ materiale.*

C.

Capere, *capti*, *captivitas.* An capere liceat *res* hoſtium, *IX.* §. 67. *n.* 5. §. 87. Grotius *jure naturæ* id licere, ait, ſi bellum juſtum eſt, ſed ſaltem intra modum debiti, & pœnæ, §. 88. 89. Non tamen dominium acquiri, ſed ſolam ſecuritatem,

d. §. 89. ubi vide exceptiones. At *Jure gentium* in bello ſolenni aliud obtinere, ait, *ibid.*

Capi poſſunt *res* ſubditorum hoſtilium, *IX.* §. 89. (non mediorum) etſi in territorio hoſtium reperiantur, vel olim noſtræ, at bello captæ fuerint, *d.* §. 89. 143. Non autem capi poſſunt res hoſtis in terris mediorum, §. 90. Res capta cenſetur quando eſt in poteſtate noſtra, §. 91.

Cui acquiratur *res* capta, *IX.* §. 92. Grotius diſtinguit inter actus publicos, & privatos, *ibid.* populus varie de præda diſponere ſolet, *ibid.*

Si apud medios res capitur, & lis inde oritur, Grotius ſtatuit, eam decidi debere juxta leges loci, *IX.* §. 92. & in bello minus ſolenni jus naturæ circa res captas obtinere, §. 93.

Perſonam hoſtis quoque *capi* poſſe, Grotius ait, *IX.* §. 94 ſed tantum ſi juſta cauſa ſit, & intra modum debiti, ac pœnæ, §. 95. In victos autem non cumpetere jus vitæ, & necis, *ibid.* nec liberos captorum, nec illos, qui capiuntur, & actu non militant, fieri ſervos, *ibid.* Hoc jus naturæ obtinere, ait, in bellis civilibus, §. 97. *Jure gentium* promiſcue hoſtes capi poſſe, idem Grotius docet, etiam ex injuſta cauſa, & ultra modum debiti, ac pœnæ, §. 96. *ſeq.* Eo jure ſervos occidi poſſe, eorumque liberos fieri ſervos, *ibid.* de variis gentium moribus agit, § 100.

Capi quoque poſſe, ait, imperium jure naturæ, *IX.* §. 101. nimirum vel civile, vel herile, vel mixtum, §. 102. Quid jure Gentium mutatum ſit, *ibid* Cum imperio occupantur res univerſitatis, jura, debita, & credita publica, §. 103. Adde *Imperium bello quæſitum.* Monita quædam circa doctrinam Grotii, §. 104.

Quasdam res, & perſonas capi non poſſe jure gentium arctiori, ait, *IV.* §. 27. Vid. *Jus gentium arctius.*

Vera ſententia de jure *capiendi*, *XII.* §. 743. *ſeq.* Jure naturæ capere Res hoſtiles licet in infinitum, etiam ultra modum debiti, & pœnæ, *ibid* non tantum quæ in loco hoſtili inveniuntur, ſed etiam apud ſocios hoſtis, *ibid.* non vero apud medios, *ibid.* Quando res capta videatur, *ibid. n.* 8.

Qui capere, & quorum res capi poſſint, *XII.* §. 743. Cui acquirantur res captæ, *ibid. n.* 8. Non acquiruntur capienti, ſed ei, cujus jure capiuntur, *ibid.*

Capere quoque perſonas hoſtiles licet, *XII.* §. 744. etiam eas, quas occidere prohibitum eſt, *ibid.* Capti fiunt ſervi, §. 731. 744. (Vide *Servus.*)

Captivi paciſci cum hoſte poſſunt, *XII.* §. 747. 826. ſub fide dimiſſi eam implere tenentur, *d.* §. 747. fidem dare poſſunt de non ſugiendo, de redeundo in carcerem, de non militando, &c. § 827. dubia reſolvuntur, §. 828. cogi ad præſtandam fidem a ſuo quoque magiſtratu debent, §. 829. (Vide *Fides.*)

Captivorum redemtiunem commendat Grotius, *IX.* § 143. Lytron a captis exigere licet, *XII.* §. 747. quale lytron juſtum ſit jure naturæ, quale jure gentium, *IX.* §. 143. Quæritur, an pluribus lytron debeatur, ſi dimiſſus ab alio capitur, & dimittitur, *ibid.* An augeri poteſt lytron ſi intelligitur locupletiur eſſe, *ibid.* An captus adhibere ad pretium redemtionis poſſit, quod habuit, *ibid.*

Captivitates jure gentium, i. e. jure naturæ introductæ ſunt, *IV.* §. 38.

Caput denotat hominem, qui ſtatum habet, *XII.* §. 114. capite minui dicitur, cujus ſtatus mutatur, *ibid.*

Caſtratio ſui ipſius, vel alterius, jure naturæ prohibetur, *XII.* §. 95.

Caſus fortuitus definitur, *XII.* §. 378. cui noceat, §. 388. Nocet domino, §. 389. (ubi vide exceptiones); & præterea aliis, qui jus in re habent, vel actionem ad eam petendam, §. 391. Quis caſum præſtet in emtione venditione, §. 392. (ubi vide exceptiones). Quis in locatione conductione ſi res locata perit, §. 393. *n.* 1. vel ſi fructus locati pereunt, §. 393. *n.* 2. vel ſi opera locata præſtari caſu nequit, *ibid. n.* 3. vel ſi opus conficiendum locatum eſt, & perit, *ibid. n.* 4.

Caupones tenentur ex receptione. (Vid. *Nautæ.*)

Cauſa belli: jure naturæ *bellum* non eſt juſtum ſine juſta cauſa, *IX.* §. 62. *n.* 7. §. 67. *n.* 1. *XII.* §. 721. quænam ſint juſtæ cauſæ, *IX.* §. 62. 67. quæ injuſtæ, *ibid.* & *XII.* §. 722. An juſtum bellum ſit ſi cauſa eſt dubia, *IX.* §. 62. *n.* 3. *XII.* §. 723. Effectus juſtæ cauſæ, *IX* §. 62. 67. Effectus injuſtæ cauſæ, §. 62. *n.* 8. §. 67. An ab utraque parte juſta cauſa eſſe poſſit, *d* §. 62. *n.* 6. *XII.* §. 724.

Cauſæ *belli* ſunt vel juſtificæ, vel ſuaſoriæ, *XII.* §. 721. Juſtam videtur cauſam habere

qui bello ſuperior eſt, §. 724. Cur Deus non ſemper pro juſtitia cauſæ decidat, *ibid.*
Monita ne quis temere etiam ob juſtam cauſam bellum moveat, *IX.* §. 62. *n.* 5. *XII.* §. 724.
Cauſa contractibus ineſſe dicitur, & vocatur ſynallagma, *XII.* §. 430. *ſeq.* quid per cauſam jure Romano intelligatur, §. 430. *pr.* & *n.* 3. §. 437. 438 ineſt contractibus, non pactis nudis, *ibid.*
Cauſa, ob quam aliquid promittitur, aliud quid eſt, quam promiſſio ipſa, *XII.* §. 425. *n.* 2. hæc valet etſi cauſa ſit turpis, *ibid.* & §. 571. *n.* 2.
Cauſa ſumitur pro eo, quod intereſt, *XII.* §. 373. differt a fructu, §. 368. præſtari debet jure naturæ, §. 373.
Cauſa dominii translativa quænam ſit, *XII.* §. 268. translatio dominii valet etſi cauſa ſit turpis, §. 571. *n.* 2. §. 428. *n.* 2.
Cautiones accedere pactis ſolent, *XII.* §. 464. & *ſeq.*
Celibatus licitus eſt, *I.* §. 73.
Certamen ſingulare. An princeps aleam belli certamini ſingulari committere poſſit, *XII.* §. 876. *IX.* §. 126. An privatis permitti poſſit. Vide *Duellum.*
Ceſſio bonorum non eſt modus finiendæ obligationis, *XII.* §. 364.
Chriſtus non eſt legiſlator, ſed virtutum doctor, & præterea mediator, *III.* §. 51. Grotii Syſtema circa præcepta Chriſti explicatur, §. 39. & examinatur, §. 45. & *ſeq.* (Vid. *Jus divinum*).
Chriſtiani licite jurant, *XII.* §. 472. dubia reſolvuntur, *ibid.* recipere juramentum per deaſtros poſſunt, §. 468. (Vide *Juramentum.*)
Cilicia bellum cum piratis geſtum fuit publicum, *IX.* §. 166. *n.* 7.
Circumvenire alios licet, *IV.* §. 42. *n.* 7. quo ſenſu, *XII.* §. 446. *n.* 6.
Civitas quid ſit, *V.* §. 10. *XII.* §. 199. 611. Civitatum origo, §. 610. *n.* 7. §. 616. 617. ortæ ſunt ex pactis hominum, §. 63. Differunt a cœtu latronum, *X.* §. 16. *lit. d.* *XII.* §. 611. Cives omne jus ſuum in arbitrium civitatis tranſtulerunt. (Vid. *Judicium*, *Imperium.*) Inſtitutis civitatibus jus privata vi agendi ſublatum eſt, *I.* §. 80. *III* §. 17. Si civitas in partes ſciſſa armis pugnat, bellum non eſt publicum, ſed civile, *IX.* §. 166. *n.* 8.
In *civitate* pluralitas ſuffragiorum vincit, *XII.* §. 207. 614. Quomodo majora computentur, *ibid.*
Jus talionis contra *civitatem* allegari poteſt, *XII.* §. 206. Vid. *Repreſſalia.*
Singuli cives ex facto, & delicto *civitatis* quando obligantur, *XII.* §. 55 *I.* 561. *n.* 1. credita civitatis acquiruntur victori. (Vide *Imperium bello quæſitum*). An *civitas* teneatur ex delicto ſingulorum, §. 561 *n.* 2. & *n.* 10.
De *civitate* in provinciæ formam redacta, *VIII* §. 21.
Status *civitatis* eſt a natura, ſed mediate, *XII.* §. 199. 200. Ejus definitio, §. 200. Quibus modis acquiritur, §. 201. Qui ſtatum civitatis habent, *ibid.* objectum illius ſtatus, §. 202. Effectus, §. 203. jura civitatis, §. 202. Quibus modis ſtatus civitatis deſinit, §. 204. (Vid. *ſtatus hominum*).
Clarigatio quid ſit, *XII.* §. 730. differt ab indictione belli, §. 731. Qui clarigare poſſunt, §. 732. Quibus clarigatio fieri debet, *ibid.* in quibus caſibus ceſſet clarigandi neceſſitas, §. 734. (Vide *Indictio belli.*)
Collaterales natura invicem non ſuccedunt, *XII.* §. 287.
Collatio. An liberi conferre accepta a patre debent, *XII.* §. 283. *n.* 6.
Collegium. Collegia illicita inter crimina extraordinaria referuntur, *XII.* §. 538. Qui ad collegium admitti vult, ſtatum habere debet, §. 205. majora in collegiis obtinent, §. 207. 614.
Coccejī (Henr.) Syſtema juris naturalis, *Diſſ. X. per tot.*
Coccejī (Sam.) Syſtema juris naturalis, *Diſſ. XII. per tot.*
Comes. Legatorum comites ſancti ſunt, *XII.* §. 816. commeatus legatis datus prodeſt etiam comitibus, *ibid.* & §. 817. Exceptiones vide §. 118.
Commeatus: variæ vocis ſignificationes, *XII.* §. 812. Definitio, §. 813. ejus ratio naturalis, §. 814. A quibus dari poſſit, *IX.* §. 142. *XII.* §. 815. Conceditur perſonis, & rebus, *ibid.* & prodeſt etiam comitibus, §. 816. etſi Judæi, aut Hæretici ſint, §. 817. Non vero debitoribus, aut delinquentibus fugitivis, §. 818. nec latronibus, deſertoribus, & rebellibus, *IX.* §. 142. an militibus datus etiam ad duces pertineat, *ibid.* familiæ datus prodeſt etiam uxori, & liberis, *ibid.* an etiam pertinet ad bona, *ibid.* an hoſtis deditionem ejus, qui falſis literis commeatus utitur exigere poſſit,

Digitized by Google

ſit, *XII.* §. 818. Effectus commeatus, §. 819. ſi de itinere cautum eſt, an etiam reditus contineatur, *IX.* §. 142. *XII.* §. 818. an cui abire; etiam redire, *IX.* §. 142. concedens commeatum damnum reſarcire tenetur, quod contra tenorem litterarum infertur, *XII.* §. 819. Quando finiatur, *IX.* §. 142. *XII.* §. 821.

Commercium. Commercia ſunt juris naturalis, *IV.* §. 40. *XII.* §. 225. nemo ab iis excludi poteſt, §. 446. *n.* 1. jus commerciorum ad regalia pertinet, §. 631.

Commiſſoria Lex, *XII.* §. 446. *n.* 11. eſt modus finiendi imperii, *VIII.* §. 21.

Commixtio eſt modus acquirendi dominii naturalis, *XII.* §. 265. ſimulque modus amittendi, §. 328.

Commodatum: definitur, *XII.* §. 442. eſt contractus juris gentium, *ibid.* *n.* 2. Effectus commodati, *n.* 3. actiones, quæ ex commodato oriuntur, *n.* 4. modi finiendi, *n.* 5.

Communi dividundo judicium: eſt ex quaſi contractu, *XII.* §. 574.

Communio. Grotius ab initio res terrarum communes fuiſſe, ait, *I.* §. 79. *VI.* §. 9. homines receſſiſſe ab illa communione, ſtatuit, *VI.* §. 10. 11. 12. 39. Eam reviviſcere in ſumma neceſſitate, *VI.* §. 9. etſi actus mihi prodeſt, alteri non nocet, *ibid.*

Jus illud commune Grotio eſt vel ad rem, vel ad actus, *VI.* §. 20. Quando res noſtra fiat jure communi hominum, §. 2. 14. Eo refert Grotius mare, *d.* §. 14. 15. aërem, ſyrtes, §. 16. non flumina, §. 17. Hoc jus commune lege civili interverti poſſe, §. 64.

Doctrina Grotii de rerum communione primæva examinatur, *I.* §. 81. *VI.* §. 68. 69. ſimulque demonſtratur, res a natura nullius eſſe, *dd. ll.* *XII.* §. 244. 245. Sententia, & auctoritas Juſtini examinatur, *VI.* §. 68. *n.* 9. Jus commune ad actus rejicitur, §. 73.

Compenſatio: ea tollitur obligatio perſonæ, *IX.* §. 118 119. *XII.* § 356. vera ejus ratio, *ibid.* Notatur Grotius, *ibid.* requiſita compenſationis, *ibid.* an hoſti compenſatio opponi poſſit? & in quibus cauſis? *IX.* §. 118. 119.

Concubitus natura licitus non eſt, niſi qui fit per juſtas nuptias, (Vide *Nuptiæ.*) vel per concubinatum perpetuum (Vide *Concubinatus*). Promiſcuus igitur concubitus natura prohibetur, *I.* 72. *III.* §. 46. *XII.* §. 373.

Concubinatus eſt verum matrimonium ſub certa lege contractum, *V.* §. 9. *n.* 6. Non prohibetur lege Evangelii, *III.* §. 44. *XII.* §. 373. Uſitatus fuit in veteri teſtamento, *ibid.* dubia removentur, *ibid.* *n.* 8. Jure Romano probatur, *ibid.* *n.* 9. Differunt uxor, & concubina, *ibid.* *n.* 11. Liberi ex concubina nati non ſuccedunt, §. 283. *n.* 2. (Vide *Nuptiæ.*)

Concurſus. Plures in unam rem concurrentes partes faciunt, *X.* §. 7. *lit. o.* §. 8. *lit. o.* Hoc principio nititur jus accreſcendi, &c. *ibid.*

Condictio. Syſtema Grotii de origine condictionum, *VII.* §. 92. Eam ſolam a natura eſſe, ait, qua repetitur id, quod noſtrum fuit, *ibid.* an ſit ex dominio, adeoque ex jure naturæ pro certo rerum ſtatu, examinatur, *ibid.* reliquas condictiones ex lege deducit Grotius, *ibid.* Notatur Grotius, §. 98. Omnes condictiones fundamentum habent in jure naturæ, *ibid.* oriuntur ex quaſi contractu, *XII.* §. 571. Quod probatur de condictione indebiti, *ibid.* ob turpem cauſam, *ibid.* *n.* 1. cauſa data non ſecuta, *n.* 2. ſine cauſa, *n.* 3. Triticiaria, *n.* 4. Furtiva, *n.* 5. & de Condictione ex lege, *n.* 6.

Conditio accedere pactis poteſt, *XII.* §. 499. ejus definitio, §. 500. Eſt triplex, *ibid.* Effectus conditionis, §. 502. Poteſtativa impleri poteſt per æquipollens: ea verum jus tribuit, ſed eventuale, §. 503. de conditione impoſſibili, & turpi, *ibid.* Hæ vitiant matrimonium, §. 374.

Conditione deficiente deſinit debitum, & obligatio, *XII.* §. 360. conditio non eſt, quæ ex rei natura ineſt, §. 501.

Confeſſio eſt modus probandi naturalis, *XII.* §. 685. confeſſio in criminibus ad pœnam ordinariam non ſufficit, niſi de corpore delicti conſtet, *ibid.* nec in adulterio, niſi alter quoque fateatur, *ibid.* confeſſio matris de commiſſo adulterio non nocet liberis niſi id probetur, *ibid.*

Confuſio duarum rerum ſolidarum eſt modus acquirendi dominii naturalis, *XII.* §. 265. & amittendi quoque, §. 326.

Confuſio actionum eſt modus tollendæ obligationis, *XII.* §. 355. per aditionem confunduntur bona defuncti, & heredis, §. 292. Evitatur confuſio per beneficium ſeparationis, *ibid.*

Conjectura: Grotius ex his maximam juris naturalis partem deducit, *I.* §. 76. inter-

 preta-

Digitized by Google

pretationum regulæ, quas ſuppeditat, conjecturis nituntur, *VII.* §. 52. 56. Ex conjecturis jus naturæ non probatur, *VI.* §. 80. *VII.* §. 58. *n.* 15.

Conjuges fiunt per juſtas nuptias (Vide *Nuptiæ*). Jus quoddam alter in alterum habet (Vide *Status*). Invicem non ſuccedunt, *XII.* §. 289.

Conjugium definitur, *V.* §. 9. jus dat in perſonam uxoris, §. 9. (Vide *Nuptiæ. Status*).

Conjunctio maris, & fœminæ, eſt a jure naturæ; quod etiam animalibus commune eſt. (Vide *Jus naturæ materiale*). Inter homines licita non eſt, niſi fiat per matrimonium, ſeu juſtas nuptias, *IV.* §. 40. *n.* 10. *XII.* §. 173. *ſeq.* vel per concubinatum perpetuum. (Vide *Concubinatus*).

Conſenſus duorum conſtituit pactum, *XII.* §. 399. *ſeq.* Sine conſenſu non delinquitur, §. 513.

Error impedit conſenſum, *XII.* §. 417. Non vis, aut metus, §. 418. nec dolus, §. 419.

Conſtituta pecunia eſt pactum legitimum, *XII.* §. 434. ejus ratio, *ibid.*

Contractus. Syſtema Grotii de pactis, & contractibus, explicatur, *XII.* §. 8. Jure naturæ ex omni pacto oritur obligatio, *IV.* §. 38. definitur pactum, *VII.* §. 25. differentia inter pacta, & contractus, §. 24. An inæqualitas ſit fundamentum contractuum, §. 25. Grotius ex inæqualitate obligationem reparandi deducit, *ibid.* an contractus ſit perfectus antequam ſcriptura, vel traditio accedat, §. 57. De contractibus regum vide *Pacta Principum.*

Vera origo diſtinctionis inter pacta, & contractus, *XII.* §. 435. *ſeq.* definitio contractus, §. 437. Contractus ſunt vel nominati, vel innominati, §. 436. ratio hujus diviſionis, *ibid. junct.* §. 463.

Contractus nominati quinam ſunt, *XII.* §. 440. *ſeq.* cur diſtinguantur in reales, §. 441. *ſeq.* conſenſuales, §. 545. verbales, §. 461. *ſeq.* & literales, §. 462.

Contractus innominati unde dicantur, *XII.* §. 436. *n.* 6. *junct.* §. 463. quinam ſint tales, §. 463. Inde datur actio præſcriptis verbis, ſeu in factum, *ibid. n.* 1. An contractus æſtimatorius, & permutatorius, ſint innominati, *n.* 2. cur hi duo contractus proprium nomen acceperint, *n.* 3. An, & quando pœnitere liceat in contractibus innominatis, §. 354. Quis caſum præſtat, §. 394.

Contractus ſunt vel bonæ fidei, vel ſtricti juris, *XII.* §. 385. Diſtinctio hæc eſt inventum juris Romani, *ibid.* ad contractus ſtricti juris tantum referuntur illi, qui per ſtipulationem, aut literarum obligationem fiunt, *ibid.* Jure naturæ omnes contractus ſunt bonæ fidei, *ibid.* Contractus bonæ fidei vitiantur, ſi dolus cauſam dat contractui; ſecus, ac in negotiis ſtricti juris. §. 384. ejus ratio, *ibid.*

De contractu locati conducti, vide *Locatio.* De contractu mandati, vide *Mandatum.* De ſocietate, vide *Societas.* De emtione venditione, vide *Emtio.* De mutuo, vide *Mutuum.* De Commodato, vide *Commodatum.* De depoſito, vide *Depoſitum.* De pignore, vide *Pignus.* De ſtipulatione, vide *Stipulatio* De litterarum obligatione, vide *Litterarum obligatio.* De quaſi contractibus, ſeu de obligatione, quæ ex variis cauſarum figuris oritur, vide *Quaſi contractus: Obligatio: Variæ cauſarum figuræ.*

Corpus. Jus Creatori competit in corpus hominum, *XII.* §. 100. *n.* 1. ubi dubia removentur. Homini autem tantum ad corporis ſui conſervationem, *X.* §. 8. *lit. q. v.* Hinc prohibetur autocheiria Jure naturæ: vide *Autocheiria* Conjux jus habet in corpus mariti. (Vid. *Nuptiæ*).

Corpus artificiale quid ſit, *XII.* §. 280. tale eſt civitas, collegium, judicium, familia, &c. *ibid. n.* 1. Effectus hujus corporis, *ibid.* Aliud eſt corpus, aliud ejus partes, §. 27. *n.* 7. 8. Hinc alia ſunt jura corporis, alia partis, *ibid.* pars unita corpori cenſetur quamdiu ſeparata non eſt, *ibid. n.* 9. adeoque acquiritur domino corporis, *n.* 10. reſtituta tamen æſtimatione, ſi ſalva ſeparari non poteſt, *ibid. n.* 4.

Correus. Correalis obligatio eſt ſpecies cautionis, *XII.* §. 464. Correi ſunt vel debendi, vel credendi, *ibid.* In correali obligatione unum ſaltem eſt debitum, §. 484. Obligatio correalis eſt ex jure gentium, §. 488. Si correus correo ſuccedit, non confunditur debitum, §. 486. Correus ſolvendo non recipit partem a correo, §. 487. ubi vide exceptiones.

Creator. Actio Creatoris eſt modus probandi jus naturæ, *X.* §. 7. *XII.* §. 42. Jus habet in corpus, & vitam hominum. Vide *Corpus.* Cultus ei debetur, vide *Cultus. Deus.*

Creatio, factum creationis probat voluntatem divinam, *X.* §. 7. *lit. m. XII.* §. 44.

Creatura dependet ab arbitrio Creatoris, *XII.* §. 100. reverentiam debet Creatori. Vide *Cultus*

Per creaturam jurare licet Chriſtiano. Vide *Juramentum.*

Cruſta: per eam acquirimus dominium, *XII.* §. 274. ejus ratio naturalis, §. 275.

Culpa præſtatur in quavis obligatione perſonæ, *XII* §. 386. 578. *ſeq.* ejus ratio naturalis, §. 386. 526 oritur ex quaſi delicto, *VII.* §. 97. Definitio culpæ, *XII.* §. 526. 578. Homo jure naturæ tenetur ex culpa leviſſima, §. 278. *n.* 1. §. 526. Jure Romano regulariter levis ſaltem præſtatur, §. 278. *n.* 3. exceptiones vide *ibid. n.* 2. & 4.

Voce *culpæ* ſimpliciter poſita quis gradus intelligatur, *XII.* §. 578. *n.* 4.

Culpa quoque delinquitur, *XII.* §. 513. 521. 526. 550. Quaſi delicta ſupponunt culpam, §. 578. ſpecies quaſi delictorum recenſentur, §. 579 *ſeq.* Pœna quoque ob culpam ſtatui poteſt, §. 577. Vide *delictum.* Aſylum prodeſt iis ſaltem, qui culpa delinquunt, §. 561. *n.* 11.

Cultus eſt jus Deo quæſitum, *XII.* §. 47. 72. ratio ejus naturalis, §. 77. *X.* §. 7. *lit. y.* Subjectum cultus naturalis, *XII.* §. 78. ejus objectum, §. 79. effectus, §. 80. Partes cultus divini, quæ Deum immediate reſpiciunt, §. 83. *ſeq.* quæ mediate, §. 93. Revelatio non eſt pars cultus naturalis, §. 98. Pœna jure in ſubditos conſtitui poteſt, qui Deum non colunt, §. 81. 82. 99. at neglectus illius cultus non eſt juſta belli cauſa. (Vide *Cauſa belli.*)

Cura. Curator. Officium curatorum originem habet ex Jure naturæ, *XII.* §. 396. ejus ratio, *ibid.*

Cuſtodia ſocietatis humanæ pro principio juris naturalis a quibusdam ponitur, *I. per. tot.* (Vide *Societas. Jus naturæ.*)

D.

Damnum unde dicatur, *VII.* §. 60. Quando damnum dari dicatur, §. 60. 61. *XII.* §. 526. damnum injuria datum jure naturæ reparari debet, *d.* §. 526. cauſa damni etiam eſt qui jurat, aſſentitur, conſilium dat, &c. *VII.* §. 61. Lædens etiam tenetur ad ea, quæ vi actus ſequuntur, §. 62. ubi exempla referuntur. Damnum adverſus honorem, & famam quoque datum reparari debet, *ibid. in fin.* (Vide *Delictum.*)

Damnati populi jure deleti ſunt ab Iſraëlitis, *I.* §. 60.

Debitum Grotio duplex eſt, vel ſtricte, vel laxius ſumtum, *II.* §. 2. *in fin.* effectus prioris debiti recenſentur, *I.* §. 13. 14. 15. poſterioris autem effectus vide *II.* §. 10.

Debitum oritur ex obligatione perſonæ, *XII.* §. 341. minuit patrimonium debitoris, & auget patrimonium creditoris, *ibid.* vocatur æs alienum, *ibid.* (Vide *Obligatio. Contractus. Pactum.*

Decimæ apud Hebræos debebantur ex ratione naturali, quæ ceſſat apud alios populos, *III.* §. 46. *n.* 4.

Deditio eſt vel conditionata, vel non conditionata, *XII.* §. 855. per eam finitur bellum, *IX.* §. 128. *XII.* §. 855. Dedi non tantum ſinguli poſſunt, ſed integræ quoque gentes, *XII.* §. 748. An hoſtis tenetur recipere ſeſe dedentes, *ibid.* Dediti ſiunt ſervi, *ibid.* & occidi poſſunt, *IX.* §. 81. 128. *XII.* §. 742. poſtliminio revertuntur, §. 740.

An civis invitus hoſti dedi poteſt, *XII.* §. 748. An deditus, & non acceptus, manet civis, *ibid.*

Defenſio eſt juris naturalis ſi neceſſaria eſt, *X.* §. 7. *lit. p. IV.* §. 42. *n.* 10. (Vide *Bellum privatum.*)

Defenſio jurium naturalium contra concives fit per judicia, *XII.* §. 607. (Vide *Judicium.*) contra extraneos per repreſſalias, & bellum, §. 696. (Vide *Repreſſaliæ. Bellum.*)

Dejectio, Actio de dejectis eſt ex quaſi contractu, *XII.* §. 580.

Delegatio quid ſit, *XII.* §. 351. jure Romano requirit verba, *ibid.*

Delictum, ejus definitio. *VII.* §. 60. 61. *XII.* §. 513. requiſita, *ibid.* Cauſa obligationis, quæ ex delicto oritur, §. 342. 515. Qui delinquere poſſunt, & in quos delictum committi poteſt, §. 516. Effectus obligationis ex delicto, §. 518. quibus modis hæc obligatio tollitur, §. 519.

Mandans æque delinquit, ac mandatarius, *VII.* §. 62. Qui de actu illicito tenetur, etiam tenetur de his, quæ illum ex vi actus ſequuntur, §. 62. exemplis id illuſtratur, *ibid.*

Inter delicta quoad principium obligationis jure naturæ nihil intereſt, *XII.* §. 520. Jus Romanum diſtinguit inter delicta publica, privata, & extraordinaria, *ibid.* & §. 521. De publicis delictis vide §. 522. de privatis,

Digitized by Google

tis, §. 522. *ſeq* De extraordinariis, §. 528. *ſeq.*
Culpa quoque delinquitur, *XII.* §. 513. 521. 526. 550. adeo ut pœna quoque ob culpam ſtatui poſſit, §. 579. (Vide *Culpa.*) de damno culpa dato vide *Damnum. Pœna.*
Delinquentibus aſyla non proſunt, *XII.* §. 561. *n.* 11. Legati quoque conveniri poſſunt ex ſuo delicto: vide *Legatus.* Commeatus non prodeſt comitibus, qui delicti rei ſunt. Vide *Commeatus.*
Depoſitum eſt contractus juris gentium, *XII.* §. 443. *n.* 2. Definitio, §. 443. effectus, *ibid.* *n.* 3. Modi finiendi, *n.* 4. pœnitentia finitur depoſitum, §. 553. *n.* 3.
Derelictio eſt modus amittendi dominii, *VI.* §. 28. *XII.* §. 323. & imperii quoque, *VIII.* §. 21. *XII.* §. 638. Res derelicta eſt nullius, & cedit occupanti, §. 227. & §. 263.
Præſcriptionem tacitam eſſe derelictionem, Grotius ſtatuit, *VI.* §. 29. *ſeq.* animum derelinquendi magis præſumi in regnis, quam in rebus privatis, §. 29. *n.* 5. aliquando ex ſilentio animum derelinquendi præſumi, §. 29. item in graviſſima inundatione, §. 51. Notatur Grotius, *XII.* §. 82. & 300.
Deſtinatio ex re privata facit publicam, *XII.* §. 666. & ex re mobili immobilem, §. 235.
Deus eſt ens a ſe, *XII.* §. 24. 83. eoque unus, §. 84. immaterialis, §. 24. 85. ens perfectiſſimum, §. 24. Creator univerſi, §. 26. 86. curans humana, §. 27. 87. omniſcius, & omnipotens, §. 28. 88.
Notiones de Deo ſunt vel contemplativæ, vel activæ, *XII.* §. 83. *ſeq.* §. 89. *ſeq.*
Deus leges dedit humano generi antecedenter: quæ vocantur jus naturæ, *XII.* §. 39. *ſeq.* Non demum conſequenter, *ibid.* notatur Grotius, *I.* §. 58. 62. *II.* §. 6. Non daretur jus naturæ, Deo non exiſtente, *I.* §. 44. *ſeq.* §. 55. *II.* §. 29. Deus mutare jus naturæ nequit, *I.* §. 59. *ſeq.* Vide *Jus naturæ.*
Dei voluntas eſt cauſa omnis juris, & obligationis naturalis, *XII.* §. 49. *ſeq.* §. 57. Quibus modis probetur Dei voluntas, §. 42. 51. (Vide *Jus naturæ.*)
Deus coli debet, *XII.* §. 47. 76. Vide *Cultus.* Ipſe eſt ultor injuriæ ſibi illatæ, §. 68. Magiſtratus tamen jura Dei violantes punire poteſt, §. 81. 83. 99.
Deo jus competit in corpus, & vitam hominum, *XII.* §. 100. & in res terræ, *ibid.* *n.* 2. 3.
Deus nihil fruſtra facit, *X.* §. 7. *lib.* *a a ſeq.* *XII.* §. 47.
Deo jus ex juramento acquiritur, etſi hominibus nullum jus inde quæratur, *VII.* §. 42.
Deus jure calamitatibus afflixit Jobum, *I.* §. 60. Nec mandatum Abræ datum de immolando Iſaaco pugnat cum ejus perfectione, *I.* §. 6.
Theologorum officium eſt, jura *Dei*, præcipue quæ in ejus cultu conſiſtunt, inculcare populo, *XII.* §. 68. *n.* 4.
Deus eſt vindex juris naturalis, *XII.* §. 608. Delegavit vices ſuas patribus familias, §. 608. *ſeq.*
Deus eſt arbiter bellorum, *XII.* §. 725. victoriam regulariter dat ei, qui juſtam cauſam habet, *ibid.* exceptiones vide *ibid.*
Dictamen rectæ rationis ex mente Grotii aliud objectum habet in jure naturæ ſociali, ſcil. cuſtodiam ſocietatis humanæ, *I.* §. 10. aliud in jure naturæ laxiori, nimirum, judicium rite conformatum ad eligenda ea, quæ proſunt, aut nocent, *II.* §. 4. Dictamen rationis examinatur, §. 23.
Dies adjici poteſt pactis, *XII.* §. 499. quomodo differat a conditione, §. 404.
Diſſenſus. Utriuſque diſſenſu tollitur obligatio, *XII.* §. 552. ratio ejus naturalis, *ibid.* & §. 553. dubia removentur, *ibid.* & exceptiones exponuntur, *ibid.* Vide *Pœnitentia.*
Divortium, an vetitum eſt lege Evangelii, *III.* §. 44. Jure naturæ licitum eſt ſi juſta cauſa adſit, *XII.* §. 180.
Dolus in obligationibus perſonæ neceſſario præſtatur, *XII.* §. 380. definitio doli, §. 381. qui dolum committunt, & in quos, §. 382. Objectum doli, §. 383. Effectus §. 384.
An dolus vitiat negotium, cui cauſam dat, *XII.* §. 364. 384. 419. Aliud eſt conſenſus, aliud dolus, qui cauſam dat conſenſui, §. 384. *n.* 3. 4. an juramentum dolo elicitum valet, *VII.* §. 38. Vide *Juramentum.*
Dominium. Syſtema Grotii de origine dominii exponitur, *I.* §. 75. *VI.* §. 9. *ſeq.* *X.* §. 8. *lit. o.* qui id deducit vel ex diviſione rerum, quæ natura fuere communes, vel ex earum occupatione, *I.* §. 79. *VI.* §. 10. 11. Hinc dominium eſſe, ait, juris naturalis pro certo rerum ſtatu, §. 13. 23. *I.* §. 87.
Ceſſante diviſione aliam, ait, eſſe acquiſitionem originariam, aliam derivativam, *VI.* §. 21.

§. 21. ad priorem refert occupationem, *XII.* §. 21. *ſeq.* ad poſteriorem autem alienationem, *VI.* §. 32. *ſeq.* ſucceſſionem, §. 37. *ſeq.* aliosque modos, quos Grotius juri gentium tribuit, *XII.* §. 47. ubi increpat JCtos Romanos, quod juri naturæ tribuant modos acquirendi, qui vel ad jus gentium arctius pertinent, *VI.* §. 47. 49. 51. *IV.* §. 27. vel ad jus gentium voluntarium, *VI.* §. 82.

Dominium Grotio eſt 1°. vel generale, vel ſpeciale, *VI.* §. 18. Quid ſit dominium generale, & quis ejus effectus, *XII.* §. 17. 18. 24. 50. notatur Grotius, *VI.* §. 71. de ſpeciali dominio vide *d.* §. 24.

2°. Vel *eminens*, vel *privatum*, *VI.* §. 24.

3°. Vel *externum*, vel *internum. Hoc* naturali jure juſtum eſt, *illud* jure gentium externos ſaltem quosdam effectus dominii habet, *VI.* §. 24. *IX.* §. 63. 64. exempla referuntur, *IX.* §. 93. Effectus hujus dominii vide *IX.* §. 64. Add. *Jus gentium voluntarium.*

4°. Vel *plenum*, vel *minus plenum*, *VI.* §. 18. & 24. ſpecies poſterioris dominii vide *ibid.*

Dominium obligationem producere, ait, vel ex rebus exſtantibus, vel ex non exſtantibus, *VI.* §. 27. Effectus dominii recenſentur, *ibid.* Modi amittendi dominium, §. 61. *ſeq.* Monita quædam circa Syſtema Grotii §. 62. *ſeq.*

Quo ſenſu *dominia* rerum jure Gentium diſtincta ſint, *IV.* §. 40.

Duo ejusdem rei *domini* in ſolidum eſſe non poſſunt, *X.* §. 7. *lit. o.* §. 8. *lit. o.*

An traditio ad transferendum *dominium* ſit neceſſaria, *VI.* §. 32. Vide *Traditio.*

Vera *dominii* origo explicatur, *XII.* §. 241. 244. ubi Grotius notatur, §. 245. 247. cauſa dominii, §. 244. ſubjectum, §. 245. Objectum, §. 246. Effectus dominii, §. 242. 250. 263. Modi amittendi, §. 322.

Dominium acquiritur vel facto noſtro, *XII.* §. 251. *ſeq.* vel jure rei noſtræ, §. 270. *ſeq.* vel jure familiæ, §. 278. *ſeq.*

Dominia minus plena ſunt inventum juris Romani, *XII.* §. 249. 310. Item differentia inter dominium naturale, & civile, §. 314. 322.

Dominium eminens quid ſit, *XII.* §. 629.

Domino nocet caſus, *XII.* §. 389.

Domus. Paterfamilias dominus eſt domus, eoque jus in familiam habet, *XII.* §. 153. & 141. Uxor non videtur niſi deducta in *domum*, quia tunc manui, & cuſtodiæ mariti tradita cenſetur, §. 173. Hinc uxor deduci in domum per procuratorem nequit, *ibid.* donatum ſponſæ ante deductionem in *domum* valet, non poſt, *ibid.*

Donatio. Pactum de donando cur ſit legitimum, *XII.* §. 431.

Dos uxoris filii olim ceſſit patri, *XII.* §. 146.

Dominium *dotis* manet uxoris, & uſus faltem ad maritum pertinet, *XII.* §. 314. Cur marito dominium civile jure Romano ſit tributum, & uxori naturale relictum, *ibid.* Dotis promiſſio, & pactum legitimum, §. 432.

Duellum eſt ſpecies fortis, *XII.* §. 876. Eo finitur bellum, *ibid.* (Vide *Certamen ſingulare.*) ubi id exemplis probatur. An inter privatos duella licita ſint, *IX.* §. 47. *XII.* §. 876 *ſeq.*

Dux belli omnia agere poteſt vi mandati, quæ ad belli adminiſtrationem pertinent, *XII.* §. 802. *IX.* §. 145. Ejus pacta obligant ſummam poteſtatem, §. 144. 145. 146. etſi aliquid contra mandatum fecerit, §. 147. Ipſi duces ex tali pacto obligantur, § 148. An, & quatenus milites, & ſubditi obligentur, §. 149. de quibus rebus diſponere poſſint, *ibid.* de interpretatione horum pactorum, ſi dubia ſunt, §. 151.

Si *Duces* de pace tranſigunt, dicitur ſponſio. *XII.* §. 404. Vide *Sponſio.*

E.

Educatio. Liberi educari a parentibus debent, *XII* §. 168. apud quem educari debeant ſoluto matrimonio, §. 181. officium educandi natura incumbit Parentibus, *IV.* §. 42. quid ad educationem pertineat, *ibid.*

Effuſio. Actio de effuſis eſt quaſi ex contractu, *XII.* §. 580.

Eleemoſyna definunt aliquando eſſe virtus, *III.* §. 48. *n.* 9.

Emtio venditio definitur, *XII.* §. 446. eſt contractus juris gentium, *ibid. n.* 1. *VII.* § 25. 27. 28. *ſeq.* ejus requiſita, *XII.* §. 446. *n.* 2. 3. & 6. ſi duobus res venditur, præfertur is, cui tradita eſt, *ibid. n.* 2. Merx quid ſit, *n.* 3. talis etiam eſt ſpes, alea, periculum, hæreditas, actio, etiam res aliena, *n.* 3. & 4. immo & vitioſa. *n.* 5. Pretium debet eſſe certum, etſi non

Digitized by Google

non ſit juſtum, *n.* 6. hinc verum non eſt, æqualitatem in hoc contractu requiri, *VII.* §. 25. Jure Romano ad emtionem venditionem requiritur, ut pecunia numerata interveniat, *XII.* §. 446. *n.* 6. alias eſt permutatio, *ibid.*

Effectus emtionis, *XII.* §. 446. *n.* 7. actio inde datur emti venditi, *ibid.* an rei venditæ dominium transferatur ſine traditione, *VII* §. 28. Vide *Pactum* Quis caſum præſtet, *XII* §. 392. an mutuo conſenſu recedi ab emtione poſſit, §. 446. *n.* 9. an pœnitere contrahentibus liceat, *ibid.* ſingularia quædam circa emtionem, *n.* 10. De pactis emtioni adjectis, *n.* 11. De exceptione rei venditæ, & traditæ, *n.* 4.

Emphytheuſis producit obligationem perſonalem, *XII.* §. 312. cur jure Romano relata ſit inter jura in re, *ibid.*

Error non vitiat negotium, *XII.* §. 364. niſi conſenſum impediat, §. 417. *i.* e. ſi in ſubſtantia, in corpore, in materia, vel in perſona erratum eſt, *ibid.* de errore Iſraelitarum circa Gabaonitas vide *ibid.*

Edictum citum: de formula hac vide *XII.* §. 291. *in not. lit. n.*

Evictio eſt juris gentium, *XII.* §. 446. *n.* 4. oritur ex quaſi contractu, *ibid.* §. 577.

Exceptio eſt vel dilatoria, vel peremtoria, *XII.* §. 678. reus exceptionem probare tenetur, §. 681.

Exhæredatio ſupponit teſtamentum; adeoque eſt ex jure civili, *XII.* §. 296. *n.* 9. an Princeps exhæredare poteſt libcros ſine cauſa, §. 296. *n.* 9.

Expilatæ hæreditatis crimen quale ſit, *XII.* §. 537.

F.

Factum creationis eſt modus probandi jus naturæ, *X.* §. 7. *XII.* §. 41. Ex factis æque probatur voluntas, ac ex verbis, *X.* §. 7. *lit.* *d.* *XI* §. 22. Sub factis continentur non facta, *VI.* §. 29. & præterea quidquid ad ejus ſubſtantiam, ac qualitatem pertinet, & quidquid exinde ſequitur, *X.* §. 7. *lit. o. ſeq.*

Facultas agendi naturalis tamdiu licita eſt, donec prohibita probetur, *X.* §. 6. *XII.* §. 124. (Vide *Libertas.*) Quis jus prohibendi illam facultatem habeat, *X.* §. 5. Hæc prohibitio facultatis cauſa eſt omnis obligationis naturalis, *ibid.* quicquid enim homo ultra facultates a Deo conceſſas agit, injuria eſt, §. 7. Hæc facultas dicitur moralis, *I.* §. 13. & *ſui* nomine Grotio venit, *ibid.* Facultas naturalis agendi finitur morte, *X.* §. 12.

An res meræ *facultatis* præſcribantur, *VI.* §. 29. *n.* 7.

Falſum eſt delictum, *XII.* §. 521. quando committatur, *ibid.*

Familia oritur ex conſociatione intuitu conjogum, & ex generatione intuitu liberorum, *V.* §. 7. 8. 9.

Familia vel proprio jure continetur, vel communi agnationis jure, *XII.* §. 138. 281. Caput familiæ eſt paterfamilias, §. 610. jura, quæ ex familia ſequuntur, §. 139. familia non conſtituitur niſi per juſtas nuptias, §. 141. 173. *n.* 5. quales jure naturæ etiam ſunt concubinatus perpetuus, non vero concubitus temporarius, §. 141.

Familia eſt corpus artificiale, *XII.* §. 281. non tollitur etſi membra mutentur, *ibid.* *n.* 1. Liberi continuant familiam, *i.* e. in omnia jura defuncti ſuccedunt, *ibid.* (Vid. *Hæreditas. Succeſſio. Liberi.* &c.) Familia extincta finitur imperium familiæ delatum, §. 638. *VI.* §. 63.

Status *familiæ* quid ſit, *XII.* §. 140. eſt a natura, §. 141. 610. ſubjectum, §. 143. objectum, §. 144. effectus, §. 145. actiones præjudiciales inde dantur, *ibid.* Probari hic ſtatus ab allegante debet, *ibid.* *n.* 4. Modi finiendi ſtatum familiæ, §. 146. tollitur morte, *ibid.* non per nuptias liberorum, *ibid.*

Jura, quæ ex ſtatu *familiæ* competunt patri, *XII.* §. 159. 610. matri, §. 164. liberis, §. 169. agnatis, §. 170.

Familiæ erciſcundæ judicium eſt ex quaſi contractu, *XII.* §. 574.

Feræ in vivariis occupatæ videntur non in circumſeptis ſylvis: ejusque ratio, *VI.* §. 22. *XII.* §. 257. *in fin*

Fera eſt res nullius, *XII.* §. 263. & cedit occupanti, *ibid.* Fera fugiens quamdiu videatur eſſe noſtra, §. 327. Quando capta videatur, §. 257. An fera ſit fructus fundi, §. 263. ubi ſolvitur antinomia.

Feudum. Infeudatio eſt ſpecies alienationis, *VI.* §. 35. *XII.* §. 634. Datio in feudum naturæ jure ſaltem producit obligationem perſonæ, *XII.* §. 311.

Fides ſervanda eſt, atque ideo ex omni pacto oritur obligatio, *VII.* §. 9. *n.* 1. ſi ſcilicet jus

jus proprium in alterum transfertur, *ibid.* n. 2. & §. 15. (Vide *Pactum. Contractus. Promiſſio. Fœdus.*)

Fides quoque dari poteſt hoſti, *IX.* §. 120. tacite, vel expreſſe, *ibid.* De fide hoſti tacite data, §. 158. *ſeq.* exempla fidei tacite datæ referuntur, §. 159. 160.

Fidem dare hoſti poſſunt etiam minores poteſtates, *IX.* §. 144. v. g. Duces belli. (Vide *Dux.*) An pacta ducum belli, vel præſidum provinciæ, obligent ſummam poteſtatem, §. 144. *ſeq.* An talia pacta obligent ipſos duces, & præſides, *ibid.*

Fidem hoſti quoque dare poſſunt ſubditi, *IX.* §. 152. Dubia reſolvuntur, §. 153. De quibus rebus ſubditi fidem dare poſſint, *ibid.* effectus fidei hoſti datæ, §. 155. 156. de pactorum dubiorum interpretatione, §. 157.

An *fides* hoſti data ſervanda ſit, *XII.* § 792. 423. Ratio ejus naturalis, §. 792. n. 1. *ſeq.* neque exceptio metus opponi poteſt, *ibid.* n. 5. §. 801. ſervanda eſt etſi dolo elicita ſit, §. 794. quod probatur exemplo Gabaonitarum, *ibid.* Fides hoſti datur vel expreſſe, vel tacite, §. 795. Regulæ interpretationum ſi fides hoſti data dubia eſt, §. 795. 831. Effectus fidei hoſti datæ, §. 796. 797. Aliquando hoſti fides dari a ſola ſumma poteſtate poteſt, §. 798. 799. Aliquando a ducibus belli, §. 802. 803. Si hi de pace aliquid promittunt, dicitur ſponſio, §. 804. (Vide *Sponſio.*) Ad hæc pacta referuntur induciæ, §. 807. (Vide *Induciæ.*) §. 812. *ſeq.* Commeatus, (Vide *Commeatus.*) Salva guardia, §. 822. (Vide *Salva guardia.*

Fidei hoſti datæ aliquando cautiones accedunt, *XII* §. 832. ut guarantia, §. 833. (Vide *Guarantia.*) obſides, §. 841. (Vide *Obſides.*)

Subditi quoque *fidem* hoſti datam ſervare tenentur, *XII.* §. 823. 824. magiſtratus ſubditi compellere eum tenetur ad implendum, §. 825.

An capti *fidem* hoſti dare poſſint, *XII.* §. 826. dubia ſolvuntur, §. 828. magiſtratus compellere promittentem poteſt ut impleat, §. 829. etſi promittens minor fuerit, §. 830.

Fides data tyrannis, prædonibus, hæreticis, & ſubditis rebellibus, ſervanda eſt, *IX.* §. 116. ubi additur cautela: item ſi metu injuſto fides extorta ſit, §. 117. ubi additur exceptio. Sed & perfidis ſervari debet, §. 118.

Fidei articulos qui ignorant, an peccant, *XII.* §. 98.

Fidejuſſores accedere pactis poſſunt, *XII.* §. 464. definiuntur, §. 489. hæc obligatio eſt ex jure gentium, §. 490. cur jure Romano actio inde data non ſit niſi accedente ſtipulatione, §. 491. Quibus obligationibus accedere poſſint, §. 492. fidejuſſor morte puniri nequit ob crimen rei, § 551. n. 5. qualis actio ei detur ſi pro debitore ſolvit, §. 492. Similis ei eſt mandator, conſtituens, & affirmator, §. 491.

Fideicommiſſum a Grotio refertur inter dominia minus plena, *VI.* §. 58.

Filius familias eſt qui ex juſtis nuptiis naſcitur, *XII.* §. 141. eſt membrum familiæ, & pars domus paternæ (Vide *Familia.*) Jura, quæ patri in filios competunt. (Vide *Patria poteſtas.*) Filius obligatur naturaliter ex pacto, §. 160. 422. Alios ſibi obligare poteſt, §. 159. n. 7 (Vide *Liberi.*

Finis actionis eſt modus probandi voluntatem agentis, *X.* §. 7. *lit. s.* *XII.* §. 45. Qui vult finem vult media, §. 46. finis eſt vel probabilis, vel neceſſarius; adeoque probat voluntatem agentis vel neceſſario, vel probabiliter. *X.* §. 7. *lit. t.* *XII.* §. 45.

Fines propellere crimen eſt, *XII.* §. 538. actio finium regundorum, quatenus perſonalis eſt, oritur ex quaſi contractu, § 575.

Fiſcus bona vacantia occupans debita iis inhærentia ſolvere tenetur, *XII.* §. 346.

Flumina ſunt res communes, ſeu nullius, *XII* §. 222. quorum proprietas occupari nequit, ſed tantum uſus juris gentium, §. 262. *VI.* §. 70. de aqua fluminis publici, (vide *Aqua.*) de alveo fluminis publici, (vide *Alveus.*) de ripa fluminis publici, (vide *Ripa.*) de incrementis fluminis publici, (vide *Inſula. Cruſta.*)

An, & quo ſenſu *flumina* cenſitorum munere fungantur, *IX.* §. 51. Male incrementa fluviali referuntur ad jus gentium arctius, ſeu civile, *VI.* §. 49. *XII.* §. 49. *ſeq.*

Flumen, quod duos populos interluit, ab utroque occupatum cenſetur, *VI* §. 17.

Digitized by Google

luvius: in fluviis privatis ceſſant incrementa fluvialia, *XII.* §. 273. *n.* 8. §. 274. 275. 276.

Fœdus quid ſit, *XII.* §. 409. quotuplicia ſint fœdera, *ibid.* Diviſiones fœderis variæ, *ibid. n.* 3. Quando ſit reale, quando perſonale, *n.* 3. & 4. an ſucceſſor ex fœdere obligetur, *n.* 5. Qui contrahere fœdera poſſint, *n.* 8. Effectus fœderum, *n.* 9. Modi finiendi, *n.* 10. (Conf. *Pactum. Sponſio.*)

An fœdus cum rege ejecto initum ſubſiſtat cum tyranno, *XII.* §. 648. An fœdus cum rege ejecto pangi poſſit, *ibid.* An fœdus cum ipſo tyranno contrahi queat, *ibid.*

Fœdus eſt conventio publica, *VII.* §. 12. a quibus contrahi poſſint, *ibid. n.* 1. Sunt vel æqualia, vel inæqualia, *n.* 2. Sunt vel realia, vel perſonalia, & quæ in dubio præſumantur, §. 55. An liceat fœdera inire cum his, qui alieni ſunt a vera religione, §. 12. *n.* 3. Si plures bellum gerunt, utri potius opem ferre debeat qui utrique eſt fœderatus, *n.* 4. De interpretatione fœderis dubii, §. 55. De modis finiendi fœderis, §. 12. *n.* 5. (Add. *Socius belli.*)

Fœminæ non proprium conſtituunt ſtatum, *XII.* §. 119. ſuccedunt parentibus, §. 283. De ſucceſſione fœminarum in regnis. (Vide *Succeſſio.*)

Forma dat eſſe rei: hinc per ſpecificationem, i. e. per mutationem formæ priſtina res perit, *XII.* §. 264. & facienti acquiritur, *ibid.*

Fornicatio crimen eſt, *XII.* §. 173. 521. (Vide *Concubinatus. Nuptiæ.*)

Forum competens quod ſit, *XII.* §. 670. 671. eſt vel domicilii, vel contractus, vel delicti, oritur quoque ex variis cauſarum figuris, §. 671.

Fratres, & ſorores, an nubere ſibi poſſint, *V.* §. 9. Grotius nuptias tales Jure divino voluntario ſaltem prohiberi, ait, *ibid.* Primi fratres, & ſorores jure ſibi nupſerunt, *I.* §. 60. An ſucceſſio naturalis obtineat inter fratres, *VI.* §. 39. *n.* 10

Freygeſochtene Voelcker, Vide *XII.* §. 638.

Fructus peti poſſunt cum ipſa re, *VII.* §. 22. fructus ſunt hominum cauſa, *X.* §. 8. *lit. b.*

Quid ſint *fructus*, *XII.* §. 366. Diviſiones fructuum, §. 366. 367. quomodo differant a cauſa, §. 368.

Perceptio *fructuum* ex re aliena eſt modus acquirendi dominii naturalis, *XII.* §. 267. Diſſent. Grotius, *VI.* §. 51. *n.* 6. An bonæ fidei poſſeſſor lucretur fructus ex re aliena perceptos, *XII.* §. 267. *n.* 1. §. 368. An fera ſit fructus fundi, §. 263. Qui ex re ſua, ſed alii promiſſa, fructus percipit, hos reſtituit ſi in mora eſt, §. 368.

Funeraria actio oritur ex quaſi contractu, *XII.* §. 568. Eſt ex jure civili, *ibid.*

Furtum definitur, *XII.* §. 524. natura prohibetur, *ibid.* Qui committant furtum *ibid.* Effectus furti, *ibid.* Varia nomina furtorum apud Romanos, *ibid.*

G.

Gabaonitæ. Gabaonitarum pactum cum Iſraëlitis examinatur, *XII.* §. 417. 477. 794. Vide *Error. Juramentum.*

Gentes diſcretæ ſunt jure gentium, *IV.* §. 41.

Gentium jus idem eſt, quod jus naturale, (vid. *Jus gentium.*) Non datur jus gentium ſecundarium. (Vid. *Jus gentium voluntarium.*)

An *gens* aliam gentem a commerciis, vel a nuptiis excludere poſſit, *XII.* §. 179.

Gentium conſenſus quatenus probat Jus naturæ, *XII.* §. 48.

Gradus prohibiti qui (Vide *Inceſtus.*) An nominata perſona totus *gradus* videatur prohibitus in Levit. *XVIII*, *XII.* §. 176.

GROTIUS. Occaſio ſcribendi tractatum de jure belli, & pacis, *IX.* §. 1. Ejus principia circa Jus naturæ ſociale. (vid. *Jus naturæ ſociale*): circa Jus naturæ laxius (vide *Jus naturæ laxius:*) circa Jus divinum poſitivum univerſale (vide *Jus divinum*): circa Jus gentium voluntarium (vide *Jus gentium voluntarium*): circa ſtatum hominum (vide *Status hominum*): circa jus rerum, *VI.* §. 1. *ſeq.* circa obligationes perſonæ, *VII.* §. 1. *ſeq.* circa bellum, ejusque jura, *IX.* §. 1. *ſeq.* circa originem judiciorum, & imperii, *VIII.* §. 1. *ſeq.*

Grotii doctrina de principiis internis examinatur, *I.* §. 41. *ſeq. II.* §. 6.

Grotius nullibi principia obligationum perſonarum rite exponit, *VII.* §. 58.

Guaran-

Guaranta accedere pactis bellicis poſſunt, *XII.* §. 832. Etymologia vocis, §. 833. definitio, §. 834. Qui guarantæ eſſe poſſint, §. 835. pro quibus, §. 836. Objectum, §. 837. Effectus, §. 838. Guaranta non tenetur intervenire niſi requiſitus, & præcedere debet clarigatio. *ibid.* Qui præſtat guarantiam, non dat alteri juſtam belli cauſam, *ibid.* Modi finiendi, §. 839. Guaranta non poteſt interpretari pacem dubiam, §. 840. Si uſurpator guarantiam promiſit, eo ejecto rex legitimus eam præſtare tenetur, *ibid.*

H.

Hercules virtutem non in re, ſed in opinione eſſe, dixit, *II.* §. 30.

Hæreditas quid ſit, *XII.* §. 278. definitur, §. 289. eſt jus univerſale, *ibid.* quatenus referatur ad jura in re, §. 279. Differt a dominio, *ibid.*

Origo ſucceſſionis *hæreditariæ*, *XII.* §. 280. *ſeq.* ratio ejus naturalis, §. 280. 281. 282. hæreditas defertur ſolis liberis, §. 282. (Vide *Hæres. Liberi. Familia.*) Non aliis: adeoque nec patri, nec matri, nec collateralibus, &c. §. 284. 285. 286. 287. 289. Hæreditatis objectum, §. 290. Effectus §. 291.

Hæreditatis aditio eſt quaſi contractus, *XII.* §. 572. (Vide *Aditio hæreditatis.*)

Hæres. Liberi ſunt hæredes patris, (Vide *Familia.*) ejus ratio naturalis, *XII.* §. 280. *ſeq.* (Vide *Hæreditas.*) cur teneatur ad æs defuncti, §. 346.

Hæreſis crimen non eſt, *XII.* §. 514. 550. Hinc pœna ſtatui in hæreticos nequit, *ibid.* Exceptiones vide *ibid.* hæreſis non eſt juſta belli cauſa, §. 720. An hæretici puniri ob hæreſin poſſint, §. 514. 550.

Hæreticis fides ſervanda eſt, *XII.* §. 423. (Vide *Fides.*)

Hermaphroditi nuptias contrahere poſſunt, *XII.* §. 175.

Hobbesius: ejus ſyſtema circa jus naturæ examinatur, *XII.* §. 5. *ſeq.* & refutatur, §. 10. & *XI.* §. 5. *lit. c.* Variæ doctorum opiniones de ejus principiis circa jus naturæ, *d.* §. 5. Diſtinguit inter jus naturæ, & leges naturæ, §. 7. quid per jus naturæ intelligat, §. 8. Quid per leges naturæ, §. 9.

Ejus Syſtema circa originem imperii, *VIII.* §. 8. *ſeq.* refutatur, §. 13. Quid ſit ejus Leviathan, §. 12. jus omnium in omnia explicatur, *ibid.* Mutuus metus examinatur, *ibid.*

Homo caput dicitur, (vide *Caput.*) & ſtatum habet (vide *Status.*) Inde derivantur jura familiæ, libertatis, & civitatis. (Vide *Status.*

Officia *hominum* erga Deum, *XII.* §. 100. *ſeq.* ea latius patent, quam officia hominum inter ſe, *III.* §. 48. Quæ ſint officia hominum inter ſe, *XII.* §. 103. *ſeq.* Natura omnes homines ſunt æquales, *IV.* §. 42. *n.* 9. *XII.* §. 103. Ex generatione, & imperio jus homini in hominem competit, *X.* §. 8. *lit. n.* & *u.* Cuique hominum jus competit in ſuas actiones, *ibid. lit. e.* non in actiones alterius, *ibid. lit. g* indeque ad eum ſolum commodum ſuæ actionis pertinet, *ibid. lit. f.* Competit homini jus in res terræ, *ibid. lit. h. ſeq.*

Homo ſe conſervare tenetur, & perdere ſe nequit, *X.* §. 8. *lit. q. v.* (Vide *Autocheiria.*) Actiones hominis ſeparari ab homine non poſſunt, *ibid. lit. q.* Homo imbecillis natura aliorum indiget ope, *I.* §. 33. Eſt animal ſociale, §. 4. obligatur ad cuſtodiendam ſocietatem, §. 5. *ſeq.* fructus hominum cauſa conditi ſunt. (Vide *Fructus.*)

De jure Dei in *homines*, eorumque vitam, & bona, *XII* §. 100.

Homicidia natura ſunt vetita, *XII.* §. 521. ubi de pœna homicidii naturali. Quo ſenſu homicida dicatur qui proximum odio habet, *III.* §. 48. *n.* 9. Quo ſenſu eſus ſanguinis habetur pro homicidio, §. 28. *ſeq.*

Honeſtas. Quænam natura honeſta ſunt, ſed non obligantia, *II.* §. 9. Leges humanæ, & civiles, circa actus honeſtos occupantur, *ibid.*

Hoſtis. Quisnam ſit, (vide *Bellum*). Hoſtem interficere licet (vide *Occidere*); perſonas, & res hoſtis capere (vide *Capere*); res eorum vaſtare. (vide *Vaſtare.*)

Victor remittere poteſt debitum, quod *hoſti* victo debetur, *IX.* §. 103. ubi exemplum Cæſaris refertur, *ibid.*

Monita, ut victor imperio in *hoſtem* moderate utatur, *IX.* §. 104.

In *hoſtem* omnia licent, *XII.* §. 739. *ſeq.* etſi actu non militet, §. 742. etiam in ſuppli-

Digitized by Google

ſupplices; medios neceſſaria ſubminiſtrantes hoſti in extremis conſtituto; immo in obſides ab hoſte datos ſi hic fidem datam violat; ſed & in ſocios hoſtis, &c. *ibid.* Non vero in infantes, *ibid.*

Interfici *hoſtis* poteſt in infinitum, etiam ultra modum debiti, vel pœnæ, *XII.* §. 742. Quibuscunque armis, etiam miſſis percuſſoribus, *ibid.* modo arma non ſint natura turpia, *ibid.*

Hoſti fides ſervanda eſt, *XII.* §. 423.

Occupatio rei, quæ ad *hoſtem* pertinet, eſt modus acquirendi dominii naturalis, *XII.* §. 266. nec non modus finiendi dominii, §. 325. Hoſtis victor debita territorio inhærentia ſolvere tenetur, §. 346.

Humana ſocietas: vide *Societas humana.*

I.

Jactus. An pereat dominium rei, quæ levandæ navis cauſa jactatur, *XII.* §. 327. Lex Rhodia de jactu eſt ex quaſi contractu, §. 577.

Idololatria eſt actus natura prohibitus, *XII.* §. 85. *I.* §. 36. 37. 38. 72. an gens bello ideo peti poſſit, *XII.* §. 721. *ſeq.*

Ignorantia juris naturalis non excuſat, *XII.* §. 59. nec ideo finitur obligatio, §. 364.

Illyricum bellum non eſt bellum mixtum, ſed publicum, *IX.* §. 166. *n.* 7.

Impenſæ præter id, quod promiſſum eſt, aliquando petuntur, *VII.* §. 22. *XII.* §. 374. ejus ratio naturalis, *I.* §. 374. obligatio ad impenſas oritur ex quaſi contractu, *XII.* §. 577.

Imperium. Syſtema eorum, qui judicia, & imperia a natura eſſe, negant, *VIII.* §. 7. *ſeq.* nimirum Epicuri, & Hobbeſii, §. 10. & 12.

Syſtema Grotii de origine judiciorum, & *imperiorum*, *VIII.* § 14. 16. 17. ex hypotheſi Grotii jure naturali quilibet eſt vindex ſuæ, & alienæ injuriæ, *ibid.* idque rationibus probat, §. 18. at inſtitutis civitatibus jus vi privata agendi ſublatum eſſe, ait, §. 17. occaſio mutationis recenſetur, *ibid.* ſequelæ hujus mutationis, *d.* §. 17. *n.* 4. Quo ſenſu imperia juris naturalis, & ordinatio divina dici poſſint, §. 17. *n.* 2. §. 26.

Imperium vocatur ſumma poteſtas, *VIII.* §. 18.

Quid ſit ſumma poteſtas, *VIII* §. 18. 19. in quonam conſiſtat, *ibid.* ejus partes, *ibid.* Quando ſit ſumma, §. 20. Non manet realiter penes populum, *d.* §. 20. *n.* 1. Cui jus ſummæ poteſtatis competat, *n.* 2. an eis, qui inæquali fœdere tenentur, *n.* 5. an qui tributum ſolvunt, *n.* 6. an qui nexu feudali tenentur, *n.* 7.

Partitiones imperii, *VIII.* §. 18. 28 An dividi imperium poſſit, i. e. an detur ſtatus mixtus, §. 19. 30.

Imperium in victos acquiritur per ultimam victoriam, vel per deditionem, *IX.* §. 101. *ſeq.* Ea acquiritur herile dominium, §. 102. in perſonas, res, & jura devictorum, § 103. Grotius diſtinguit inter effectus juris naturæ, & juris gentium, §. 101.

Finitur *imperium* ſi lex commiſſoria addita eſt, *VIII* §. 21. Item mortuo imperante, vel deficiente familia, *ibid.* Si populi jus deſinit, vel ſpecies populi mutatur. *ibid.* derelictione, alienatione, &c. *ibid.* alios modos vide *VI.* §. 63 An renunciatio patris circa imperium facta nocet liberis, §. 29 *n.* 3. an nondum natis. (Vide *Liberi.*)

Principia Grotii circa *imperia* examinantur, *VIII.* § 22. *ſeq.*

Syſtema eorum, qui toti humano generi *imperium* conceſſum eſſe, tradunt, *VIII.* §. 14. *X.* §. 16. *lit. e.* & quomodo diviſio facta ſit, *VIII.* §. 14. *n.* 4. *X.* §. 16. *lit. f.* Dubia circa hoc ſyſtema, *VIII.* § 15. *X.* §. 26. quo ſenſu Principes vicarii Dei dicantur, & Dei gratia imperent, *VIII.* §. 14. *n.* 9.

Syſtema eorum, qui patribus familias *imperium* in familiam conceſſum eſſe, ſtatuunt, *VII.* §. 87. *VIII.* §. 22. *XII.* §. 159. 610. vera origo imperii, ſeu ſummæ poteſtatis, exponitur, *XII.* §. 610. *n.* 7. §. 616. 617. Naturali ratione competit patri in familiam; quod exemplis gentium probatur, *ibid.* Familiæ imperium in alios transferre poſſunt, §. 623. 625. 626.

Objectum *imperii*, *XII.* § 629. Subjectum, §. 623. 627. 628. Variæ imperii partitiones, § 629. Quomodo differat a dominio, §. 236. occupari poteſt ſine dominio, & contra, *ibid.* Idem eſt, quod dominium eminens, § 629. pugnat cum plenitudine poteſtatis, *ibid.* (Conf. *Poteſtas ſumma. Judicium. Civitas. Princeps.*)

Aliud

eſt jus *imperii*, aliud ejus adminiſtratio, *VIII* §. 20. *n.* 8.

Quando *imperium* deſinat, *XII.* §. 637. An per alienationem (vide *Alienatio*). An per ſurrogationem, §. 650. an tyrannide (vide *Tyrannus*). An per renunciationem, §. 638 An renunciatio patris noceat filio, vel poſteris, *ibid.*

Acceſſiones *imperii* quæ ſint, *XII.* §. 628. ſpecies recenſentur, §. 663. De bonis Imperii. vide *Bona.* De reditibus imperii, vide *Reditus.*

Imperium bello quæſitum acquiritur populo victori, non regi, *XII.* §. 754. Etſi hujus ſumtibus bellum geratur, *ibid.* Regnum tale vocatur patrimoniale, *ibid.* in quo omnia jura publica, & privata victori cedunt, §. 751. *ſeq.* Quando imperium bello quæſitum deſinat, §. 756. (Add. *Bellum.*)

Alienari imperium nec pro parte, nec in totum poteſt, *VIII.* §. 21. *XII.* §. 623. 633.

De ſucceſſione in imperia, vide *Succeſſio.*

Aliud eſt occupatio *imperii* aliud dominii, *VI.* §. 18. An *imperium* maris occupari poſſit, §. 15.

Imperium a Grotio dividitur in civile, vel herile, vel mixtum, *IX.* §. 102.

Imperium conſiſtit in jure tuendo, i. e. in adminiſtranda juſtitia, *X.* §. 16. *lit. d.*

Imperium continetur finibus territorii, *X.* §. 16. *lit. f.* quicquid intra fines illos continetur ſubjectum eſt imperio, *ibid.* Quando fines imperii mutentur mutato flumine, *VI.* §. 17.

Occupato *imperio* navigatio impediri non poteſt, piſcatio poteſt, *VI.* §. 15.

Populus de *imperio* pro lubitu diſponere, & vel uni, vel pluribus id deferre poteſt, *X.* §. 16 *lit. f.*

Inæqualitas, quæ in contractibus obtinet, corrigi jure naturæ debet, *IV.* §. 19. *n.* 3. *VII.* §. 25. jure gentium id verum eſſe, ait Grotius, ſi inæqualitas enormis eſt, *ibid.* Notatur Grotius, *VII.* §. 58. *n.* 14.

Inceſtus natura eſt prohibitus, *XII.* §. 44. *ſeq.* inter aſcendentes, & deſcendentes, collaterales, & affines, §. 176. DD. variant circa gradus prohibitionum, *ibid.* *n.* 1. & circa rationem moralitatis, *n.* 3. veræ rationes prohibendi exponuntur, *ibid.* & *ſeq.* *n.* cum quibus conveniunt prohibitiones Moſis, *n.* 12. 13. & 14. nec non Romanorum, paucis exceptis, *n.* 18. An nominata perſona totus gradus videatur prohibitus in Levit. *XVIII.* *n.* 15.

Inceſtus ex ſententia Grotii tantum natura prohibetur inter aſcendentes, & deſcendentes, *L* §. 72 *V.* §. 9. *n.* 3.

In reliquis jure divino poſitivo, *V.* §. 9. *n.* 4. *ſeq.* jure nimirum Adamitico, *III.* §. 21.

Indictio in bello publico requiritur, *IX.* §. 51. *n.* 5. *XII.* §. 726. 727. ubi exceptiones. Qui bellum indicere poſſunt, §. 732 Quibus indici debet, *ibid.* Poſt indictionem tempus aliquod exſpectandum, §. 733. Sufficit, ab una parte bellum indictum eſſe, *ibid.* Quomodo differat a clarigatione, §. 731. (Vid. *Clarigatio.*)

Induciæ. Etymologia vocis, *IX.* §. 132. *XII.* §. 807. Definitio, *IX.* § 132. *XII.* §. 807. Sunt vel univerſales, vel particulares, *XII.* §. 807. *IX.* §. 135. An in longum tempus contrahi poſſunt, *IX.* §. 134 Contrahuntur etiam a Ducibus belli, *ibid.* Quando currere incipiant, §. 136. *XII.* §. 808. quomodo tempus a quo, vel ad quem, computetur, *IX.* §. 137. 140 *XII.* § 808. §11. Objectum induciarum, § 809. Effectus, *IX.* §. 138 *XII.* § 810. Modi finiendi, *IX.* §. 140. *XII* §. 811.

Durantibus *induciis* ſuſpenditur jus poſtliminii, *IX.* §. 138. & tuto ire, ac redire licet, *ibid.* Nec lædere interim licet hoſtem, *ibid.* Quæ facere liceat intra induciarum tempus, §. 138. 139. An violatis ab altero induciis alter quoque violare eas poſſit, §. 140 An violatæ cenſentur ſi ſubditi aliquid induciis contrarium admittunt; *ibid.* An finitis induciis nova indictione belli opus ſit, §. 141. *XII.* §. 811. An res ab hoſte derelictas occupare durantibus induciis liceat, *IX.* §. 139.

Injuria reparari debet: ea eſt totius obligationis naturalis fundamentum, *X.* §. 5. *p.* 248. *ſeq.* *XII.* §. 49.

Injuria infertur verbis, vel factis, *XII.* §. 527. quæ obligatio inde oritur, *ibid.* Quinam inferant injuriam, & quibus inferatur, *ibid.* Effectus injuriæ, *ibid.* Quibus modis finitur injuriarum actio, *ibid.*

De damno *injuria* dato, vide *Damnum.*

Innoxia utilitas: ſententia Grotii refertur, *VI.*

VI. §. 19. Ea nemini jus in res alterius tribuit, *XII.* §. 317. obligationem perſonæ non tollit, §. 364.
Inſita in alieno ſolo non acquiruntur domino fundi, *IX.* §. 51. *n.* 4. contrarium verius eſt, *XII.* §. 277. *n.* 18.
Inſula in flumine publico nata non cedit vicinis, *IX.* §. 50. 51. *VI.* §. 49. jure naturali vicinis cedit in agris arcifiniis, non limitatis, *XII.* §. 276. ejus ratio naturalis, *ibid.* ſolvitur antinomia, *d.* §. 276. *n.* 2. Quando ceſſet hæc acquiſitio, *n.* 4. Inſula ex virgultis nata cur ſit publica, *n.* 5.
Inſtinctus. (Vide *Motus.*)
Inſtrumentum: filius eſt inſtrumentum patris, (Vid. *Filius. Pater.*) Servus domini, (vid. *Servus. Dominus.*) Subditi principis, &c. (Vid. *Subditus*)
Id, quod *intereſt*, debitor præſtare debet, *VI.* *L.* §. 22. *XII.* §. 375. ejus ratio naturalis, *d.* §. 375. Quid eo intelligatur, *ibid.* Juriſconſulti Romani determinarunt præſtationem ejus, quod intereſt, §. 376. Uſum habet in omnibus juris objectis, §. 378. Differt a cauſa, & fructu, §. 379. Cur debitor liberetur præſtando id, quod intereſt, *X.* §. 8. *lit. p.* §. 10. *lit. e.*
Interdicta oriuntur ex variis cauſarum figuris, *XII.* §. 588. fundamentum habent in jure naturæ, §. 589. 597. non ſunt actiones, reales, §. 316.
Interficere: vide *Hoſtis. Homicidium.*
Interitu rei, vel ſpeciei obligatio tollitur, *VI.* §. 62. *XII.* §. 374. immo & impetium, *VI.* §. 63. *XII.* §. 637.
Interpretatio circa pacta dubia, *VII.* §. 51. Menſura interpretationis ſunt ſigna maxime probabilia, §. 52. ſigna ſunt vel verba, vel conjecturæ, §. 52. de verbis, §. 53. 54. de conjecturis, §. 56. Variæ quæſtiones ex his regulis deciduntur, §. 55. 58. Monita circa has interpretandi regulas, *d.* §. 58. *n.* 15.
Veræ interpretationum regulæ circa pacta, *XII.* §. 506. circa juramenta, §. 482. circa acta bellica, §. 795. 831. Vera interpretationis principia, §. 507. Exempla reſervationis mentalis, & falſæ interpretationis, §. 509. Si dubium eſt pactum, nihil agitur, §. 508. & partibus diſſentientibus bello locus eſt, §. 510. De factorum dubiorum interpretatione, §. 509. *n.* 2. Jus Romanum varias interpretationum regulas introduxit, §. 511.
Interrogatoria actio eſt ex pacto, *XII.* §. 577.
Intrinſeca bonitas. (Vide *Bonitas intrinſeca Jus naturæ ſociale.*)
Inundatio non mutat dominium, *IX.* §. 51. *VI.* §. 50. *XII.* §. 274. niſi novum alveum faciat, *ibid.* An in graviſſima inundatione præſumatur animus derelinquendi, *VI.* §. 50.
Judæi præcepta virtutum neglexerunt, *III.* §. 48. *n.* 8.
Judex. An unusquiſque ſui, & alieni juris vindex ſit, *VII.* §. 64. *L.* §. 80. 81. *VIII.* §. 16. quod negatur, *ibid.* §. 22. origo judicum: vide *Imperium.* Nemo eſt judex in propria cauſa, *XII.* §. 609. debet eſſe habilis, & competens, §. 670. 671. Quid ſit judex competens, §. 671. Male judicans tenetur ex quaſi delicto, §. 579.
Judicatum. Actio judicati ex tacito pacto oritur, *XII.* §. 577.
Quis ſit *judex* in dubia ſucceſſione, *IX.* §. 166. *n.* 5. *XII.* §. 296. *n.* 8. §. 660.
Judicium. De origine judiciorum, *VIII.* §. 1. 7. 9. Syſtema Grotii, *VII.* §. 64. *XII.* §. 16 *ſeq.* Syſtema Epicuri, & Hobbeſii, *VIII.* §. 10. 12. 7. *ſeq.* Syſtema Henrici Coccei, *ibid.* §. 14. *ſeq.* *X.* §. 16.
Vera ſententia explicatur, *XII.* §. 607. *ſeq.* Deus, qui ſolus judex eſt circa leges naturæ, *ibid.* jus ſuum delegavit patribus familias, §. 609. 610.
Quo ſenſu judicia dicantur ordinatio divina, *XII.* §. 614. (Vide *Imperium.*)
Judicia jure gentium inſtituta eſſe, Grotius fingit, *VII.* §. 68. Poſito autem hoc facto gentium, judicia, ait, eſſe juris naturalis, nimirum, pro certo rerum ſtatu, *L.* §. 80. quod refutatur, §. 81.
Judicium definitur *XII.* §. 668. De perſonis, quæ judicium conſtituunt, §. 669 *ſeq.* Conſtituitur judicium per litis conteſtationem, §. 679. Ordo naturalis procedendi in judiciis, §. 674. Quibus modis judicium finitur, §. 692. *ſeq.*
Judicium recte conformatum ad eligenda quæ delectant, aut nocent, Grotio eſt fons juris naturæ laxioris. (Vid. *Jus naturæ laxius.*)
Judicium aliud eſt reſcindens, aliud reſciſſorium, *XII.* §. 316. (Vide *Actio reſciſſoria.*
Jura ſunt viventium, non mortuorum, *X.* §. 9. *lit. a.*
Jus naturæ. Principia Grotii exhibet *Diſſert.* *I.* per

Digitized by Google

per tot. (Vid. *Jus naturæ ſociale.*) Pufendorfii, *XI* §. 15. Henrici de Cocceii, *Diſſert. X. per tot.* Seldeni, *XI.* §. 15. Yvonis Pariſienſis, §. 16 Hemmingii, §. 12. Hobbeſii, §. 5. Winkleri, §. 13. Fodini, §. 22. Wachteri, §. 23. Thomaſii, §. 24. & aliorum, §. 25.

Aliud eſt principium juris naturæ eſſendi, aliud principium cognoſcendi, *XI.* §. 19. *ſeq.* quæ diſtinctio examinatur, §. 26. principium cognoſcendi, etſi tale conſtituere neceſſe non ſit, indigitatur, §. 27.

Jus naturæ idem eſt, quod jus gentium, *IV* §. 23. 32. 34. 36.

Jus naturæ male dividitur in permiſſivum, & præceptivum, *X.* §. 5. Permiſſio, & præceptum, non ſunt diverſæ juris ſpecies, ſed ejusdem juris partes, §. 21.

Vera *juris naturæ* principia indigitantur. *Diſſert. XII. per tot.* Quid per *jus naturæ* intelligatur, *XII.* §. 34. *ſeq.* §. 38. Varia ejus nomina, §. 39.

Jus naturæ ſociale. Grotius cuſtodiam humanæ ſocietatis conſtituit principium juris naturalis, *I.* §. 1. 4. 5. 6 & 41. Quod ex principio veterum philoſophorum deſumtum eſt, §. 5 & 7.

Grotius ait, exiſtere jus ſociale, etſi detur, Deum non eſſe, *I.* §. 9. (quod refutatur, §. 41. *ſeq.* §. 62.) Deum tamen approbaſſe, indeque divinum dici poſſe, *ibid.* In hoc jure obtinere juſtitiam expletricem, atque ibi obſervari proportionem arithmeticam, §. 15.

Definitio juris ſocialis, *I.* §. 10. modique probandi, §. 11. Eſt jus naturæ proprie ſic dictum, §. 12. Quæ jura ex hoc principio deducantur, §. 12.

Cauſa juris naturæ ſocialis, ſubjectum, objectum, & effectus, *I.* §. 14. & 15.

Differentia juris *naturæ ſocialis* a jure naturæ laxiori, a jure divino voluntario univerſali, & a jure gentium voluntario, explicatur, *I.* §. 15. 16. 17.

Non dari *jus naturæ ſociale*, probatur, *I.* §. 18. ortum eſt ex erroneis philoſophorum gentilium principiis, §. 19. *ſeq.* & §. 40. dubia removentur, §. 33. *ſeq.*

Jus naturæ laxius. Quid Grotius intelligat per *jus naturæ laxius*, *II.* §. 2. Ejus definitio, §. 4. Modi probandi, §. 5. Oritur ex principiis internis, i. e. ex judicio rite conformato ad eligendum ea, quæ delectant, aut nocent, §. 6. 15. Subjectum, §. 7. Objectum, §. 8. Effectus §. 10. Quomodo differat a jure naturæ ſociali, *I.* §. 15. *II.* §. 11. a jure divino voluntario univerſali, §. 14. & a jure gentium voluntario, *ibid.*

Grotius exiſtere, ait, hoc jus naturæ laxius, etſi detur, Deum non eſſe, *II.* §. 4. 6. (quod refutatur, §. 29.) Atque hoc jure multa præcipi, quæ jure ſociali licite omittuntur, §. 12 & multa prohiberi, quæ jure ſociali permittuntur, §. 13. Quod exemplis illuſtratur, *ibid.*

Per *jus naturæ laxius* Grotius intelligit præcepta virtutum, ſeu perfectionum regulas, *II.* §. 15. 16. *ſeq.* §. 20 Definitio virtutum, §. 23. *ſeq.* De vero virtutum principio, §. 30. *ſeq.* (Vide *Virtus.*)

Jus naturæ materiale. Quo ſenſu JCti Romani *jus naturæ* omnibus animalibus commune dixere, *IV.* §. 39. 42. Quomodo differat jus naturæ materiale a rationali, §. 42. n. 10. & 12 Jus naturæ materiale nullam infert neceſſitatem moralem agendi, §. 42. n. 6.

Jus naturæ pro certo rerum ſtatu. Quid Grotius per tale jus intelligat, *I.* §. 77. Uſum ejus eſſe, ait, circa dominia, & judicia, §. 76. 78. 80. *VI.* §. 74. Refutatur, *I.* §. 81.

Jus divinum poſitivum univerſale. Quid Grotius per tale jus intelligat, *III.* §. 1. *ſeq.* deſcriptio hujus juris, §. 2. modus probandi, §. 6. Cauſa hujus juris, §. 7. Objectum, §. 8. eo referuntur Inceſtus, & promiſcui concubitus, *ibid.* Effectus, §. 9. Huic juri obligari tantum quibus revelatum eſt, *ibid.* interpretationem recipere ex Hebræorum ſcriptis, §. 6. Hoc jus mutari poſſe, §. 11. Differt a jure naturæ ſociali, §. 4. & a jure naturæ laxiori, §. 5.

Grotius *Jus Poſitivum univerſale* ter humano generi datum eſſe, ait, *III.* §. 12 I. *Adamo*, unde jus Adamiticum, §. 12. & §. 19. (Rabbini ſomniant, Deum ſex præcepta Adamo dediſſe, §. 19.) Objectum juris Adamitici, §. 20. quo referunt judicia, §. 21. & inceſtus prohibitionem. §. 21. Refutatur hæc opinio, §. 22. & 23. II *Noacho*, unde jus Noachicum, §. 24. Eo referunt legem de non eſu ſanguinis, §. 25. 26. Quæ ſententia refutatur, §. 27. *ſeq.* (Vide *Sanguis.*) III. *Per legem Evangelii*, §. 39. Syſtema Grotii de lege Evangelii, *ibid.* Variæ opiniones de obliga-

Digitized by Google

obligatione, quæ ex præceptis Servatoris oritur, §. 40. ſeq. Alii ajunt, Servatorem legem novam non condidiſſe, §. 41. ſeq. Alii, præter credenda, & ſacramenta, omnia eſſe juris naturalis, §. 43. Alii, Chriſtum legibus Moſis quædam addere, §. 44. Quo ſenſu Chriſtus leges ſuas opponat legibus Moſis, §. 43.

Cauſa *Legis Evangelii*, *III.* §. 44. *n.* 6. Subjectum, *n.* 7. Objectum, *n.* 8. Effectus, *n.* 9. Conſectaria quædam legis Evangelii, §. 44 *ſeq.* Multa lege Evangelii exigi, quæ jure naturæ omittere licet, §. 44. *n.* 1. 2. 3. Multa legibus naturæ licere, quæ lege Evangelii vetantur, *n.* 4. Virtutes lege Moſis præceptas majori gradu exigi lege Evangelii, *n.* 5. Quæ ſingula exemplis illuſtrantur, *ibid.* Auctoritas legis Evangelii quæ ſit ex ſententia Grotii, §. 44. *n.* 10. Nullam inde oriri obligationem, ait, inter homines, ſed ſaltem intuitu Dei, *n.* 9. Ei aliquando derogari jure gentium poſſe, *n.* 11.

Quomodo *lex Evangelii* differat a jure ſociali, *III.* §. 44. *n.* 12. a jure laxiori, *n.* 13. a jure Adamitico, & Noachico, *n.* 14. a jure Moſaico, *n.* 15.

Vera ſententia *de Auctoritate præceptorum Evangelii* exponitur, & Grotii Syſtema refutatur, *III.* §. 45. *ſeq.* Magis intereſt humani generis, noſſe præcepta Evangelii, quam jura hominum inter ſe, §. 48.

Non dari *jus divinum poſitivum univerſale*, probatur, *III.* §. 14. *ſeq.* *I.* §. 72. Male Grotius eo refert prohibitiones inceſtus, promiſcuos concubitus, uſuras, divortia, polygamiam, &c. *III.* §. 45.

Jus gentium voluntarium, *ſeu ſecundarium.* Variæ doctorum opiniones de origine hujus juris gentium, *IV.* §. 1. 2. *ſeq.* Alii ex ſtatu corruptionis id deducunt, §. 3. alii eo referunt jura Romana cum extraneis communia, §. 4.

Grotii novum Syſtema circa jus gentium, *IV.* §. 5. *ſeq.* modi probandi, §. 7. Cauſa, §. 8. ſubjectum, & objectum, §. 9. Effectus, §. 21. *ſeq.*

Diſtinguitur a Grotio in *latius patens*, & *arctius*, *IV.* §. 10. Quid ſit *jus gentium latius patens*, *ibid.* eſt vel *univerſale*, vel *certarum gentium*, §. 11. jura gentium, quæ certis ſaltem populis propria ſunt, recenſentur, §. 12.

Effectus *juris gentium latius patentis* ex hypotheſi Grotii recenſentur, *IV.* §. 13. *ſeq.* 1°. jus gentium hoc multa permittit, quæ jure naturæ vetita ſunt, §. 14. cujus rei exempla referuntur, *ibid.* 2°. Multa prohibet, quæ jure naturæ permiſſa ſunt, §. 15. Jura, quæ eo pertinent, *ibid.* 3°. juri naturæ aliquid ſuperaddit, §. 16. vel conjecturas naturales confirmat, *VI.* §. 29. *n.* 6. quod exemplis illuſtratur, *IV.* §. 16. 4°. aliquando noviter aliquid conſtituit, §. 17. exempla proponuntur, *ibid.* Denique Grotius docet, jus hoc gentium mutari poſſe, §. 22.

In *Jure gentium latius patente* Grotius quædam ex omni parte juſta eſſe, ait, quædam effectum ſaltem externum habere, *IV.* §. 18. *ſeq.* De prioribus vide §. 19. De poſterioribus, §. 20.

Grotius inſignem effectum in *bellis jure Gentium ſolemnibus* huic diſtinctioni tribuit, *IV.* §. 20. *n.* 1. Etſi enim jure naturæ actus illiciti ſint, *ibid.* inter gentes tamen, adeoque in foro ſoli, juſtos eſſe, §. 21. Indeque agentes ex hoc jure gentium impunitatem habere, acquirere dominium externum, & alias gentes inde obligari, §. 21. 22.

Hoc jus gentium admodum commendat Grotius, *IV.* §. 5. 23.

Quid per *Jus gentium arctius* Grotius intelligat, *IV.* §. 24. id eſſe jus Civile plurium gentium, §. 25. Non ex condicto, ſeu cum mutua obligatione receptum eſſe, § 24. Non inferre obligationem, §. 26. Mutari a ſingulis gentibus poſſe, *ibid.* Quomodo differat a jure civili ſingularum civitatum, *ibid.* Jura, quæ ad jus gentium arctius pertinent, recenſentur, §. 27. v. g. patria poteſtas, *ibid.* excluſio extraneorum a teſtamenti factione, *ibid.* quod quædam perſonæ, & res capi non poſſint, *ibid.* Effectus juris gentium arctioris, §. 28.

Jus gentium voluntarium non exiſtere, rationibus probatur, *IV.* §. 29. & *ſeq.* Jura, quæ JCti Romani ad jus gentium referunt, ſunt vera jura naturæ, §. 32. *ſeq.* nec non ea, quæ Grotius ad jus gentium arctius refert, §. 39. & §. 40. Jus hoc ex errore Triboniani ortum eſſe, demonſtratur, §. 37.

Jus naturæ an exiſtat? Alii affirmant, alii negant, alii dubitant, *XII.* §. 39. & 40. cur diſciplina hæc difficilior reddita ſit, §. 32. *ſeq.* præcognita juris naturalis, §. 22.

Digitized by Google

§. 12. *ſeq.* Scientia hujus juris toti humano generi utilis eſt, immo neceſſaria, §. 10. *ſeq.* Tria ejus objecta, §. 52. 104.

Jus naturæ ſociale non datur, *I.* §. 18. *ſeq.* Nec jus naturæ laxius, *II.* §. 15. *ſeq.* Nec recte dividitur in permiſſivum, & præceptivum, §. 38.

Jus naturæ probatur ex ſola ratione, *XII.* §. 41. & 59. Non ex revelatione, §. 41. nec ex idea innata, §. 59. Modi probandi qui, §. 42. ordo novi Syſtematis, §. 6. *uſque ad* §. 12. *præf.* explicatur juxta tria objecta juris, §. 5. & 9. *præf.*

Exiſtentia *juris naturæ* probatur, *XII.* §. 49. 50. 52. 53. Ejus principium eſſendi eſt *Deus*, *ibid.* & §. 57. Principium cognoſcendi, ſeu regula generalis omnis obligationis eſt, *jus ſuum cuique tribuere*, §. 51. 52. 53. 58.

Definitur *jus naturæ*, *XII.* §. 56. ejus cauſa, §. 57. Subjectum, §. 64. Objectum, §. 65. Effectus, §. 66. Conſtat æternis rationibus, adeoque mutari nequit, §. 61. nec ignorari poteſt, §. 60. adeoque ejus ignorantia non excuſat, *ibid.* Exſtiturum quoque fuiſſet in ſtatu innocentiæ, *ibid.* Jus naturæ aliud eſt intuitu Dei, aliud intuitu hominum, §. 68. 97.

Nec Princeps, nec Papa diſpenſare de *jure naturæ* præceptivo poſſunt, *XII.* §. 61. & 62. ubi exemplum de inceſtu affertur. Nec auferri jus naturali ratione alii quæſitum poteſt, §. 62. exceptiones vide *ibid.*

Jus naturæ ſupponit pœnam æternam, eoque animam immortalem, *XII.* §. 67. variæ opiniones de pœnis juris naturæ, *ibid.* ad ſalutem ſufficit, ſervare præcepta juris naturæ, §. 71. An gens gentem propter violationem juris naturæ punire poſſit, §. 82.

Differt a præceptis politices, *XII.* §. 69. & a præceptis virtutum, *X.* §. 27.

Jus internum, ejusque effectus. (Vide *Socialitas.*)

Jus externum, ejusque effectus. (Vide *Jus gentium.*)

Jus ceremoniale poſt adventum Chriſti nec Chriſtianos obligat, *XII.* §. 55.

Jus forenſe ſublatum eſt ſublata Judæorum republica, *XII.* §. 55. Ad hoc jus referuntur leges de uſuris, de ſabbatho, de decimis, *III.* §. 15. 46.

Jus Romanum infeliciter illuſtratur a Grotio, *XII.* §. 1. *præf.* Felicius ab Henr. de Cocceii, *ibid.* §. 2. Collectum eſt ex principiis juris gentium, §. 4. & 10. *præf.* jus naturæ juxta ordinem juris Romani explicatur, §. 11. & 12. *præf.* Cauſa obſcuritatis juris Romani, §. 2. *præf.* An in conſcientia obliget, vide *Jus civile.*

Jus civile cur obliget in conſcientia, *XII.* §. 53. Leges civiles regulariter de juribus hominum inter ſe ſtatuunt, non de eis, quæ Deo debentur, §. 68.

Jus perſonarum, ſeu quod ex ſtatu hominum oritur, explicatur, *V.* §. 1. *ſeq.* *XII.* §. 103. *ſeq.*

Jus rerum explicatur, *VI.* §. 1. *ſeq.* *XII.* §. 242. & *ſeq.*

Jus ad rem, ſeu quod ex obligatione perſonæ oritur, explicatur, *VII.* §. 1. *ſeq.* *XII.* §. 128. & *ſeq.*

Jus ſuum cuique tribuere, eſt regula juris naturæ generalis, ex qua omnes leges naturæ ſpeciales ſequuntur, *XII.* §. 51.

Jus quæſitum. Quædam jura Deo natura quæſita ſunt, *XII.* §. 100. *ſeq.* quædam hominibus inter ſe, §. 103. *ſeq.* Nimirum, vel ex ſtatu hominum, *ibid.* vel ex jure rerum, §. 242. & *ſeq.* vel ex obligatione perſonæ ea jura tribui cuique debent, §. 49. Inviti ad id cogi poſſunt, *ibid.*

Juramentum: ejus definitio, *VII.* §. 36. Magna ei vis ineſt, *ibid.* Requiſita in jurante, §. 37. an valeat dolo elicitum, §. 38. de Juramento Joſuæ Gabaonitis præſtito, §. 38. Vid. *Gabaonitæ.* Non valet de re illicita, §. 40. Variæ formulæ juramentorum, §. 41.

Effectus juramenti, *VII.* §. 42. quæ contra juramentum fiunt, ſunt irrita, §. 45. obligat juramentum etſi alii jus inde quæſitum non ſit, §. 42.

An Princeps teneatur ex jurejurando, *VII.* §. 43. An Princeps ſe ipſum contra juramentum in integrum reſtituere poſſit, *ibid.*

De jure ſuperioris in juramenta ſubditorum, *VII.* §. 46. Qui nocenti, qua tali, jurato aliquid promittit, inde tenetur, §. 47. Actus jure civili prohibiti an valeant accedente juramento, §. 48. Præceptum Chriſti de non jurando an pertineat ſaltem ad juramenta aſſertoria, §. 49. Fides injurata aliquando vim juramenti habet, §. 50.

Obligatio ex jurejurando quando finiatur, *VII.* §. 44.

Digitized by Google

Juramentum accedere ſolet pactis, *XII.* §. 464. ejus definitio, §. 468. Etymologia, § 467. per quas res jurare liceat, §. 468. quomodo ſpecies cautionis ſit, §. 469. promiſſio *an Eides ſtatt* (loco juramenti) eſt vera promiſſio jurata, §. 470. execratio non eſt juramentum, §. 471. An Chriſtianis iurare licitum ſit, §. 472. Eſt vel promiſſorium, vel aſſertorium, §. 473. 474. Quinam jurare poſſint, §. 475. præſtari debet juxta mentem ejus, cui juratur, §. 476. Effectus juramenti, §. 477. juramentum Gabaonitis præſtitum examinatur, *ibid.* ex perjurio datur actio, §. 478. cujus pœna perſonalis eſt, §. 480. Summæ poteſtates ex ſuo juramento obligantur, §. 479. Quando jusjurandum videatur impletum, §. 481. de interpretatione juramenti, §. 482. Eſt modus probandi, §. 684.

An princeps ſe ipſum exſolvere a juramento poſſit, *XII.* §. 421. *n.* 6. Si ſemel juratum eſt, quæri non poteſt de perjurio, §. 684.

Jusjurandum. Vide *Juramentum.*

Juſtitia naturalis conſiſtit in abſtinentia alieni, *I.* §. 12. *X.* § 9. *lit. y.* §. 10. ejus principium tum eſſendi, tum cognoſcendi. (Vid *Jus naturæ. Principium.*)

Juſtitia expletrix obtinet in jure ſociali, *I.* §. 13. 15. ibique obſervatur proportio arithmetica, *ibid.* *Juſtitia attributrix* obtinet in jure naturæ laxiori, *ibid.* ibique obſervatur proportio Geometrica, *ibid* Quæ examinantur, *ibid*

Juſtitia bellorum non demonſtratur ex principiis Grotii, *IX.* §. 165. 166. Effectus juſtitiæ in bellis, §. 162.

Juſtus intuitu Dei quis ſit, quis intuitu hominum, *III.* §. 48. Quid natura juſtum, quid injuſtum ſit, *X.* §. 4 (Vide *Jus naturæ.*) Juſtum bellum quando ſit. (Vide *Bellum.*)

L.

Lacus: in lacubus ceſſant incrementa fluvialia, *XII.* §. 273. *n.* 7. §. 274. 275. 276.

Læſio. Grotius ait, quamlibet læſionem jure naturæ in contractibus corrigi debere, *IV.* §. 19. *n.* 3. Jure Gentium tantum læſionem enormem, *VII.* §. 111. quod refutatur, § 117.

Latro. Latronum cœtus differt a civitate, *XII.* §. 611. Latroni quoque fides ſervanda eſt. Vide *Fides.*

Legati. Legatorum jura ex ſententia Grotii oriuntur ex jure gentium voluntario, *VII.* §. 101. Legati ſancti ſunt, *ibid* jus hoc ad Deos referri ſolet, *ibid.* ratio hujus privilegii, §. 101. Non ſiunt rei delictorum, *ibid.* Exceptiones vide *ibid.*

Qui *legatos* mittant, *VII.* §. 103. An illi; qui de eodem imperio diſceptant, *ibid.* An qui certo ſaltem reſpectu ſubditi ſunt, *ibid* an inæquali fœdere juncti, *ibid.* an provinciæ mediatæ, *ibid.* an ſubditi in bello civili, *ibid.* an prædones, *ibid.*

Legati admitti neceſſario non debent, ſi juſta eſt recuſandi cauſa, *VII.* §. 104. Sunt tuti apud hoſtes, §. 105. Nec jure talionis violari poſſunt, nec ob delictum, nec conveniri ex contractu, *ibid.*

Securitas quoque pertinet ad *legatorum* res, & comites, *VII.* §. 105. tuti quoque ſunt in aliorum terris, ad quos miſſi non ſunt, §. 106.

Jurisdictionem habent in familiam, *VII.* §. 106. non jus Aſyli, *ibid.* Violatio legati eſt juſta belli cauſa, §. 107. Jus legatorum a natura eſt, §. 113.

Legati tuti ſunt inter hoſtes jure naturæ, *XII.* §. 880 ejus ratio naturalis, §. 880. 881. Refutatur Grotius, *ibid.* *n.* 2. occidi non poſſunt, §. 881. at ex contractu ſuo, & delicto tenentur, *ibid.* Qui mittant legatos, §. 882. an admitti debeat miſſus, §. 883. Qui mitti poſſint, §. 884. Effectus hujus privilegii juris gentium, §. 885. Tuti etiam ſunt Comites legati, vaſa, &c. §. 886. Domus eorum non habent ius Aſyli, §. 887. Legati ad amicos tuti ſunt jure communi hominum, §. 889.

Legati tenentur ex contractibus, & delictis, *XII.* §. 890. 891. *n.* 3. in quonam conſiſtant privilegia legatorum, §. 891. ea dependent ex tacito pacto, *ibid.* *n.* 2. differentia legatorum, *ibid* *n.* 1. Legatos cum charactere nemo admittere tenetur, §. 892 Quando finiatur legatio, §. 893.

Legitima an ſit ex jure naturæ, *X.* §. 14. an parentibus, & collateralibus debeatur, *ibid.*

Legislator. Legislatores ferre leges ſolent perfectiſſimo modo, *III.* §. 48. adeoque & puritatem mentis requirunt, licet pœnis eam non muniant, *ibid.* *n.* 3. & 4.

Legi-

Digitized by Google

Legitimatio definitur, *XII* §. 156. eſt triplex, *ibid.* Ea, quæ per ſubſequens matrimonium fit, eſt ex jure civili, *ibid.* ut & reliquæ, *ibid.*

Leviathan: quid hoc nomine Hobbeſius intelligat, *VIII.* §. 12. refutatur, §. 13.

Lex. (Vide *Jus.*) Facultas leges ſtatuendi pertinet ad regalia, *XII.* §. 631. Leges civiles obligant in conſcientia, §. 45. & obtinent quoque in pactis principum de rebus privatis, §. 421.

Leges Moſis differunt a legibus Evangelii, *XII.* §. 68. *n.* 6. Vide *Jus forenſe.*

Liberi ſunt in patria poteſtate. Vid *Patria poteſtas* Jura liberorum recenſentur *ibid.* In liberis triplicem Grotius diſtinguit ætatem, *V.* § 7 Ex ejus ſententia infantes ſunt ſub dominio patris, *ibid.* jus dominii non eſt penes infantes, *ibid.* jure Gentium humanum genus ſuſtinet eorum perſonam, *ibid.* Educatio liberorum non incumbit parentibus, *IV.* §. 42. jura, quæ inde ſequuntur, *ibid.*

Liberi ſuccedunt parentibus, *VI.* §. 39. *n.* 7. & parentes liberis, *n.* 9

Liberi legitimi dicuntur, qui ex juſtis nuptiis legitimo tempore naſcuntur, *XII.* §. 141. 153. 154. 282. 283. adeo ut nec matri adulterinum eſſe aſſerenti credatur, §. 145. *n.* 5. etiam ex concubina nati; non ſpurii, §. 141. 283. *n* 2. De juribus patris in liberos, vide *Pater.* Non ſunt ſervi niſi ex jure Quiritario, §. 160. habentur pro una perſona cum patre, & ſunt ejus inſtrumentum, §. 159. Omnia acquirunt patri, *ibid.* etiam res nullius, quas occupant, §. 255. Ali a parentibus debent, §. 167. Alere parentes non tenentur, §. 159. *n.* 11 Jura liberorum ex ſtatu familiæ recenſentur, §. 569. Succedunt patri, *ibid.* *n.* 9. an obligari, & obligare ſe poſſint, §. 59. an teneantur ex delicto parentum, §. 551. *n.* 3. an parentes ex delicto liberorum, *ibid.* Liberi ſuccedunt in regnis, niſi ea lege nati ſint, ne ſuccedant, §. 638. an renunciatio, vel abdicatio patris noceat liberis. Vid. *Abdicatio.*

Liberi ſunt hæredes patris, *XII.* § 281 ratio ejus naturalis, §. 282. *ſeq.* Dicuntur quodammodo domini bonorum paternorum, *ibid.* Repræſentant perſonam defuncti, *ibid.* tranſmittunt jus ſuum ſuccedendi ad hæredes, *ibid.* Hæc ratio eſt ſucceſſionis nepotum, §. 283. *n.* 3. ſunt hæredes ſui, & neceſſarii, §. 282. Non ſuccedunt matri, nec fratribus, nec agnatis. §. 284. 287. Conferre accepta invicem tenentur, §. 283. *n.* 6.

Libertas eſt facultas agendi jure non prohibita, *IV.* §. 42. *n.* 10. *XII.* §. 124. *X.* §. 5. vocatur jus permiſſivum, *X.* §. 4.

Status *libertatis* definitur, *XII.* §. 123. originem habet ex jure naturæ, §. 126. ejus ſubjectum, §. 127. objectum, §. 128. Effectus, §. 129. Modi finiendi, §. 130. (Vide *Servitus.*)

Licitum. Quid natura licitum, i. e. juſtum ſit, quid illicitum, *X.* §. 4. *XII.* §. 52. 53.

Literarum obligatio definitur, *XII.* §. 462. Quoad formam eſt ex jure civili, *ibid.* Ratio hujus inventi, *ibid.* *n.* 3. Quomodo differat a verborum obligatione, *n.* 4.

Litis conteſtatio eſt fundamentum judicii, *XII.* §. 679. Eſt vel affirmativa, vel negativa, § 678. vel generalis, vel ſpecialis, §. 679.

Littora maris ſunt res communes, ſeu nullius, *XII.* §. 221. non poſſunt occupari quatenus ad uſum maris pertinent, §. 262. inventa in littore cedunt occupanti, §. 221.

Locatio conductio definitur, *XII.* §. 447. eſt contractus juris gentium, §. 449. & eſt vel rei, vel operæ, §. 488. opifex eſt locator operæ, & conductor operis, *ibid.* conductor, qui opus faciendum locat, locator operis dicitur, *ibid.* Effectus locationis, §. 450. actio inde datur locati conducti, *ibid.* quis præſtet caſum, *VII.* §. 31. *XII.* §. 393. Quibus modis finiatur, *XII.* § 451.

Ludi fortuiti jure naturæ liciti ſunt, *XII.* §. 424 ſecus, ac jure Romano: ubi variæ pœnæ ſtatuuntur, *ibid.*

Lytron a captis exigi poteſt, *XII.* §. 747. variæ quæſtiones deciduntur circa lytron, & circa redemtos, *ibid.*

M.

Machtſpruch quid ſit, *XII.* § 629. an licitum ſit tale decretum, *ibid.*

Majeſtas: læſæ majeſtatis crimen, *XII.* § 86. 521. ejusque pœna, *ibid.*

Magiſtratus: ejus origo. (Vide *Judicia. Imperium.*)

Magiſtratus inferior bellum gerere nequit, nec recte hoc bellum dicitur mixtum, *IX.* §. 166.

§. 166. n. 4. poteſt promittere hoſti. (Vide *Hoſtis.*)
Maleficium. (Vide *Delictum.*)
Mandatum eſt contractus, *VII.* §. 13. n. 7. quando revocari poſſit, §. 14. contrariam actionem mandati Grotius deducit ex æqualitate, §. 25. mandans, & mandatarius æqualiter tenentur ex delicto, §. 62.
Mandatum : definitur, *XII.* §. 452. eſt contractus juris gentium, *ibid.* n. 1. ejus requiſita, *ibid.* diviſiones, n. 2. Effectus, n. 3. inde dantur actiones mandati directa, & contraria, n. 4. Quibus modis finitur, *ibid.* an morte mandantis, *ibid.* an unius pœnitentia, *ibid.* & §. 353. n. 4.
Manumiſſio deducitur ex Jure naturæ, *IV.* §. 39. *XII.* §. 136.
Mare eſt res communis, *VI.* §. 15. indeque Grotius infert, totum occupari non poſſe, pro parte poſſe, *ibid.* At hujus quoque occupationem lege prohiberi poſſe, *ibid.* An imperium maris occupari poſſit, *ibid.* n. 3. Grotius docet, occupantem impedire poſſe piſcationem, non navigationem; atque hac lege etiam teneri exteros, n. 4. occupata terra nondum occupatum cenſetur mare, n. 5. Derelicta poſſeſſione mare fit iterum commune, n. 5.
Mare nec per partes occupari poteſt, *VI.* §. 70.
Mare eſt res communis, ſeu nullius, *XII.* §. 219. occupari non poteſt niſi quoad uſum, §. 262. nec in totum, nec pro parte, *ibid.* n. 1. In mari ceſſat alluvio, §. 273. n. 6. Item acquiſitio per derelictionem alvei, §. 275. nec non per inſulam, §. 276. & cruſtam, §. 274.
Maritus conſtituitur per juſtas nuptias, *V.* §. 9. Jura mariti in uxorem. (Vide *Familia.*)
Maritus uxorem in poteſtate habet, *XII.* §. 147. idque jure naturæ, §. 148. probatur conſenſu gentium, *ibid.* Quo ſenſu jus vitæ, & necis, marito in uxorem competit, *ibid.* maritus olim fuit judex domeſticus; quod exemplis probatur, *ibid.* cur maritus dicatur dominus civilis dotis, §. 314.
Maſtupratio crimen eſt natura, *XII.* §. 521.
Mater. Jura, quæ matri competunt ex ſtatu familiæ, tum in maritum, tum in liberos, *XII.* §. 164. *ſeq.* Mater natura non ſuccedit liberis, nec liberi matri, §. 284. 285. 286.
Matrimonium jure naturæ licitum eſt. (Vide *Nuptiæ.*) Omnis conjunctio extra matrimonium illicita eſt, *XII.* §. 43. *uſque ad* 48. (Vide *Sodomia*, & *Concubitus promiſcuus.*) Quomodo matrimonium differat a concubinatu, *XII.* §. 173.
Mediator : de mediatoribus, *XII.* §. 894. *ſeq.* definitio mediatoris, *ibid.* Quinam conſtituere mediatores poſſint, §. 895. Qui conſtitui poſſunt, §. 896. objectum, §. 897. officium, §. 898. Mediator non præſtat guarantiam, §. 899. Pax concludi poteſt etiam inſcio mediatore, §. 900. Mediatores interpretari pacem non poſſunt, §. 901. Quando finiatur officium mediatorum, §. 902.
Medii inter duos hoſtes quinam dicantur, *XII.* §. 786. Utriuſque partis facta pro jure habent, *ibid.* cogi nemo poteſt ut deſinat eſſe medius, §. 787. officium mediorum erga bellum gerentes, §. 788. officium bellum gerentium erga medios, §. 789. Quando vis inferri mediis poſſit, §. 790.
De officio *mediorum* in bello, *IX* §. 162. De officiis bellum gerentium erga medios, §. 161. an mediorum fortalitia prætextu neceſſitatis occupare licet, *ibid.* Conſilium ſuppeditatur mediis, *ibid.*
Medii neceſſitas eſt modus probandi voluntatem agentis, *XII.* §. 46. Qui vult finem vult media, *ibid.* Limitatur, *ibid.*
Mendacium quando delictum fit, *XII.* §. 521. An pœnam mereatur, *ibid.* & §. 550. An mendacio in hoſtem uti liceat, §. 750. *IX.* §. 58. *in fin.*
Quid ſit *Mendacium*, *IX.* §. 58. ratio prohibendi naturalis, n. 7.
Metus non impedit conſenſum, nec vitiat negotium, *XII.* §. 418. hinc fides prædoni data ſervanda eſt, *ibid.* metu contractæ nuptiæ nullæ ſunt, §. 174. exceptio metus juſto hoſti opponi nequit, §. 792. n. 5. §. 801.
Merx in venditione requiritur, *XII.* §. 446. n. 3. quid ſit, *ibid.*
Migratio. Imperium populi deſinit migratione, *VIII.* §. 21. An cives migrando deſinant eſſe pars civitatis. (Vide *Colonia.*)
Minor jure naturæ obligatur, *XII.* §. 421. n. 3. Hinc captus ſi aliquid promiſit, lubricum ætatis opponere nequit, §. 830.
Moderamen inculpatæ tutelæ, Vide *Bellum privatum.*

Modus

Digitized by Google

Modus quid ſit, ejuſque effectus, *XII.* §. 405.
Monopolia permittere, ad regalia pertinet, *VII.* §. 29.
Mora præſtatur in obligatione perſonæ, *XII.* §. 395. cauſa hujus obligationis, *ibid.* an interpellatio requiratur, §. 396. Effectus hujus obligationis, §. 397. Quando finiatur mora, §. 398.
Mores: per mores JCti Romani intelligunt jus naturæ, *IV.* §. 43. Mores plurium gentium ſæpius pro jure civili ſumuntur, *VII.* §. 82.
Mors omnia jura tollit, adeoque & facultatem diſponendi, *X.* §. 12. *lit. a. p.* 264.
Moſes: in quo ejus officium conſiſtebat, *III.* §. 48. *n.* 5. ejus leges quomodo diſferant a præceptis Servatoris, §. 43. 44.
Motus naturæ indigitant voluntatem creatoris, *X.* §. 7. *lit. e. XII.* §. 44. etiam præceptivam, ſi humanum genus actum averſatur, *ibid.* motus naturæ vitioſi diſtinguendi ſunt a motibus toti generi inditis, *ibid.* Ex motu propagandi apparet, matrimonia eſſe licita, *X.* §. 7. *lit. e. q.* Ex motu, quo averſamur crimina, Sodomiam, &c. apparet, Deum ea prohibuiſſe, *XII.* §. 44.
Mutuum definitur, *XII.* §. 441. eſt contractus juris gentium, *ibid.* ejus requiſita, Qui dare mutuum, & quibus dari poſſit, *ibid.* *n.* 3. Objectum, *n.* 4. non valet in re aliena, *ibid.* Effectus, *n.* 5. Inde datur actio mutui, ſeu condictio certi, *ibid.* Uſuræ non debentur ex mutuo, niſi promiſſæ ſint, *ibid.* Filiisfam. mutuum accipientibus ſuccurritur per SC. Macedonianum; Fœminis per SC. Vellejanum, *n.* 6.

N.

Nati: an nondum natis jus imperii ex tacita derelictione decedat, *VI.* §. 29. *n.* 7. (Vide *Liberi.*)
Natura pro ordine naturæ, & pro motu naturali ſæpius ſumitur, *IV.* §. 44. hi motus certo ſenſu leges naturæ dicuntur, §. 42. Vide, *Jus naturæ materiale.*
Naturæ Jus. (Vide *Jus naturæ*)
Natura nihil fruſtra facit, *XII.* §. 47. quid ſit, *naturæ* convenienter vivere, *II.* §. 18.
Natura ejusdem generis animantia tuta inter ſe reddit, *I.* §. 36.
Nautæ, caupones, & ſtabularii, ex facto receptionis obligantur, *XII* §. 583. hæc actio non eſt ex jure civili, *ibid.* & *VII.* §. 62. 86. deſcendit ex tacito pacto, *VII.* §. 86. 95. *XII.* § 583. Præterea quoque obligantur ex mala electione, *d* §. 583. quæ actio in factum vocatur, *ibid.*
Navigatio impediri non poteſt occupato mari, *VI.* §. 15.
Neceſſitas an reducat primævam rerum communionem, *I.* §. 76. *n.* 6. an ſuperiori ex ſumma neceſſitate reſiſtere liceat, *IX.* §. 46. Neceſſitas nullum jus in res alienas tribuit, *XII.* §. 317. Ea non tollit obligationem, §. 364 nec pœnam, §. 606.
Neceſſaria defenſio. (Vid. *Bellum privatum.*)
Negotiorum geſtio, an ſit ex jure civili, *VII.* §. 93.
Negotiorum geſtio eſt quaſi contractus, *XII.* §. 658. ejus definitio, *ibid.* *n.* 1. ratio ejus naturalis, *ibid.* Non eſt ex jure Civili, *n.* 2. ubi notatur Grotius: removentur dubia, *ibid.* Geſtor repetit impenſas, etſi utilitas perierit, *n.* 3. Qui gerere negotia aliena, & quorum negotia geri poſſint, *n.* 4. & 5. Quibus detur actio negotiorum geſtorum, *n.* 6 Ea eſt vel directa, vel contraria, *ibid.* Quando ceſſet hæc actio, *n.* 2.
Nepos. Cur nepotes ſubeant in locum filiorum; *VI.* §. 39. *n.* 8. Quomodo ſuccedant, *XII.* §. 283. *n.* 4.
Novatione tollitur obligatio, *XII.* §. 351. duplex eſt, *ibid.* requirit verba, *ibid.*
Noxales actiones ſunt ex jure civili, *XII.* §. 585.
Nullius quæ dicantur. (Vide *Res nullius.*)
Nuptiæ definiuntur, *XII.* §. 172. differunt a ſponſalibus, *d.* §. 172. *ſeq* natura licitæ ſunt, §. 173. ſupponunt conjunctionem corporum, *ibid.* i. e. facultatem ſeſe jungendi, *ibid.* hinc requiritur traditio, *ibid.* quæ ſit per deductionem in domum, *ibid.* conjunctio illa fieri debet ad individuam vitæ conſuetudinem, *ibid.* Requiritur utriusque conſenſus, §. 174. & præterea conſenſus patris, non matris, *ibid.* Error in perſona, & in virginitate; furor, infantia, &c. impediunt nuptias, *ibid.* Conditio impoſſibilis, vel quæ cum eſſentia matrimonii pugnat, vitiat nuptias, *ibid.* nuptiæ vi, metuque initæ nullæ ſunt, *ibid.* Qui nuptias contrahere poſſint, §. 175. An hermaphroditi, *ibid.* an

Digitized by Google

an cum pluribus, *ibid.* an inidonei, *ibid.* *n.* 3. nuptiæ inceſtuoſæ quæ, §. 176. per nuptias jus aliquod acquiritur in corpus uxoris, §. 173. objectum nuptiarum, §. 177. Effectus, §. 178. Quomodo diſſolvuntur, §. 180. an populus alias gentes excludere a nuptiis poſſit, §. 179. An nuptiæ principum valent ſine conſenſu patris, §. 421. *n.* 5.

Nuptiæ ſolæ conſtituunt familiam. (Vide *Familia.*) Illi demum ſuccedunt, qui ex juſtis nuptiis nati ſunt. (Vide *Liberi. Succeſſio.*)

Nuptiæ quando ſint inceſtæ, *V.* §. 9. *n.* 3. (Vide *Inceſtus.*) Cur cum patrui vidua aliquando ſint permiſſæ, *I.* §. 60. (Vide *Matrimonium.*)

O.

Objecta juris naturalis quænam ſint, *V.* §. 1. *ſeq.* *XII.* §. 52. 104.

Obligatio: ex doctrina Grotii homines omnes obligantur, vel ex *jure naturæ ſociali*, vel ex *jure naturæ laxiori*. (Vide *Jus naturæ ſociale*; & *Jus naturæ laxius.*)

Pars autem hominum *ex Jure gentium ſecundario*, & *Jure divino voluntario univerſali*. (Vide *Jus gentium voluntarium*; & *Jus divinum voluntarium.*)

De *obligatione*, quæ oritur ex *ſtatu hominum* juxta doctrinam Grotii, *V.* §. 13. juxta doctrinam Coccei, *X.* §. 6. *lit. w. ſeq.* *XII.* §. 103.

De *obligatione*, quæ oritur ex *jure rerum* juxta doctrinam Grotii, *VI.* §. 2. *ſeq.* juxta doctrinam Coccei, *X.* §. 8. *lit. b. ſeq.* *XII.* §. 242.

De *obligatione*, quæ oritur ex obligatione perſonæ, tum ex promiſſione, tum ex maleficio, juxta doctrinam Grotii, *VII.* §. 1. *ſeq.* juxta doctrinam Coccei, *X.* §. 6. *ſeq.* *XII.* §. 328.

Vera omnis *obligationis* naturalis origo, *X.* §. 5. *ſeq.* *XII.* §. 49. *ſeq.*

De *obligatione* principis ex promiſſo, *XII.* §. 421. ex jurejurando, *ibid.* *n.* 6.

Obligatio vel tendit ad reſtituendum id, quod ablatum eſt, vel ad tantundem, *X.* §. 10.

An ex *obligatione* de re danda oriatur actio realis, *X.* §. 11.

Differentia inter *obligationes* dandi, & faciendi, exponitur, *X.* §. 11.

Obligatio aliquando eſt in ſolo agente, *II.* §. 10.

De *obligatione*, quæ ex virtute oritur. (Vide *Virtus.*)

Vera origo *obligationis*, quæ ex jure naturæ oritur, *XII.* §. 49. & *ſeq.* §. 57.

Obligatio perſonæ eſt tertium objectum juris, *XII.* §. 328. Male vocatur jus ad rem, §. 329. nulla ratione ad jus rerum referri poteſt, *ibid.* quo ſenſu actiones tertium juris objectum dicuntur, *ibid.* *n.* 2.

Definitio *obligationis perſonæ*, *XII.* §. 337. Ex quibus cauſis deſcendit, §. 338.

Obligatio oritur, vel ex contractu, ſeu pacto, *XII.* §. 341. 399. *ſeq.* vel ex delicto, §. 342. 512. *ſeq.* vel ex variis cauſarum figuris, §. 343. 562. *ſeq.*

Obligatio perſonæ inhæret patrimonio, *XII.* §. 346. Plures *obligationum* cauſæ in uno negotio concurrere poſſunt: v. g. ratione fructuum, cauſæ, moræ, doli, §. 356.

Cauſa *obligationis* perſonæ, *XII.* §. 339. 340. ejus objectum, §. 344. Effectus, 345. Modi tollendi, §. 348. & *ſeq. uſque ad* §. 365.

Obſides dari ſolent in bello, *IX.* §. 129. etiam inviti, *ibid.* ſed damnum eis datum penſari debet, *ibid.* Dari poſſunt ſubditi, etiam pueri, & fœminæ, *ibid.* non qui tantum vaſalli ſunt, *ibid.* ſi plures æque idonei ſunt, ſorte res dirimenda eſt, *ibid.*

An fide violata *obſides* occidi poſſint, *IX.* §. 129. An fugere poſſint, *ibid.* An ex una cauſa dati ex alia retineri poſſint, *ibid.* An ſaltem jure repreſſaliarum, *ibid.* An liberentur mortuo eo, cui dati ſunt, *ibid.*

Obſides accedere poſſunt pactis privatis, *XII.* §. 464. definitio obſidum, §. 494. obſidii ſpecies eſt obſtagium, §. 495.

Quinam *obſides* dare, & dari poſſint, *XII.* §. 496.

Effectus obſidii, *XII.* §. 497. an occidi obſides poſſint, ſi pro criminis reo ſe obſides dederunt, *ibid.* Quando finiatur obſidium, §. 498.

Obſides accedere poſſunt pactis bellicis, *XII.* §. 832. definitio obſidum, §. 841. Quomodo differant a deditis, & a pignore, *ibid.* Quinam bello *obſides* dare, & dari poſſint, §. 842. 845. 846. An jure naturæ quis *obſidem* ſe hoſti dare poſſit, *ibid.* §. 843. An civitas civem invitum *obſidem* dare poſſit, §. 844 An *obſides* ſervi fiant, §. 848.

Digitized by Google

§. 848. an occidi poſſint, *ibid.* an fugere poſſint, §. 849. inſtar captorum ſunt; adeoque teſtamentum facere nequeunt, §. 846. Quando finiatur obſidium, §. 850.
Obſtagium quid ſit, *XII.* §. 495.
Occidere. (Vide *Homicidium.*) An hoſtem occidere liceat, *IX.* §. 77. *ſeq.* (Vide *Hoſtis.*) Quatenus id liceat jure gentium in bello publico ſolenni, examinatur, *IX.* §. 67. *n.* 1. 2. 8. §. 80. 81. 82.
An jus *occidendi* privatis conceſſum, (v. g. in adultero, & in fure nocturno) jus det, *IX.* §. 46.
Occupatio eſt modus acquirendi dominii, *VI.* §. 22. & quidem originarius, §. 39. ſublata, nimirum, rerum communione, *ibid.* Unde Grotius derivat jus occupandi non ex jure naturæ mero, ſed *pro certo rerum ſtatu*, *ibid.* §. 23. occupatio derivativa eſt, quæ fit facto hominis, vel lege, *ibid.* §. 31. 32.
Occupationis origo ex principiis Henrici Cocceii, *X.* §. 8. *lit.* o. *p.* ea ſupponit, omnes res natura eſſe nullius, eoque cedere occupanti, *ibid.*
Occupatio eſt modus acquirendi dominii naturalis, *X.* §. 8. *lit.* o. *p.* *XII.* §. 242. 243. 252. Requiſita occupationis, §. 254. nec animus occupandi ſufficit, nec viſus, nec jactus teli, *ibid.* Quando res occupata cenſeatur, *ibid.* Qui occupare poſſint, §. 255. per alios occupare licet, *ibid.* per ſervos, & filiosfamilias occupatur patri, & domino, *ibid.* per milites principi bellum gerenti, &c. *ibid.*
Occupari ſaltem poſſunt res nullius, *X.* §. 8. *lit.* o *p.* *XII.* §. 260. at quæ in proprietatem venire poſſunt, §. 260. 261. In reliquis uſus ſaltem occupari poteſt, non proprietas, *ibid.* catalogus harum rerum refertur, §. 262. *ſeq*
Cur *occupati* cenſeantur piſces in piſcinis, & feræ in vivariis, non vero in piſcinis, & ſylvis, *XII.* §. 254.
Occupatio rei hoſtilis juxta Grotium non eſt modus acquirendi dominii naturalis, *IX.* §. 48. *VI.* §. 48. Sed ex jure gentium voluntario in bello ſolenni ortus, *ibid.* Eſt modus acquirendi naturalis (Vide *Capere. Præda. Bellum.*) Requiritur ut res ſit in noſtra cuſtodia, i. e. intra præſidia noſtra deducta, *XII.* §. 254.
Officia. De officiis hominum erga Deum, *XII.* §. 72. *ſeq.* hominum inter ſe, *ibid.* liberorum erga parentes, §. 103. *ſeq.* Parentum erga liberos, §. 148 Subditorum erga Principem, §. 623. 627. 628. Uxoris erga maritum, & contra, §. 147.
Onaniticum crimen quid ſit, *XII.* §. 95. ejus pœna, §. 521.
Originaria acquiſitio olim, docente Grotio, fieri potuit per rerum communium diviſionem, nunc tantum per occupationem, *VI.* §. 21. originaria acquiſitio non eſt, quæ fit conceſſione pignoris, ſervitutis, ſpecificatione, &c. *ibid.* Originaria acquiſitio præter occupationem nulla eſt a natura, *XII.* §. 21. (Vide *Occupatio.*)

P.

Pactum. De vera cauſa obligationis, quæ ex *pacto* oritur, *XII.* §. 341. 399. 400. 401. 413. (Vid. *Obligatio. Contractus Cauſa.*) Definitio pacti, *XII.* §. 402. in pacto non continetur ſynallagma, §. 436. & 437. diviſiones §. 403. expreſſa quæ, quæ tacita, §. 404. Quæ realia, quæ perſonalia, §. 405. Quæ unilateralia, quæ bilateralia, §. 407. Quæ obligatoria, quæ liberatoria, §. 406. Quæ publica, quæ privata, §. 408. *ſeq.* (Vide *Fœdus. Sponſio.*) De acceſſionibus pactorum, §. 464.
Requiſita *pacti*, *XII.* §. 414. Nemo ex pacto alterius obligatur, §. 415. ubi exceptiones. Nemo promittere poteſt, tertium daturum, vel facturum, §. 416. Nemo alii paciſci poteſt, §. 417. ubi exceptiones. Errans non obligatur ex pacto, *ibid.* Exceptiones vid. *ibid.* decipiens ex pacto ſuo obligatur, *ibid. n.* 3. Pactum cum Gabaonitis initum examinatur, *d.* §. 417.
Quinam *paciſci* poſſint, *XII.* §. 420. 422. an filiifamilias? an ſervi? & quatenus inde obligentur, *ibid.*
Quibus *promitti* poſſit, *XII* §. 423. an filiisfamilias, an ſervis, an latronibus, tyranno, perfido, hoſti, hæreticis, infantibus, furioſis, *ibid.*
Objectum *pactorum*, *XII.* §. 424. ſunt res, & facta, §. 425. de re impoſſibili, & turpi, pactum non valet, niſi ſola cauſa turpis ſit, *ibid.*
Effectus *pacti*, *XII.* §. 426. res promiſſa præciſe tradi debet, *ibid.*
Per *nudum pactum* non transfertur dominium, *XII.* §. 268. & 269. §. 426. (Vide *Traditio. Alienatio.*) Hinc valet alienatio rei alii,

alii promiſſæ, §. 426. etſi fiat judicii alienandi cauſa, *ibid.* vel res ſit litigioſa, *ibid.* vel in fraudem creditorum fiat, *ibid.* alios effectus vide §. 269. Facto *promiſſo* ejus utilitas ſaltem eſt in obligatione, *XII.* §. 426. *n.* 2. *promittens* tenetur ad præſtandum quod promiſit, §. 427. videtur autem feciſſe per quem non ſtetit, §. 426. *n.* 3.

Quibus modis finitur obligatio, quæ ex *pacto* oritur, *XII.* §. 428.

Pacta legitima quænam ſint, *XII.* §. 429. *ſeq.* eorum origo, §. 438. & ſpecies, §. 430. 431. 432. 433. 434.

Origo differentiæ inter *pacta nuda*, & contractus, *XII.* §. 435. cur pacta nuda jure Romano obligationem non producant, §. 436. Quando ex nudis pactis actio jure Romano dabatur, §. 438. Moribus ex omni pacto datur actio, *ibid.*

Pacta cum hoſte quoque iniri poſſunt, *XII.* §. 786. (Vide *Fides.*)

Pacta Principum. Principes ex pacto ſuo obligantur, *XII.* §. 421. variæ quæſtiones circa pacta principum proponuntur, *ibid.* An, & quatenus leges Civiles circa actus, & pacta principum obtineant, *ibid.* *n.* 1. An princeps obligetur ex negotiis, quæ ſolo jure civili vim obligandi habent, *n.* 2. An beneficia juris civilis in promiſſionibus principum locum habeant, *n.* 3. ubi diſtinguitur inter actus regios, & actus privatos, *n.* 3. An leges, quæ pactum irritum faciunt in pœnam, etiam in actibus principum obtineant, *n.* 4. ubi notatur Grotius.

Syſtema Grotii circa promiſſiones, ſeu *pacta.* *VII.* §. 9. *ſeq.* vis *pacti* dependet a triplici gradu loquendi, *ibid.* *n.* 2. Definitio *pacti*, *n.* 3.

Cauſa *pactorum* eſt ex jure naturæ ſociali, *VII.* §. 8. *ſeq.* promiſſiones dandi ex jure naturæ pro certo rerum ſtatu, §. 10.

Diviſiones *pactorum*, *VII.* §. 11. de pactionibus publicis, §. 12. *n.* 3. Requiſita validæ pactionis, §. 13. 14. 15. voluntas utriusque requiritur, §. 13. vitiatur promiſſio erronea, *ibid.* *n.* 1. non quæ metu fit, *n.* 2. an propter dolum, *n.* 3. An præpoſitus obliget præponentem, *n.* 4. ut pactum validum ſit, requiritur acceptatio, *d.* §. 13. Quando acceptata videatur, §. 14. qui acceptare poſſint, *ibid.* an quis pro altero acceptare poſſit, *d.* §. 14. *n.* 5. De pacto, quod per nuncium fit, *ibid.* an illud revocari poſſit, *ibid.*

Qui *paciſci* poſſint, *VII.* §. 16. objectum promiſſionis ſunt res, & facta, §. 17. etiam res aliena, *X.* §. 9. *lit. e.* Effectus pactorum, *VII.* §. 18. 20. pacta ſervari debent jure naturali, *I.* §. 72. *VII.* §. 9. *ſeq.* (Connani ſententia rejicitur, *VII.* §. 9. *n.* 1.) etiamſi princeps promittit, §. 19. *n.* 1. ſucceſſores quoque obligantur, *n.* 3. §. 58. *n.* 9. Re promiſſa præciſe tradi debet, at nde non transfertur jus in re, *X.* §. 23.

Varia notantur circa Syſtema Grotii de *pactis*, eorumque obligatione, *VII.* §. 58. *n.* 1. & 2. §. 62.

Quomodo differant *pacta*, & contractus, *X.* §. 9. *lit. a. ſeq.* (Vide *Contractus.*)

An *pacta* regum ſint leges, *VII.* § 19. *n.* 2.

Parentes gignendo quaſi Deum referunt, *XII.* §. 159. Non tenentur ex delicto liberorum, nec contra, *XII.* § 551. *n.* 3.

Jura, quæ ex ſtatu hominum inter *parentes*, & liberos, item uxorem, & maritum oriuntur, *XII.* §. 103. *uſque ad* §. 149. (Vide *Pater. Mater. Filius.*)

Pater non eſt certus niſi per juſtas nuptias, *XII.* §. 141. 153. 173. eſt dominus domus ſuæ (Vide *Domus.*)

Pater Imperium in familiam habet, *XII.* §. 159. 608. 609. 610. adeoque & jus vitæ, & necis, §. 161. *n.* 3. liberi non ſunt in dominio patris, §. 160. niſi jure Quiritario, *ibid.* Pater vendere liberos nequit, §. 169. alere eos tenetur, §. 167.

Patria poteſtas a natura eſt, *XII.* §. 149. 157. Definitur, §. 152. acquiritur per juſtas nuptias, §. 153. modo naſcantur juſto tempore, §. 154. item per adoptionem, §. 155. & legitimationem, §. 156. Subjectum patriæ poteſtatis, §. 158. Objectum, §. 159. ejus effectus, §. 149. 162. modi finiendi, §. 146. 163. Finita patria poteſtate jura ſanguinis ſalva manent, §. 146.

Patria poteſtas oritur ex generatione, adeoque ex acquiſitione derivativa, *V.* §. 7. 8. 12. jura patriæ poteſtatis recenſentur, *ibid.* & *I.* §. 72. pleraque ſunt ex jure gentium arctiori, *IV.* §. 27. An pater liberos exhæredare in regno poſſit, *VI.* §. 41. an ejus conſenſus in nuptiis liberorum neceſſarius ſit, *V.* §. 9. an renunciare poſſit regno in præjudicium liberorum, *VI.* §. 41.

Parricidium crimen eſt, *XII.* §. 521.

Partus ſequitur ventrem, *XII.* §. 271. quando videatur legitimo tempore natus, §. 145.

Supponitur partus per adulterium, §. 143. Suppoſitio partus eſt ſpecies alienationis regni, §. 634.
Paſtu: actio de paſtu eſt ex quaſi debito, *XII.* §. 582.
Paſſeports. (Vide *Commeatus.*)
Patrimonium. Obligatio perſonæ inhæret patrimonio, *XII.* §. 345. Ejus rei effectus, *ibid.* pœna non eſt ſi quis ſolvit quod plus ſuo in patrimonio habet, §. 549.
Pax. Pace bellum finitur, *IX.* §. 121. Qui pacem contrahere poſſint, *ibid.* In civitate major pars jus pacem faciendi habet, *ibid.* Quæ res tali pactioni ſint ſubjectæ, §. 122. diſtinguitur inter regna patrimonialia, & uſufructuaria, *ibid.* an de juribus ſingulorum pactio valeat? Affirmatur, §. 123. ſive jura quæſita ſint jure naturæ, ſive jure gentium, *ibid.* An, & quatenus ex tali pactione populus, aut ſucceſſor obligetur, §. 124. De interpretationum regulis circa pacem dubiam, §. 125. Quid juris ſi pace dictum eſt, ut res in ſtatum, quo ante bellum fuerunt, reſtituantur, *ibid.* n. 1. vel ſi dictum eſt, ut res maneant in ſtatu, quo nunc ſunt, *ibid.* Quid juris circa damna, & injurias durante bello datas, ſi nihil de illis in pace dictum ſit, *ibid.* n. 2. quid juris de damnis, & injuriis ante bellum datis, *ibid.* Quando pax rupta cenſeatur, §. 128. Monita quædam ſubjiciuntur, §. 128. n. 4.
Vocis etymologia, *XII.* §. 857. Definitio, §. 858. Qui pacem contrahere poſſint, §. 891. 860. Objectum pacis, §. 861. An rex cedere imperium, vel ejus partem pace poſſit, §. 862. an res, & jura ſubditorum cedi aliis pace poſſint, §. 863. Si pace res alii promittitur, ea tradi debet cum fructibus poſt tranſactionem inde natis, *ibid.* Regionum ceſſarum nomina intelligenda ſunt ex uſu præſentis temporis, *ibid.* male igitur Gallus, ceſſo Landgraviatu Alſatiæ, imperium ſibi vindicavit, *ibid.*
Si in *pace* nihil de damnis, & injuriis durante bello datis dictum eſt, quid juris, *XII.* §. 864. An debita ante bellum contracta in priſtinum ſtatum reſtituantur, §. 869. Grotius diſtinguit inter debita civilia, & pœnalia, *ibid.* an debita durante bello contracta obligent pace facta, *ibid.*
An *pax* cum populo inita ſubſiſtat rege poſtea ejecto, *XII.* §. 869. Quando pax rupta cenſeatur, §. 871. *ſeq.*
Peculatus naturali jure crimen eſt, *XII.* §. 521.
Pecunia numerata requiritur ad naturam emtionis, *XII.* §. 446. n. 6.
Pecunia eſt vera rerum menſura, *VII.* §. 30.
Percuſſor. An percuſſore in bello uti liceat, *IX.* §. 75.
Periculum eſt aliquid æſtimabile, & vendi poteſt, *XII.* §. 424. & 456. (Vid. *Merx.*) Quando periculum ſit emtoris, *X.* §. 11. *lit. k.* ubi ratio additur, & §. 23. n. 3. Quando venditoris, *d.* §. 23. n. 3. Cujus ſit periculum ex hypotheſi Grotii in emtione, *VII.* §. 28. in locatione, §. 31. in aſſecuratione, §. 33. in commodato, depoſito, & pignore, §. 25. (Vide *Caſus.*)
Permutatio eſt contractus innominatus, *XII.* §. 463. cur proprium nomen nactus ſit, *ibid.* n. 2. §. definitio, n. 5. differt ab emtione, *ibid.* actio, quæ inde datur, *ibid.* differt ab articulo do ut des, *ibid.* ſequitur naturam actionis emti, *ibid.* eſt bonæ fidei, *ibid.*
Perſona. An ſervus pro *perſona* habeatur, *XII.* §. 133.
Jus *perſonarum* conſtituit primum objectum juris, *XII.* §. 104. *ſeq.* (Vide *Status hominum.*) Jus in perſonam quibus modis acquiritur, *V.* §. 6. *ſeq.* per generationem, §. 7. conſenſu, §. 8. & quidem vel ex conſociatione, vel ex ſubjectione, *ibid.* Jus *perſonarum* a Grotio inter jura in re refertur, §. 13. Unde actiones præjudiciales facit reales, *ibid.* notatur Grotius, §. 15. n. 6. qui differentias perſonarum omiſit, §. 14. *XII.* §. 116
Vera ratio juris *perſonarum*, quod ex ſtatu hominum competit, *XII.* §. 103. *ſeq.*
Vera ratio obligationum *perſona*, *XII.* §. 339. (Vide *Obligatio.*)
Perjurium jure naturæ prohibetur, *XII.* §. 93. 521.
Pignus naturali jure producit ſaltem obligationem perſonæ, *XII.* §. 306. 410. Cur jure Romano ad jura in re relatum, § 307. *ſeq.* & reales inde actiones datæ ſint, §. 308. 444. n. 4.
Pignus eſt contractus juris gentium, *XII.* §. 444. n. 1. definitio, *ibid. pr.* objectum, *ibid.* n. 3. effectus, n. 4. creditor pignoratitius ſolam poſſeſſionem conſequitur,

n. 2. inde datur actio pignoratitia, *n.* 4. Quibus modis pignus ſolvitur, *n.* 5. accedere ſolet pactis, §. 464.

Pignus eſt modus acquirendi derivativus, *VI.* §. 60. Eo acquiritur dominium minus plenum, *ibid.* quod refutatur, §. 75.

Pignus accedere pactis ſolet, *IX.* §. 130. An juri reluendi pignus præſcribi poſſit, *ibid.*

Pignoratio fieri apud Athenienſes potuit ob debitum civitatis, *IX.* §. 34. Quatenus id natura licitum ſit. Vid *Repreſſaliæ.*

Piratæ. In piratas non eſt bellum, nec mixtum, *IX.* §. 166. *n.* 7. ſi gens piraticam exercet, bellum publicum eſt, *ibid.* An piratis fides ſervanda. (Vide *Prædo.*)

Piſcatio eſt juris gentium, *XII.* §. 219 impediri poteſt occupato maris, vel fluminis imperio, *VI.* §. 15. 18. *n.* 3. *XII.* §. 262.

Piſces: cur piſces in piſcinis occupati cenſeantur, non in vivariis, *XII.* §. 275.

Plagium natura prohibitum eſt, *XII.* §. 521.

Planta quando cedat ſolo, *XII.* §. 277. *n.* 16. *VI* §. 51. *n.* 6.

Plenitudo poteſtatis quid ſit, *XII.* §. 629.

Pœna. Jus naturæ ſupponit pœnam æternam, *XII.* §. 29. 30. 67. fruſtra ergo de jure naturæ quæritur, ceſſantibus pœnis æternis, *dict.* §. 67. Variæ opiniones de *pœnarum* naturalium ratione, *ibid.*

Vera origo *pœnarum* naturalium, *XII.* §. 547. *ſeq.* Etymologia vocis, *ibid.* pœnæ definitio, §. 548. ejus requiſita, §. 549. differentia inter pœnam, & rei perſecutionem, *ibid.* Quando actio mala videatur, §. 550. Qui actus pœnæ non ſubjacent, *ibid*

Nemo *pœnam* pati tenetur propter delictum alterius, *XII.* §. 551. nec civitas ex delicto ſubditorum, *ibid.* nec liberi ob delictum parentum, *ibid.* nec parentes ob delictum liberorum, *ibid.* *n.* 4. nec fidejuſſor pro reo capitis, *n.* 5. an hæres ex delicto defuncti, *n* 6. & §. 556.

Pœnarum diviſiones, *XII* §. 552. An pœnæ capitales jure naturæ licitæ ſint, §. 553. homicidium, & adulterium naturali jure morte puniendum, §. 555.

Subjectum *pœnarum*, *XII.* §. 556. 557. agere ex alieno delicto nemo poteſt, §. 556. Exceptiones vide *ibid.* an hæres agere poſſit ad pœnam defuncto debitam, *ibid.* Princeps puniri nullo caſu a ſubditis poteſt, §. 557. An hæres ex crimine defuncti teneatur ad pœnam, *ibid.* *n.* 2. Doctrina de pœna hæredum ex jure Romano illuſtratur, *ibid.* Objectum *pœnæ*, §. 558. Ejus effectus, §. 559.

Aliæ ſunt *pœnæ* ſingulorum, aliæ univerſitatis, *XII.* §. 557 561. *n.* 10.

De fine *pœnarum*, *XII.* §. 561. *n.* 8 pœna vel in capite ſtatuitur, vel in bonis, vel in ademtione alcujus juris, *n.* 9.

Quando *pœna* definat, *XII.* §. 561. *n.* 11. Proportio eſſe debet inter delictum, & pœnam, §. 561. idque jus talionis dicitur, §. 560. Talio illa conſiſtit in æſtimatione meriti, vel demeriti. *ibid.* JCtorum officium in determinanda proportione explicatur, §. 561. *n.* 3. pœna certa non eſt niſi in homicidio, *n.* 2. non debet novum inferre crimen, *n.* 7.

Pœnæ a JCtis ſtatuuntur in ſummo gradu; adeoque minui poſſunt juxta circumſtantias, *XII.* §. 561. *n.* 6.

Pœna eſt ſi quis aliquid de ſuo ſolvit. (Vide *Hæres. Actiones pœnales.*)

Jus quæſitum in *pœnam* auferri poteſt, *VII.* §. 362. 421. *n.* 7.

Syſtema Grotii de *pœnis*, *VII.* §. 64. *ſeq.* Punire naturali jure licet, *ibid.* & lege Evangelii, §. 69. an pœnæ capitales jure naturæ licitæ ſunt, *I.* §. 73. *VII* §. 30. *ſeq.* Quis jure naturæ punire poſſit, §. 65. Grotius exiſtimat, ſuperiorem ad id non requiri, *ibid.* ſed unumquemque læſum eſſe ſui juris vindicem, *ibid.* etiam extra territorium, *ibid.* quod etiam gens gentem punire poſſit, §. 66. Etſi ipſi injuria facta non ſit, inprimis ſi jus naturæ, aut gentium violatur, §. 66. 67. (quæ bella pœnalia, ſeu punitiva vocat, §. 80. quando licita ſint, §. 81. 82. 83. 84.

Inſtitutis civitatibus hanc puniendi licentiam ſublatam eſſe, idem ſtatuit Grotius, ſolumque judicem punire poſſe, *VII.* §. 68. in ſuo, non in alieno territorio, *ibid.* ob injuriam ſoli læſo illatam, niſi crimen ſpectet naturam humanam, §. 68. 69. 81. Jure Gentium quoque a pœna eximi principes, §. 68. Adeo ut princeps alienos ſubditos contra injuriam ſui principis defendere non poſſit, *ibid.* Jus vi privata agendi aliquando lege permitti, §. 69. quod negant anabaptiſtæ, §. 76.

Finis *pœnarum* quis, *VII* §. 72. Nimirum, emendatio, §. 73. Utilitas lædentis, §. 74. & exemplum, §. 75.

Objectum

Digitized by Google

Objectum *pœnarum*, *VII.* § 77. 88.

Effectus *pœnarum* eſt ut alter tantundem mali patiatur, *VII.* §. 64. Hinc ultra meritum infligi non poſſunt, §. 79. Talio ergo requiritur, *ibid.* (Vide *Talio.*) quæ ſit menſura talionis, *ibid.* (Add *Delictum.*)

An remitti *pœna* poſſit, *VII.* §. 78. Monita quædam circa Syſtema Grotii de *pœnis*, §. 85.

Origo *pœnarum* ex principiis Henrici Cocceii, *X.* §. 15. Definitio, *ibid.* infligitur pœna ad emendandos homines, *ibid.* ſupponit malum actionis, *ibid.*

Hobbeſii Syſtema de *pœnis*, *VIII.* §. 12. pœnæ naturales ei ſunt mala phyſica, quæ unumquodque delictum ſequi ſolent, *I.* §. 57 *in fin.* quæ ſententia refutatur, §. 62. *VIII.* §. 13. *n.* 7. *XI.* §. 5.

Pœnitentia eſt pars cultus divini, *XII.* §. 91.

Pœnitentia unius contrahentium non tollitur obligatio, *XII.* §. 154.

Polygamia: an licita ſit jure naturæ, *V.* §. 9. *XII.* §. 175. *n.* 2. prohibetur lege Evangelii, *III.* §. 44. 46.

Polytheiſmus natura illicitus eſt, *I.* §. 72. *XII.* § 84.

Populus eſt ſubjectum imperii, *XII.* §. 623. *VI.* § 8. *ſeq.* obligatio imperantium erga populum, *XII.* §. 636. Deſinit ſi populus interit, vel ſpecies ejus mutatur, *VI*, §. 63. *XII* §. 650. Quando videtur ſpecies populi mutata, *VI.* §. 63. *XII.* §. 650. De unione plurium populorum, *VIII.* §. 21.

Damnati *populi* jure ab Iſraëlitis deleti ſunt, *I.* §. 60. *XII.* §. 100. An populus puniri poſſit ob delicta regis, *XII.* §. 551.

Populares actiones quid ſint, *XII.* §. 522.

Poſſeſſio ex mente Grotii nullum uſum habet jure naturali, quia poſſeſſio ſequitur dominium: indeque poſſeſſoria judicia eſſe juris civilis, ait, *VI.* §. 52. 55. Acquiritur per corporalem apprehenſionem, *VIII.* §. 54. animo ſibi habendi, *ibid.*

Poſſeſſio: ejus definitio, *XII.* §. 590. requiſita poſſeſſionis, §. 591. 595. differt a dominio, §. 595. poſſeſſionis jus non ſemper ſequitur dominium, *ibid.* qui poſſidere poſſint, §. 598. Objectum poſſeſſionis, *ibid.* Effectus, §. 600. inde dantur interdicta, §. 588 modi amittendi poſſeſſionem, §. 501. male poſſeſſio refertur ad jus in re, §. 602. Prædo quo ſenſu in poſſeſſione defendi debeat, §. 597. *n.* 2. *ſeq.* §. 606.

Poſſeſſione amiſſa dominium non amiſſum cenſetur, *XII.* §. 327. Aliud eſt jus imperii, aliud ejus poſſeſſio, § 642. hæc etiam tyrannis competit, §. 644. ejus rei effectus, §. 645. *ſeq.*

Grotius *poſſeſſionis* jus ſequi dominium, ait, *XII.* § 595.

Poſſeſſio acquiritur per inſtrumenta, *VI.* §. 54 Non vero per vulnerationem feræ, nec jaculi miſſione, nec ſolo viſu, § 55. Qui nullam cauſam poſſeſſionis allegat, prædo eſt, *VII.* §. 55 Effectus poſſeſſionis jure Gentium voluntario quis, § 56. Quædam circa hæc principia Grotii notantur, §. 83.

In dubio melior eſt conditio *poſſidentis*, *VI.* §. 57. cur duo ſimul eandem rem *poſſidere* non poſſint, *X.* § 7. *lit.* o §. 8 *lit.* o.

In dubia ſucceſſione vicini ſequuntur *poſſeſſionem*, *XII.* §. 296. 660.

Poſſeſſio immemorialis quid ſit. (Vide *Præſcriptio.*)

Poſtliminium: quatenus ex jure naturali oriatur, *IX.* §. 105. 106. Quatenus ex jure Gentium, §. 106 Etymologia, §. 108. Locum habet in bello, aliquando etiam in pace, § 109. Quando perſona poſtliminio reverſa dicatur, §. 110. quæ jura recipiat reverſus, § 111. jure Romano fingitur nunquam captus fuiſſe, §. 113. Redemtus ſervire, tenetur donec pretium reddiderit, *ibid.* Integri populi poſtliminio gaudent, §. 112. Recipiuntur poſtliminio res captæ, §. 105. ubi ratio additur. Quænam res poſtliminio recipiantur, §. 113. Transfugæ an recipiantur poſtliminio, §. 113 Quando ceſſet jus poſtliminii, *ibid.* Dediti non gaudent jure poſtliminii, *ibid.* Monita circa jus poſtliminii, §. 166.

Vera origo juris *poſtliminii*, *XII.* §. 757. Etymologia, *ibid.* jus hoc a natura eſt, *IV.* §. 43. *XII.* §. 325. 758. Requiſita, §. 759. non obtinet cum fœderatis, nec eis datur, qui bello civili, vel a prædonibus capti ſunt, *ibid.* Quando in pace obtineat, *ibid.* *n.* 5. Poſtliminio recipiuntur res mobiles, & immobiles, §. ⁻60 ſervi, *ibid.* etiam integri populi, §. 761. an dediti, §. 748.

Reverſi *poſtliminio* omnia priſtina jura recipiunt, *XII.* §. 762. etiam quæ apud pacatos habuerunt, §. 763. Matrimonium quoque redintegratur, §. 764. ip·ımque

 impe-

Digitized by Google

imperium, §. 765. Populo reſtituto is omnia priſtina jura recipit, §. 765. *ſeq.* Quid juris ſit circa actus medio tempore a victore peractos, §. 766. 767. 768. Quando ceſſet poſtliminium, §. 769. 770. 771. An moribus jus poſtliminii obtineat, *ibid.*

Poſthumus ſuccedit parentibus, *XII.* §. 282.

Poteſtas ſumma: vera ejus origo, *XII.* §. 607. *ſeq.* §. 617. Quo ſenſu ſumma dicatur, §. 618. Ejus definitio, §. 619. Summa eſt, quæ jure proprio competit, §. 620. Quando jure proprio, quando jure alieno competat, *ibid.* juris tuendi cauſa exerceri debet, §. 621. Cauſa ſummæ poteſtatis eſt Deus, & conſenſus populi, §. 622. Subjectum, §. 623. 627. 628. (Vide *Status Imperii.*) Deferri varie poteſt, §. 623. 625. 626. 627. Si extraneo defertur, eo ipſo ſit civis, §. 626.

Effectus ſummæ *poteſtatis* intuitu imperantis, *XII.* § 630. intuitu ſubditorum, §. 636. jura ſummæ poteſtatis quæ, §. 631. (Conf. *Imperium. Rex. Civitas. Regnum. Princeps.*)

Præda. (Vide *Capere. Hoſtis.*)

Prædo. Fides prædoni eſt ſervanda, *IX.* §. 116. *XII* §. 418. defenditur in poſſeſſione, §. 597. *n.* 2. *ſeq.* §. 606. Non poteſt reſiſtere domino rem ſuam vindicanti, ſecus, ac jure Gentium, *IV.* §. 20. *n.* 4. (Vide *Pirata Latro.*)

Præjudiciales actiones ſunt a natura, *XII.* §. 113. An ſint reales, *V.* §. 13. *XII.* §. 113.

Præſcriptio: eſt modus acquirendi dominii civilis, *XII.* §. 297. *VII.* §. 116. introducta in pœnam negligentiæ, *XII.* §. 301. quod etiam de immemoriali poſſeſſione verum eſt, *XII.* §. 297. Ea non nititur præſumta derelictione, §. 300.

Præſcriptio non eſt modus amittendi dominii, *XII.* §. 327. nec finiendæ obligationis perſonæ, §. 364. nec pœnæ, aut delicti, §. 586. *n.* 11.

Præſcriptio an inter gentes obtineat, *VI.* §. 29. Grotius ſtatuit, eam firmitatem accipere jure gentium, *VII.* §. 111. fundari in tacita derelictione, *VI.* §. 77. 29. Legem de præſcriptione non pertinere ad ipſum Jus Imperii, *VI.* §. 29 *n.* 7.

Præſcriptis verbis actio unde dicatur, *XII.* §. 463. Datur quoties de natura negotii non conſtat, §. 430.

Precarium: an pœnitere ibi liceat, *XII.* §. 353. Quid ſit precarium, *ibid.* *n.* 6.

Pretium quale eſſe debet in emtione venditione, *XII.* §. 446. *n.* 6. Menſura veri pretii eſt pecunia. (Vide *Pecunia.*) Indigentia non conſtituit verum rerum pretium, *VII.* §. 27.

Primus quis ſit ſi plures ſunt primi, *VII.* §. 55.

Princeps. Principum origo. (Vid. *Imperium.*) Obligantur ex pactis, (Vide *Pacta principum.*) & ex jure jurando, *VII.* §. 43. officium principis. (Vide *Imperium.*) Ex doctrina Grotii Princeps injuriam inferre ſubditis impune non poteſt jure naturæ ſecus jure Gentium, *IV.* §. 20. *n.* 4. Quod examinatur, *XII.* §. 557. tenetur ex neglectis, *VII.* §. 62. Se ipſum contra ſubditos in integrum reſtituere adverſus juramentum poteſt, §. 43. Non gerit bellum in ſubditos rebelles, *IX.* §. 166. An bellum publicum ſit ſi ſubditi in principem ſtatum evertentem vim parant; vel ſi princeps extraneus a noſtro ſubdito violatur, *ibid.*

De teſtamentis *Principum.* (Vide *Teſtamentum.*)

Princeps exhæredare liberos ſine cauſa nequit, *XII.* §. 296. *n.* 9. an valeant eorum nuptiæ ſine conſenſu patris, §. 421. *n.* 5. an exſolvere ſe ipſos a juramento poſſunt, *n.* 6. an id, quod Princeps promiſit ſubditis, ex utilitate publica, vel in pœnam auferre poſſit, *n.* 7. an teneatur ex delicto ſubditorum, vel contra, §. 551.

Princeps ex nulla cauſa a ſubditis puniri poteſt, *XII.* § 557.

Principium juris naturalis Grotii, *I.* §. 1. *ſeq.* Puſendorfii, *XI.* §. 18. & *ſeq.* Hemingii, §. 11. 12. Winkleri, §. 13. Seldeni, §. 15. Yvonis Pariſienſis, §. 16. Bodini, §. 22. Thomaſii, §. 24. Henrici Coccеii, *X.* §. 1. *ſeq.* S. Coccеii, *XII.* §. 49. *ſeq.* & aliorum, *XI.* §. 24. 25.

Aliud eſt *principium* eſſendi, aliud cognoſcendi, *I.* §. 56. 63. Unde hæc diſtinctio orta, *X.* §. 19. Quid intelligatur per principium cognoſcendi, *I.* §. 65. *ſeq.* *X.* §. 19.

An opus ſit principio cognoſcendi? alii affirmant, alii negant, *X.* §. 19. 20. *XI.* §. 26. *ſeq.* *XII.* §. 51.

Privilegium a principe conceſſum an revocari poſſit, *VII.* §. 19. *n.* 4.

Probatio quid ſit, *XII.* §. 682. actor natu-

ra

ra probat fundamentum actionis, reus fundamentum exceptionis, §. 681. *Probatio* fit per teſtes, §. 682. Ratio hujus probationis naturalis explicatur, *ibid.* item per inſtrumenta, §. 683. fit etiam per jusiurandum, §. 684. Ratio hujus probationis naturalis, *ibid.* Fit porro per Confeſſionem qualificatam, §. 685. per ſortem, §. 686. cujus ſpecies eſt duellum, §. 691. Non per torturam, §. 685.
Quibus modis *probetur* jus naturæ, *X.* §. 7. *XII.* §. 26. Alia eſt probatio a priori, alia a poſteriori, *II.* §. 5. *L.* §. 11.
Proceſſus: ordo procedendi naturalis in judiciis, *XII.* §. 667. *ſeq.* §. 674. *ſeq.* Proceſſus eſt vel civilis, vel criminalis, § 675. Tribus abſolvitur partibus, §. 676. omnia ibi licita ſunt, quæ ad defenſionem juris neceſſariam pertinent, §. 675.
Promiſſio. (Vide *Pactum. Contractus. Fœdus. Sponſio.*)
Proportio. Quando obtineat proportio arithmetica, quando geometrica, *L.* §. 13.
Proprietas. (Vide *Dominium.*)
Protimiſeos pactum quid ſit, *XII.* §. 446. *n.* 11.
Pubertas. Pubertatis tempus valde variat, *XII.* §. 162 175. *n.* 3.
Pubertate tollitur patria poteſtas, *XII.* §. 162.
Publicani. Actio de publicanis eſt ex quaſi delicto, *XII.* §. 581.
Publicatio. ad eſſentiam legis requiritur, *III.* §. 17. jus naturæ non niſi per rationem declaratur, *XII.* §. 41.
Pudicitia defendi poteſt cum internecione alterius, *IX.* §. 47.
Pudor opponitur legi, *II.* §. 13.
Puffendorfii principia, *X.* §. 5. *lit. c.*
Pupillus eſt ſui juris, *XII.* §. 119. an obligari poſſit. (Vide *Obligatio.*) eſt ſub tutela. (Vide *Tutor.*)

Q.

Qualitas moralis Grotius hoc nomine deſignat *jus naturæ*, *L.* §. 13.
Quæſtio an jure naturali probet? (Vide *Tortura.*)
Quadrupes. Si quadrupes pauperiem fecisse dicitur, obligatio oritur ex quaſi delicto, *XII.* §. 585.
Quaſi contractus. Obligatio ex quaſi contractu oritur ex lege, *VII.* §. 3. 91. *ſeq.* Quod refutatur, §. 96. vera cauſa obligationis, quæ quaſi ex contractu oritur, *XII.* §. 343. 566. ſpecies ejus recenſentur, §. 568.
Quaſi delictum. Obligatio ex quaſi delicto oritur ex lege, *VII.* §. 3. 94. *ſeq.* Quod refutatur, §. 97. Vera cauſa obligationis, quæ quaſi ex delicto oritur, *XII.* §. 341. 566. ſpecies ejus recenſentur, §. 579 *ſeq.*
Quiritarium dominium quid ſit, *XII.* §. 160. patri jure Romano competit in liberos, *ibid.* eſt inane nomen, *ibid.*

R.

Ratio quid ſit, *XII.* § 441. Ex ea ſola exiſtentia juris naturæ probari poteſt, §. 41. *X.* §. 7.
Quid Stoicis ſit juxta *rationem* vivere, *II.* §. 18.
Receptationis crimen, *XII.* §. 534.
Receptio. Qui rem alterius recipit, tenetur ſecuritatem præſtare ex pacto, *XII.* §. 577. (Vide *Nauta.*)
Redemtio captivorum. (Vide *Lytron.*)
Reditus imperii quotuplices, *XII.* §. 632. An alienari poſſint, *ibid.*
Regalia quænam ſint, *XII.* §. 631. an alienari poſſint, § 632. 633. ſunt pars ſummi imperii, *X.* § 16. *lit. d.*
Regnum eſt vel patrimoniale, vel uſufructuarium: illud bello quæritur, hoc voluntate populi, *VI.* §. 40. *VIII.* §. 8. Effectus hujus diviſionis, *d.* §. 8.
Regna condere, quo ſenſu juris gentium eſſe dicatur, *IV.* §. 40.
De judice in dubia *regnorum* ſucceſſione, *IX.* §. 166. *n.* 8.
Regnorum origo. (Vide *Imperium. Civitas. Familia. Summa poteſtas.*) Quomodo acquiratur regnum. (Vide *Imperium.*) Eſt vel electivum, vel ſucceſſivum, *XII.* §. 627. De diviſione in regnum patrimoniale, & uſufructuarium, §. 623. ejus effectus, §. 633. De ſucceſſione regnorum. (Vide *Succeſſio.*)
Renunciatione finitur imperium, *XII.* §. 638. modo conſenſu populi fiat, *ibid.* an noceat liberis, *ibid.*
Repreſſaliæ definiuntur, *XII.* §. 705. requiſita, §. 706. 707. naturali jure licitæ ſunt, §. 708. obtinent tantum inter ſummas poteſtates, §. 710. Objectum repreſſaliarum, §. 711. Effectus, §. 712. Modi

fi-

Digitized by Google

finiendi, §. 713. Quomodo differant a bello, §. 714.

Repreſſaliæ Grotio dicuntur bellum minus plenum. (Vide *Bellum.*) Ad repreſſalias quodvis bellum pertinet, *IX.* §. 51. per eas non acquiri dominium naturaliter, ſed jure Gentium, Grotius ſtatuit, §. 48. Refutatur, *XII.* §. 708. ſingularia quædam jure arctiori gentium ibi eſſe introducta, idem Grotius tradit, *IV.* §. 27.

Res, ex ſententia Grotii, natura ſunt communes, *I.* §. 79. *VI* §. 39. quod refutatur, *I.* §. 81. *X.* §. 8. *lit.* o. Grotius rerum diviſiones omiſit, *VI.* §. 67. quomodo *res* in dominium ſingulorum pervenerint, §. 9. *ſeq.* quædam autem *res* communes manſerint, §. 14.

Diviſiones *rerum*, *XII.* §. 225. 234. & 235. Diviſio *rerum* in res divini juris, vel humani, §. 101. ea eſt ex jure Romano, *ibid.* Cur doctrina de *rerum* diviſione ſit neceſſaria, §. 213. quatenus conveniat juri naturæ, §. 208.

Quid per *res* intelligatur, *XII.* §. 214. ea voce continentur cauſæ, & jura, *ibid.*

Res communes quæ dicantur, *XII.* §. 216. idem ſunt cum rebus publicis jure gentium, *ibid.* & vocantur quoque res nullius, §. 227. eo referuntur aër, §. 217. aqua profluens §. 218. mare, §. 219. alveus marinus, §. 220. litora maris, §. 221. flumina publica, §. 222. ripæ, §. 223. alveus fluminis, §. 224. Viæ publicæ, §. 225. derelicta, theſauri, adeſpota, &c. §. 226. 227.

Res univerſitatis quænam ſint, *XII.* §. 229. *Res* ſacræ quænam ſint, *XII.* §. 231. earum jura, *ibid.* quomodo deſinant eſſe ſacræ, *ibid.*

Res ſanctæ quæ dicantur, *XII.* §. 232. earum jura, *ibid.*

Res religioſæ unde originem habeant, *XII.* §. 232. earumque jura, *ibid.*

Res ſunt vel corporales, vel incorporales, *XII.* § 234. Res corporales ſunt vel mobiles, vel immobiles, §. 234. 235. Incorporales ad neutras pertinent. *ibid.*

Jus *rerum* eſt ſecundum objectum juris, *XII.* §. 207. & *ſeq.* Res natura non ſunt communes, ſed nullius, §. 244. 245. Ejus rei effectus, §. 247. Jus in re quibus modis acquiratur, §. 242. *ſeq.* extra dominium, & hæreditatem, non datur jus in re (Vide *Servitus. Pignus.*)

Res prævalentior quæ ſit, *XII.* §. 277. *n.* 5. ejus effectus, *ibid.* & *n. ſeq.*

Res promiſſa præciſe præſtari debet, *XII.* §. 426.

Res nullius dicuntur jure naturæ, quæ in nullius bonis, proprietate, ac jure ſunt, *XII.* § 260. in quibuſdam rebus nullius ſolus uſus occupari poteſt, §. 262. in quibuſdam etiam proprietas, §. 263. Singulæ ſpecies rerum nullius recenſentur, §. 262. & 263. (Vide *Adeſpota.*)

Jure Romano *res nullius* etiam dicuntur res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ, *XII.* §. 230.

Res publicæ jure gentium dicuntur quoque res communes, & nullius, *XII.* §. 216. 227.

Retrovenditio. De pacto retrovenditionis, *XII.* §. 446. *n.* 11.

Revelatio non eſt modus probandi jus naturæ, *I.* §. 71. *XII.* §. 41. Articuli fidei, qui ſola revelatione nituntur, non ſunt pars cultus naturalis, §. 98.

Reus quis dicatur, *XII.* §. 621. probare exceptionem tenetur, §. 681.

Rex. (Vide *Regnum. Princeps. Poteſtas ſumma. Civitas. Familia.*) Jura regum. (Vide *Imperium.*) *Rex* injuria ejectus jus imperii retinet, *XII.* §. 643. (Vide *Tyrannus.*) ejus rei effectus, *ibid.* & §. *ſeq.* *Rex* ejectus ea, quæ ad adminiſtrationem pertinent, peragere nequit, §. 645. *ſeq.*

Regibus debetur obedientia, *III.* §. 46. *n.* 6.

Ripa fluminis publici eſt communis, ſeu nullius, *XII.* §. 223. & 227. occupari ejus proprietas, quatenus ad uſum fluminis pertinet, non poteſt, §. 262. Extra illum uſum poteſt, *ibid.* Ripa quatenus dicatur publica, §. 275. *n.* 6. Grotius ripas, ſtatuit, eſſe populi, *VI.* §. 50. Jure Romano vicinis tribuitur, §. 51.

S.

Sabbathum. Lex ſabbathi an obliget Chriſtianos, *III.* §. 46. *n.* 3.

Sacrum. (Vide *Res ſacra.*)

Sacrificium. Sacrificia ſunt pars cultus divini, *XII.* §. 91.

Sacrilegium eſt delictum naturale, *XII.* §. 521.

Salva guardia quid ſit, & quis eam concedere poſſit, *XII.* §. 822. An damnum datum reſarciri debeat a concedente, *ibid.*

Sanctum,

Digitized by Google

Sanctum. (vide *Res ſancta.*)

Sanguis. Legem de non eſu ſanguinis referunt ad jus poſitivum univerſale Noacho, & ejus poſteris datum, *III.* §. 24. 25. 26. notatur Grotius, §. 27. *ſeq.* Lex illa loquitur de non eſu ſanguinis idoli, *ibid.* & *ſeq.* Variæ de hoc præcepto opiniones, §. 28. Qui ſanguinem idoli comedit, idem eſt, ac ſi homicidium committat, §. 36. atque ideo pœna homicidii in talia comedentes lege Noachi ſtatuta eſt, §. 37.

Semen cedit ſolo, *XII.* §. 277. *n.* 18. jus patris in filium oritur ex ſemine, §. 141.

Sententia finit judicium, *XII.* §. 692. jus facit ex conſenſu partium, etſi iniqua ſit, *ibid.* & dominium transfert, §. 327. *in fin.* Remedia contra ſententiam ſunt ex jure civili, §. 692. Victoria in bello eſt inſtar ſententiæ, §. 724. 725.

Separatio. Beneficium ſeparationis quid ſit, *XII.* §. 292. ejus ratio naturalis, *ibid.* *n.* 3. & §. 346. cui competat, § 292. *n.* 4. Quid Prætor circa jus ſeparationis conſtituerit, *n.* 5. Quando definat, *n.* 6.

Sepulchrum fit religioſum per illationem mortui, *XII.* §. 233. Hæc religio ex ſuperſtitione gentium orta eſt, *ibid.* ſepulchri violatio crimen eſt, §. 350.

Sepultura Grotio eſt debitum jure gentium, *VII.* §. 108 Cauſæ introductæ ſepulturæ, §. 109. an hoſti, & facinoroſis, ea debeatur, §. 110 ſepeliendi neceſſitas eſt meri juris civilis, §. 114. *XII.* §. 233.

Sermo an ſit peculiare humanæ ſocietatis inſtrumentum, *I.* §. 33. negatur contra Grotium, §. 37.

Sertorianum bellum an fuerit publicum, *IX.* §. 166.

Servator an interpretem agat legis Moſis, *III.* §. 47. nullas leges tulit, §. 45. (Vide *Chriſtus.*)

Servitus naturali jure jus in re conſtituit, *VII.* §. 58. quod Grotius vocat dominium minus plenum, *ibid.* eſt modus acqoirendi derivativus, §. 60. ſervitutes ſunt vel reales, vel perſonales, §. 61. *XII.* §. 304. notatur Grotius, *VI.* §. 84.

Per *Servitutem*, qua alii jus in re mea conſtituitur, jure naturæ tantum acquirimus jus in perſonam, *XII.* §. 303. cur jure Romano ad jus in re relata ſit, §. 304. actiones, quæ inde dantur, *ibid.*

Servitus bellica: per eam jus in perſonam acquirimus, *VII.* §. 11. Quod reale eſt, §. 13. Ejus effectus. (Vide *Servus.*)

Quo ſenſu *ſervitus* dicatur conſtitutio gentium, *I.* §. 38. *n.* 3. §. 42. *n.* 7. *pag.* 98. *IV.* §. 45. *XII.* §. 130. & contra naturam, *IV.* §. 45. *n.* 2. *XII.* §. 130 *I.* §. 38. *n.* 3. §. 42.

Servitus Grotio eſt vel perfecta, vel imperfecta, *V.* §. 11. 12.

Servitus bellica ab ipſa natura originem habet, *XII* §. 130. Ejus cauſa, *ibid.* Subjectum, §. 131. Objectum, §. 132. Effectus, §. 133. Modi finiendi, §. 136. (Add. *Servus.*)

Servile bellum, quod Romani cum ſervis geſſere, non fuit publicum, *IX.* §. 166.

Servus. Servi ſunt alieni juris, *XII.* §. 117. 119. fiunt, vel naſcuntur, §. 131. juſto bello capti fiunt ſervi, §. 744. etiam jure naturæ, *I.* §. 38. *n.* 3. § 42. *pag.* 93. *IV.* §. 45. *XII.* §. 130. *IX.* §. 94. *ſeq.* omnia in eos licent, *XII.* §. 744. jura, quæ domino in ſervum competunt, recenſentur, §. 133. An ſervus ſe alii obligare civiliter, vel criminaliter poſſit, §. 133. 422. An alium ſibi obligare poſſit, §. 423. Liberi ſervorum fiunt ſervi, §. 133. 135. 545. Quibus modis ſervitus finitur, §. 136. An ſervus fugere poſſit, §. 546. ſervitutes inter Chriſtianos abrogatæ ſunt, §. 747. (vide *Lytron.*)

Grotius captum ab hoſte non fieri *ſervum*, ait, niſi juſto bello captus ſit, *IV.* §. 14. *n.* 3. *VIII.* §. 94. ſed & eum capi tantum poſſe intra pœnæ, & debiti modum, *d.* §. 94. *ſeq.* Victorem non acquirere jus in vitam ſervi, ſed in ejus operas, *IX.* §. 95. non fieri *ſervos* ſi ſubditi capiuntur pro debito civitatis, vel ſi actu non militantes capiuntur, *ibid* nec natos ex ſervis, *ibid.* præterea *ſervum* ſibi acquirere, &c. *ibid.* omnia hæc ſecus ſe habere, ait, *jure gentium ſecundario* in bello ſolenni, *IX.* §. 69. 97.

An *ſervus* fugere poſſit, *IX.* §. 98. & an fugiens furtum faciat rapiendo res domini, *ibid.* An ſervus reſiſtere poſſit domino jus vitæ, & necis exercenti, § 99. jus gentium variat circa jura captivorum, §. 100. De redemtione ſervorum. (Vide *Redemtio captivorum. Lytron.*)

Socialitas non infert jus aliquod commune inter homines, *I.* §. 41. *ſeq.* adeoque nec eſt principium eſſendi, *ibid.* nec principium cognoſcendi, §. 63. *ſeq.* Nec probandi juris naturalis

naturalis modus, §. 73. ſeq. (Vide *Principium. Jus naturæ.*)

Quædam præcepta naturalia pugnant cum *ſocialitate*, *I.* §. 70. 74. Quædam *ſocialitati* conveniunt; at pugnant cum jure naturali, §. 70. Quidam actus ſocietati convenientes prohibentur jure civili, §. 70. 75. Pauciſſima jura naturæ ex *ſocialitate* deduci poſſunt, §. 70. *ſeq.* (Vide *Societas humana.*)

Societas humana. Cuſtodia humanæ ſocietatis conſtituitur a Grotio principium juris naturæ, *I.* §. 1. 4. 5. 6. 41. Eamque obligare humanum genus, ait, etſi detur, Deum non eſſe, §. 9.

An detur ſocietas humana, *I.* §. 7. & 8. §. 33. *X.* §. 8. *lit. t.* Negatur, *I.* §. 24. *ſeq.* *X.* §. 22. Idque verum non tantum eſt de ſocietate materiali, ſed etiam rationali, *I.* §. 19. 20.

Cuſtodia *ſocietatis humanæ* non eſt principium juris naturæ eſſendi, *I.* §. 41. *ſeq.* nec cognoſcendi, §. 56. 63. *ſeq.*

Societas quæſtuaria eſt contractus conſenſualis, *VII.* §. 25. *junct.* §. 34. Quomodo lucrum, & damnum conferatur, *d.* §. 34. *XII.* §. 458. Partibus non expreſſis intelliguntur æquales, *VII.* §. 34. Leonina ſocietas non valet, *ibid.*

Societas quæſtuaria definitur, *XII.* §. 455. 456. Eſt contractus juris gentium, §. 457. Diviſiones ſocietatis, §. 454. Effectus, §. 459. Modi finiendi, §. 460. An pœnitere liceat re integra, §. 353. *n.* 5. & §. 460.

Societas bellica licita eſt, *IX.* §. 59. Vis in ſocios hoſtis licita eſt, §. 55. Societas non eſt cauſæ injuſtæ, §. 62. (Vide *Socius belli.*)

Societas domeſtica: ejus origo, *X.* §. 8. *lit. w.* eſt a natura, *I.* §. 27. *ſeq.* & ſufficit ad conſervationem generis humani, *ibid.* (Vid. *Familia.*)

Socius belli. Socii belli duobus modis fiunt, *XII.* §. 773. Definitio Societatis bellicæ, §. 734. Socius accedere ſaltem poteſt cauſæ juſtæ, §. 776. Eſt inſtrumentum ejus, cujus cauſam defendit, §. 773. ejus rei effectus, *ibid.* bello quæſita cedunt ei, cui ſocius aſſiſtit, §. 782. Qui utrique belligerantium ſocius eſt, uni ſaltem auxilia mittere poteſt, §. 773. An licita ſit talis ſocietas, §. 775. conſtituitur conſenſu, §. 776. Subjectum ſocietatis bellicæ, §. 778. Objectum, §. 779. Effectus, §. 780. 783. 784.

An novioribus *ſociis* auxilia præſtari poſſint contra antiquiores ſocios, *XII.* §. 881. Si quis utrique fœderatus eſt, cui præſtari auxilia debeant, §. 782. An auxilia in genere *ſocio* promiſſa præſtari debeant contra conſortes ejuſdem religionis, *ibid.*

Socius hoſtis mei juſtam mihi belli cauſam præbet, *XII.* §. 784. Modi finiendi ſocietatem bellicam, §. 785. Quando renovata hæc ſocietas videatur, *ibid.*

An *ſociorum* nomine contineantur etiam futuri, *VII.* §. 55. ordo inter ſocios quis, *V.* §. 10.

Sodomia jure naturæ improbatur, *XII.* §. 95. 175. 521. *I.* §. 72. ratio prohibitionis a Grotio refertur, *VII.* §. 81. vera ratio exponitur. *XII. dd.* §§. An delictum hoc bello vindicari a quacunque gente poteſt, *VII.* §. 81.

Solutio eſt modus tollendæ obligationis, *XII.* §. 349. Quando videatur ſolutum, *ibid.* an ſi creditoris creditori ſolvitur, *ibid.* an ſi hoſti debitum exigenti, *ibid.* Non videtur ſolutum ſi invito creditore alii, vel ſi aliud pro alio, vel pars debiti, ſolvitur, *ibid.* Solutio etiam in alio loco, ac promiſſa eſt, exigi poteſt, præſtita æſtimatione, *ibid.*

Solum. Ædificium cedit ſolo. (Vide *Ædificium.*)

Soror. An fratres, & ſorores, invicem nubere poſſint, *XII.* §. 176. *n.* 12. Sorores, & fratres invicem non ſuccedunt, *XII.* §. 287.

Sors eſt ſpecies probationis, *XII.* §. 686. eo quoque pertinet duellum, *XII.* §. 691. Sorte finitur lis, §. 695. ut & bellum, *XII.* §. 875. *IX.* §. 125. Quando bellum ſorti committi poſſit, *d.* §. 125.

Species conſtituit differentias ſubſtantiæ, *XII.* §. 326. Specie mutata deficit ſubſtantia, *ibid.* & res interire dicitur, §. 264. 326. Quod exemplis illuſtratur, *d.* §. 326. *n.* 7. *ſeq.*

Specificatio eſt modus naturalis acquirendi dominii, *XII.* §. 264. ut & ejus amittendi, §. 236. Diſſentit Grotius, *VI.* §. 51. *n.* 3.

SPINOSA: ejus principia examinantur, *XI.* §. 5. *X.* §. 6. *lit. c.* unam ſubſtantiam ſtatuit omnium, quæ exiſtunt, *I.* §. 21.

Sponſalia definiuntur, *XII.* §. 172. *ſeq.* Quo-

Digitized by Google

Quomodo differant a nuptiis, *ibid.* ſponſalia, etſi priora, cur poſtponantur nuptiis, §. 173.
Sponſio quid ſit, *VII.* §. 12. *n.* 7. *XII.* § 410. An civitas ex ea obligetur, *d.* §. 12. *d.* §. 410. Magiſtratus inferiores ſpondere quædam poſſunt intra fines adminiſtrationis, *IX.* §. 144. *ſeq.*
Ad quid ſponſor teneatur, *VII* § 12. *n.* 7. an milites per ſponſionem dimiſſi inde teneantur, *ibid.* quid ſi civitas ſileat, *ibid.* *n.* 8. (Vide *Dux.*)
Sponſio a Ducibus belli ſit, *XII.* §. 804. celebriores ſunt Caudina, Corſica, Numantina, Saguntina, & Helvetica, *XII.* §. 805. An civitas ex tali ſponſione obligetur, §. 806. An totus exercitus in priſtinum ſtatum reſtitui debeat, ſi civitas ſponſionem non ratihaber, *ibid.* *n.* 2. ad quid ſponſor hoc caſu teneatur, *n.* 3. Dedi debent qui ſpoponderunt, *ibid.* obſides a ſponſore dari occidi poſſunt, ſi civitas non ratihabet, *n.* 4.
Status hominum definitur, *XII.* § 106. *ſeq.* eſt triplex. §. 107. 108. 114. (Vide *Libert* *s.* *Familia.* *Civitas.*) Ejus cauſa, *XII.* §. 110. Subjectum, §. 111. Objectum, §. 112. Effectus, §. 113. Actiones, quæ ex ſtatu hominum oriuntur, dicuntur præjudiciales, *ibid.* Male ad actiones reales referuntur, *ibid.* Quibus modis ſtatus hominum mutetur, §. 114.
Grotius pauca de *ſtatu hominum* tractat, *V.* §. 5. 14. ſtatum libertatis plane omittit, *d.* §. 14.
De *ſtatu*, quo quis ſit capax jurium collegii, &c. *XII.* §. 205.
Status imperii quid ſit, *VIII.* §. 20. An detur ſtatus mixtus, *ibid.* & *XII.* §. 624 Eſt triplex, § 623. In Germania ſtatus eſt Monarchicus, §. 624.
Stellionatus quid ſit, *XII.* §. 538.
Stipulatio eſt contractus juris civilis quatenus verba requirit, *XII.* §. 461. *n.* 2. Definitur, §. 461. *pr.* Ratio hujus inventi, §. 461. *n.* 2. ſpecies ſtipulationis recenſentur, *ibid.* Eſt ſtricti juris. (Vide *Contractus ſtricti juris.*)
Strictum jus. (Vide *Contractus ſtricti juris.*)
Subditus Subditi ſunt ſubjectum ſummæ poteſtatis, *XII.* §. 627. (Vide *Populus.*) De jure Principis in ſubditos, *XII.* §. 623. De jure ſubditorum in Principem, *ibid.* (Vide *Imperium.*) Jus uſurpatoris in ſubditos. (Vide *Tyrannus.*) De obligatione ſubditorum intuitu uſurpatoris. (Vide *Tyrannus.*) An ſubditi privata auctoritate extraneum occidere poſſint, *XII.* § 646. de obligatione ſubditorum intuitu regis ejecti, *ibid.* §. 647.
An *ſubditi* obligentur ex delicto regum, *XII.* §. 551. vel contra *ibid.* Subditi fidem hoſti dare poſſunt, §. 823. *ſeq.* (Vide *Fides.*) ſi prohibitum fuerit fidem dare, *ſubditi* obligantur quidem, ſed puniuntur, §. 825. Civitas prædæ loco exigere hoſti debitum a ſubdito poteſt, §. 824. 825. *Subditi* nunquam punire poſſunt Principem male agentem, *VII.* §. 68. *XII.* §. 638. *n.* 8. Civitas alienos *ſubditos*, de tyrannide querentes, defendere contra civitatem nequit, *VII.* §. 68.
Subditus ſit conſociatione, quæ ſit per ſubjectionem, *V.* §. 11. *ſubditi* ſunt ſubjectum imperii (vide *Imperium.*) Aſſiſtere tenentur principi bellum gerenti, *IX.* §. 59. An abſque mandato hoſti nocere poſſint, §. 60. an ſi ſuis ſumtibus militant, prædam ſibi acquirant, *ibid.* An bellum contra principes gerere poſſint, §. 46.
Quid principi in ſubditos liceat. (Vide *Princeps.*) Subditi hoſtiles in terris pacatorum occidi non poſſunt, *VII.* §. 68.
Subjectio. Per ſubjectionem jus in perſonam acquiritur vel ex conſenſu, vel ex delicto, *V.* §. 11. 12.
Succeſſio. Grotii Syſtema de ſucceſſione ab inteſtato, *VI.* §. 27. 39. oritur ex dominii natura, *I.* §. 76. *n* 5. quia tacite videtur diſponere de rebus ſuis dum teſtamentum non facit, *ibid.* Succeſſio liberorum eſt a natura, reliquorum ex jure gentium, *VI.* §. 39 *n.* 15. *VII.* §. 111. Ratio ſucceſſionis parentum, *VI.* §. 39. *n.* 9. ratio ſucceſſionis fratrum, *n.* 11. *ſeq.* ratio ſucceſſionis filiorum, *n.* 13. In dubia ſucceſſione quænam regula, *n.* 16. Monita circa Syſtema Grotii, §. 80.
Syſtema Henrici de Cocceii de origine ſucceſſionis ab inteſtato, *X.* §. 12. *ſeq.* Nulla eſt a natura, nec liberorum, *ibid.* ſed ex ſurrogatione juris occupandi, §. 13. Monita circa hanc opinionem, §. 24. 25. & *VII.* §. 115.
Succeſſio regnorum ex doctrina Grotii eſt vel hæreditaria, vel linealis. Hæc eſt vel cognatica, vel agnatica, vel mixta, *VI.* §. 40. ordo ſuccedendi in regnis hæreditariis.

Digitized by Google

riis ſi dividua ſunt, vel individua, *ibid.* ordo ſuccedendi in regnis hæreditariis, ubi jus repræſentandi obtinet, vel non obtinet, *ibid.* Quando ſucceſſio ſit hæreditaria, §. 42. ejus effectus, *ibid.* Differentia ſucceſſionis in regnis dividuis, *ibid. n.* 4. *ſeq.*

De *Succeſſione* regnorum *lineali*, *VI.* §. 43. quomodo differat ab hæreditaria, *ibid.* De jure repræſentandi, §. 42. 43. An quis regno ſe abdicare poſſit, *d.* §. 43. *n.* 3.

De *Succeſſione lineali cognatica*, *VI.* §. 44. quomodo differat ab hæreditaria, *ibid.*

De *Succeſſione lineali agnatica*, ejusque ratione, *VI.* §. 45. quomodo differat ab hæreditaria, *ibid.*

De *Succeſſione lineali mixta*, ejusque differentia ab agnatica, & cognatica, *V.* §. 46. Quis judex ſit ſi inter plures agnatos lis eſt de ſucceſſione, *IX.* §. 166. *n.* 8. bellum ideo geſtum eſt publicum, *ibid.*

Succeſſio in regno patrimoniali eadem eſt, quæ in hæreditario, *VI.* §. 41. fœminæ, adoptati, hæredes extranei ibi ſuccedunt, *ibid.*

Vera origo *Succeſſionis privatæ*, *XII.* §. 281. ſequitur ex ſtatu familiæ, *ibid. n.* 1. 2. 3. & 4. jure naturæ liberi ſoli ſuccedunt, *n.* 5. ratio ejus naturalis, *n.* 6. conſenſus juris Romani, & gentium, §. 282. Quinam liberorum nomine veniant in materia ſucceſſionis, §. 283. Liberi non ſuccedunt matri, §. 284. nec collateralibus, §. 287. nec aſcendentes ſuccedunt liberis, §. 285. 286. nec conjuges invicem, §. 287. *n.* 7. Variæ de ſucceſſione naturali opiniones, §. 288. (Vide *Hæreditas. Familia.*)

Vera origo *Succeſſionis regnorum*, *XII.* §. 651. Lex delationis ibi eſt inſpicienda, *ibid.* ſi familiæ imperium delatum eſt, obtinet ſucceſſio linealis agnatica, *ibid.* Etſi regnum bello acquiſitum ſit, *ibid.*

In regnis *ſuccedunt* liberi legitime nati, *XII.* §. 652. Non ergo ex adulterio, ſcorto, vel ex damnato coitu nati, *ibid.* nec progeniti ex concubina, *ibid.* nec adoptivi, *ibid.* nec qui contra leges regni, aut ſub conditione, ne ſuccedant, nati ſunt, *ibid.* Nec fœminæ, niſi in prima delatione vocatæ ſint, §. 658. Ea exſtincta ſuccedit linea ſecundo genita, §. 656. Varie mutatur ſuccedendi ordo, §. 659. Fœminæ aliquando ad ſucceſſionem vocantur, §. 653. 657. 658. Idem ordo ſuccedendi in fœminis obtinet, qui in maſculis, §. 657. An præferatur ea, quæ noviſſimo regi proxima eſt, an ea, quæ primo acquirenti, *ibid.*

Quis judex ſit in dubia *ſucceſſione*, *XII.* §. 660. 295. *n.* 8.

De *Succeſſione* in bona Principis privata, *XII.* §. 661. Quæ ſint bona privata, §. 663. *ſeq.* §. 666.

Succeſſor quomodo teneatur ex factis anteceſſoris, *XII.* §. 409. *n.* 5. *VII.* §. 19.

Suffragium. Majora ſuffragia in deliberationibus publicis vincunt, *V.* §. 10. *XII.* §. 614. ſi differunt *ſuffragia*, quomodo computentur, *V.* §. 10. *XII.* §. 207.

Summa poteſtas. (Vide *Poteſtas ſumma. Imperium. Dux. Civitas. Princeps.*)

Summum bonum: de variis philoſophorum opinionibus, quid ſit ſummum bonum, *II.* §. 17. Stoici per ſummum bonum intellexere, juxta rationem, & virtutem vivere, i. e. Deum imitari, *ibid.* & *ſeq.*

Superficies quid ſit, *XII.* §. 312. naturaliter non tribuit jus in re, *ibid.*

Superfœtatio quid ſit, *XII.* §. 173. *n.* 1.

Surrogatio. Imperium non finitur ſi aliud imperium ſurrogatur, *XII.* §. 650. *n.* 2.

Suum. Quid cuique ſuum ſit, *XII.* §. 68. *n.* 1. §. 72. *ſeq.* §. 103. Suum cuique tribuere eſt principium cognoſcendi juris naturalis, §. 51. *ſeq.*

Suus. Sui juris quis dicatur, *XII.* §. 119. de ſuo hærede, vide §. 282. 606.

Synallagma quid ſit, *XII.* §. 436. §. 437. in ſolis contractibus continetur, non in pactis nudis, *ibid.* (Vide *Cauſa obligationum.*)

Syndici qui dicantur, *XII.* §. 673.

T.

Tacfarinas potens fuit prædo, & bellum geſſit cum Romanis, *IX.* §. 166. an bellum hoc fuerit mixtum, *ibid.* Legatos miſit, *ibid.*

Talio quid ſit, *XI.* §. 650. Talio jure naturæ non eſt determinata niſi in homicidio, §. 561. *n.* 2. (Vide *Pœna.*) Ejus vera ratio, *XII.* §. 561. *pr.* *X.* §. 12. *lit. b.* ſi talionem paſſus eſt reus, definit obligatio, *XII.* §. 361. 561. *n.* 5.

Tantundem. Vide *Talio.* Si res promiſſa præſtari nequit, tantundem præſtari debet, *XII.* §. 356.

Tempus excedens memoriam quaſi infinitum eſt moraliter, *VI.* §. 29. *n.* 5.

An

An lapſus *temporis* jus dat in rem alienam, *XII.* §. 297. *ſeq.* (Vide *Præſcriptio.*)
Termini quo ſenſu jure gentium poſiti dicantur, *IV.* §. 40.
Territorium eſt ſubjectum ſummæ poteſtatis, *XII.* §. 628. Conſectanea, *ibid.* ſub eo continentur jura, & reditus, *ibid.* de acceſſionibus territorii, *d.* §. 628. 663.
Summa poteſtas continetur intra fines *territorii*, adeoque quicquid ibi continetur, ejus imperio ſubjectum eſt, *X.* §. 16. *lit. f.* interitu territorii tollitur imperium, *VI.* §. 63.
Teſtamenta ſunt juris civilis, *XII.* §. 293. *ſeq.* idque rationibus probatur, §. 294. 295.
De *teſtamentis Principum*, *XII.* §. 296.
An princeps alii principi regnum, vel partem regni *teſtamento* relinquere poſſit, *XII.* §. 296. *n.* 1. an Princeps de rebus privatis *teſtamento* diſponere poſſit, *n.* 2. An Princeps extraneum hæredem ſcribere poſſit, *n.* 3. & 4. An *teſtamentum* valeat ſi ſolennia deficiunt, *n.* 5. An Princeps ex *teſtamento* extranei, vel ſubditi ſui aliquid capere poſſit, *n.* 6. & 7. An tunc, ſi *teſtamentum* eſt imperfectum, *ibid.* An auguſta, & apanagiati *teſtamentum* condere poſſint, *n.* 7. An princeps exhæredare liberos poſſit ſine cauſa, *n.* 9. An decidere lites circa ſucceſſionem per teſtamentum poſſit, *n.* 8.
Teſtamentum eſt alienationis ſpecies, *XII.* §. 634.
Teſtamentum definitur, *VI.* §. 35. ejus ſubſtantia cognata eſt dominio, eoque juris naturalis, *ibid.*
Teſtimonium falſum dicere eſt violatio juris naturalis, *I.* §. 72.
Theſaurus eſt res nullius, *XII.* §. 217. & cedit occupanti, §. 263. ejus definitio, *ibid.*
Tignum cedit ædificio, *XII.* §. 277. *n.* 15.
Tortura non eſt modus probandi, *XII.* §. 685.
Traditio eſt modus acquirendi dominii naturalis, *XII.* §. 268. etſi cauſa ſit erronea, *ibid. n.* 2. cauſa hujus acquiſitionis, *n.* 5. ſubjectum, objectum, & effectus, *ibid.*
Fictæ *traditiones* itidem originem ex jure naturæ habent, *XII.* §. 268. *n.* 4. an citra *traditionem* per pacta dominium transferatur. (Vide *Pactum.*)
Is, cui res *traditur*, non plus juris conſequitur, quam is, qui tradit, habuit, *XII.* §. 635.
Tranſactio eſt pactum legitimum, *XII.* §. 429. *ſeq.* & modus finiendi litem, §. 683. ac bellum, §. 857. (Vide *Pax.*)
Tranſitus jure naturæ debetur. (Vide *Via publica.*)
Turpis cauſa non vitiat negotium, *XII.* §. 364. (Vide *Cauſa. Condictio.*) turpis promiſſio non producit obligationem, §. 426. an detur condictio ſi promiſſum præſtitum eſt, *ibid.*
Tutela eſt a natura, & effectus ſtatus familiæ, *XII.* §. 184. ejus definitio, §. 185.
Legitima quid ſit, *XII.* §. 186. ejus ratio naturalis, §. 187. ubi notatur Grotius. De tutela regnorum, & quibus competat, *ibid.*
Dativa tutela quid ſit, ejuſque ratio naturalis, *XII.* §. 188. Qui dare tutores poſſint, §. 191. Qui petere teneantur, §. 190. Quibus dari tutores poſſunt, §. 191.
Teſtamentaria *tutela* eſt ex jure civili, *XII.* §. 197. Objectum tutelæ, §. 193. Effectus §. 194. Actiones tutelæ, *ibid.* ſunt ex quaſi contractu, §. 569.
Tutor. De protutore, & falſo *tutore*, *XII.* §. 195. Modi finiendi tutelam, §. 198. cauſæ excuſationis, §. 192.
Tyrannus. Tyrannide finitur imperium, *XII.* §. 638. 639. Alius eſt tyrannus in adminiſtratione, alius in acquiſitione, §. 639. 640. 641. De actibus tyranni, ejuſque auctoritate, §. 644. 645. 646. jus imperii non habet, ſed poſſeſſionem, §. 642. 644. 645. Hinc utitur titulo *Dei gratia*, §. 646. legatos mittit, & recipit, §. 648. Tyranni mediatores eſſe poſſunt, *ibid.* Quid juris circa fœdera tyrannorum. (Vide *Fœdus.*)
De jure circa actus *tyrannorum* intuitu juſti principis, *XII.* §. 643. intuitu ſubditorum, §. 647. intuitu vicinorum, §. 648. intuitu actuum medii temporis finito regimine tyranni, §. 649.
Acta *tyrannorum* ipſo jure nulla ſunt, *XII.* §. 648. Exceptiones vide *ibid.*

V.

Varia cauſarum figura. De obligatione, quæ ex variis cauſarum figuris oritur, *XII.* §. 343. 562. *ſeq.* ſpecies, quæ eo pertinent, §. 554. *ſeq.* nimirum, quaſi con-

Digitized by Google

tractus, §. 566. quaſi delicta, §. 578. ſeq. interdicta, §. 586 ſeq. &c.

Vaſtare res hoſtiles licet, *IX.* §. 84. alio modo jure gentium in bello publico ſolenni, §. 67. *n.* 5. 7. §. 86. Vera ſententia de jure vaſtandi proponitur, *XII.* §. 749. (Vide *Hoſtis. Bellum.*)

Venditio: re duobus vendita quis præferatur, *VII.* §. 28. (Adde *Emtio.*)

Veneficium natura prohibitum eſt, *XII.* §. 521.

Venter. De acquiſitione dominii jure ventris, *XII.* §. 271.

Acquiſitio per *ventrem* eſt modus acquirendi civilis, *VI.* §. 51. quod refutatur, *ibid.* *n.* 2.

Verba enunciativa nihil diſponunt, *X.* §. 9. *lit. f.* verbis probatur voluntas, §. 7. *lit. d.* *VI.* §. 29. de interpretatione verborum dubiorum, *VII.* §. 51. *XII.* §. 506. *ſeq.*

Verborum obligatio. (Vide *ſtipulatio.*)

Veritas. Quænam ſint æternæ rerum veritates, & an ex iis probetur bonitas juris naturæ intrinſeca, *I.* §. 6. Vera hujus rei ratio, *ibid.*

Verſio in rem. Actio de in rem verſo eſt ex quaſi contractu, *XII.* §. 577.

Via publica eſt res communis, ſeu nullius, *XII.* §. 225. 117. occupari non poteſt quoad proprietatem, ſed quoad ſolum uſum, §. 262. rationem ejus naturalem vide *ibid.* Add. *Tranſitus.*

Vicini ſequuntur poſſeſſionem rege vicino a tyranno ejecto, *XII* §. 648.

Victoria ultima eſt inſtar ſententiæ, *XII.* §. 724. 725. cur ea ſequatur aliquando cauſam injuſtam, *ibid.* Ea finitur bellum, §. 852. Non eſt ultima victoria ſi a ſociis cauſa victi adhuc defenditur, §. 853. 855.

Quid per victoriam acquiramus, *IX.* §. 101. *ſeq.* an imperium per ultimam victoriam quæratur, *d.* §. 101. *XII.* §. 741. (Vide *Imperium bello quæſitum.*)

Vindicta licita eſt intra fines juſtæ reparationis, *X.* §. 7. *lit. m.*

Viriatus prædo fuit, & bellum geſſit cum Romanis, *X.* §. 166. An recte bellum hoc dicatur mixtum, *ibid.*

Virtus. Virtutes, ſeu perfectionum, & charitatis regulæ, a Grotio referuntur ad jus naturæ laxius, *II.* §. 8. (Vide *Jus naturæ laxius.*) ſi ſcilicet aliis utilitatem afferunt, §. 9. Quod exemplis illuſtratur, *ibid.* Male principium virtutum conſtituitur in judicio rite ordinato ad eligenda ea quæ proſunt, aut nocent, *II* §. 23. Grotius non confundit jus ſtricte ſic dictum, & virtutem, *II.* §. 21.

Differentiæ inter jus, & virtutem, exponuntur, *X.* §. 18.

Brutus *virtutem* non in re, ſed in opinione eſſe, dixit, *II.* §. 30.

Servator non jura ſtatuit, ſed *virtutum* præcepta exponit, *X.* §. 18. *lit. c in fin.*

Quid ſit e *virtute*, ſeu honeſte vivere, *II.* §. 19.

De vero *virtutum* principio, *II.* §. 30. ea conſiſtit in imitatione perfectionum divinarum, §. 32. *Virtutum* regulæ a natura ſunt, §. 31. 32. Cauſa obligationis, quæ ex *virtute* oritur, §. 36. Subjectum, & objectum, §. 37. Magis intereſt, *virtutum* præcepta addiſcere, quam jura inter homines §. 38. Ex virtute præmia oriuntur, & dantur gradus præmiorum, *X.* §. 18. *lit. o.*

Voluntas creatoris eſt principium juris naturalis, *I.* §. 56. *X.* §. 5. *XII.* §. 57. minus curate dicitur principium eſſendi, *I.* §. 64 eſt vel permittens, vel prohibens, *X.* §. 5. *lit. e.* quod examinatur, §. 21.

Modi probandi *voluntatem* divinam, *X.* §. 7.

Voluntas principis eſt cauſa juris civilis, §. 6.

Voluntas eſt vel tacita, vel expreſſa, *VI.* §. 62. ea declaratur vel verbis, vel factis, §. 29.

Vis. (Vide *Metus.*) Vis publica, & privata, prohibentur natura, *XII.* §. 521. vi contractæ nuptiæ nullæ ſunt, §. 174.

Viſus non ſufficit ad acquiſitionem dominii, *XII.* §. 254.

Vita. Deo jus competit in vitam hominis, *I.* §. 8. non vero homini (Vide *Autocheiria.*)

Vitium. De emtione rei vitioſæ, *XII.* §. 446. *n.* 5.

Univerſitas delinquere poteſt, *XII.* §. 561. *n.* 10. aliæ ſunt pœnæ univerſitatis, aliæ ſingulorum, §. 557. 561. *n.* 10. (Vide *Civitas.*)

Uſuræ jure divino, non jure naturæ vetitæ ſunt, *VII.* §. 33. apud Judæos prohibitæ fuere Judæis: an lege Evangelii id ad omnes Chriſtianos extenſum ſit, *III.* §. 46. *n.* 5. Quæ ſint veræ uſuræ, *VII* §. 23. Quando peti poſſint, §. 22. In aſſecuratione

Digitized by Google

tione in infinitum licitæ ſunt, §. 23.
Uſuræ jure naturæ licitæ ſunt, *XII.* §. 369. *ſeq.* ubi dubia reſolvuntur: nec jure divino improbantur, *ibid.* Debentur vel ex pacto, §. 371. vel ex mora, vel ex æquitate, *ibid.*
Uſuræ uſurarum jure naturæ licitæ ſunt, *XII.* §. 372. in quibusdam caſibus etiam jure Romano, *ibid.*
Pactum, quo *Uſuræ* promittuntur, eſt legitimum, *XII.* §. 433.
Uſuræ ex mora debentur ex quaſi contractu, *XII.* §. 577.
An *uſuræ* vetentur lege Evangelii, *III.* §. 44. 46.
Uſusfructus naturali ratione non eſt jus in re, *XII.* §. 305. cur jure Romano inter jura in re ſit relatus, *ibid.* Uſusfructus quadrigæ differt ab uſufructu quatuor equorum, *XII.* §. 386. *n.* 8. (Vide *Fructus.*)
Uſurpator Imperii. In uſurpatorem omnia licent, quæ in tyrannum, *IX.* §. 46. (Vid. *Tyrannus.*)
Utilitas eſt objectum politices *I.* §. 69. ob *utilitatem* publicam obligatio tolli poteſt, *XII.* §. 362.
Utilitas innoxia reducit primævam rerum communionem, *I.* §. 76. *n.* 7. quod examinatur, *VI.* § 72. (Vide *Innoxia utilitas.*)
Uxor. Officia uxoris ergo maritum, *XII.* §. 147. quo ſenſu adulterium committere dicatur qui alienam uxorem aſpicit, *III.* §. 48. *n.* 9. De officiis mariti erga uxorem, *XII.* §. 163.
Uxor non eſt alieni juris, *XII.* §. 119. non fit niſi per juſtas nuptias, §. 173. quomodo differat a concubina, *n.* 7. *ſeq.* omnia acquirit marito, §. 182. Uxor eſt domina naturalis dotis, §. 314.

FINIS.

A 131 2753

Digitized by Google

Digitized by Google